L,
VI, 74.



L3 VI 94

OPUSCULA POSTHUMA,

Hactenùs in-edita & edita,

AUTHORE

ADM. REVERENDO AC EXIMIO

PATRE MAGISTRO,

F. CHRISTIANO LUPO, IPRENSI,

Sacræ Theologiæ Doctore, & Regio Primario Lovanii Professore, Provinciæ Belgicæ Ord. FF. Erem. S. Augustini quondam Priore Provinciali,

Cura et Opera

REV. PATRIS F. GUILIELMI WYNANTS,

EJUSDEM ORDINIS ET VOTI;

Per Flandro-Belgicam Provinciam Diffinitoris, S. T. B.

PARS PRIMA.

EJUS OPERUM TOMUS UNDECIMUS,

Studio, ac Labore

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI



VENETIIS, MDCCXXIX.

Prostant { Apud Jo: Baptistam Albritium Hieron. F. et Sebastianum Coleti.

Cum gratia, et privilegio.

ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO
JOANNI DE BRUCHOVEN
COMITI DE BERGEYCK,

Baroni de Leefdael, Regi in Hiſpaniis, ac Belgicis Provinciis a Conſiliis Status, Dominiorum ac Finantiarum per Belgium Theſaurario Generali, &c.

ILLUSTRISSIME DOMINE, *Lovanienſis Academiæ magnum Decus & ornamentum, atque ipſius S. Romanæ Sedis ſub Summis quatuor Pontificibus*, Alexandro VII. Clemente IX. Clemente X. *ac jam recenter defuncto, ſanctiſſimo Papa* Innocentio XI. *Eximius Defenſor, totiuſque Orthodoxiæ verbo magnificatus Doctor, ac ſacræ Theologiæ Regius Lovanii Profeſſor. Admodum Reverendus & Eximius Pater* Chriſtianus Lupus, *fidei meæ commiſerat quaſdam publicæ lucí ac uſuræ dandas Dogmaticas Lucubrationes, quas ad magnorum Virorum, in utroque foro præſtantium poſtulationem digeſſerat; & ipſe ſi morte non abreptus, felicius evulgare poterat. Has inter doctrinales Diſſertationes ſunt Tractatus tres, præſenti temporum calamitati, & ingeniorum luxuriantium novitati ad occurrendum apprimè oppertuni & utiles. Hodie namque de* Probabilium ſententiarum uſu: De Regularis & Secularis Cleri ſimoniaca lepra: De militaris diſciplinæ jure & juſtitia, *tot & tanta in utramque partem reproducuntur argumenta, ut firmi viri fatigentur, infirmi capiantur, & medii cum ſcrupulo dimittantur.*

Studuit laudatus Doctor gliſcentibus hiſce malis adferre quædam ſanæ doctrinæ antidota, & ipſa, ſine cujuſpiam injuria, humiliter propinare. Præfatis Tractatibus accedunt Scholia in antiqua Africanæ Eccleſiæ de Gratia Dei Decreta. Accedit ſolemnis illa Diſſertatio, qua evincitur quàm univerſalis Eccleſiæ uſus conformis ſit illæ Belgicæ Eccleſiæ pia & inconcuſſa conſuetudo, qua SS. Euchariſtiæ Sacramentum *fideli populo ſæpiùs adorandum publicè exponitur, & cum ſacris Sanctorum Reliquiis ac Imaginibus in Proceſſionibus circumfertur. Accedunt Dogmaticæ Queſtiones & Reſolutiones de Chriſtiana, in pœnitentiæ Sacramento, attritione & contritione. Accedunt Exhibitiones Canonum, quibus docentur jura Sæcularibus & Regularibus ſervari Eccleſiis.*

Hæc ſunt, Illuſtriſſime Comes, *quæ hoc primo Opuſculorum tomo concluduntur. Sunt illa Capita, ad quorum editionem me hortati ſunt Ampliſſimi ex* Alma urbe *viri, me confirmxit Reverendiſſimus Magiſter*, Fulgentius Travalloni, *totius Ordinis noſtri Prior Generalis. Atque dum immoror præſtandæ huic obedientiæ, & jam ad umbilicum deduxeram impoſitum Opus, Cœlo propitio accidit, ut micam gratiæ invenerim in Oculis Veſtris. Neceſſe etenim erat requirere Virum, cui pretioſas hoſce merces in tutelam deponerem. Placuit itaque* Illuſtriſſimæ Veſtræ Dignitati *per R. D.* Petrum Horickium, *Regiarum Finantiarum Sacellanum, de hujus Operis Auctore benemeritum, mihi renuntiare ſe velle pari ut ipſum ſibi inſcribatur ac nuncupetur.*

Videre quidem videor quòd Chriſtiana hæc Eſca, *quam rapax, cæteroquin* Chriſtianus Lupus, *in annexis hiſce* Diſſertationibus *ex irretractabili SS. Patrum penu, & inexbauribili Sanctarum Scripturarum fundo, ſacrorumque Canonum irrefragabilibus Regulis per longas annorum veſperas ardenti Lampade raput, infirmis quorumdam ſtomachis ſolidior forſan ſit futurus cibus; atque ita ſuper ipſo nauſeabunt: Attamen & videre videor quod hæc ipſa talitèr ex* Chriſtianæ Antiquitatis *ruderibus rapta Eſca, tam robuſto ſale condita ſit, ut inimicam ſuſtugnem, ſi aſpergatur, ſuo ſapore dulcorabit: Morſus quoſdam jam præſentimus; verùm præter dentium ſtuporem retulerunt nihil. Dreviſis* Chriſtianus Lupus *in tempore matutino hac ſua ſpolia, ſuumque Opus alloquitur hac voce:*

Ito Liber, verbiſque meis loca grata ſaluta. *Loca, inquam, grata in quibus ſunt ſtudium & amor caſtæ doctrinæ: Doctrina caſtæ charitatis: Charitas, quæ non cogitet malum, patiens, benigna; quæ opere complet quod verbo docet. Locum exigit*, Illuſtriſſime Comes, *in tuo lectiſſimo Muſæo, & poſtulat tuis quandoque teri manibus, dum per negotia ſinunt otia. Diſſenderis, fateor, publicis pro* Deo, Rege, & Patria Curis; *eundem namque in Re politica locum amat tua pro ipſis* fidelitas, *quem fides in re Chriſtiana: Reddidiſti huic virtuti locum dum feciſti Fidelitatem cardinem vitæ tuæ; hi enim ſunt duo cardines actionum tuarum*, Deus, & Catholicus Rex Carolus: *Immò nec duo Cardines, quos eodem oculo ſpectas, vides unum in altero; utrique ſervis dum uni; nec diverſum exigit uterque obſequium, quia commune eſt utriuſque præceptum: Diſſenderis, fateor, maximis Actorum Agendorumque ſcribus; & ipſa harum Lucubrationum ſtudioſæ pervolutatio curarum tuarum pondus aut alleviabit aut minuet. Solent viri, qui Patriæ patrocinantur, quandoque tranſire in doctorum virorum caſtra, non tamquam tranſfugæ, ſed tamquam exploratores. Docet præſens Liber* in dubiis rebus quæ ſit via tutior: Quæ pro Regularis & Secularis Cleri ſanctimonia ſint ſervandæ contra ſimoniacam hæreſim regulæ: Quæ belli juſtitia debeat veſtire Reges

Supremoſque Principes, & armare Militem : Quæ gratiæ Dei, *qua ſumus omne quod ſumus*, in Africana Eccleſia fuerit Imago : Quæ peccantis fidelis Populi ſit neceſſaria ad reconciliationem Pœnitentia : Quæ ipſi Deo, in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, debeatur reverentia, pietas, ac ſedula Populi devotio : Quæ jura Regularibus ac Secularibus ſervari oporteat Eccleſiis. *Et quis neget quin & hæc ſint, quædam pars Miniſterii tui ? Patere igitur hoc Opus Muſæum tuum ſubeat, locumque ſibi ſumat inter domeſticos, quos colis*, Doctores. *Porrò in Reipublicæ negotiis aſſumere Theologos Doctores, eſt res per omnem Eccleſiam vetuſtiſſima. Scribit in Annalibus Conſtantinopolitanis Georgius Cedrenus :* Apud Regiam ciſternam erat palatium venerabile, in quo juxta antiquam formam œcumenicus Magiſter ſedebat duodecim habens diſcipulos, eruditione & vita graves. Hi cùm omnem dicendi ſcientiam celeritate & amplitudine ingenii percepiſſent, Eccleſiaſticam divinarum rerum ſapientiam acri ſtudio tractabant. Abſque horum
Fol. 42. conſilio quidquam agi, ipſis quoque Imperatoribus neſas putabatur. *Et in Originalibus Conſtantinopolitanis Georgius Codinus :* Erant omnium ſcientiarum Doctores, quos ſemper Imperatores in Conſilium adhibebant, neque fiebat quidquam abſque eorum conſenſu. *Viguit hæc laudabiliſſima conſuetudo & in Latina & Græca Eccleſia.*

Laudum virtutumque tuarum, Illuſtriſſime Comes, *contexere ſeriem humilis tua vetat Magnitudo, atque altum, præter me, requirit Oratorem. Sufficit votis meis quòd ſub tuo* Generoſiſſimo Patrocinio *prodeat in publicam Chriſtianæ Reipublicæ fructuoſam uſuram hic* poſthumorum Opuſculorum *Tomus Primus : Atque Deum Opt. Max. interpellabo pro Longæva Incolumitate Veſtra, & ſeros in annos in hoc Alto* Ætarii Regii *Miniſterio Patriæ præſit & proſit.*

Illuſtriſſimæ Veſtræ Gratiæ,

Minimus Famulus,

FR. GUILIELMUS WYNANTS,
Auguſtinianæ Belgicæ Provinciæ Diffinitor.

Dat. Bruxellis die 30.
Novembris 1689.

A D

AD ADMODUM REVERENDUM AC PER-ERUDITUM PATREM

F. GUILELMUM WYNANTS,

ORD. EREM. S. AUGUSTINI S. T. B. PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ DIFFINITOREM,

EXIMII VIRI AC MAGISTRI SUI

CHRISTIANI LUPI

Opuscula tam quædam ante hac edita quàm posthuma primo Volumine posteros transcribentem.

E P O S.

TEmporis ærugo terræ pulcherrima quævis
Exedit, & sensim durissima quæque Metalla
Mollit & erodit; Non est à dentibus hujus
Quod jactet se immune: Dolent Tritonidos arces
Huic sua compelli succumbere pignora sorti;
Et Doctum Monumenta Virum, vix nata nefando
Funere prosterni, fugituraque postera deinceps
Ingenia, æternæ caligine noctis humari.
Quantos thesauros Doctus desiderat Orbis
In tabulas missos olim, quos flamma, vel atrox
Temporis oblivi virtutem absorbuit ætas!
Hinc peccem, GUILELME, tuæ præconia famæ
Ni Cælo extollam; Peccent quoque postera sæcla,
Si, Charite invita triplice, immortalibus ausis
Juge negent ingrata Tuis sine funere Nomen,
Detrectentque pio Decus immortale labori.
Quantus enim LUPUS est Sol Ordinis atque Lycæi
Numquam oceasurus; Quantum est scripsisse peritè,
Utiliterque etiam Doctoribus erudiendis,
Formandæque Scholæ, sacræ pandisse theatra
Plena Vetustatis, lustrasse an sæcula prima
Christiadum, ac illis collata hodierna sub *omnium*
Misisse aspectum, quid distent æra lupatis:
Quantum est designasse viam, vestigia Sanctum
Quam trivere Patrum: (1) Quantum est docuisse nepotes
Quid valeant aut non valeant Sanisque Bonisque
Sensa probabilia? (2) Et Monachalibus abditus antris
Num lateat fors quis Simon qui sancta profanet?
(3) Qua Lege & Methodo primis exercita CHRISTI
Temporibus Bellona fuit? (4) Qui gramine Cæli
Pascendis ovibus sint cusi antiquitus Afris
Præsulibus Canones? (5) Luctus formidine pœnæ
Crimina num tollat, modò sint Mysteria præstò,
An dolor ex puro ducendus amore Tonantis?
(6) Quidve ad Doctorem confirmet Epistola NORIS
Dogmatis ejusdem? (7) Quam Templa Monastica sanis
Æquentur Paroches per privilegia Petri,
Invidia Claro Demonstratore crepante,
(8) Exitioque suo curam arcessente secundam
Doctoris nimis armati, ac ad singula prompti.
(9) Quam bene sacratis hodiernus collocet usus
Sub specie panis Venerandum Numen in aris.
Quamque siet par Angelicis per compita Pompis,
Vota inter mediasque preces MYSTERIA TANTA
Ad sponsæ Christi circumgestare triumphos.
(10) Quantum est hæreticos per flumina prodigiorum,

Voce

(1) *Opusculum de Opinione Probabili.* (2) *De Simonia Monasteriorum.* (3) *De antiqua disciplina Christianæ militiæ.* (4) *De antiquis Canonibus Ecclesiæ Africanæ.* (5) *Quæstio Dogmatica de contritione.* (6) *Epistola familiaris ad eximium Mag. Noris.* (7) *Exhibitio Canonum pro Regularium Ecclesiis.* (8) *Exhibitio eadem flabilita contra philalethem.* (9) *De expositione & circumgestatione venerabilis Sacramenti, seu de Processionibus.*
(10) *Oratio Panegyrica in Jubilæo Fener. Sacramenti Miraculosi Levanii.*

Voce Panægyrica centena Oſtenta docente,
Detruſiſſe ſuis ſtagnis, ac lumina veri,
Poſt obtruncatos Myſteria ſumma negantes
Effeciſſe Dei, toto ſplendeſcere Mundo?
Cuncta iſthiæc quanti faciant Doctique Probique
Ingenio compoſta LUPI, atque volucribus auſis
Mundo parta, tuos tanti cenſere labores
Arbiter æquus amat: tantum non ante Magiſtrum
Ponere diſcipulum compulſus, Nomina quorum
Poſteritas celebranda gradu ſignabit eodem.
Perge modò; & reliquos quos abdita Scrinia condunt,
Erue de tenebris Fœtus, & lumine dona
Ingenium quidquid liquet elucubraſſe LUPINUM;
Non minor eſt etenim virtus, quæ Scripta Parentum
Vivere perpetuo meritorum in mente nepotum
Vindicat interitu; quàm quæ feliciter Orbi
Hæc eadem eduxit, fortaſſis præcoce Fato
Amiſſura diem, niſi dextram porrigat æquus
Quis ſimiliſque tui Vindex. Hac utique fama
Ne dubita, GUILELME, per immortalia vives
Secula. Donec enim Doctrinæ lampade magnum
Nomen in Orbe LUPI cluat, inclamabere magnus.

Fraterno affectu auguratur, F. ALBERTUS LE ROY, *ejuſdem Ordinis Hiſtoriographus Generalis*.

ADMODUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE PATRI.

GUILIELMO VVYNANTS,

Auguſtinianæ Flandro-Belgicæ Provinciæ Diffinitori, &c.

ERgo iterum poſt fata LUPUS redivivus, humique
Spirat, & in libros poſthuma fama redit?
O reddeat, videatque diem, qui funeret, & ipſa
Invidia major, vivere dignus erat.
Qui libros inter vixit, jam ſurgat iiſdem,
Dum Tomus hic lucem non peſiturus habet.
Sic Phœnix redivivus adeſt, cinerique ſuperſtes
Emittit buſto ſemina viva ſuo.
Qui Canonum memores Faſtos, memorandus & illis,
Deſcripſit notas Conciliiſque *Notas*.
Hoc eſt Scriptoris, cedrinis dare nomina Faſtis,
Nec totum tumulo poſt ſua fata tegi.
Scribere non ſolùm, ſed Scripta relicta tenebris
Eruere, & luci reddere, grande decus.
Per te, *docte Pater*, LUPUS eſt redivivus in Orbe,
Dum ſua Scripta tuus prodidit arte labor.
Ne tenebris latitaret, habet te vindice lucem,
Quod Scriptis liquit poſt ſua fata LUPUS.
Hic Tomus ingenii præfert monumenta LUPINI,
Quæ nemo invidiæ rodere dente valet.
Ingenii eſt illuſtris Opus, quod vindice penna
Fert varias Sophiæ non morientis opes.
Hinc Scriptis nati lætabitur umbra Magiſtri,
Se rurſus calamo vivere poſſe tuo.
Eſt doctum, dignumque cedro tam illuſtre Volumen,
Quo tua, & Authoris fama perennis erit.
Quæ celebret fauſto victurum Carmine nomen,
Te circum penna remige Fama volet.

In veræ veteriſque amicitiæ teſſeram F. JOANNES HUYSSENS *ejuſdem Ordinis, Marianæ Sodalitatis apud Lovanienſes Orator*.

EPI-

EPISTOLA FAMILIARIS.

Adm. R. ac Doctiſſimo Patri GUILIELMO VVYNANTS *Ord. Erem. S. P. Aug. S. Th. B. Diffinitori*, &c. *Fr.* BERNARDUS DESIDERANT *S. D.*

BEnevolentiſſimas Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis litteras, tuo Nomini inſcriptas ſuſcepi lætus, non quia judicium, quod tenue eſt, nominatim videbam requiri meum; ſed potiùs quòd ſtimulari te ac muniri ſuprema quæ apud nos extat, talis ac tanti Viri Authoritate, ut tandem faceres id quod dudum in bono pectore geſtas. Macte ergò animo: videant per Te Eruditi Noſtrates Exterique, totum non ſic Belgio excidiſſe LUPUM noſtrum, quin glorioſi adhucdum cineres numquam perituri Senis poſt funera ſuperſint. Gratulor autem Magni Viri piis Manibus, cujus ſuſcitabitur dulcis Memoria, quæ nos toties recreat, quoties vel cuſi aliàs typi rursùs ſudant, vel creantur novi, ut ſudores *Poſthumi* publicos odores ſpirent. Tua verò, Doctiſſime Pater, quæ putas pars eſt? erit profectò gloriæ loci aliquid tuæ: qui deſideratiſſimo Authore ſuo orbatis Libris, ceu Liberis ſupponis obſtetricantes manus; in hoc imitatus, quotidianas Almæ Telluris vices, quæ recedentis Solis diurnos radios parco recondit ſinu, diſpenſatura noctu calores *Poſthumos*, ut latentia ſemina reſurgant aſſurgantque in ortus priſtinos & campis redeant rursùs amœnis, æmulo frigore nequicquam novercante. O! ſi Sidus illud quondam tuum has Plagas repetat! Quibus Te Luminibus colluſtraturum, quibus Te nutibus, verbis inquam, compellaturum eſt? Nondum ergò, inquiet, fideliſſime rerum, nondum te moleſtiarum tædium habet, quibus non tam uſus nuper cum fulgerem, quam fruitus ſum. Poſt evictas toc mecum & pro me, erro, pro Deo dicere debui & Eccleſia curas, ſive dum Flandro-Belgicæ tenebam, te mihi Socio & à Secretis aſſumpto, Provinciæ Clavum, ſive dum te itineris comite ſuperabam Alpes, iterùm Æternam Urbem petens, ſive dum te ſæpius moderante typos, quæ pro Dei & Apoſtolicæ Majeſtatis juribus dictaveram, curabam imprimi; ſive denique dum adſtitiſti moribundo, penè immortuus mortuo; poſt iſthæc omnia, etiam aliquid poſt Fata reſtat, ut ſervatus poſt Me, Memet per Memetipſum non Mihi ſed Orbi reddas, Me ipſo nihil amodò curante, qui Me nolim Orbi reddere. Pergè Tu interea: Sic Reipublicæ Litterariæ bene ſit. Opuſculorum Tomum primum edes, mox additurus alterum, curaturus dein ut auguſtiori folio Sacrorum *Canonum Scholia* reſulgeant, adjectis nihilominùs & intermixtis, quæ Teſtamenti loco, Eruditis addenda *dedi*. Utantur illi, & te collaudent, Manibuſque meis felicia *comprecentur*. His & non aliis, aut fallor equidem, Te Vir Eximius ac Magiſter tuus, meuſque conveniret vocibus, quibus, ut referre ſolitus es, jugiter quodammodò aures Tibi tinniunt. Auſcultа precor pietati, neque hoc committe ut de Te Publicum jure conqueratur. Erit olim undè gaudeas. Quamque à me requiris offero juvantem manum, ſeu dum Opuſculorum Poſthumorum Tomus alter ſpirabit lucem, ſeu dum per verè Ornatiſſimum Virum *Eugenium Henricum Fricxium* Typographum Regium, *in folio* reſpirabunt *Canones*, adjectis, ut jubebat moribundus Author, iis quæ *de Apparatu ad magnum Concilium Nicænum* commentatus eſt, ſeu quæ *de Symbolo*, ſeu quæ *de Appellationibus Germanicis & Anglicanis* ad Sedem Apoſtolicam, ſeu aliis quæ conjuncta in Tomos exteſcerent. Operam meam, quam ſpondeo, ut agnoſcas futuram, præmitto; ecce, quem in Tomum hunc primum concinnavi Indicem. Judicium meum addo de toto Opere; Deum rogans ut Paternitatem Veſtram ſecuturis laboribus ſervet incolumem. Dabam Lovanii Kalendis Octobris 1689.

Doctiſſimæ Paternitatis Tuæ,

Servus humillimus

FR. BERNARDUS DESIRANT.

JUDICIUM

Eximij Patris ac Magistri Nostri BERNARDI DESIRANT, Ord. Erem. S. P. Augustini, in Universitate Lovan. S. T. Doctoris, Historiographi Regii & Professoris Publici, &c.

EX Commissione mihi data à Reverendissimo Patre Magistro nostro Generali, evolvi Tomum primum, cui titulus: *Opuscula Posthuma*, &c. De quibus hoc meum judicium esto. *De Opinione Probabili* Eximius Author tam certa statuit, ut Probabilitatem superet, sic probat, ut Probabilista non sit. Observes tamen ut ne incautus proberis errasse: *Probabile* enim vocat, non quod probari posse à paucis putes, sed quod *probatum* à pluribus omni, hac in parte, exceptione Majoribus; & ne tunc quidem hoc indulget, ut si à juris naturæ tramite recedere te contigerit, culpa omni solutus sis. Porro *de Simonia Monasteriorum*, jus Divinum secernit ab Humano, Humanum in variorum temporum locorum statutorumque Classes dividit, ut nec Laxoni fuppetat unde crimen palliet, nec Stringoni unde in innocentes necessitates exurgat. In *Militia Christiana*, mitis Lupus & Cicuris sine noxa discurrit inter arma, Belli, & Pacis jura librans & pondera, militum stipendia tractans, justaque spolia à Rapinis vendicans, & Principum inter se Bellantium æmula studia, in gentilia dispescens & Christiana, cunctos instruens ut bellandum sit ex antiquæ militiæ Christianæ disciplina. *Antiquos* deinde *Ecclesiæ Africanæ Canones* exhibens, abstrusa & dolosa semper Pelagianæ Hæresis secreta scrutatur, aperit & Mundo exhibet ut facilè discat quousque error ludere & abjudere cum pertinacia possit. Succedit *Quæstio Dogmatica de Contritione*, & quæ paribus argumenti est, *Epistola Familiaris ad* virum prorsus Eximium *Henricum Noris*. Pura utrobique & pura Charitas loquitur: cætera taceant. Postea *Exhibitio Canonum* sequitur *pro Regularium Ecclesia*, & hæc eadem denuò *stabilitur*. Nihil illic novi, totum antiquum est, & hoc antiqua, & si quæ nova est, Catholica hoc servat & profitetur Ecclesia. *Expositio* autem *Sanctii Sanctorum*, ejusdemque cum Imaginibus non in Altari tantùm, de quo nemo Catholicus ambigit, sed & in Processionibus, de quo pauci scrupulosius dubitant, subordinatum consortium mirificè commendat, transscribens vetera, quibus nova non præscribunt. *Oratio* denique de Miraculis Sacrosancti ejusdem, quod præsertim Lovanî colitur, imponit Coronidem. Legat hanc Orthodoxus, Lutherus demiretur, Calvinus frendeat & debacchetur. Reliquum est ut dicam, quod Tomus totus Lupinus est, Eximius est, Christianus oppidò & Catholicus: in lucem exeat. Ita censebam Lovanî Kalendis Octob. 1689.

Fr. BERNARDUS DESIRANT
S. Theol. Doctor, &c.

NOI REFFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approbazione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro Intitolato: *Opera Posthuma &c. Auctore Christiano Lupo, &c.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Secretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Sebastian Coleti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 11, Giugno 1728.

(Gio: Francesco Morosini Cav. Ref.
(Alvise Pisani Cav. Proc. Ref.
(

Agostino Gadaldini Seg.

1728. 6. Novembre.
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Effecutori Contro la Bestemmia.

Antonio Canal Nod.

DIS-

DISSERTATIO
DE ANTIQUITATE, AUCTORITATE, AC LEGITIMO USU
SENTENTIÆ PROBABILIS.



NTER varias vocum novitates, quibus miserè vexatur, & à Divina justitia flagellatur hoc infelix sæculum, sunt quæstiones de Opinione probabili. Præsertim in materia Juris Divini aut naturalis. Quidam omnem, licet veraciter probabili sententia fulciatur, ex iſtius juris ignorantia lapsum, censent esse ex suo genere mortalem. Censent, quòd nunquam possimus sine gravi delicto operari ex sententia probabili. Quòd pœnitentiæ præfectus Presbyter se nunquam accommodare possit ad probabile judicium pœnitentis. Alii volunt à quavis probabili sententia plenè dilui omnem reatum. Et alia id genùs varia. Perniciosa aut periculosa. Et quibus infirmorum fratrum conscientia graviter percutitur. Hæc elucidari rogantibus, & aliquem indè fructum spondentibus, judicavi obediendum.

CAPUT I.

Offenditur quòd juris naturalis ignorantia ſit pars originalis peccati, ideoque durum noſtræ animæ vulnus.

QUòd sanctus Augustinus originalis peccati essentiam constituat in quibusdam vitiis, ac ipsorum reatibus; quòd item horum vitiorum alterum tradat esse concupiscentiam, est omnibus exploratum. Alterum vitium est naturalis juris ignorantia. Ita idem Augustinus manifestè docet in sexto libro contra Julianum Eclanensem Episcopum. Demonstrat duo. Primò, quod per gratiam, quam nobis in præsenti sæculo impartit Christianum Baptisma, aboleantur non originalia vitia, sed soli eorum reatus. Secundò, quòd inter ista vitia sint concupiscentia & ignorantia. Et hinc concludit: *Horum itaque malorum præteritus omnis reatus ſacro fonte remittitur.* Disertè affirmat, non solummodo concupiscentiam, sed & naturalis, de quo solo istie agitur, juris ignorantiam esse non qualecumque, sed adnexum, qui Baptismate remitti debeat, reatum habens vitium, ideoque partem originalis peccati. Etenim peccatum hoc non in quibuscumque consistit malis, sed dumtaxat in istis, quæ sunt animæ vitia, ideoque habent adnexum reatum. Originalium malorum quædam sunt dumtaxat supplicia, quædam sunt & supplicia & simul animæ vitia, ideoque & peccata. Originale peccatum debuit vitiare ac inquinare totam animam: voluntatem per concupiscentiam, intellectum per ignorantiam.

Cap. 16.

Hinc & in libris de libero Arbitrio idem Augustinus affirmat ista esse non recti naturalia, sed damnati hominis vitiosa ac pœnalia exordia, & adjungit in primo libro Retractationum: *Ad quam miſeriam juſtæ damnationis pertinent ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ, nec ab iſto malo, niſi Dei gratia quiſquam liberatur.* Ab eorum dominatu per victricem JESU Christi gratiam, ab ipsorum reatu per Baptismale donum remissionis peccatorum. *Quam miſertam Pelagiani nolunt ex juſta damnatione deſcendere, negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus eſſet Deus, ſed laudandus.* Adversùm famosas præfati Juliani calumnias affirmat hæc miseranda hominis exordia non esse Manichæa duplicis Divinitatis & duarum animarum dogmata: Illa adeò ab his distare, ut nec ipsa incidamus, si dixerimus ista esse naturalia. Ita in libris de Genesi ad litteram scribit quorumdam, censentium Diabolum esse in sua perversa voluntate creatum, seu in primo suæ creationis exordio peccasse, opinionem esse quidem deviam, attamen non incidere in Manichæum. Cap. 9. Ibidem.

Et in Encheridio docet primum humani generis malum fuisse Proto-Plastorum primum peccatum, atque profequitur: *Hoc primum eſt creaturæ rationalis malum, prima privatio boni. Deindè etiam jam nolentibus ſubintrant ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum, quibus comites ſubinferuntur error & dolor. Ex his malorum non ubertatis, ſed indigentiæ, tanquam fontibus omnis miſeria naturæ rationalis emanat.* Omnia noſtra actualia peccata. *Duabus ex cauſis peccamus: aut non videndo quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis.* Augustinus adjungit se hæc in multis suorum librorum locis docuisse. Insignis locus est in primo libro ad sanctum Pontificem Bonifacium: *Non agit in hominibus etiam qui ſuadet & decipit, niſi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis & infirmitatis.* Affirmat quædam per ignorantiam simul & per concupi- Cap. 24. Cap. 81. Cap. 3.

scientiam, quædam peccata patrari per solam ignorantiam. Est locus ad varia utilis, ideoque benè notandus.

Quæ omnia intelligenda sunt de sola legis naturalis ignorantia. Etenim positivarum legum, factorum, naturalium rerum, ac istiusmodi aliorum ignorantia est nobis imperfectio, non vitium longè minùs originale peccatum. Quia licèt sint carentia, non tamen sunt privatio boni. Sunt negatio. Ista bona non sunt nobis ad naturalis rectitudinis integritatem necessaria: non sunt debita inesse. Aliud est error, aliud ignorantia. Omnis error est nobis vitium, varia ignorantia est simplex imperfectio. Nullus item est originale, varius error est actuale peccatum. Et error, licèt mortale etiam peccatum sit, non semper est cæcitas mentis. Hocce tremendum & miserandum Divinæ vindictæ supplicium non cadit, nisi in Paganos, perfidos Judæos, Hæreticos, Schismaticos, & alios istiusmodi gravissimos peccatores. Originalis ignorantia est reverà horrendum vitium. Ipsum compendio exaggerat in libro de gratia Christi sanctus Augustinus: *Pelagius confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quemadmodum debeat domare leonem, & nescit quemadmodum vivere.* Per concupiscentiam assimilati, per ignorantiam sumus facti inferioribus bestiis. Etenim nulla bestia nascitur sine notitia ac idæis rerum sibi competentium. Homo est rasa, ideoque & nebulosa tabula, nudus, ideoque & cæcus intellectus, nonnisi Divina gratia ac Baptismali justitia redituras ad visum. Homo justus, licèt plura naturalis etiam legis capita ignoret, nullo pacto est mente cæcus. Etenim baptizatos sanctus Paulus Apostolus, & ex ipso antiqui passim Ecclesiæ Patres appellant Illuminatos: Et inter avitos Christianæ Regenerationis titulos est & *Lumen*. Omnis illuminatus videt, adeoque non est cæcus. Videt omnia æternæ saluti necessaria. Quare qui omnem naturalis legis ignorantiam existimant esse mentis cæcitatem, omninò hallucinantur. Fateor pro illis hinc indè adduci posse quædam Patrum testimonia. Sunt cum fale intelligenda.

Hallucinantur & illi, qui omnem in hac vita hominem censent semper laborare aliqua istius juris ignorantia. Qui censent nullum in hac vita perduci ad plenam ejus notitiam. Etenim palàm adversantur sancto Augustino, qui in sexto adversùs Julianum Eclanensem Episcopum libro affirmat originalem concupiscentiam esse originalii ignorantia pejorem, & adducit causam: *Sana*
Cap. 16. *accedente doctrina minuetur ignorantiæ malum. Credamus etiam non tantùm minui, verùm etiam in hac vita posse consumi. Tamen post Baptismum. Numquid in Baptismo? Concupiscentiam verò quis ambigat in hac vita posse minui, non posse consumi?* Et omnem istam ignorantiam in Apostolis fuisse absumptam non est dubitandum. Datus in Pentecoste Spiritus sanctus deduxit illos in omnem veritatem. In omnem veritatem Evangelicæ legis, adeoque & naturalis. Etenim Evangelica lex non est aliud, quàm naturalis lex vestita paucissimis novi Testamenti Sacramentis. Quòd Apostoli nihil Evangelicæ legis ignoraverint, est amplè demonstratum in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Et plures primitivi fideles habuerunt eandem gratiam. Etenim inter primitiva Ecclesiæ Charismata erant etiam scientia & sapientia: quæ esse non possiit sine plena notitia legis naturalis. Et hæc dona, licèt apud paucos, semper manserunt, ac semper manebunt in Ecclesia.

Rectè dico. *Apud paucos.* Etenim quis sancto Augustino doctior, quis sanctior? Et tamen quòd plurimas circa naturale jus quæstiones definire nequiverit, lachrimosè profiteatur, ac multis exemplis demonstrat in litteris ad sanctum Paulinum, atque concludit: *Quis in his omnibus* Ep. 250.
tremor, mi Pauline, sancte homo Dei? Quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus de his dictum esse, timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ? Nos sumus homines corde immundi, ideoque patimur tenebras longè plures atque majores. Etiam Propheta David dilecto a Domino Deo ignoscì supplicavit non dumtaxat suæ juventutis delicta, sed & varias ignorantias: non Mosaicæ, quam plenè calluit, sed omninò legis naturalis. Et istos ejus Psalmos non ex sola humilitate, sed ex veraci professione omnis semper decantavit Ecclesia, ideoque judicavit suis membris per omnia convenire. Omnes sumus *vir, cujus abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Quæ sancti Prophetæ Job verba insigniter commentatur in sexto Moralium libro magnus Gregorius: *Nonnunquam ea ipsa, quæ ve-*
Cap. 6. *rè nos agere credimus, an in districti judicis examine recta sint, ignoramus. Sæpè enim opus nostrum causa damnationis est, quod & profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placeri Judex creditur, indè ad iracundum placidus infligatur.* Et firmat hoc ex Sapientis verbo: *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem.*

CAPUT II.

Quænam sententia sit censenda verè probabilis?

OMnis sententiarum probabilitas oritur ex dictis ignorantiæ tenebris. Insigniter hoc tradit in secundo ad nationes libro Tertullianus:
Cap. 2. *Sanè mera sapientia Philosophorum, cujus infirmitatem prima hæc contestatur varietas opinionum, venientes de ignorantia veritatis.* Quod ipsum tradit largiùs in libro Apologetico. Variis item in locis Lactantius Firmianus. Et certè ubi non est ignorantia, est scientia, ideoque & certitudo, atque ita nulla probabilitas. Probabilitas est similis famæ, de qua idem Tertullianus in laudato Apologetico libro: *Fama, nomen incerti.* Cap. 7.
Locum non habet, ubi certum. An verò famæ credite, nisi inconsideratus? Quia sapiens non credit incerto. Omnium erit æstimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa, quod ab uno aliquando principio exorta sit, necesse est extindè in traductes linguarum & auritum serpat. Et ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit. Quòd sæpè sit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quadam mentiendi voluptate. Etiam probabilis sententia est nomen incerti. Ubi certum est, illa non habet locum. Oritur

frequenter ab uno, & sic serpit per scholas, provincias, gentes. Etiam oritur ex vario hominum ingenio, vario arbitrio.

Quòd ab uno oriatur, non est novum. Etenim sancti Cypriani de rebaptizandis hæreticis sententia, licèt erronea, isto tamen tempore fuit omninò probabilis, & originem duxit ab uno Agrippino, Archi-Episcopo Ecclesiæ Carthaginensis. Immò forsitan ab unico ejus Presbytero Tertulliano. Plures existimant istam novitatem Agrippino fuisse à Septimio impressam. Quisquis fuerit exordium, error pedetentim pervasit omnem Parochiam Carthaginensem, Pro-Consularem Provinciam, Numidiam, cunctam Africam, Ægyptum, Cappadociam, omnem Pontum, ac alias regiones. Etenim sententiam istam amplexi sunt, & constanter tenuerunt sanctus Cyprianus, sanctus Firmilianus Cappadociæ Archi-Episcopus, sanctus Dionysius Patriarcha Alexandrinus, ejus Successor magnus Athanasius, magnus Basilius, sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus, istorum omnium Provinciales aut Diœcesanæ Synodi, & alii plures. Et ista sententia apud tantos Patres atque Ecclesias firma permansit, etiam post Nicænam Synodum, usque ad Concilium Constantinopolitanum. Hoc suo Symbolo adversùs istam sententiam inseruit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Ita probabilem sententiam fecit obmutire.

Et hinc oritur quæstio, an unicus Doctor possit facere sententiam probabilem? An ipsam non dumtaxat inchoare possit, sed etiam solus constituere & firmare? Plures hodiè affirmant. Ejusdem sententiæ fuit Hæresiarchæ Pelagii collega Celestius. Etenim in Carthaginensi Synodo, cum dixisset circa originale peccatum utramque contradictionis partem esse probabilem, & negativam probari variis Catholicæ Ecclesiæ Doctoribus, à sancto Paulino Diacono rogatus ipsorum nomina, respondit: *Sanctus Presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, qui tradux peccati non fit.* Et rogatus alios, nec valens adducere plures, denuò reposuit: *Non tibi sufficit unus Sacerdos?* Ad Cap. 3. statuendam probabilem sententiam volebat solum Ruffinum sufficere. Ita habes apud sanctum Augustinum in libro de peccato originali.

Respondeo hanc quæstionem in libris de Baptismo insigniter definiri ab eodem Augustino. Etenim Donatistis, sancti Cypriani auctorita tem pro Rebaptismo objicientibus, respondet: Lib. 3. cap. 4. *Quid ad Jubajanum scripserit Cyprianus, jam legi. Et profectò ipsem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel patres gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctores per tot gentes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipsam Hebræam, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, qua ipsum quoque peperit, qui mihi quoque nullo modo videri possunt frustra noluisse istam sententiam, non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quæstione veritùs pluribus unus, paucive sentirent, sed quia non facilè pro uno vel pro paucis adversùs innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina præditos, nisi perractatis pro viribus atque perspectis rebus ferenda sententia est.* Affirmat unius magni Doctoris sententiam quandoque posse esse probabilem, ast id esse rarissimum: & non facilè præsumendum.

Ex dictis lucet authenticum fidei articulum aliquando posse pedetentim per deviantia magnorum virorum ingenia degenerare in sententiam probabilem. Etenim quæ magis authentica veritas, quàm datum apud hæreses aut schismata Baptismum esse validum ac ratum? Et tamen Agrippini Carthaginensis Episcopi Commenta effecerunt id, quod in canonicis ad sanctum Amphilochium litteris scribit magnus Basilius: *Si* Cap. 47. *autem prohibita est apud vos, sicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia, hæc Rebaptizatio, nostra tamen oratio vires obtineat.* Palàm affirmat hanc rem esse œconomiæ, & variæ apud varias Ecclesias consuetudinis. Hoc est, esse utrimque probabilem, ideoque Ecclesias posse in suo sensu liberè abundare. Quod ipsum constanter sensit, & à sua Synodo sentiendum jussit sanctus Cyprianus. Hinc enim ad ipsam fuit præfatus: *Neminem judicantes, aut à jure Communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Ex eodem principio frequenter dixit: *Habet sui arbitrii potestatem quisque Episcopus, sui actus rationem Domino redditurus.* Et sanctum Stephanum Pontificem culpavit, non quòd Romæ ac per omnem Italiam vetaret rebaptizari, sed quod rebaptizantes Ecclesias, sectantes probabilem sententiam, minaretur proscribere & damnare.

Hoc ipsum patet ex Catholica veritate, quæ asserit remissionem peccatorum in nobis fieri per intrinsecam habitualem gratiam, & ipsam infundi etiam parvulis. Quòd sit Catholica veritas, diserè tradit in primo de peccatorum meritis ac remissionibus libro sanctus Augustinus: *Sicut ille,* Cap. 9. *in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritus fidelibus occultissimam gratiam, quam latenter infundit & parvulis; sic & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis, qui Præcepium Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabescavit in se omnes de sua stirpe venientes.* Habitualis gratiæ à Christo Domino, & carnalis concupiscentiæ ab Adamo etiam in parvulos traducem affirmat apud Ecclesias esse paris certitudinis. At verò longè aliter posterioribus sæculis scripsit hac de re ad Michaelem Arelatensem Archi-Episcopum Innocentius tertius Pontifex: *Illud quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpotè non consentientibus, non infundi, à plerisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.* Ecce veritatem, quam sanctus Augustinus certam atque authenticam, Innocentius affirmat esse utrimque probabilem. Ita factum fuit per disputationes Scholasticorum Doctorum. Et probabilitas, licet diminui cœperit, adhuc permansit tempore Viennensis Concilii.

lii. Etenim adducta Innocentii verba laudat in primo Capitulo ad Titulum de ſumma Trinitate & fide Catholica Clemens quintus, atque adjungit : *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Deo laus, nos altiùs profecimus. Sacra Tridentina Synodus avitam ſancti Auguſtini & totius tunc Eccleſiæ ſententiam repoſuit in fidei Canonem, & denuò fecit eſſe fidei articulum.

Hoc item contigit articulo, qui aſſerit matrimonium eſſe verum ac propriè dictum novi Teſtamenti Sacramentum. Eſt Evangelica veritas. Et tamen in Occidentalis Eccleſiæ hiſtoria ſcribit Jacobus Cardinalis de Vitriaco. *Suni Eccleſiæ ſeptem principalia Sacramenta. Scilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Matrimonium, Extrema-Unctio, & Conſecratio. Omnia iſta, præter Matrimonium, quantùm in ſe eſt, efficiunt quod ſignant, & augmentum gratiæ præſtant, niſi ab indignè ſuſcipientibus impediantur, ut finem in altero non conſequantur. Inſtituta enim ſunt ad ſignificandum & ſanctificandum. In Sacramento autem matrimonii non conſertur cumulus vel augmentum gratiæ. Quia ſit tantùm ad remedium contra carnis lapſum, quemadmodum comedere carnes conceditur Monachis, & balnea ægroto.* Quod ipſum tunc docuerunt Robertus Cardinalis Pullus, ac Petrus Pictavienſis. Quòd item dati per hæreticum, ſimoniacum, aut intruſum Epiſcopum Ordines ſint validi ac firmi, & hodiè eſt & olim fuit dogma certum atque immobile : quòd tamen poſt laici Conſtantini intruſionem in Sedem Apoſtolicam, & præſertim poſt ſexti Gregorii tempora, fuerit graviter de hac re dubitatum apud Eccleſias, & utraque contradictionis pars fuerit probabilis, ampliè demonſtravi in Scholis ad Actaſancti Leonis noni. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla.

Cap. 36.

Nolim præterire duo inſignia, quæ in libro de fide & operibus adducit ſanctus Auguſtinus : *Quoniam malorum Chriſtianorum mores, qui fuerunt antea etiam peſſimi, babuiſſe non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris fœminæ nuberent, indè fortaſſis apud quaſdam Eccleſias negligentia iſta ſurrepſit, ut in catbechiſmis competentium nec quæreretur nec percuteretur hæc vitia. Atque indè factum eſt, ut inciperent & defendi. Quæ tamen in baptizatis rara ſunt adhuc, ſed nos negligendo non defenſa faciamus. Talem quippè in quibuſdam negligentiam, in aliis imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus ſomni nomine ſignificaſſe intelligitur, ubi ait :* cùm dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania. *Hinc autem exiſtimandum eſt, non ea primitùs apparuiſſe in moribus, quamvis malorum Chriſtianorum, quoniam beatus Cyprianus in Epiſtola de Lapſis, cùm deplorando & arguendo multa commemoraret, quibus meritò dicit indignationem Dei fuiſſe commotam, ut intolerabili perſecutione Eccleſiam ſuam ſineret flagellari, hæc ibi omninò non nominat. Cùm etiam illud non taceat, & ad eoſdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum infidelibus vincula matrimonii, nihil aliud eſſe aſſerens, quàm proſtituere gentibus membra Chriſti. Quæ noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata. Quamvis reverà in novo Teſtamento nihil indè præceptum eſt, & ideò hæc licere creditum eſt, aut volut dubium derelictum.*

Cap. 19.

Agit de ſui ſæculi conſuetudine, ex qua multæ Eccleſiæ ob alterius conjugis adulterium cenſebant ſolvi vinculum matrimonii, atque ita innocenti permittebant novum conjugium. Affirmat plura. Primò, quòd hæc licentia olim fuerit adeò ignota, ut nec à peſſimis attentaretur Chriſtianis. Hinc concludit eſſe adverſam Evangelio. Quod in hac fide Auguſtinus fuerit conſtantiſſimus, lucet ex ejus libris de adulteriis conjugiis, & ex quibuſdam Canonibus Africanis, conditis ad ejus conſilium. Quòd olim peſſimi etiam Chriſtiani iſtam licentiam nec cogitaverint, probat ex ſancti Cypriani ſermone de Lapſis, ubi glorioſus Martyr omnia ſui ſæculi vitia enumerat atque caſtigat, & tamen iſtius licentiæ nullam penitùs facit memoriam. Hinc Auguſtinus infert iſtam licentiam poſtmodò cœpiſſe, ac pedetentim in probabilem ſententiam profeciſſe per negligentiam, imperitiam, ac ignorantiam quorumdam Epiſcoporum. Quod ipſum in libris de Laica Inſtitutione demonſtrat venerabilis Jonas Epiſcopus Aurelianenſis : Et rectè dicunt. Iſta enim eſt ordinaria origo plurium probabilium opinionum. Alia porta eſt quorumdam Scholaſticorum Doctorum nimia ſubtilizandi, atque ita quidlibet docendi audacia. Iſtud ergò eſt primum exemplum, in quo Auguſtinus docet certam veritatem declinaſſe in probabilem ſententiam. J.2.c.7.

Secundum exemplum eſt veritas, quæ aſſerit diſparis cultus conjugium eſſe & naturali, & Divino juri adverſum. Certè antiqui Patres hunc in ſenſum conſtanter intellexerunt Apoſtoli verba : *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Non ſolus Cyprianus, ſed etiam Tertullianus, aliique veteres ità intellexerunt. Et nos ipſorum veſtigiis hodiè firmi inſiſtimus. Verùm de ſuo ſæculo ſanctus Auguſtinus ſcribit : *Quæ noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata.* Utique per inductam ab adverſa conſuetudine ſententiam probabilem. Et hanc Auguſtinus non ſuit auſus improbare. Hinc ſubjungit : *Quoniam reverà in novo Teſtamento nihil indè præceptum eſt. Et ideò aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum.* Quod ipſum ſcribit in primo libro de adulterinis Conjugiis. Laudata Apoſtoli verba, *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, commentatur in hunc modum : *Quod duobus modis accipi poteſt; Aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens. Non enim tempore revelati Teſtamenti novi, in Evangelio, vel ullis Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrùm Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi.* Et certè etiam ſancta Monica nupſerat viro gentili.

Sanctus Auguſtinus in laudato de fide ac operibus libro pergit de ſuo priori exemplo : *Quiſquis uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui exceptâ cauſâ adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipſis Di-*

vinis

vinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem fine dubio adulterum licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantùm existimo, venialiter ibi quisque fallatur. Affirmat duo. Primò, quòd suo tempore ista sententia fuerit reverà probabilis. Nec eam, licèt ipse contrarium senserit, fuit ausus damnare. Deindè nobis insigniter ostendit, quænam sententia sit reverà probabilis. Hanc quidam ita definiunt: *Probabilis opinio est, quæ certitudinem non habens, vel gravi auctoritate, vel non modica ratione nititur. Authoritas gravis censeri debet, quæ est saltem unius viri docti & probi.* Longè aliter sanctus Augustinus: veraciter probabilem opinionem vult in sacris Litteris, adeoque & in sacris Canonibus, sanctis Ecclesiæ Patribus, aliisque Theologicis locis esse adeò obscuram, ut utraque contradictionis pars in ipsis fundamenta habeat, & ad veritatis fundum sine singulari Divinæ gratiæ lumine non possit pertingi.

Hinc fieri potest, ut inter contradictorias opiniones utraque sit dubia, neutra probabilis. Insigniter hoc idem sanctus Augustinus tradit in septimo libro de Baptismate contra Donatistas. Proponit quæstionem: an mimicè ac joculatoriè datum atque acceptum Baptisma sit validum ac ratum? Et prosequitur: *Nobis tutum est in ea non* Cap. 53. *progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt; id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Et statim infra: *Ubi neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ita acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè, & mimicè, & joculatoriè ageretur, utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerem, ita sanè ut post me dicturos sententiam, ne quid jam exploratum & cognitum adferrent, humiliter exspectarem.* Agit de casu, quo ipsum in tali Synodo constitutum non præcederent tales Suffragatores Episcopi, quorum judicium comprobaret. Opinionem, ut sit probabilis, vult esse probatam saltem ab aliquo, non dumtaxat Provinciali, sed Regionali, id est, Diœcesano, Catholico Concilio: quod judicare non possit, nisi ex sacris litteris, prioribus Canonibus, sanctis Ecclesiæ Patribus, aut aliis similibus Christianæ doctrinæ fontibus. Quòusque talia non suffragentur fundamenta, censet neutram partem esse probabilem, ideoque quæstionis fundum à Divina Clementia exposulandum. Et hoc sancti Augustini judicium in sua Romana Synodo, de exsufflandis Simoniacorum Ordinationibus tractante, probavit sanctus Leo nonus, de quo in litteris ad Henricum Ravennæ Archi-Episcopum scribit sanctus Petrus Damiani: *Venerabilis Papa in postrema Synodo omnes Episcopos ex Divina obtestatione rogavit, quatenùs Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelaret.* Hæc Epistola est præfatio ad librum *Gratissimum*.

CAPUT III.

Ostenditur quod Ecclesia Catholica circa humanas Leges semper permiserit ut sententia probabili.

HUmanarum legum præcipuæ sunt Canones Apostolici. Et inter hos magnusac manifestus est hic: *Oportet Episcopum ac Diaconum esse unius uxoris virum.* Pleræque sub cælo Ecclesiæ ipsum semper intellexerunt non dumtaxat adversùm simultaneè, sed etiam adversùm successivè Bigamos. Attamen Theodoretus, Cyri in Euphratesia Provincia Episcopus, cùm quibusdam aliis sensit contrarium. Etenim adducta Apostoli ad Timotheum verba commentatur: *Olim consueverant & Judæi & Græci cum duabus, & tribus, & pluribus etiam uxoribus simul jungi lege matrimonii. Quidam ergò dixerunt Divinum Apostolum dixisse eum, qui cum una sola uxore pudicè cohabitat, dignum esse, qui ordinetur Episcopus. Neque enim secundum, inquiunt, rejecit matrimonium.* Demonstrat secundas successivè nuptias esse innoxias, ac permitti ab Evangelio, atque concludit: *Hæc & alia id genus considerans, admitto eorum interpretationem, qui sic intellexerunt.* Nec dumtaxat speculativè hæc Theodoretus desendit, sed & opere explevit. Etenim successivè Bigamum Irenæum propriis manibus consecravit in Metropolitam Tyriorum. Et in litteris ad Dominum Antiochiæ Patriarcham edicit magnos patronos istius suæ sententiæ: *Quod ad Irenæi Biga-* Ep. 110 *miam attinet, dicimus Majorum vestigiis nos inhæsisse. Nam & beatæ ac sanctæ memoriæ Alexander, qui Apostolicam hanc Sedem rexit, unà cum beatissimo Acacio Berrææ Episcopo beatæ memoriæ Diogenem bigamum ordinavit. Eodemque modo beatus Praylius Dominum Cæsaræ, qui bigamus item erat. Consuetudinem ergò secuti sumus, & viros illustres, scientiaque & vita celeberrimos. Et multa ettam alia hujusmodi minimè ignorans beatæ memoriæ Proclus, Constantinopolitanorum Episcopus, & Ordinationem ipse admisit, & laudans atque admirans reseripsit, similiter etiam Pontice Diœceses primarii Deo carissimi Episcopi: & Palæstini omnes. Neque ulla orta est hac de re controversia. Et iniquum ducimus virum damnare multis ac variis egregiis facinoribus illustrem.*

Hic Irenæus est ille Comes, qui in Ephesino Concilio favit factioni & violentiis Joannis Patriarchæ Antiocheni, visus est faviste & Nestorio, ideoque ab Imperatore Theodosio, quem in eundem favorem circumscripserat, post detectas fraudes fuit privatus cingulo, & Regia ejectus. Et tunc à primæ Phœniciæ Episcopis fuit electus in Metropolitam, & ab amico Theodoreto consecratus. Verùm indignatus Princeps justit ejici hominem, ac degradari ob duas causas. Primò, quòd Nestorium fœneret. Secundò, quòd *post secundas nuptias esset contra Apostolicos Canones consecratus.* Hoc Edictum impugnat in adductis litteris, & non solius Irenæi, sed & proprii operis apologum agit Theodoretus, & constanter asseverat se recta egisse. Eò quod egisset ex sententia veraciter probabili. Et ipsam

esse talem multis demonstrat. Primò, quòd sit doctrina Majorum. Et quidem magnorum virorum. Nempè sancti Alexandri, nuper Antiocheni Patriarchæ, itemque Praylii laudatissimi Episcopi Hierosolymitani. Affirmat ipsos non dumtaxat ita sensisse, sed & praticasse. Item suum factum affirmat non solummodò non displicuisse, sed omninò placuisse etiam sancto Proclo Constantinopolitano Episcopo. Item primariis Ponticorum Episcopis, & omnibus Palæstinis. Hinc concludit se non ex temeraria, sed egisse ex plenè probabili sententia. Et videtur toti Ecclesiæ persuasisse. Etenim Irenæus videtur mansisse Episcopus, & apud Tyrum Episcopus decessisse. Ejus regradati aut ejecti nulla exstat memoria. Istud Theodosii edictum exstat post Ephesinam Synodum.

Theodoretus rectè affirmat suum opus placuisse etiam sancto Proclo. Etenim sanctus Proclus fuit discipulus ac Diaconus sancti Joannis Chrysostomi, qui ad Apostoli verba, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, scribit in decima homilia super istam epistolam: *Apostolus non veluti hoc sanciens scribit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituit. Judæis quippè licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & duas itidem habere simul uxores. Quidam verò ita intelligunt, ut ad Episcopatum assumatur is, qui fuerit vir unius uxoris.* Qui simultaneè non fuerit bigamus. Et sententiam omninò censet probabilem. Nempè sanctus Joannes unà cum laudato Patriarcha Alexandro fuerat Patriarchæ Flaviani Presbyter in Antiochena Ecclesia, atque ita istic didicerat illam sententiam. Eandem istic didicerat Theodoretus. Istius Ecclesiæ Doctores omninò respicit in literis ad Oceanum etiam sanctus Hieronymus, scribens istum Apostolicum Canonem exponi variè à variis, & per-

Ep. 83. cap. 2. gens: *Ex Judæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Mosi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere. Ipsi quoque Sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcipit ergò, ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicent Sacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant.* Eadem de re scribit in commentario Apostolicæ ad Titum epistolæ: *Quidam de hoc loco ita sentiunt. Judaicæ, inquiunt, consuetudinis fuit vel binas habere uxores, vel plures. Quod etiam in veteri lege de Abrahamo & Jacob legimus. Et hoc volunt esse præceptum, ne is qui Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores.* Sanctus Hieronymus etiam vixit in Antiochena Ecclesia: Ejus ergò respicit sententiam. Et omninò censet probabilem. Hinc addit in literis ad Oceanum: *Ne contentiosum clames esse, quod diximus, &c.* Hoc est, parùm refert, quòd hæc expositio multis non placeat. Et certè fa.eor oppositam, quæ nunc certa est, sententiam etiam tunc fuisse probabiliorem actutiorem. Ex quo lucet, quòd sanctus Alexander, Praylius, Theodoretus, aliique plures istius notæ viri & docuerint & praticaverint, probabiliori & tutiori relictâ, sententiam minùs probabilem actutam. Interim verè tutam, vereque probabilem.

Apud antiquos Ecclesiæ Patres, qui istum Apostolicum Canonem censebant intelligendum etiam de successiva bigamia, fuit & alia quæstio. Quidam censebant à solis post Baptisma iteratis nuptiis quem fieri irregularem, alii censebant fieri à quibuscumque: præsertim si alteræ saltem fuissent initæ post sacrum Lavacrum. Et hanc sententiam coæstimasse tenuit Romana Ecclesia. Et plures Latinæ. Est res omnibus eruditis exploratissima. Ast Hispaniarum Ecclesia tenuit oppositum. Et plures ipsi adsenserunt. Etenim hæc de re scribit in addicta ad Oceanum epistola sanctus Hieronymus: *Carterius, Hispaniæ Episcopus, homo & ætate vetus & Sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post Lavacrum, priore mortua, duxit uxorem, & arbitrariis cum contra Apostoli feciſſe sententiam, qui in catalogo virtutum Episcopum unius uxoris virum præceperit ordinandum. Miror autem te unum protraxisse in medium, cùm omnis mundus his Ordinationibus plenus sit. Non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu, ad Episcopos venio: quos ſi ſingulatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo superetur.* Et adversùs istam Hispaniæ opinionem Siricius Pontifex scripsit suas ad Himerium Tarraconensem Archi-Episcopum Decretales litteras, quæ & hæc habent: *Didicimus licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerunt numerosa conjugia, ad præfatas* Episcopi *dignitates adſpirare.* Affirmat esse contra Apostolicum Canonem: *Oportet Epi-* Ep. 23. *scopum esse unius uxoris virum.* Omninò agit ad- cap. 6. versùs unum Baptismo prius, aliud ipso posterius conjugium. Lucet ex sancti Innocentii primi ad Toletanam Synodum similibus litteris, palàm afferentibus istam solam Bigamiam in Hispanis reprobari. Nempè omnis Hispania profitebatur ex bino post Baptismum conjugio contrahi irregularitatem.

Interim his omnibus non commotus sanctus Hieronymus permansit firmus in sua sententia. Etenim de hac re scripsit etiam in commentario Apostolicæ ad Titum epistolæ: *Multi superstitiosius magis quàm verius, etiam eos qui cùm Gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, qua amiſſa post Baptiſmum Chriſti alteram duxerint, putant in Sacerdotio non legendos. Cùm utique ſi hoc obſervandum ſit, illi magis ab Epiſcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unicam Regenerati uxorem acceperunt, & multò deteſtabiliùs ſit fornicatum eſſe cum pluribus, quàm Bigamum reperiri.* Ecce communem sententiam constanter affirmat esse superstitiosam potiùs, quàm veram. Quod ipsum docuit firmius etiam in aliis locis. Ejusdem sententiæ fuisse Illyriciam Ecclesiam lucet ex laudati Innocentii litte- Ep. 22. ris ad Rufum Archi-Episcopum Thessalonicensem. Et nescio cui Chrysogono, Ruffini discipulo, istam doctrinam culpanti, in libris adversùs Ruffinum laudatus Hieronymus respondet: *Audio præterea objici mihi à Chryſogono, Sectatore* Lib. 1. *Ruffini, cur in Baptiſmate dixerim univerſa pecca-* cap. 7. *ta dimitti, & mortuo bimarito novum virum in Chriſto reſurgere, atque iſtiuſmodi Sacerdotes in Eccleſiis eſſe nonnullos. Cui brevi ſermone reſpondebo: habent libellum, quem in crimen vocant. Alie reſpondeat.*

deat. Hunc ſua diſputatione ſubvertat. Et ſcripta ſcriptis arguat. Quid auſteritate frontis, & contractis rugoſitate naribus concava verba trutinatur, & ſanctitatem apud vulgus ignobile fimulato rigore mentitur? Audiat nos iterùm proclamantes veterem Adam in Lavacro totum mori, & novum cum Chriſto in Baptiſmate ſuſcitari: perire Chokum, & naſci ſuperce'leſtem. Hæc dicimus, non quod ipſi, propitio Chriſto, hac quæſtione teneamur, ſed interrogati à fratribus, quid nobis videretur, reſpondimus, nulli præjudicantes ſequi quod velit, nec alterius Decretum noſtræ ſententiæ ſubvertentes.

Maturè notanda ſunt hæc verba: *Quid auſteritate frontis, & contractis rugoſitate naribus concava verba trutinatur, & ſanctitatem apud vulgus ignobile fimulato rigore mentitur?* Etenim quadrant & in noſtra tempora. Notanda ſunt & hæc verba: *Nulli præjudicantes ſequi quod velit.* Sunt deſumpta ex erratica ſancti Cypriani Synodo. Notanda ſunt item hæc: *Nec alterius Decretum noſtræ ſententiæ ſubvertentes.* Uti ſanctus Cyprianus in ſancti Stephani Pontificis, ita ſanctus Hieronymus in Siricii contra Hiſpanos Decretum iſta dixit. Hinc ſequitur: *Neque enim ambimus Sacerdotium, qui latenus in cellulis. Nec humillitate damnata, Epiſcopatum auro redimere feſtinamus. Nec electum Pontificem à Deo, rebelli cupimus mente jugulare.* Inter Siricium Pontificem ac ſanctum Hieronymum interceſſit aliquid humani diei: hinc quædam hujus dicta ſunt venerandà quidem, attamen admiranda potiùs, quàm imitanda. Interim conſtanter docuit probabilem ſententiam eſſe ſecuram ac tutam. Etiam minùs probabilem. Quis enim non videat præſentem illius ſententiam fuiſſe hujuſmodi?

CAPUT IV.

Oſtenditur quòd Catholica Eccleſia etiam circa Divini juris materiam ſemper nos permiſerit uti ſententia probabili.

QUòd iſtiuſmodi errantes ac operantes, dummodo tamen ex ſententia verè probabili errent ac operentur, Catholica Mater Eccleſia ſemper cenſuerit eſſe extra æternæ damnationis, adeoque & gravis peccati periculum, manifeſtè patet ex ſancti Cypriani errore & lapſu circa Rebaptiſmum. Quod Cyprianus, etiam poſt ſibi oppoſita ſancti Stephani Pontificis Edicta, non niſi venialiter deliquerit, conſtanter ac deferè docet ſanctus Auguſtinus. In primo de Baptiſmate contra Donatiſtas libro amplè exaggerat magnam pacifici Cypriani charitatem, iſtius à Divina Providentia permiſſi in ipſo lapſus
Cap. 18. adducit varias rationes, atque concludit: *Quod ergò ille vir ſanctus de Baptiſmo aliter ſentiens, quàm ſe res habebat, in Catholica unitate permanſit, & charitatis ubertate compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum.* Affirmat iſtum errorem ſanctitati & charitatis ubertati fuiſſe conjunctum, adeoque non fuiſſe, niſi veniale peccatum. Hinc & in ſequenti capite ſcribit: *Illum nævum in candore ſanctæ animæ charitatis obora contegebant.* Affirmat errorem iſtum fuiſſe *non tartaræ fœditatis fuliginem*, ſed quempiam *nævum in candore ſanctæ animæ*. Et in quinto libro ſcribit: *Cypriani Ec-* Cap. 2.
ratum cooperiebat unitatis charitas, quamdiu inerat iſta, non diabolica diſſenſio, ſed humana tentatio, donec ète, ſicut dicit Apoſtolus, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus revelaret. Per humanam, ab Apoſtolo memoratam in epiſtola ad Philippenſes, tentationem ſanctus Auguſtinus paſſim intelligit veniale peccatum. Eodem in libro adducit ferè integras ſancti Cypriani litteras ad Jubajanum Epiſcopum, atque adjungit: *In his verbis multa conſideranda ſunt, quibus in hoc viro, qui dilexit decorem domus Domini, & locum tabernaculi habitationis ejus, Chriſtianæ charitatis fulgur eluxit. Primò, quisquid, quod ſenſit, non tacuit. Deindè, quia tam manifeſtè & pacifcè protulit. Quia cum bis, qui aliud ſentiebant, Eccleſiaſticam pacem tenuit. Quia in unitatis vinculo tantam ſalubritatem eſſe intellexit. Quia eam tantùm dilexit, & ſobriè cuſtodivit. Quia vidit & ſenſit etiam diverſa ſententiæ poſſe ſalva charitate ſentire. Neque enim cum malis tenere ſe diceret Divinam concordiam & Dominicam pacem. Bonus quippè habere cum malis pacem poteſt; tenere autem cum eis pacem non poteſt, cum ipſi non tenent. Poſtremò quia nemini præſcribens, neque præjudicans, quò minùs quiſque Epiſcoporum quod putat faciat, habenti arbitrii ſui libertam poteſtatem, etiam nobis qualibuſcumque locum dedit pacificè ſecum iſta tractandi. Præſens eſt enim, non ſolùm per litteras ſuas, ſed etiam per ipſum, quæ in ipſo maximè viguit, & mori nunquam potuit, charitatem. Hinc ergò inhærere & conglutinari deſiderans, ſi non impediat inconvenientia peccatorum meorum, orationibus ejus adjutus diſcam, ſi poteſo, per litteras ejus, quanta pace per eum Dominus Eccleſiam ſuam, & quanto ſolatio gubernaverit. Et per ejus ſermonis affectum viſceribus humilitatis indutus, ſi quid verum ſentio cum orbe terrarum, non ei præponam cor meum, nec in eo ipſo, quod aliter ſentiens, non tamen diremptus eſt ab orbe terrarum. Majus quippè in eo virtutis robur eminuit, cùm iſta quæſtio necdum diſcuſſa nutaret, quod aliter ſentiens quàm multi Collegæ, tantam moderationem obtinuit, ut Eccleſiæ Dei ſanctam ſocietatem nulla ſchiſmatis labe truncarit, quàm ſi omnia non ſolùm veraciter, ſed etiam pariter ſine iſta virtute ſentiret.* Hæc verba omninò videntur ſanctum Cyprianum non dumtaxat à mortali, ſed inſuper ab omni veniali peccato expurgare. Et hunc ſenſum ſanctus Auguſtinus repetit atque inculcat in multis etiam aliis locis.

In adducto teſtimonio ſunt quædam notanda. Præſertim hæc verba: *Quia nemini præſcribens, neque præjudicans.* &c. laudant ſancti Cypriani præfationem ad ſuam erraticam Synodum: *Supereſt ut de hac ipſa re ſingulî quid ſentiamus, profera-mus, neminem judicantes, aut à jure Communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt alium judicare. Sed exſpectamus univerſi judicium Domini* JESU *Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judi-*

judicandi. Hæc optimi atque pacifici Cypriani verba omnes orthodoxos Doctores docent, quòd mutuas sententias, licèt improbent, judicare non possint, longè minùs damnare. Nec sese mutuò onerare elogiis. Servanda est, quam sanctus Augustinus commendat, fraternæ charitatis moderatio. Quòd omnes ex casto Divinæ veritatis amore doceant, debemus de Collegis præsumere, ideoque nisi manifestè devient, non damnare. Etenim nec privatus Doctor, immò nec quis singularis Episcopus, sed sola Apostolica sancti Petri Cathedra potest dogmaticas quæstiones dirimere. Quousque illa utramque partem sustinet, neutra potest alteram proscindere.

Et præsentis opinionis probabilitas non solùm cum sua Synodo Cyprianum, ac plures tunc aliarum etiam Diœceseon Episcopos, sed etiam post Nicænæ Synodi Decreta sanctum Athanasium, magnum Basilium, sanctum Cyrillum Hierosolymitanum, sanctum Optatum Milevitanum, aliosque plures Ægypti, Ponti, Syriæ, ac Africæ Episcopos purgavit à mortali peccato. Planè enim existimo, quòd Ægyptii cum suo Patriarcha Athanasio, Pontici cum suo primate Basilio, quidam Palæstini cum sancto Cyrillo, quidam Africani Episcopi senserint cum sancto Optato. Quòd aliqui insuper Asiatici cum sancto Basilio senserint, evincunt propositæ huic quæstiones per sanctum Amphilochium Metropolitam Iconiensem. Quinimmò sanctus Cyprianus constanter censuit etiam Agrippinum, primum istius erroris auctorem, non peccasse. Etenim ipsum
Ep. 71. in litteris ad quintum Mauritaniæ Episcopum appellat *bonæ memoriæ virum*. Hoc ipsum repetit in
Ep. 73. litteris ad Jubajanum Episcopum. Quod ipsum videtur in libro de unico Baptismo sentire sanctus Augustinus, docens Agrippinum ad ejus Synodales Collegas perstitisse in Catholica unitate, ubi charitas operit multitudinem peccatorum. Interim Agrippinum nullibi laudat, nec ornat encomiis. Et certè primi similium novitatum auctores solent graviter delinquere. Castus quærendæ veritatis amor, & adjuncta Africanæ Synodi auctoritas possint Agrippinum à gravi delicto excusasse.

Quòd Divina Evangelii lex non minùs Reordinationes, quàm Rebaptizationes vetet ac damnet, est constans Ecclesiæ fides, firmata per plures Synodos. Et tamen post laici Constantini intrusionem in Cathedram Apostolicam summi doctrina & sanctitate viri datas ab intrusis, hæreticis, ac simoniacis Episcopis Consecrationes exsufflarunt atque iterarunt. Etiam Romani Pontifices. Et certum est ipsos graviter non peccasse. Quòd nempè probabilis tunc esset ista sententia. Pluribus hæc ostendi in Scholiis ad Acta sancti Leonis noni ac sancti Gregorii septimi. Vice versa sanctum Extremæ-Unctionis Sacramentum semper iteravit Ecclesia. Ex jure Divino. Attamen undecimo ac duodecimo Christi Domini sæculo quidam docuerunt contrarium. Et præsertim apud Monachos sententia adeò invaluit, ut consuetudo vetaret iterari. Nec Gosfredo Vin-
Lib. 2. Epist. 19. 20. docinensi Abbati, viro doctissimo, contraria clamanti, voluerunt illi acquiescere. Hinc ipse quæstionem retulit ad sanctum Ivonem Carnutensem Episcopum, & ab ipso recepit eruditum Rescriptum, cui Monachi videntur acquievisse. Infirmos, qui in alia infirmitate istud Sacramentum acceperant, sine ipso deferere erat gravis error, dura injuria. Interim nec Gosfredus, nec sanctus Ivo istos Monachos damnavit de gravi delicto. Quòd consuetudo tunc esset probabilis. Etiam hodiè est intricata, & utrimque probabilis quæstio, an fidelis lapsus, qui neque in ullam pœnitentiæ classem se dedit, nec ullum converti cordis manifestativum, ac verbalis confessionis vicarium signum protulit, possit sacramentaliter absolvi. Et certum est alterum partem in Divinum jus impingere. Etiam æquè certum est, neutram mortaliter peccare. Ob probabilia utriusque opinionis fundamenta. Ep. 255.

CAPUT V.

Præcedens assertio demonstratur per alia insuper exempla.

AN fidele conjugium per naturalem, an per Evangelicam legem sit indissolubile, est quæstio inter Doctores. Quòd tamen aut utraque, aut certè posterior lex ipsum veret dissolvi, jam pridem non dubitavit Latina Ecclesia. Et hanc doctrinam constantissimus semper tenuit sanctus Augustinus. Lucet ex ejus libris de adulterinis conjugiis. Ejusdem opus est hic secundi Milevitani Concilii Canon: *Placuit ut secundùm* Can. 17. *Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem Imperialem petendam promulgari*. Nempè opposita, quæ per adulterium censebat solvi conjugale vinculum, sententia erat tunc etiam apud Afros adeò communis atque probabilis, ut sanctus Augustinus ac omnis ista Synodus citra Imperialem legem desperarent executionem ac obedientiam sui Canonis. Et legem non impetrarunt. Etenim ad quinti sæculi annum decimum sextum facta est ista Synodus: & regnans tunc per Occidentem Honorius noluit isti Canoni adversam magni Constantini legem abrogare aut circumducere. Immò ipse quinto post anno novam eadem de re legem scripsit ad Palladium Prætorio Præfectum, & Constantini Sancita confirmavit. Habes has leges in tertio Theodosiani Codicis libro ad titulum de Repudiis. Hac de causa sanctus Augustinus scripsit Tit. 16. laudatos libros de adulterinis conjugiis. *Scripsi*, cap. 12. inquit in secundo Retractationum libro, *duos li-* Cap. 57. *bros de adulterinis conjugiis, quantùm potui secundùm scripturas, cupiens solvere difficillimam quæstionem*. Quam non potuit per Imperialem legem, conatus est solvere per Divinas scripturas. Et meritò appellat difficillimam quæstionem. Quod Lib. 1. ipsum repetit in laudatis libris: *His ita pro meo* cap. 25. *modulo pertractatis atque discussis, quæstionem tamen de conjugiis obscurissimam & implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus ejus vel in hoc opere, vel in aliome adhuc explicasse, vel jam posse, fungar, explicare*. Profitetur oppositam sententiam esse probabilem.

Hoc

Hoc ipſum profitetur in libro de fide & operi-
Cap. 19. bus: *De concubina, ſi profeſſa fuerit nullum ſe alium cogniturum, etiamſi ab illo, cui ſubdita eſt, dimittatur, meritò dubitatur, utrùm ad percipiendum Baptiſmum non debeat admitti. Quiſquis etiam uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipſis Divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantùm exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur. Quamobrem quæ manifeſta ſunt impudicitiæ crimina, omni modo à Baptiſmo prohibenda ſunt, niſi mutatione voluntatis & pœnitentia corrigantur; quæ autem dubia, omni modo conandum eſt, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, neſcio utrùm ii qui fecerint, ſimiliter ad Baptiſmum non videantur debere admitti.* Palàm profitetur hanc rem eſſe adeò dubiam, ut circa ipſam veniaLiter erretur.

Et docet vera. Primò, quod illi, qui excepta fornicationis cauſa legitimas uxores dimittunt, & alias ducunt, ſint palam adulteri, ideoque ſine pœnitentia admitti non poſſint ad Sacramenta Baptiſmatis aut Reconciliationis. Quod ipſum docet poſtremo capite primi libri de adulterinis conjugiis. Docet adverſùm præfatas Romani Imperii leges, quæ ex aliis inſuper cauſis permittebant & dimitti & duci. Secundò docet illorum, qui ex fornicationis cauſa dimittunt & ducunt, rationem eſſe dubiam. Eos interim iſtis aliis nullo modo eſſe æquandos. Tertiò docet tales conjunctiones non fieri ſine gravi peccato. Fundat ſe in communi regula: *In dubiis eligenda eſt pars ſecurior. Qui amat periculum, peribit in illo.* Quartò docet eos, qui talia conjugia bona fide jam inierunt, & nolunt ipſa dimittere, non debere repelli à Baptiſmate, adeoque nec à Reconciliatione. De iſtis conjugiis docet iſtud ipſum, quod Tertullianus & alii antiqui ante Conſtantini Imperium Patres docuerunt de militia: docuerunt fidelem ſub infideli Principe non poſſe fieri militem, antea tamen ſuſceptam militiam non debere dimitti. Auguſtinus ita docuit, quòd ſuam ſententiam duceret firmam, ideoque oppoſitam cenſeret non eſſe tutam in praxi. Et hinc lucet, quòd Doctor rem non ſibi, ſed aliis probabilem non poſſit ſuadere, immò nec permittere contra proprium judicium. At verò tales bona ac ſimplici fide conjugatos ſanctus Auguſtinus permiſit admitti ad Sacramenta. Licet invitus. Ex quo vides, quòd pœnitentem, qui probabili, licet noſtro judicio contrario, ſententia fulcitur, & ab ipſa non vult recedere, poſſimus admittere ad ſalutis Sacramenta, immò & debeamus. Et ratio eſt manifeſta. Quia probabilem in Eccleſia ſententiam, licet improbare poſſimus, damnare tamen non poſſumus, ideoque nec ejus Doctores aut Sectatores. Sequi debemus laudatam ſancti Cypriani regulam: *Nemine, qui contrarium ſenſerit, judicantes, aut à communione, adeoque & Sacramentis, removentes.* Sanctus Auguſtinus palàm docet iſtius matrimonii ſtetentionem non eſſe, niſi veniale peccatum.

Magni tunc viri, immò magnæ Synodi docuerunt etiam inchoationem talis matrimonii non eſſe peccatum. Quòd Græci paſſim ita docuerint, lucet ex Imperatoris Juſtiniani legibus, legibus Leonis ſapientis, & variis Decretis exiſtentibus in jure Græco-Romano. Etiam ex variis ipſorum authenticis Patribus. Inter hos ſanctus Aſterius, Amaſenus Epiſcopus, Heleno. Ponti Metropolita, in erudita ſuper decimum nonum ſancti Matthæi caput homilia graviter invehitur in illos, qui civili lege ſulti uxores mutabant uti veſtes, atque concludit: *Hoc ratum, & omninò perſuaſum habete, excepta morte ac adulterio, nulla ex cauſa matrimonium dirimi.* Quin & inter articulos, de quibus in Florentino Concilio Latini poſt concluſam unionem poſtularunt à Græcis rationem ac expurgationem, fuit & hic: *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet?* Et Synodalia Acta adjungunt: *hæc à Latinis objecta Mitylenenſis Canonicè omnia, legitimeque diſſolvit, præterquam duo, de quibus Papa ſignificavit Imperatori.* Horum unum erat: *Cur matrimonia dirimantur. Latinis contradicentibus legem nihil valere adversùs Domini vocem, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Nempè Dorotheus Mitylenenſis Metropolita adduxerat præfatas Romanorum leges, & Latini repoſuerunt ipſas non prævalere Evangelio. Interim Eugenius Pontifex duxit unionem ob iſtum articulum non eſſe circumducendam aut ſuſpendendam. Permiſit Græcos cum ſuo avito more abire.

Quòd plures Latinorum authentici Patres eandem ſententiam docuerint, eſt omnibus notum. Nam & prima, certè numeroſiſſima, Arelatenſis Synodus habet: *De his qui conjuges ſuas in* Can. 10.
adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit ut in quantùm poſſit, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licèt adulteris, alias accipiant. Quidam Epiſcopi iſtos conjuges, licèt adoleſcentes, vetabant deinceps nubere. Hæc magna Synodus cenſuit ipſos non præcepto, ſed ſolo conſilio eſſe inducendos. Non ad abrumpendas iſtiuſmodi jam initas nuptias, ſed ad ipſas non inchoandas. De ipſis inchoandis cenſuit longè mitiùs quàm ſanctus Auguſtinus. Venetica Synodus fuit longè liberalior: *Eos quoque, quos relictis uxoribus* Cant. 3.
ſuis, ſicut in Evangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſine adulterii probatione, alias duxerint, ſtatuimus à communione ſimiliter arcendos, ne per negligentiam noſtram prætermiſſa peccata alios ad licentiam erroris invitent. Quidam juxta Romanas leges dimittebant & ducebant ex variis cauſis: Synodus circumcidit leges, & affirmat iſtud non poſſe fieri, niſi ob cauſam forſicationis. Et hunc Canonem omninò reſpexit in litteris ad illuſtrem virum Anſemondum ſanctus Avi- Ep. 49.
tus Archi-Epiſcopus Viennenſis: *Propter ſolum adulterium Deus ſeparari virum permittit à conjuge.* Etiam quoad vinculum. Eruditus namque Dionyſius Petavius rectè interpretatur: *Hinc patet perſuaſum adhuc illis temporibus in Gallia fuiſſe, propter fornicationem ſeparari virum ab uxore, & aliam ducere, Chriſti permiſſu licuiſſe.* Certum ac eruditis manifeſtum eſt quoſdam Gallicanæ Eccleſiæ

cleſiæ Antiſtites atque Doctores non fuiſſe iſtius ſententiæ. Erant diviſi, atque ita utraque contradictionis pars erat verè probabilis.

Eadem probabilitas permanſit etiam poſt ſanctos Martyris Bonifacii Apoſtolatum. Lucet ex magni Imperatoris Caroli Capitularibus: *Si quis bovio habens mulierem legitimam, ſi frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel illa fœmina, qui aut quæ adulterium perpetraverunt, interim quoad vivunt, nunquam amplius habeant conjugium; illæ verò, cujus uxor fuit, ſi vult, poteſtatem habeat uxorem accipere aliam.* Eſt o ſtavus Canon Synodi Compendienſis, ſub Rege Pippino celebratæ per ſanctum Apoſtolum noſtrum Bonifacium, aut ſanè per Georgium Epiſcopum, Legatum Sedis Apoſtolicæ. Simile Decretum habemus apud Gratianum Monachum. Et dicitur eſſe Zachariæ Pontificis. Poſſit ſanctus Bonifacius ab ipſo acceſſe. Etenim ſelecta ſancti Bonifacii Capitula etiam habent: *Secundùm Domini mandatum, legitimum conjugium nequaquam poteſt ulla ratione ſeparari, excepta cauſa fornicationis.* Et hoc ſuis etiam Capitularibus, adeoque & ſui populi moribus inſeruit magnus Carolus. Quod per iſtum incæſtum ſolvatur vinculum, ceniuit etiam Turiburienſis Synodus, ac inflictam mulieri pœnam eſt moderata: *Quia humana fragilitas proclivis eſt ad labendum, aliquo modo muniatur ad ſtandum. Idcircò Epiſcopus, conſiderata mentis eorum imbecillitate, poſt pœnitentiam ſua inſtitutione peractam, ſi ſe continere non poſſint, legitimo eos conſoletur matrimonio. Ne dum ſperantur ad alta ſublevari, corruant in cœnum.* Et nocenti & innocenti permittit novum matrimonium.

Lib. 5. cap. 19.

Cap. 35.

Lib. 6. cap. 188.

Cap. 41.

Selecta item ſancti Theodori Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Capitula habent: *Cujus uxor fornicatur, licet eam dimittere, & aliam accipere.* Quare Theodorus iſtum morem plantavit in Anglicana Eccleſia. Ex iſto Capitulo inſigniter elucidatur decimus, à quibuſdam in oppoſitum pervicùs ſenſum accepus, Canon Anglicanæ per Theodorum celebratæ Synodi, nec non & ex ipſo deſumpta lex Regis Edgari. Synodus exſtat apud Anglicanam hiſtoriam venerabilis Bedæ. Antiquæ item Wiſi-Gothorum leges ſanciunt de innocua Sodomitæ conjuge: *Nubendi cui voluerit, indubitata illi manebit & abſoluta licentia.* Quod ipſum ibidem confirmat alia lex, & extendit ad illam uxorem, quam flagitioſus maritus invitam tradiderit alteri adulterandam. Et Theodorici, Gothorum in Italia Regis, Edictum ex variis cauſis permittit divortia, & quibuſdam permittit licentiam denuò nubendi. Adduci poſſint hujuſmodi plures & Romanorum & Barbarorum leges. Omnia iſta conjugia palàm delinquebant in legem Divinam. Palàm item non peccabant graviter. Agebant enim ex regulis Eccleſiaſticis, adeoque ex verè probabili ſententia. Nec deſunt alii iſtiuſmodi Canones. Etenim Sueſſionenſis, ſub Pippino Rege celebrata Synodus habet: *Nec marito vivente mulierem ſuam alius accipiat, nec mulier vivente ſuo viro alium accipiat. Quia maritus ſuam non debet dimittere, excepta cauſa fornicationis deprehenſæ.* Et ſub eodem Rege celebrata Vermerienſis Synodus: *Si aliquis cum filiaſtra ſua manet, nec matrem nec filiam ipſius poteſt habere. Nec ille nec illa aliis ſe poterunt conjungere ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, ſi ita voluerit, ſi ſe continere non poteſt, ſi poſſequamen cognovit, quod cum filia ſuæ vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, niſi voluntate abſtinet, poteſt alii nubere.* Et rurſùm: *Si quæ mulier mortem viri ſui conſilavit aliis hominibus, & ipſa vir ipſius homines ſe defendendo occiderit, & hoc probare poteſt, ille vir poteſt ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit, aliam accipiat.* Et hunc Canonem Regino Prumienſium Abbas inſeruit ſecundo libro ſuorum Capitularium. Et ſupplevit: *Ipſa autem infidiatrix, pœnitentiæ ſubacta, abſque ſpe conjugii maneat.* Habemus longè plures iſtiuſmodi Gallicanos Canones. Et juxta ipſos noſtri Majores omninò vixerunt. Item ſperamus illos jam cum Chriſto Domino vivere. Et tamen relicta probabiliori vixerunt juxta probabilem ſententiam.

Cap. 116.

Cap. 5.

Cap. 118.

Adducſum ſancti Bonifacii Capitulum, quoniam ad rem noſtram facit, eſt integrè exhibendum: *Secundùm Domini mandatum, legitimum conjugium nequaquam poteſt ulla ratione ſeparari, excepta cauſa fornicationis, niſi cum conſenſu amborum, & hoc propter ſervitium Dei.* Et ita ipſum habes etiam inter magni Caroli Capitularia. Elucidat antiqua apud Monachum Marculphum formula: *Dum inter illum & conjugem ſuam illam non charitas ſecundùm Deum, ſed diſcordia regnat, & ob hoc pariter converſari minimè poſſunt, placuit utriuſque voluntate, ut ſe à conſortio ſeparare deberent. Quod ita & fecerunt. Propterea bas epiſtolas inter ſe uno tenore conſcriptas fieri, & affirmare decreverunt, ut unuſquiſque ex ipſis ſive ad ſervitium Dei in Monaſterio, aut copulæ matrimonii ſociare ſe voluerit, licentiam habeat, & nullam requiſitionem ex hoc de parte proximi ſui habere debeat.* Similem formulam habemus inter veteres Romanas. Ec Hieronymus Bignonius commentatur: *Eſt exemplum divortii, conſenſu conjugum facti, quod aliquando likuit. Quod legi Evangelicæ adverſum Conciliorum Decretis reprobatum eſt. Et à Juſtiniano quoque. Tamen uſum ejuſmodi divortii etiam inter Chriſtianos invaluiſſe, hæc formula oſtendit.* Oſtendit quòd ſub Francico Merovingiorum Regum jugo Gallicana Eccleſia ita vixerit. Ad hæc verba, *ſive ad ſervitium Dei in Monaſterio*, pergit dictus Hieronymus: *Ex hac cauſa, mutuo conſenſu, olim divertebant. Et pluribus probatur à Gratiano. Sed tandem receptum eſt, ut non aliter id ratum eſſet, niſi uterque continentiam profiteatur.* Merovingia diſciplina & dimitti & duci permittebat duobus modis: per ſimplicem bonam gratiam, & ob unius ingreſſum in Monaſterium. Prior modus repugnat novellis legibus Imperatoris Juſtiniani. Et per ſanctum Afterium damnatæ, quæ uxores mutat ut veſtes, licentiæ aperit omnem portam. Hinc ipſam reprobarunt etiam Martyr Bonifacius, Rex Pippinus, ac ejus filius Carolus magnus, atque voluerunt deinceps valere ſolum poſteriorem modum. Merovingiam legem ita correxerunt. Non ſine cauſa adjungo Regem Pippinum. Etenim ſub ipſo celebrata Compendienſis Synodus ſanxit: *Si quis vir mulierem ſuam dimiſerit, & dederit commeatum pro Religionis cauſa intra Monaſterium deſervire, aut foras*

Lib. 4. cap. 5.

Lib. 3. tit. 5. cap. 5.

Tit. 6. cap. 2.

Bap. 9.

Cap. 2.

Cap. 30.

Cap. 19.

Cap. 13.

foras Monasterium dederit licentiam velare, sicut diximus, propter Deum, vir illius accipiat uxorem legitimam. Similiter & mulier faciat. Georgius consensit. Erat hic *Episcopus Romanus*. Id est, à Romana Ecclesia Legatus in Gallias, & Præses istius Synodi. Et hæc forma fuit tunc per Galliam adeò constans, ut undecimo etiam sæculo præcipuus Gallicanæ Ecclesiæ Doctor, sanctus Fulbertus, Carnutensis Episcopus, eandem fuerit secutus, & suis Collegis suaserit sequendam.

Adduco ejus epistolam ad Robertum Archi-Episcopum Rothomagensem: *Procacitas G. cujus mihi mentionem fecisti, satis superque fatigavit me de novis connubiis expetendis. Sed ego semper obstiti, dicens non licere ei, sua uxore vivente, aliam usurpare. Nunc ergò tandem vegavit me, seu callidè, sive simpliciter, ut sibi aut uxorem suam fugitivam vendderem, aut eam, si reniteretur, excommunicarem. Aliquin dixerat, quòd ego & illa faceremus eum mœchari. Conventa igitur de hac causa mulier respondit mihi nunquam se redituram ad illum. Et quia certò noverat mores suos cum moribus G. convenire non posse, velle se potiùs renuntiare sæculo, & Monachum devenire: tantùm Galevenus sibi vel centum libras nummorum Carnutensium ferendas ad Monasterium daret. Ego autem inter hæc Monachum illam nec fieri prohibeo, nec compello; sed nec ut ad virum odientem peritura redeat, coarctare præsumo. G. autem sæpè mittit ad me, licentiam ineundi novi connubii petens, illam se gurpisse, suamque pecuniam recepisse, licèt verè, potestians. Ego verò ei interdico licentiam istam, donec uxor ejus aut Monacha facta sit, aut defuncta. Quorum utrùm prius futurum sit, nescio. Si ergò de hac causa meum consilium vultis, quad ego facio, idem vos facere suadeo: Hoc adjiciens, ut si causam hanc acri censura pertractare velitis, ex mea parte non contradicitionem, sed suffragium vos habere sciatis. Capitula Canonum ad hanc causam pertinentia nobis subscribere non vacavit ad præsens, hostium persecutione turbatis. Scribemus autem & hæc & alia libenter in obsequium vestrum, si Deus concesserit nobis salutem & pacem.*

Sanctus Fulbertus affirmat varia. Primò, quòd isto tempore uxor virum, à quo crudeliter tractabatur, posset deserere, & ipso etiam invito profiteri vitam monasticam. Secundò, quòd ista professio esset valida. Tertiò, quòd per istam professionem solveretur matrimonii vinculum, adeoque crudelis maritus tunc posset aliam uxorem accipere. Quartò, quòd ista sententia sundaretur in Capitulis sacrorum Canonum. Hinc ipsam & securus est in Episcopali praxi sanctus Fulbertus, & sequendam suasit aliis etiam Episcopis. Nec dubito, quin & Robertus Metropolita fuerit ipsam secutus. Et certum est, nec hunc, nec illum, adeoque nec ipsis obedientes subditos graviter peccasse. Et tamen egerunt contra legem Evangelicam. Nempè & sententiæ probabilitas, & simplex bonæ intentionis charitas istud peccatum cooperuerunt atque purgarunt. Porrò *Gurpire*, seu *Werpire* est barbarum istius sæculi vocabulum, quod Latinè dicimus, *Dimittere*. Francus igitur ille sancto Fulberto dixit, quòd suam uxorem dimisisset, ac ipsi restituisset suam dotem, ideoque illa jam liberè posset intrare Monasterium.

CAPUT VI.

Ostenditur quòd Romani etiam Pontifices sua quandoque Rescripta forment ex istiusmodi probabilibus sententiis.

PRimum hujusmodi rescriptum est Deus-dedit Papæ ad Gordianum Archi-Episcopum Hispalensem: *Pervenit ad nos Diaconus vester, vestræ Sanctitatis epistolam ferens, quòd quidam viri etiam & mulieres, præterito Sabbatho Paschali die, pro magno populorum incursu, nescientes proprios sues filios suscepisset ex Lavatro sancto. Cupis ergò scire, si pro tali accidente ratione debeant viri & mulieres ad suum proprium redire usum, an non. Nos enim ex hoc mœsti, inquisivimus priorum Patrum nostrorum Dicta. Invenimus autem in Archivis hujus Apostolicæ Sedis jam talia contigisse Ecclesiæ Isauriæ, & Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, & etiam aliarum civitatum. Episcopis autem earum civitatum, ab hac Apostolica Sede volentibus scire, si viri & mulieres redirent ad proprium thorum, beatæ memoriæ sanctissimi Patres, Julius, Innocentius, & Celestinus, cum Episcoporum plurimorum & Sacerdotum conventu in Ecclesia beati Apostolorum Principis, prohibentes talia perscripserunt & confirmaverunt, ut nullò modo jam in conjugio se reciperent mulieres aut viri, qui quacumque ratione fuos susceperunt Natos, sed separent se, ne suadente Diabolo tale vitium peccati inolescat per mundum, & universorum error accrescat. Mulieres verò, cùm separatæ fuerint pro hac illicita re à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem. Et post expletum annum recipiant alium virum. Similiter & vir uxorem.*

Ad hunc contextum rectè scribit in septimo Theologicæ Eruditionis Tractatu venerabilis Hugo de sancto Victore: *Hæc Papa Deus-dedit. Sed non est ei in hoc accedendum: cùm prohibeat Dominus virum dimittere uxorem, nisi causa fornicationis. Et etiam Innocentius & alii Auctores, quos ipse induxit ad fuam sententiam corroborandam, de illis tantùm agere videntur, qui ante Compatres & Commatres fuerunt, quàm conjuges essent: quos jure prohibuerunt, ne se conjugio reciperent.* Proindè optimus Pontifex fuit circumscriptus. Nullo tamen modo prævaricatus. Quia rescripsit ex probabili sui temporis sententia. Probabilitatis fundamentum aliquod edicit magni Imperatoris Caroli Capitulum: *Sciendum est omnibus, quod conjunctio spiritualis Commatris sit maximum peccatum, & divortio separandum, atque capitali sententia multandum, vel peregrinatione perpetua delendum.* Uti nunc cum carnali Matre, ita olim cum spirituali Commatre congressus erat crimen capitale. Palmaris incessus credebatur plenum locum habere etiam in commaterniate superveniente, ideoque & per ipsam esse dirimendum prius conjugium. Ex hoc Capitulo item vides, quod perpetua peregrinatio, frequens apud antiquos pœnitentia, æquivaluerit capitali supplicio. Nec sine rationibus.

Secundum istiusmodi rescriptum habemus à sancto Gregorio secundo Pontifice ad nostrum Apostolum ac Martyrem Bonifacium: *Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit*

Cap. 20.

Lib. 6. cap. 316.

Ep. 9. c. 2.

lucrit debitum viro reddere, quid ejus factat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non potest continere, nubat magis. Non tamen subdidit opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. Et inter responsa, quæ Stephanus secundus Francorum Episcopis dedit in Villa Carisiaco, hoc est secundum: *Si quis se conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non licet eos separare. Nec pro alia infirmitate. Excepto si Dæmonis infirmitas, aut lepræ macula supervenerit.* Agit de separatione vinculi. Lucet ex Compendiensi Synodo: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult et dare commeatum, ut accipiat virum, ipsa fœmina, si vult, accipiat. Similiter & vir,* Can. 16.

Archi-Episcopo Salernitano roganti, An ratum matrimonium solvatur per subsequens consummatum, Alexander tertius rectè respondit non solvi, atque adjunxit: *Quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Exstat rescriptum apud Gregorii noni Decretalia sub titulo de Sponsa duorum. Qui fuerint isti Pontifices, ignoro. Ipsorum interim judicatum fuerit tertium istorum rescriptorum, de quibus hic agimus. Quartum emisit Clemens tertius, de quo Robertus Corzan in summa Theologica ad quæstionem de impedimentis matrimonii: *Uxor, relicta fide, manet libera à matrimonio. Non enim Uxor gentilis aut Judæi debet esse melioris conditionis, ut possit liberè transire ad secunda vota, quàm uxor hæretici conversa ad fidem, quod concessit Clemens in illa Decretali,* Laudabilem. *Nec dicis hæc ad partu esse judicanda. Sed Innocentius, qui dictum prædicet, hæc revocavit.* Quod ipsum scribit in tertio articulo de Ministro Confirmationis Adrianus sextus Pontifex: verùm adjungit istud rescriptum non Clementis tertii fuisse, sed tertii Celestini. Clemens itaque tertius rescripsit ac censuit non minùs per hæreticì, quàm per gentilis aut Judæi conjugis conversionem nutare matrimonium, & conversum, si alter pertinax nolit cohabitare sine fidei injuria, posse transire ad alias nuptias. Cap. 3.

Huc etiam referri debent rescripta dispensationum, quibus Romani Pontifices jam ab aliquot sæculis dispensant in ratis, sed necdum consummatis matrimoniis. Elapsi sæculi anno quinquagesimo septimo Paulus quartus Pontifex fuit rogatus dispensare in simili conjugio Francisci Mommorantii & Joannæ Halluynæ Piennæ: & infignem Pontificis de hac re interlocutionem refert Joannes Haya, Doctor Parisinus, testis auritus & oculatus. Ejus in Latinum traducta verba adduco. *Pontifex incepit, & argumentum rei proposuit in hunc ferè modum: Fratres & filii mei, egosanè vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti ac ponderis. Num videlicet matrimonium per verba de præsenti contractum possit nostra authoritate dissolvi. Et notate diligenter, quod ego dico. Hic enim non agitur quæstio de verbis futuri temporis, aut de simplici promissione. Nos quærimus, num matrimonium, per verba de presenti contractum, quod est verum matrimonium & verum Sacramentum juxta sanctorum Theologorum sententiam, authoritate nostra dissolvi possit. Intelligo, cùm carnalis nulla intercesserit conjunctio. Deindè additdit hoc: ne quæso vos teneant Decessorum meorum facta & exempla, quæ tatenus sequi volo, quatenus Scripturæ authoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum adducent. Dixit adhuc quod sequitur: non dubito, quin ego & Decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis verum generibus, & tamen condemnandi planè non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi ad certum tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Christus ipse satis innuit, cum beato Petro dicebat:* Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà. *Et in alio loco ajebat:* Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Quis igitur scit modò, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum ante fuerant incognita, per nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit? Quamobrem fratres & filii mei omni studio incumbite in illud auxilium, quod à vobis hac in causa expecto. Nec rationem habet ullam exempli, quod hic vel ille Decessor meus posteris reliquerit: ut jam admonui, perspicite, an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo matrimonii disquirimus. His confectis, ad Consentinum Archi-Episcopum, aliàs Apostolicum Nuntium apud Imperatorem, sermonem convertit, & ut deliberaret præcepit:*

Consentinus ingenii ac industriæ suæ nervos omnes contendit, ut persuadeat Matrimonium, de quo agitur, dissolvi nullo pacto posse. Pontifex sententiam hanc gratam sibi atque acceptam esse, indiciis pluribus ostendit. Consentinum opinando excepit Episcopus nomine Antonellus, vir admodùm senex & veneratione dignus, qui contrariam in sententiam discessit, & paucis decidit Pontificem posse dissolvere istiusmodi matrimonium. Cui Pontifex respondit, se pro tanta sibi attributa potestate nullas gratias agere; sed quia Episcopus hic nonnullis Beati Thomæ restimonils usus fuerat, Pontifex subjunxit beatum Thomam potuisse, cùm esset junior, multa dicere, quæ factus cum ætate doctior revocaverat: Insuper beatum Paulum induxit dicentem: Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi ea quæ erant parvuli. *Deindè addidit: ego non sine causa vos hæc de re moneo, sed ut ex iis, qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas sanctus Thomas, cùm esset junior, docuerit, confitetur.*

Etiam Adrianus sextus dicitur istiusmodi dispensationes constanter refutasse, asseveranas sibi non esse talem potestatem. Est quæstio obscura. Utraque contradictionis pars habet sua fundamenta. Quisque istic venialiter errat. Quare certum est nec Romanos Pontifices, qui talia rescripserunt, nec pios fideles, qui impetratis istiusmodi rescriptis fuerunt usi, deliquisse graviter, aut esse passos æternæ salutis aut Christianæ justitiæ dispendium. Alioquin cogemur non dumtaxat sanctum Cyprianum ac sanctum Firmilianum, sed etiam magnum Athanasium, magnum Basilium, alioque tales Christianæ doctrinæ Heroes atque Gigantes, quoniam constat ipsos de suo circa hæreticorum Batisma lapsu non poe-

nituisse,

nituisse, proscribere ad inferos. Quod absit ut cogitetur. Fuit error innocuus. Et quem tanti Christianæ Religionis Principes potuerunt docere sine crimine, fidelis populus longè magis potuit sine crimine sequi. Etiam vana est venatio Joannis Launoy, qui ex istiusmodi Rescriptis studet evertere infallibilitatem Apostolicæ Cathedræ. Etenim ipsa Rescripta non sunt diffinitiva judicia. Ad summum habent vim interlocutoriæ sententiæ. Præterea non sunt Romanæ Cathedræ, sed solius Papalis personæ Acta: & inter hanc personam ac istam Cathedram esse grande discrimen, est demonstratum in Scholiis ad Dictatum sancti Gregorii septimi.

Hæc omnia sanctus Cyprianus validè confirmat in litteris ad Jubajanum Episcopum: *Sed dicit aliquis, quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ab Ecclesia simpliciter admissi, in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen quia aliquando erratum est, ideò semper errandum est.* Datum apud hæreticos Baptisma sanctus Cyprianus constantissimè censebat irritum, ideòque ejus iterationem esse rigidi Præcepti, ac sine salutis dispendio non posse prætiriri. Et tamen Africanos Episcopos, qui istud ante Agrippini tempora non repetiverant, censuit non peccasse: nec item illos, qui ex hæresi redeuntes erant sine iteratione intromissi in Ecclesiam, esse passos ullum dispendium. Quia nempè ex simplici ac bona fide egerant, juxta probabilem tunc ac in Ecclesia liberè ambulantem sententiam. Pacificus Cyprianus ita sensit non solummodo de illis, qui ante Agrippini tempora, sed etiam de cunctis, qui suo tempore per plurimas extra Africam Ecclesias, ac in ipsa item Africa erant taliter mortui, ac in dies moriebantur. Nam & in ipsa Africa quidam Episcopi istum Rebaptismum constantissimè tunc aversabantur. Romana Ecclesia insuper damnabat. Attamen à Stephani Pontificis, in quem non sine stomacho invehebatur, communione Cyprianus se non discrevit, & ab ipso citra Rebaptismum admissos hæreticos non censuit transgressores, nec excluit à Dei Regno. Quod nempè ex simplici ob probabilem sententiam corde obedirent judicio suorum Præpositorum. Etiam ipsos Præpositos, licet censeret plurimùm deviare, nec à Regno Dei excluit, nec à sua Catholica Fraternitate. Et hanc sancti Cypriani doctrinam probat, laudat, atque elucidat in quinto de Baptismate contra Donatistas libro sanctus Augustinus.

Ep. 73. Cap. 1. 2. 3. 4.

CAPUT VII.

Ostenditur quod Catholica Ecclesia semper admiserit probabiles sententias etiam circa jus naturale.

AN novæ porò dimissam adulteram nuptiæ naturalibus adversentur legibus, quidam censent esse ambiguum. Non est ambiguum. Et Divinis adversantur & naturalibus. Involvunt duo: & legicimæ conjugis abjectionem, & simultaneam digamiam. Ista Evangelicis, hæc adversatur naturalibus legibus. Etenim Evangelica lex in nullo unquam eventu, ex nulla causa permisit solvi istud vinculum, adeòque qui ipsum ob superveniens adulterium, ac præsertim ob supervenientem morbum aut affinitatem, ac item ob superductam Monasticam professionem permiserunt solvi, aut etiam solverunt, manifestè impegerunt in legem Divinam. Forsitan & in naturalem. Etenim primitiva Divinæ Majestatis in paradiso verba, *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, edicunt naturalem legem. Quidam censent edici plenam conjugii indissolubilitatem. Nec sine fundamento. Quidquid sit, simultanea per sceleratum Lamech inducta digamia palàm adversatur naturæ legibus. Est constantissima Ecclesiæ sententia. Proindè qui abjectæ adulteræ aliam uxorem superduci permiserunt, aut ex quovis titulo superduxerunt, palàm impegerunt in istas leges. Et tamen hæc olim permisit omnis Gallicana Ecclesia. Et cunctus ejus populus vixit ex isto Canone. Etiam aliæ Ecclesiæ ac alii populi. Et certum est illos, quod probabilem tunc sequerentur sententiam, ex ista causa non fuisse alienatos à Dei regno, ideoque mortaliter non peccasse. Recti cordis simplicitas, ac simplex in Divinam legem charitas ista omnia cooperuerunt atque purgarunt.

In trigesima prima Oratione sanctus Gregorius Nazianzenus adducit locum Proverbiorum: *Mulge lac, & erit butyrum.* Et commendatur: *Sedulo exquire, & fortasse in eis fucculentiæ aliquid invenies. Hac enim oratione secundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sunt, & duæ uxores. Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam probibeat, de tertia quid dicendum est? Primum lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est, utpotè ne multa quidem vitii exempla habens.* Quartum conjugium affirmat esse porcinam vitam, adeoque adversam naturæ legibus. Etenim rectè scribit sanctus Augustinus: *Natura pecoris est vitium hominis.* Hinc naturalibus legibus palàm adversatur. Gregorio consonat in Canonicis ad sanctum Amphilochium litteris magnus Basilius: *Trigamorum & Poligamorum eundem Canonem definimus, quem in digamis, pro proportione. Annum enim in digamis; alii vero duos annos. Trigamos autem sæpè tribus & quatuor annis segregant. Id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potiùs castigatam fornicationem. Et ideò Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat, inquit:* Quem nunc habes, non est maritus. *Nempè quòd digni non sint qui a digamiæ mensura excidérunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur. Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non à Canone, sed ab eorum, qui præoccuparunt, consequentia. Oportet autem eos non omninò arcere ab Ecclesia, sed dignari Auditione duobus vel tribus annis: Et posteà permitti quidem Confistere, seu in fidelium esse congregatione; à Boni tamen communione abstinere. Et sic posquam pœnitentiæ fructum ostenderint, communionis loco restituere.*

Cap. 3.

Cap. 4.

Loquitur de tertiis nuptiis, & asserit varia. Primò, ipsas esse grande peccatum. Utpotè quòd non sola substratione castigari debeat, sed insuper dejici ad Auditionem, ideoque & ad Fletum. Pœnitentialem gravissimorum criminum stationem. Secundò asserit tales nuptias non esse nuptias, sed castigatam fornicationem. Tertiò asserit hanc esse non positivam Evangelii legem, sed omninò naturalem. Ex hac enim, non ex ista Dominus fuit locutus ad Samaritanam mulierem. Quartò asserit hunc esse constantem sensum Patrum atque Canonum. Quintò adjungit istiusmodi nuptias post expletam pœnitentiam dispensatorie tolerari. At verò de quartis nuptiis loquitur longè duriùs: *Patres Polygamiam silentio prætermiserunt, ut belluinam, & ab omni hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam esse peccatum majus fornicatione. Et ideò consentaneum est, ut ji Canonibus subjiciantur. Ut scilicet postquam anno Feverint, & tribus annis Subjtrati fuerint, sic susciplantur.* Rursùm non docet plura. Primò, quòd Patres adversùm quartas nuptias nullum ediderint Canonem, eò quòd censuerint esse belluinas, ac ab omni humano genere penitùs alienas, adeoque palàm adversas generalibus naturæ legibus: & quæ proindè à fidelibus cogitari non possent, longè minùs attentari. Secundò dicit ipsas esse non castigatam aut castigabilem fornicationem, sed omni fornicatione majores. Et hic est perpetuus & constans sensus totius Orientalis Ecclesiæ. Hinc & Romani Clementis Apostolicæ, continentes antiquam istius Ecclesiæ disciplinam, Constitutiones disertè scribunt: *Tertium conjugium ostendit intemperantiæ judicium, quartum verò & delictceps est planè libido, & manifesta impudicitia. Deus enim unam uxorem dedit viro, cum creavit, & dixit: erunt duo in carne una.* Dominus Deus istic positivam non dedit legem, sed edixit naturalem, adeoque istarum Constitutionum Author censuit quartas nuptias huic adversari. Hæc omnia etiam docent sanctus Athenagoras, sanctus Clemens Alexandrinus, sanctus Epiphanius, sanctus Joannes Chrysostomus, ac alii Græcorum Patres.

Can. 79.

Lib. 3. cap. 2.

Et hinc antiquas, ac per Imperatorem Justinianum probatas, gentilium Romanorum Principum leges, quæ quartas indulserunt nuptias, non dumtaxat circumduxit, sed insuper ut prævaricatrices damnavit Imperator Basilius Macedo: *Jam olim à Prisci scripta lex est, eademque à piissimo Justiniano confirmata, per quam usque ad quartas etiam nuptias lit, qui voluit, matrimonia permittuntur. Fortassis hoc respiciente, quòd usu ventre pleriique soleat, ut citò matrimonii consortem amittant. Vel ut juvenibus hoc accidat, qui naturæ cupiditatibus obsistere nequeunt, ideoque ipsis contingere, ut à castis quidem nuptiis divertantur, ad prohibitos autem concubitus sese conferant. Oportebat verò nos quoque, velut ejusdem tam naturæ, quam imbecillitatis consortes, priscis legibus in hoc adquiescere. Sed à lege Divina nos præpediri cernimus. Propterea Serenitas nostra solutis amantium cupiditatibus frænum injicere volens, usque adeò quenquam ad quartum matrimonium progredi vetat, ut etiam tertium contrahentes abliget ad Ecclesiasticos Canones. Ideoque ut eadem jura procedant in tertio quoque conjugio, quæ & in quarto, manifestum omnibus esto futurum, ut ji quis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias, accedere, non solùm pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec Liberi ex eis procreati pro legitimis agnoscantur; verùm etiam ut ipsæ pœnis polluturum scortationis sordibus subjiciatur, ejusmodi videlicet personis à se invicem separatis.* Manifestè & constanter affirmat has nuptias adversari Evangelicis, adeoque & naturalibus legibus. Etenim Evangelium, præter pauciſſima Sacramenta, nullas nobis posuit leges. Basilii Edictum exstat in jure Græco-Romano. Neque ipse primus aut solus invasit istam Justiniani legem. Etenim sanctus Martyr Theophanes inter alia Imperatoris Constantini Caballini crimina ponit tertias nuptias. Hinc videmus hanc legem Orientali Ecclesiæ semper displicuisse,

Basilii filius ac in Imperio Successor Leo Sapiens post tres sine prole nuptias inivit quartas cum Zoe, & ex ipsa suscepit filium. Verùm cum omni sua Synodo Patriarcha Nicolaus fuit adeò indignatus, ut puerum solemni Baptismo privaverit, Principem Ecclesiastica communione. Hinc ille provocavit ad Sergium tertium Pontificem, supplicans mitti Legatos, discussuros causam, & impedimentum dispensaturos. Latinæ disciplinæ peritus Leo, voluit legem istam esse dumtaxat Orientalem Canonem, ideoque dispensabilem. Photii schisma ille penitùs extinxerat, & sceleratum hominem incluserat perpetuo carceri; hinc offendi non poterat, ne forsan schisma revivisceret. Quare Legatos misit Apostolica Sedes, & nuptias dispensavit. Et constanter nolentem parere Nicolaum Princeps ejecit Cathedra, ac misit in exilium, ejusque in locum suscepit Euthymium Syncellum. Verùm deportatus Patriarcha pro suo ac suæ Synodi judicio potenter intercessit: *At facto dispensationis nomen, ut audio, prætenditur. Quasi verò per ullam dispensationem liceat fidei dignitatem, Ecclesiæ disciplinam imminuere, effractisque Canonum repagulis fornicationem introducere in Sancta.* Et adfirmat hæc ex laudatis magni Basilii ac Nazianzeni Gregorii testimoniis: *Cur eos, qui hujusmodi culpæ succubuere, sacri Canones ab Ecclesia ejiciunt? Cur brutalem hanc luxuriam, & humanos fines supergressam vocant?* Constanter persistit quartas nuptias repugnare fidei, esse bestialem fornicationem, ideoque nulla dispensatione posse levari in validum conjugium. Et Latinæ, quæ etiam quintas ac ulteriores permittit nuptias, consuetudini opponit laudatum Apostolicarum Constitutionum testimonium, affirmans trigamiam esse intemperantiæ indicium, quadrigamiam esse apertam fornicationem. Et hic omninò est avitus sensus Orientalis Ecclesiæ. Hinc in mortis lecto ad mentem reductus Imperator Leo fecit, quod idem Patriarcha scripsit ad Joannem decimum Pontificem: *Leo Imperator, antequam hinc migraret, agnovit fideliter errorem suum, veniamque à Deo petiit, me inter primos hortatore, ac deprecatore. Aderam enim tunc fortè ab exilio reversus, ab eoque Ecclesiæ gubernationi restituutus.* Ex quo lucet, quòd non Successor ac frater Alexander, sed ipse Leo Nicolaum restituerit. Alexander

xander ejecit Euthymium. Et Nicolao addicti Episcopi ac alius Clerus eundem, de quibus in ejus funebri elogio lamentatur Arethas Metropolita Cæsarænsis, horrendis contumeliis atque injuriis affecerunt. Etiam Euthymius habuit in majori ac minori Clero suos defensores. Hinc inter hos & istos fuit dissociata communio, & lacerata Ecclesia. Quin Nicolai pars Romani Pontificis, uti prævaricatoris, nomen rasit è sacris Tabulis, atque ita Photianum schisma fuit in via ad plenum reditum. Et tunc forsitan Nicolaus ad Armeniæ Principem scripsit istas litteras, in quibus Photium appellat suum *Præstantissimum Prædecessorem*.

Interim Nicolaus erat vir germanè orthodoxus. Et Sergii tertii Acta ac nomen noverat fœtere apud Romanam Ecclesiam. Hinc omnia retulit ad Joannem decimum, supplicavit circumduci omnia, ac Ecclesias uniri, Pontifici Sergio ac Augusto Leoni, quòd defuncti essent, & hic insuper in exitu pœnituisset, supplicavit parci, atque adjunxit: *In eos animadvertendum, Beatissime Pater, qui superfunt, qui tot in me, tantasque turbas criminationibus falsis excitarunt. Hæ tuæ erunt partes. Id à te primùm Dignitas tua, Romanæque Sedis decus exigit: id qui nunc rerum potitur Imperator, missò ad te Palatii Magistro, nosque omnes obnixè petimus atque obsecramus.* Orientalis Ecclesiæ hanc sententiam ac disciplinam tanti fecit Imperator Alexander secundus, ut ad ipsam Apostolicæ Sedis judicio firmandam legaverit suum Magistrum Officiorum. Confebat esse Dogma Fidei, legem naturæ. Hinc enim de Leone Sapiente scribit Leo Grammaticus: Fol.484. *Imperator volebat hæresim & legem ponere, qua virum tres aut quatuor uxores ducere liceret.* Has Principis ideas etiam in Nicolai locum intrusus Euthymius fuit adeò averfatus, ut de ipso scribat Georgius Cedrenus: Fol.602. *Euthymius omni studio impedivit, ne Imperator legem, ad quod multi Illustres virtoperam ipsi navabant, ferret, qua liceret viro tres aut quatuor uxores ducere.* Hæreticus Cedreni Interpres Alexander Xilander adjunxit: *Simul.* Et hoc hæreticum facinus nescio qui Parisini Doctores in Regia Byzantinæ historiæ editione non correxerunt. Sunt istic plura istiusmodi. Ex alia parte Romana ac omnis Latina Ecclesia censebat ista non spectare ad dogma aut naturæ jus: Esse variam disciplinam. Sergii judicium noluit vel circumducere.

Hinc Imperator Constantinus octavus ac Nicolaus Patriarcha Romam denuò legarunt Basilium Proto-Spatharium, ac Aurei Triclinii Præfectum, atque Eulogium Presbyterum, cum hisce litteris: *Quia vestram fraternam Dilectionem, cujus erga nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus, & consuetam Ecclesiis unionem exoptamus, idcò has ad vos dare litteras decrevimus, ut omni offensionis memoria depositæ, Sanctitatem vestram ac sinceram amicitiam, atque conjunctionem animorum, pastoribus populorum debitam, provocaremus. Quæ tunc demum missi, hinc indè Legatis coalescet, cùm judicatum fuerit concordiæ quartum connubium, quod dissensiones & scandala in Ecclesiam invexit, non vel ipsius, sed personæ causa permissum esse, suadente tunc occasione letitatem atque affectum erga Principem indulgentiorem, ne repulsa ipsius animus offensus deteriora moliretur. Sic enim & Sanctitatis tuæ nomen ex sacra Constantinopolitanæ Ecclesiæ Albo, ut mos olim erat, uno cum nostro rursus celebrabitur, & nos ex omni parte gaudio repleti, jucunditate pacis perfruemur.* Rogarunt à Romana Ecclesia admitti ac declarari, quòd Sergii factum non vera ob ipsius rei justitiam dispensatio, sed ob Augustæ personæ metum fuisset mera permissio, connivencia, atque dissimulatio. Sic utriusque Ecclesiæ sensum fore salvum, salvam communionem & pacem.

Et conditiones placuerunt Romanæ Ecclesiæ. Hinc Joannes Pontifex Constantinopolim legavit Theophylactum atque Carum Episcopos, & de ipsorum Actis Patriarcha Nicolaus scripsit ad Simeonem Regem Bulgarorum: *Romanæ Legationis adventu scandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbaverant, impositus est finis, pax Clero reddita, sacri cœtus mira animorum conspiratione habiti, & ut verbo dicam, Romana & Constantinopolitana Ecclesia in unam eamdemque coalita est fidem & consensionem, ut nihil amplius vetet, quò minùs nos optatissima illorum communione & sanctificatione perfruamur.* Non in unam disciplinam, sed in unam fidem. Quia hempè utraque Ecclesia probavit utriusque sententiam: utraque permisit, utramque in suo sensu abundare. Utraque sensit utriusque sententiam esse boni meriti, probabilem, ac tutam. Unionis Diploma exstat in jure Græco-Romano. Et adversùs ipsum quidam, Latinam disciplinam probare nolentes, dudum recalcitrarunt. Lis duravit per nonaginta annos. Tandem plenè composita per Sisinnium secundum. Hinc Photiani schismatis resuscitator Michael Cerularius nullam ipsius fecit mentionem. Latinos non arguit de quartis nuptiis. Prima in nos calumnia apparuit in schismatico Tractatu reperto apud PP. Prædicatorum Conventum Constantinopolitanum. Laudatas Patriarchæ Nicolai litteras ab Aloysio Lollino, Bellunensi Episcopo, accepit Dominus Cardinalis Cæsar Baronius, & vulgavit in appendice ad undecimum tomum suorum Annalium.

Et hunc fuisse perpetuum Latinæ Ecclesiæ sensum, palàm profitetur in libro de Bono viduitatis sanctus Augustinus. Amplè demonstrat secundas nuptias non damnari ab Evangelio, atque prosequitur: *De tertiis, & de quartis, & de ultrà pluribus nuptiis silent homines movere quæstionem. Undè, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas hujus responsionis meæ fortè displiceat, uberiùs disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim esset aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur. Nam & ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui, non audeo plus sapere, quàm oportet sapere. Quis enim sum, qui pusem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse?* Adducit Latinæ sententiæ fundamenta, & concludit: *Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat fœmina, nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ authoritatem quantaslibet nuptias audeo* Cap. 12.

audeo condemnare. Omninò respicit sententiam ac disciplinam Orientalis Ecclesiæ. Etenim inter Latinas Ecclesias numquam fuit ista quæstio. Neutram partem audet damnare: utramque censet probabilem. Ecclesia utraque semper admisit, aut certè indulsit secundas nuptias: Tertias & quartas permisit & damnari & probari. Et juxta hoc judicium Joannes decimus Pontifex, & Nicolaus Patriarcha Occidentalem ac Orientalem Ecclesiam unierunt.

Et ita manſit usque ad Lugdunenſis ſub Gregorio decimo Concilii tempora. Tunc Joannes Veccus, Orthodoxus Conſtantinopolitanorum Patriarcha, ad Joannem vigeſimum primum Pontificem miſit ſolemnem fidei profeſſionem, in qua fuit hic Articulus: *Confitemur & recipimus matrimonium, de quo tenet ipſa Romana Eccleſia, quod nec unus vir plures uxores, ſimiliter nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros; ſoluta verò lege per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias, & deinceps nuptias legitimè factas ſucceſſivè, licitas eſſe dicit, ſi impedimentum Canonicum ex alia cauſa non obſtat. Recipimus eodem modo, & de ipſo eadem dicimus nos.* Profeſſio exſtat apud Leonem Allatium in opere de Concordia Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ. Præfatus ille Tractatus prodiit ſub Pontificatu Innocentii tertii, dum Flandri noſtri tenuerunt Conſtantinopolim. Hinc Schiſmatici Græci quæcumque in ipſos vomuerunt. Damnare cœperunt & noſtrum avitum judicium de quartis nuptiis. Hinc ipſum non ſolummodò probari, ſed ſolemni inſuper Græcorum Epiſcoporum profeſſione firmari juſſit dictus Pontifex Joannes. Et Patriarcha Joannes obedivit. Hæc egent majori expoſitione. Verùm non facit ad præſentem materiam. Interim lucet quòd utraque Eccleſia circa hunc articulum permiſerit utramque abundare in ſuo ſenſu. Utraque utriuſque ſententiam judicavit boni meriti, ac omni exceptione majorem. Et certè quis dicat non probabile, cui tanta adſiſtebat authoritas? Quis dicat hanc aut iſtam Eccleſiam mortaliter deliquiſſe? Et tamen altera deviabat à jure naturali.

Lib. 2. cap. 15.

CAPUT VIII.

Hæc firmantur aliis exemplis.

IN priori ad ſanctum Amphilochium Iconienſem Epiſcopum Decretali Epiſtola magnus Baſilius habet hunc Canonem: *Qui jurant ſe Ordinationem non admittere, ejurantes ne cogantur peJerare. Etſi enim videntur eſſe aliquis Canon, qui eis concedit, experientia tamen cognovimus eos, qui pejeraverunt, non rectà via ingredi. Conſideranda autem ſunt & forma & verba juris jurandi, & affectio, & res pro qua juratur, & quæ ſubtiliter in verbis facta ſunt additamenta. Nam ſi nulla ſit penitùs excuſatio, ji ſunt omninò dimittendi.* Quod non ſola Canonica electio, ſed etiam violentus populi ac Epiſcoporum raptus quoſdam ad Epiſcopatum ac alios ſacros Ordines olim evexerit, eſt Eruditis exploratum. Et de electis, præſertim Epiſcopis, ad Donatum Donatiſtarum Presbyterum ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit. Et tamen tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec ets adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Quidam ſemetipſos truncarunt pollice: imò & auribus. Alii jurarunt Epiſcopatum aut Clericatum nunquam ſuſcipere. Et de his ſanctus Amphilochius quæſivit, an tale juramentum eſſet licitum, obligatorium, ac venerandum? Et magnus Baſilius reſpondit affirmativè. Addit tamen juramenti formam, verba, finem, modum, aliaſque circumſtantias maturè diſcutiendas. Diſcutiendum, an nihil Herodianæ impietatis, quæ juramentum inquinet ac exſuffiet, ſit admixtum. Si nil tale admiſceatur, cenſuit juramentum eſſe obligatorium, ideoque à cunctis venerandum. Ep. 240.

Ejuſdem ſententiæ ſuit in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, ſcribens de Arſacio, Nectarii Conſtantinopolitani Epiſcopi germano fratre, quem Theophili Patriarchæ Alexandrini ſactio pro expulſo ſancto Joanne Chryſoſtomo intruſit in ſedem: *Arſacius, Nectarii frater, Joannis ſubſtituitur loco. Qui cum anno uno & duobus menſibus vixiſſet, mortuus eſt, ipſa Dei Evangelia in vitæ ſuæ conteſtatus, ſe fratri Nectario ſub jurejurando fuiſſe pollicitum, nunquam ſe Ordinationem Epiſcopatus admiſſurum, cum illi exprobraret, quod noluiſſet Tarſenſi Eccleſiæ præſici. Fuit illi perjurii cauſa primùm quidem vanitas ſua, per quam deſpondebat ſibi, ut ſic dicam, uxorem ſui fratris.* Aſſerit varia. Primò, quod Nectarius fratrem Arſacium voluerit creare Tarſenſem Epiſcopum, Metropolitam primæ Ciliciæ. Secundò, quod Arſacius ſe excuſaverit, & indignanti fratri oppoſuerit Religionem juramenti, quo jurarat nunquam Epiſcopatum admittere. Tertiò, quod Nectarius excuſationem admiſerit. Quartò, quod Arſacius poſtmodo admiſerit Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, corruptus Regiæ civitatis cupiditate & ambitu. Quintò, quod ita patraverit perjurium. Ex quo vides etiam Nectarium ſenſiſſe cum magno Baſilio. Ejuſdem ſententiæ fuit Marinus Pontifex, qui Formoſum Portuenſem Epiſcopum, à Joanne octavo degradatum, reparans coegit ad juramentum de nunquam admittendo Epiſcopatu Romanæ Eccleſiæ. Etiam illi, qui poſtmodo Formoſum Pontificem, uti perjurum, degradarunt. Et quidem defunctum. Lib. 2. cap. 12.

Verùm magnus Baſilius adjunxit: *Etſi videatur eſſe aliquis canon*, &c. Profitetur ſe ſancire adversùs alium canonem. Utique canonem, quem ſanctus Athanaſius ſanxit, aut certè laudat in literis ad Dracontium Monachum, qui juraverat numquam Epiſcopatum admittere, ideoque ipſum volenti imponere Patriarchæ Athanaſio conſtanter reſiſtebat: *Delectè Draconti, an fortitan ideò tibi conſilium ſuppeditant tui occultandi, quod dixeris atque juraveris non futurum ut ſtes, ſi conſtituaris Epiſcopus? Uſitumodi enim vocibus audio illos circumſtrepere tuas aures, & in ea re ſe velle cautos videri. Eſſent illi verè quidem cauti, ſi miniſterio tibi injuncto cautum voluiſſent. Quod ſi legiſſent*

sent sacras Scripturas, non contra illas consilium dabant. Quin jam tempus est, ut Hieremiam culpent, & magnum illum Moysen accusent, quod ipsorum consilium non audierint, sed Deum veriti officium Ministerii perfecerint, & prophetando adimpleverint. Siquidem illi ipsi missi, & accipientes Prophetiæ gratiam, ab initio recusabant quidem, sed tamen postea timuerunt, neque Emissorem suum vilipenderunt. Quod si verbum locutus est, verbum Sanctis pro juramento est. Reminiscere quæso Hieremiæ, quomodo ipse qui dixerat, non nominabo nomen Domini, postea metuens illum, qui in se erat, ignem, non pro ira, quæ dixerat, fecit, neque ut præoccupatus erat juramento, se in tenebras abdidit, sed Mandatorem veritus, suam Prophetiam absolvit. Hoc ipsum confirmat exemplo Jonæ Prophetæ. Et ex ipsis firmè concludit istud Dracontii, quod Prophetico verbo nequaquam est firmius, juramentum non obligare. Ab adversæ sententiæ patronis affirmat non intelligi sacras litteras. Proindè uti Pontica Basilium, ita Ægyptiaca Diœcesis fuit secuta Athanasium, & juxta ejus sententiam operata. Hac de re non est dubitandum. Etenim subjecta Diœcesis in opere sequi debuit canones sui Patriarchæ aut Exarchi. Asiatica Diœcesis videtur fuisse divisa. Hinc enim prodiit Amphilochii ad Basilium Relatio. Et uti isti Heroes adversa sentiendo, docendo, ac imperando; ita ipsorum populi adversa per obedientiam operando non peccarunt. Saltem graviter. Et tamen aut hi aut isti deviarunt à jure naturæ.

Adduco alind exemplum. Sanctus Augustinus in libris de libero arbitrio constanter docet, quod injustum vitæ nostræ aggressorem non liceat occidere. Quod mortem tunc tolerare obligemur, & citra naturalis legis prævaricationem non possimus inferre. Quod ipsum tradit in litteris ad nobilem virum Publicolam. Ad hanc hujus quæstionem: *Si Christianus videat se à Barbaro vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur; vel si licet sine interfectione eos repellere, vel impugnare, quia dicitur est, Non resistere malo?* Ad hanc, inquam, quæstionem sanctus Augustinus respondit: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruat personæ.* Palam affirmat injustum vitæ aggressorem à privatis hominibus in propriæ vitæ tutelam non posse interfici. Hoc fieri non posse, nisi per milites aut alios Reipublicæ ministros ob bonum publicæ pacis. Primitivi Christiani fuerunt tenacissimi hujus sententiæ. Etenim Paganis, nobis Thyestæas epulas improperantibus, respondit sanctus Athenagoras: *Quomodo quisquam vel homicidii, vel humanarum carnium epulationis insimularet illos, quos ne justè quidem occidendi hominis supplicium intueri velle aut posse cognoverit?* Quod ipsum ad eandem calumniam reposuit Minutius Felix. Certè qui extrema latronum supplicia intueri non poterant, longè minùs poterant patrare. Et in litteris ad sanctum Papam Cornelium sanctus Cyprianus affirmat gentiles tyrannos à nostris Martyribus non posse occidi, & adjungit hanc genetalem rationem: *Innocentibus nec licet nocentem occidere.* Utique nocentem invaforem. Hoc ipsum docuerunt Lactantius Firmianus, & alii antiqui. Et certè hanc sententiam sibi placere, frequenter demonstravit Divina Clementia, quæ similis aggressionis ac mortis patientes toleratores fecit subitis clarere miraculis. Hos inter sunt sanctus Engelbertus Colonienſis, & sanctus Albertus Leodienſis Episcopus, filius Henrici Ducis Brabantiæ. Quin & ipsos omnis Ecclesia veneratur ut Martyres. Eodem honore afficit plures patienter occisos ab inimicis. Quæ omnia hanc sententiam validè confirmant.

Ep. 153.

Ep. 154.

Ep. 157.

Quidam censent sanctum Augustinum fuisse in contraria sententia. Et firmant ex duobus locis. Primus est in quæstionibus super librum Exodi: *Intelligitur non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait lex:* si oriatur super eum Sol. *Poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideò non deberet occidi.* Alter locus est in litteris ad Comitem Macedonium: *Cum homo ab homine occiditur, multùm distat, utrum fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone. An ulciscendi vel obediendi ordine, sicut à judice, sicut à carnifice. An evadendi vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite.* Hæc duo postrema homicidia æquiparat: & certum est patratum à milite non esse damnabile peccatum. Respondeo tamen hæc non convincere. Etenim in priori loco sanctus Augustinus adjungit: *Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, inventur. Impunè occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se cum telo defenderit: jam enim plus est quàm fur.* Manifestè affirmat aliud à Mosaica lege non permitti, quàm quod permittitur à Romanis legibus: nempè civilem impunitatem istius homicidii. Posterior locus habet aliquid coloris, sed non est firmus.

Ep. 54.

Attamen & opposita sententia non caret fundamentis. Etenim Theodorici, Gothorum in Italia Regis, Edictum habet: *Qui percussorem ad se venientem repulerit ferro, non habetur homicida. Quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.* Et levita Benedictus refert hoc Capitulum magni Imperatoris Caroli: *Si quis ad faciendam rapinam aggreditur, aut iter agentem in prædiis adsederit, aut domum alterius nocturnus spoliator intraverit, & occisus fuerit, mors latronis ipsius à nemine requiratur.* Mosaicæ, quæ nocturnum furem occidi permisit, legis Canonem Gregorius etiam nonus inseruit suis Decretalibus, atque adjunxit: *Intelligitur ad eum, utique sui defensorem, non pertinere homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere.* Hæc sunt sancti Augustini verba in laudatis super Exodi librum quæstionibus: ea nonus Gregorius censuit etiam ad conscientiæ forum posse extendi. Et de nescio quo Presbytero, qui vitæ suæ invaforem occiderat, ad Meldenbergengem Abbatem rescripsit Innocentius tertius: *Si Sacerdos ille, prius ab ipso percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit, quamvis vim vi repellere omnes leges & omnia jura permi-*

Cap. 15.

Lib. 1. cap. 122.

Lib. 5. Tit. 12. cap. 5.

Cap. 18.

permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idcirco Sacerdos à pœna homicidii penitùs excusari. Affirmat tale homicidium, dummodo cum inculpatæ tutelæ moderamine fiat, permitti per omnes leges, per omnia jura. Utique humana, Divina, naturalia. Ibidem edicit præcipuas istius moderaminis conditiones. Et ex hoc Rescripto Clemens quintus videtur sanxisse, ut per patratum cum tali moderamine homicidium non incurratur irregularitas. Eandam sententiam constanter docet doctor Angelicus, & cuncta ejus Schola. Habet & plurimos alios Sectatores. Et optimæ memoriæ Pontifex Alexander septimus nuperrimè edixit istius dogmata esse tutissima. Quare sunt & probabilia. Hinc & eorum, licèt forsan devient, Sectatores sunt tutissimi. Quod ipsum sensit & sanctus Augustinus. Etenim in adductis litteris Publicolæ sententiam non damnavit. Solummodò dixit: *Non mihi placet consilium.* Improbavit istam sententiam, attamen Publicolam permisit in suo sensu abundare.

Hæc quæstio est una ex præsentium temporum controversiis. Hinc quæret quis, quid mihi de ipsa videatur? Respondeo mihi omninò probari sancti Augustini sententiam. Est antiquus sensus etiam Gallicanę Ecclesię. Etenim in prima ad Reginonis Prumiensis Abbatis Capitularia Appendice habemus hunc Canonem: *Si fur aut latro in*
Can. 28. *præda absque occisione potest comprehendi, & tamen interficitur, quia ad imaginem Dei creati, & in ejus nomine baptizati sunt, interfectores eorum quadraginta diebus non intrent Ecclesiam.* His Canon præfigit duram pœnitentiam, atque prosequitur: *Sin autem à veridicis comprobatur testibus, quod sine odii meditatione, se suaque liberando, Diaboli membra interficiunt, secundùm indulgentiam quadraginta diebus ab Ecclesia, carne, vino, conjugio, elemosynam lagher faciendo, abstineant.* Notanda sunt verba: *Se suaque defendendo.* Palàm edicunt se agere de invasore fortunarum ac vitæ. Et tamen ejus occisori imponunt pœnitentiam, quæ palàm imponi non possit, nisi ob mortale peccatum. Quod ipsum evincunt verba sequentia: *Et si Presbyter est, non deponatur, cunctis tamen vitæ suæ diebus pœnitentiam agat.*

Insignem legem tulit Guilielmus, Conquæstor Anglicani Regni, in Ecclesiasticæ pacis violatores, id est, in sceleratos homines, qui vetitis tunc per Ecclesiam diebus attentarent privata bella, adeoque suos adversarios rapinis ac violentis armis invaderent: *Si quis pacem sanctæ Ecclesiæ fregerit violenter, Episcoporum est justitia. Quod si nocens sententiam eorum defugiendo vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad Regem per quadraginta dies, & Regis justitia ponet eum per vadium & plegium, si habere poterit, usque Deo primitus, & postea Regi satisfaciat. Qui si infra triginta & unum diem, sive per amicos & notos, sive per justitiam Regis invenire non poterit, utlagabit eum Rex verbo oris sui. Si verò postea repertus fuerit, & poterit teneri vivus, Regi reddetur, vel caput ejus, si se defenderit. Lupinum enim gerit caput à die utlagationis suæ, quod Anglicè Wullues-beved dicitur. Hæc est lex de omnibus utlagis.* Etiam hos latrones occidi vetat, nisi postquam Rex eos exlegaverit, & ipsis lupinum imposuerit caput: hoc est, posuerit extra protectionem Regiam, & ab omni homine permiserit occidi ad instar lupi. Exindè omnis homo adversùm istos est miles. Exstant hæ leges apud Rogerum Hovedensem. Palàm supponunt etiam tales, ideoque nullos latrones privata posse authoritate occidi. Eas Guilielmus ex Gallia portavit in Angliam.

Eadem de re sanctus Hidelbertus Turonensis Archi-Episcopus ad sanctum Ivonem Carnutensem Episcopum scribit eruditam epistolam: *Sicut Parvitatem meam vestra docuit pagina, cùm latro quidam portitorem præsentium Sacerdotem invaderet, & pannis ejus lanceæ perforatis eum vellet occidere, Sacerdos latronem lapide percussit, & ictus ipsius percussione & occasione latro mortuus esse putatur. Pro quo scilicet delicto jam per septennium ab officio Dominicæ mensæ Providentia vestra eundem suspendit Sacerdotem. Sanè super hoc dignati estis meum quærere consilium. Nisi fallor, & id vestram vescribi ad inquisitionem, si Sacerdoti ad sacrum liceat redire officium, quod ei medicinaliter abstulistis. Consideranti igitur mihi, quanta in Sacerdote postuletur innocentia, & maximè quòd immunis esse debeat à sanguine, non videtur Sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare: quamvis tuendæ salutis necessitate homicidium occurrerit. Quòd enim vir Christianus quærere sibi vitam aliena morte non debeat, Ambrosius his ostendit verbis:* Quærit aliquis, Si Sapiens, in naufragio positus, Insipienti naufrago tabulam extorquere possit? Utrùm debeat? Mihi quidem, etsi præstabilius communiter videatur usui Sapientem de naufragio, quàm Insipientem evadere, non tamen videtur quòd vir verè Christianus, fapiens & justus, quærere sibi vitam aliena morte debeat: utpotè qui etsi in latronem armatum inciderit, ferientem referire non possit, ne dum salutem defenderit, pietatem contaminet. *De reformatione igitur Sacerdotis, mihi rem intuenti, nihil aliud quàm quod suprà dictum est, videtur: quod etiamsi liceat, non tamen expedit. Quoniam & exemplo offendit, & ulciscendi securitatem adducit. Si autem simile aliquid in commissa mihi Parochia contigisset, reum ad Apostolicam misissem audientiam, quatenùs ex consilio illius & ego instruerer, & peccator de reformatione sententiam susciperet certiorem.* Per omnia confonat adducto jam per Reginonem Canoni.

Ep. 60.

Quidam censent priorem sub Merovingiis Regibus Gallicanam Ecclesiam fuisse alterius sententiæ. Et probant ex formula, qua quis tunc de homicidio, quod in vitæ suæ defensionem asseverabat patratum, debuit solemniter coram sacrosancto Altari & Sanctorum Reliquiis femetipsum expurgare: *Hic juro per hunc locum sanctum, & Deum Altissimum, & virtutes Sancti illius, quòd homo aliquis nomine ille, ita factus, cum armis suis super me venit, & colpus super me misit, & sic mihi Dominus directum dedit. Ego ipsum de armis meis percussi, & tales colpus ei dedi, pro quibus ipse mortuus est. Et quod feci, super me fecit.* Exstat & similis lex Ribuariorum. Lucidè agunt de invasoris

vaſoris occiſione, facta cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et ipſum plenè purgant atque abſolvunt. Reſpondeo quòd purgent atque abſolvant in ſolo humano judicio, non in Divino. Etenim iſtam formulam reſpicit ac exponit hoc magni Caroli Capitulum: *Fur nocturno tempore*
Lib. 5. cap. 190. *capitur in furto, dum res furtivas ſecum portat, ſi fuerit occiſus, nulla ex hoc homicidio querela naſcatur.* Hoc eſt, nulla apud publicum judicem accuſatio. Quod ipſum videtur velle aliud ejuſdem Caroli ſuprà adductum Capitulum. Hoc enim ipſum ſanciunt Romanæ item Leges.

Interim adverſam ſententiam non auſim damnare. Etenim ipſi favet etiam Synodus Conſtantini Chliareni, Patriarchæ Conſtantinopolitani. Hanc quæſtionem verſat in utramque partem, ac tandem concludit: *Synodo viſum eſt, ut quod ad leges Eccleſiæ attinet, & qui ſe defendentes, & qui propter publicam utilitatem, deprecatione interpoſita, latrones interfecerunt, puniantur quemadmodum puniuntur, qui in bello occiderunt.* Ad inculpatæ tutelæ moderamen requirit interpoſitam deprecationem: qua ſcilicet invaſus invaſorem deprecetur, ut ceſſet à violentia. Addit & aliam conditionem: *Et autem qui latronem interfecit, quando poterat ſuum latrocinium effugere, amplius puniatur.* Iſtam occiſionem æquiparat non ſolummodò illi, qua quis publicum latronem ex publica poteſtate, ſed etiam illi, qua miles hoſtem interficit in juſto bello. Reſpicit magni Baſilii Canonem in Canonicis ad ſanctum Amphilo-
Cap. 13. chium litteris: *Cædes in bellis factas Patres procædibus non reputaverunt, ut mihi videtur ignoſcentes jis, qui pro pietate & pudicitia decertant. Reſtè autem fortè habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſola trium annorum communione abſtineant.* Laudat milites, quòd decertent pro pietate ac pudicitia. Eos tamen qui humanum ſanguinem fuderint, hortatur ut triennio ſe abſtineant à communione. Utique à communione perfecta & plena, à ſuſceptione Euchariſtiæ. Ut triennio ſint contenti ſola Conſiſtentia. Supponit ipſos non indigere Sacramentali abſolutione, ideoque non peccaſſe mortaliter. Eundem in
Lib. 4. Ep. 200. ſenſum accipio ſancti Iſidori Peluſiotæ litteras ad Ophelium Grammaticum. Illos, qui pro inculpata ſuæ vitæ tutela pararunt homicidium, his comparat adducta Conſtantinopolitana Synodus, adeoque affirmat & ipſos mortaliter non deliquiſ-
Fol. 210. ſe. Iſtud Decretum exſtat apud Joannem Leunclavium in jure Græco-Romano.

Notanda ſunt magni Baſilii de militum in bello homicidiis verba: *Pro pudicitia & pietate decertant.* Etiam ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus ſuo Decreto inſeruit hunc Moguntinenſis Sy-
Part. 10. nodi Canonem: *Oportet diligentius eos admonere,*
cap. 152. *qui homicidia in bello perpetrata de nihilo ducunt, excuſantes ſe non ideò neceſſe habere de ſingulis facere pœnitentiam, eò quòd juſſu Principum peracta ſint, & Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium ſemper juſtum eſt, & nulla reprehenſione dignum. Sed tamen oportet eos conſiderare, qui hanc necem nefariam cupiunt, utrùm ſe coram oculis Dei quaſi innoxios excuſare poſſint, qui propter avaritiam, atque propter favorem Dominorum ſuorum temporalium æternum Dominum contempſerunt, & mandata ejus ſpernentes, non caſu, ſed per induſtriam homicidium fecerunt.* Canon demonſtrat caſualia etiam homicidia non eſſe innoxia, & concludit: *Sed inter hæc ſciendum eſt, quod magna diſtantia eſt inter legitimum Principem & ſeditioſum tyrannum; inter eum qui ſubvertere nititur Chriſtianæ pacis tranquillitatem, & illum qui armis contrà iniquitatem ſtruit defendere æquitatem.* Diſtinguit duplicia bella: alia quæ ad æquitatis neceſſariam defenſionem, alia quæ fiunt propter avaritiam. Ad invadenda aut turbanda aliena regna. Hujuſmodi bellorum geſtores Reges affirmat eſſe non legitimos Principes, ſed ſeditioſos tyrannos, Chriſtianæ quietis ſubverſores. Omnes iſtic patractas cædes eſſe plena homicidia.

Iſta Moguntina Synodus fuit Metropolitæ Rabani Mauri. Integrum Canonem habes in ejus litteris ad Heriboldum Epiſcopum Antiſiodorenſem. Sanctus Ivo videtur non vidiſſe epiſtolam: etenim non plenum Decretum, ſed ſolum ejus compendium nobis adduxit ex Capitulari Reginonis Abbatis, aut cujuſcumque alterius. Dico, *Cujuſcumque alterius.* Etenim Ivo addidit hæc verba: *Inter eum qui ſubvertere nititur*, &c. Quæ non ſunt apud Reginonem. Porrò Regino Canoni dedit hunc titulum: *De his qui pro nihilo*
Lib. 2. cap. 50. *ducunt homicidium in bello perpetratum. Ex epiſtola Rabani ad Heriboldum Antiſiodorenſem Epiſcopum de præſulo ad Fontanetum geſto.* Eſt famoſum ac infame illud præſulum, in quo Ludovici Pii tres in Regnum ſucceſſores filii ſole mutuò invaſerunt; & Francicam gentem atrociùs, quàm quivis hoſtes, abraſerunt. Et Moguntina Synodus definivit omnes iſtic patratas cædes eſſe plena homicidia. Quoniam patrata non ob pietatis, pudicitiæ, aut publicæ tranquillitatis defenſionem, ſed ob avaritiam ac fraternam invidiam. Sanè crudelia, quibus jam per multos annos omnis Europa laceratur, bella ſunt penitùs ſimilia. Et Reges & milites maturè conſiderent.

CAPUT IX.

An omnia per naturalis juris ignorantiam patrata iniqua opera ſint peccata?

QUod per facti ignorantiam patrata adversùs naturalem etiam legem opera ſint quandoque immunia ab omni apud Divinam juſtitiam macula, nemo poſſit inficiari. Hinc in libris de civitate Dei ſanctus Auguſtinus humanæ ignorantiæ miſeriam, ex qua judex innocentes teſtes quandoque cogitur torquere, & falsò accuſatos reos damnat ad mortem, inſigniter exaggerat, atque concludit: *Hæc tot & tanta mala judex non deputat eſſe peccata. Non enim hæc facit ſa-*
Lib. 19. cap. 6. *piens judex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi. Et tamen quia cogit humana ſocietas, neceſſitate etiam judicandi.* Affirmat hanc eſſe miſeriam, non iniquitatem. Quia nempè judex, dum errat, in facto. Et in libris contra Fauſtum Manichæum idem Auguſtinus ſcribit de Patriarcha Juda, qui cum nuru Thamar, tanquam cum publico ſcorto, per ignorantiam concubuit: *Judas, etſi gravius peccaſſet, ſi nurum*
Lib. 22. cap. 61. *ſciens cum ea concumbere voluiſſet, tamen cum, quantùm in*

tùm in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse, non dubium est. Affirmat ab ipso simplicem fornicationem fuisse patratam, non incæstum. Quod nempè vulgare scortum crederet, nesciens nurum. Erroris causam exponit in quarto contra Fol.206 Celsum libro Origenes: *Primùm extra urbes, & personatæ meretrices prosternebant se libidini præteuntium. Deindè unà cum pudore deponebant personas, foris tamen manserunt, arcentibus legibus. Postremò, disciplina in dies depravatiore, intra urbes penetrare sunt ausæ.* Tempore Judæ & Thamar vivebat adhuc prima verecundia, atque ita illius in facto error fuit innocuus. Etiam de Propheta, qui à Domino Deo ad damnandam Jeroboam Regis Idololatriam missus in Bethel, ab alio Propheta circumventus in ista terra contra Domini mandatum comederat, atque ideò fuit à leone occisus, sanctus Augustinus scribit in libro Cap. 7. de cura agenda pro mortuis: *Hactenus voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia spreveratur Præceptum ejus implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartarum ejus deindè anima raperetur, quandoquidem ipsum ejus corpus idem leo, qui occiderat, custodivit, jumento etiam, quo vehebatur, illæso, & simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini fuxus adstante. Quo mirabili signo apparet hominem Dei coercitum potiùs temporaliter usque ad mortem, quàm punitum esse post mortem.* Quia nempè ex innoxio factâ errore fuerat lapsus. Hoc ipsum Augustinus docet & aliis locis.

Etiam innocua humani juris ignorantia nostros in illud lapsus purgat atque excusat ab omni peccato. Ita docet in litteris ad venerabilem Hugonem de sancto Victore sanctus Bernardus. Constanter affirmat omnem positivam, etiam Divinam, legem indigere promulgatione atque notitiâ, & probat ex Apostoli verbis: *Quomodo credent in Deum, quem non audierunt? Quomodo verò audient sine Prædicante?* Et Ep. 77. profequitur: *Necdum injuncta, necdum vulgata, necdum audita Prædicatio est, & juxta pigri ac nequam servi sententiam tam durus est Dominus, ut necdum fata jam metere velit, & non sparsa colligere? Absit.* Affirmat Divinam justitiam, quæ tollit etiam quod non posuit, & metit etiam ubi non seminavit, non habere locum in positivis legibus. Affirmat hic requiri promulgationem, devulgationem, atque auditionem. Et adjungit generalem causam: *Valde injustè exigitur obedítio, ubi non præcesserit auditio.* Vera interim est & hæc antiqua regula: *Nulli Sacerdoti licet Canones ignorare.* Hi ex officio scire debent; Lib. 5. cap. 32. ideoque ignorantia in ipsis non potest esse innocens. Est singulare peccatum. Et istam regulam, dum lapsam Gallicanæ Ecclesiæ Christianitatem reparavit, magnus Imperator Carolus meritò inseruit suis Capitularibus. Est desumpta Ep. cap. 2. ex magni Papæ Leonis epistola ad cunctos suburbicariarum Provinciarum Episcopos: *Ignorare numquam licuit Sacerdotem, quod Canonum fuerat regulis definitum.*

Sanctus Bernardus agit etiam de Divini atque Evangelici juris ignorantia. Etiam hanc affirmat excusare ab omni peccato. Et rectè. Etenim sanctus quoque Augustinus ad istum finem adducit Domini verbum apud sanctum Joannem: *Si non venissem, & locutus non fuissem, peccatum non haberent.* Et in Tractatibus super istud Evangelium Cap. 15. commentatur: *Numquid sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut crederetur in eum.* Et in litteris ad Comitem Bonifacium: *Utique non omne peccatum intelligi voluit Dominus, quandoquidem plent erant multis magnisque peccatis, sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent, possent illis dimitti omnia, quæ habebant. Id est, quod in eum venientem non crediderunt. Hoc enim non habérent peccatum, si non venirent.* Et in litteris ad Xixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum: *Non utique peccatum nullum habuerent, qui pleni erant aliis multis, magnisque peccatis, sed hoc peccatum vult intelligi illos habituros non fuisse, si non venissent, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere: Non audivimus, ideò non credimus.* Distinguit duplicia peccata: Alia contra naturalem legem patrata, alia contra Evangelicam prædicationem. Et hæc affirmat evacuari per innocuam ac plenam ignorantiam. Est ejus constantissima, & manifestissima doctrina. Et hinc beatus Papa Pius quintus articulum, qui asserit purè negativam infidelitatem esse peccatum, rectè ac meritò damnavit. Proindè Evangelica fides est necessarium salutis medium, ipsa tamen carere possimus sine novo peccato. Ita carent quotquot ipsam non audiverunt.

His obstare videtur sanctus Augustinus in primo libro de Baptismate contra Donatistas: *Illi* Cap. 5. *qui per ignorantiam in Donati parte baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in ílsorum* qui scienter neglecta Matre Catholica istam partem eligunt, *quidem comparatione minùs peccant, sacrilegio tamen Schismatis vulnerantur. Non ideò non graviter, quod alii graviùs.* Etiam illos, qui per Divinæ legis ignorantiam rebaptizant aut rebaptizantur, affirmat esse graviter sacrilegos. Respondeo Augustinum loqui de habitantibus intra aut propè Romanum Imperium Gentilibus. Uti naturalis legis, ita Catholicæ Ecclesiæ splendorem affirmat illis non posse penitùs esse ignotum, ideoque ad Schismata ab ipsis non posse fieri crimine declinari. Ita Russos seu Moscovitas, qui à Photii potiùs apud Constantinopolim parte, quàm à Romana Ecclesia postularunt & acceperunt Baptisma, cuncti novimus semper fuisse schismaticos. Interim ad quosdam Donatistarum Ep. 162. Episcopos scribit idem Augustinus: *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis Parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam sunt*

sunt inter hæreticos deputandi. Longè potiùs quis posset apud hæresim Christianus fieri, & non esse hæreticus. Certè à Romano Imperio remotissimos Indos, quos Eusebii Nicomedien sis Episcopi Legatus Theophilus deduxit ad Arium potiùs quàm ad Christum, nemo dicit fuisse hæreticos, nisi postquam fuere meliora edocti à sancto Frumentio. Prior sancti Augustini locus agit de
Cap. 4. illis, *qui in Donatistas imprudenter incurrunt, ipsam ipsi Christi Ecclesiam existimantes*. Circumscripti dolosis ipsorum sermonibus. Palàm agit de Paganis intra Romanum Imperium degentibus.

Omnis quæstio est de naturalium legum ignorantia. Hæc de re scribit in laudata epistola sanctus Bernardus: *Jam contra Assertionem tertiam non multùm nobis arbitror laborandum. Tum quòd manifestiam nimis præferat falsitatem, tum quòd ipse ejus Inventor in sua superiori sententia ipsam per se satis impugnet, sibimetipsi contrarius. Cum enim de nocturno illo, privatoque furtivo Domini cum Nicodemo laqueum nectat publicæ damnationis per totum orbem ignorantibus, arbitrans videlicet neminem ex illa hora potuisse salvari, qui non fuerit baptizatus, nonne apertè peccatum ignorantiæ, & peccatum damnabile confitetur? Nisi fortè tam proteruus sit, ut Deum homines sine culpa damnare existimet, Verendum tamen est, ne si vel brevitèr non respondeatur stulto juxta stultitiam suam, putant fortè sapientiam, securùs spargat seminarium vecordiæ in auribus insipientium, & jam ita insipientiæ ejus non sit numerus. Veritatis proindè testimoniis paucis & manifestis manifestum mendacium confutetur. Is forsitan qui asserit non posse peccari per ignorantiam, numquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potiùs Prophetam irridendo deprecantem, ac dicentem; delicta juventutis meæ ac ignorantias ne memineris. Pluribus sacrarum Litterarum testimoniis demonstrat dari ignorantiæ peccata, atque concludit: Nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari interdum posse per ignorantiam?* Palàm agit de naturalis juris ignorantia. Lucet ex præcedentibus verbis. Et postquam demonstrasset nos per Divini juris ignorantiam excusari à peccato, prosequitur; *Neque enim tale est hoc, quod & absque promulgatione naturalis lex ignorari non sineret, quale v. g. illud, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Facilitium enim magis quodammodo est, & non naturale mandatum*. Utique Evangelicum mandatum de suscipiendo Baptismo. Distinguit mandata naturalia, & mandata factitia: affirmat hæc sola, non ista indigere promulgatione. Quòd sint naturaliter scripta in omnium cordibus.
Ep. 188. Videtur agere in Petrum Abaelardum, de quo scribit etiam in litteris ad Episcopos Cardinales Romanæ Ecclesiæ: *Videte quid Petrus censeat de peccato ignorantiæ*. Aut agere possit in Roscelinum Compendiensem, à quo Magistro Petrus discipulus hausit errores, & ad quem scribens sanctus Ivo Carnutensis Episcopus suæ epi-
Ep. 7. stolæ dedit hanc Epigraphen: *Roscelino non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Sanctus Bernardus asserit varia. Primò, quòd Petrus docuerit omnem, etiam naturalis juris, ignorantiam excusare à peccato. Secundò, quòd aut Petrus aut Roscelinus fuerit primus Inventor istius dogmatis. Primus inter Catholicos Doctores. Est enim antiquus Pelagianorum error, copiosissimè expugnatus à sancto Hieronymo, sancto Augustino, aliisque Patribus. Bernardus tertiò affirmat, quòd istud dogma sit manifesta falsitas, manifestum mendacium. Quartò, quòd istę Erro sibi-ipsi contradicat. Etenim nocturna Domini ad Nicodemum de Baptismatis necessitate verba, licèt ignorata, & non promulgata, voluit obligare per totum mundum, & exindè neminem sub cœlo potuisse salvari sine sacrosancto Lavacro. Ita admisit peccata ignorantiæ. Quintò Bernardus censuit hunc errorem esse pernitiosissimum, timuit ne serperet apud imperitos, ideoque duxit stulto respondendum juxta ejus stultitiam. Censuit esse stultum errorem.

Et rectè censuit. Etenim adversùm Pelagianos ita censuit etiam sanctus Augustinus. Gene-
Ep. 154. raliter scripsit ad nobilem virum Publicolam: *Si quis bonum esse putaverit, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit*. Et in posteriori adversùs Julianum Eclanensem Episcopum opere: *Multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse*
Lib. 1. cap. 107. *peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur:* Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. *Quod genus delictorum, si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis*. Et in primo Retractationum libro ad hæc in sua in libro de vera Religione verba, *usque adèò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, scripsit: *potest videri falsa*
Cap. 13. *hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, inventur esse verissima. Peccatum quippè illud cogitandum est, quod tantummodò peccatum est, non quod etiam pœna peccati. Quamvis & illa, quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia à nescientibus perpetrantur, non amuinò possint sine voluntate committi. Quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cùm faciendum non sit, putat esse faciendum*. Et in alio ejusdem libri capite: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter*
Cap. 15. *nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec ipsius potuit esse sine voluntate peccatum. Quia voluit ergò fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit: sed voluntate factî, non voluntate peccati. Quod tamen factum est, peccatum fuit. Hoc enim factum est, quod fieri non debuit*. Hæc doctrina est Augustino frequentissima & constantissima. Ejus radicem aperit in Epistola ad Xystum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum. Quia nempè ignorantia, non minùs quàm concupiscentia, est primi peccati pœna, est originale vitium atque peccatum, ideoque quidquid ex

ipsa

ipſa erramus ac operamur, non poteſt non eſſe vitioſum atque peccatum. Palàm loquitur de ſola naturalis juris ignorantia. Hæc namque ſola eſt nobis originale vitium atque peccatum.

Eſt communis omnium Patrum doctrina. Etenim in Admonitione ad Gentes ſcribit ſanctus Clemens Alexandrinus: *Lapides & ligna ſunt inſipientes. Præterea autem lapidibus quoque eſt inſenſibilior homo, qui eſt tinctus ignorantia. Teſtis nobis accedat vox Prophetica, veritati concinens, quæ miſeretur eorum, qui ſunt contriti in ignorantia & amentia. Potens iſt enim Deus ex bis lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Qui miſeratus multam inſcitiam, & cordis duritiem eorum, qui lapidaverunt adverſùs veritatem, excitavit ſemen pietatis in Deum, quod virtutem ſentiret, ex lapidibus iſtis, nempè gentibus, quæ crediderunt lapidibus.* Quinimmò eſt lucida doctrina Evangelii atque Apoſtoli. Etenim Evangelium manifeſtè affirmat Dominum metere etiam illic, ubi non ſeminavit. Hoc eſt, ubi non dedit legem, per quam eſt cognitio peccati. Idem Evangelium affirmat Dominicæ voluntatis conſcium multis, iſtius autem ignarum ſervum vapulare paucis. Exponit in Tractatu de Virginum habitu ſanctus Cyprianus: *Minor culpa eſt deliquiſſe ante* fidem & Baptiſma, *cùm necdum noſcis diſciplinam Dei.* Eodem modo conſtanter exponit ſanctus Auguſtinus.

Cap. 7. Et Apoſtolus ſcribit ad Romanos: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.* Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus exponit: *Simplex videbatur cauſa, concupiſcere aliquid proximi.*

Cap. 7. *Hoc autem Lex prodidit eſſe peccatum.* Et nihilominùs quiſquis ante hanc proditionem concupivit, omninò peccavit. Idem eſt conſtantiſſimus ſenſus beati Auguſtini. Laudata item in epiſtola ſcribit Apoſtolus:

Cap. 2. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Adjungit quòd Gentiles legem naturalitet faciant, ideoque ſibiipſi ſint lex. Ad quæ verba rectè ſcribit in primo contra Celſium libro Origenes: *Introducentes juſtum Dei judicium explodererunt unà cum ipſis peccatorum pœnis, niſi communis omnium ſenſus præſumptionem de moralidiſciplina haberet inſitam. Quapropter non eſt mirandum, Deum eorum, quæ per Prophetas & Servatorem docuit, ſemina indidiſſe omnium mortalium animis, ut in Divino Judicio ſit inexcuſabilis, habens mandatum Legis ſcriptum in ſuo corde.* Affirmat nullam, utique naturalis legis, ignorantiam eſſe innoxiam, ideoque nos per ipſam à peccato non excuſari. Et certè uti nulla concupiſcentia, ita nulla iſtiuſmodi ignorantia eſt invincibilis. Hinc uti quidquid per iſtam, ita quidquid per hanc fit, eſt omninò peccatum. Quiſquis contra ipſam docet, ſuadet, operatur, omninò delinquit. Nulla excuſat ſententia probabilis, nullus Canon, nullius Patris authoritas, nullius Præpoſiti mandatum.

Verùm his obſtant varia. Etenim ad ſanctum Ep. 15. cap. 2. Hieronymum ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Si ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non ſunt, te lædis magis quàm me. Quod abſit à moribus & ſancto Propoſito tuo, ut hoc facias voluntate lædendi, culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veridica eſſe ſcis non culpandum. Ac per hoc aut benevolo corde arguas, etiamſi caret delicto, quem arguendum putas; aut paterno affectu mulceas, quem adjicere nequeas. Poteſt enim fieri, ut tibi aliud videatur, quàm veritas habet, dum tamen abs te aliud non fiat, quàm charitas habet.* Affirmat reprehenſionem, quæ ex dogmatico circa Divinum jus errore procedit, poſſe ex charitate fieri, ideoque eſſe immunem ab omni peccato. Etenim charitas nec peccat, nec peccare poteſt. Et iſtud ipſum habet locum circa jus naturæ. Hinc idem Auguſtinus ſcribit in quarto de Baptiſmate contra Donatiſtas libro: *Quid quod etiam*

Cap. 11. *mirum eſt, quod accidere poſſe invenit, qui diligenter advertit, quoſdam ſalva charitate docere aliquid inutile, ſicut Petrus gentes cogebat judaizare, ſicut ipſe Cyprianus hæreticos denuò baptizari. Undè talibus bonis membris in charitate radicatis, & in aliquo non rectè ingredientibus, dicit Apoſtolus: Si quid aliter ſapitis, id quoque vobis Deus revelabit.* Rursùm agit de ignorantia circa jus Divinum. Et ſanctum Cyprianum, qui ex iſtiuſmodi errore operatus eſt, affirmat ſuiſſe in charitate radicatum, ideoque non peccaſſe. Quod iſtud ipſum de ſancto Petro dicit, non eſt probandum. Etenim Apoſtoli delictum non Prædicationis fuiſſe, ſed ſolius converſationis, abundè monſtratum eſt in Scholiis ad præſcriptiones Tertulliani. Idem Auguſtinus in libro de fide ac operibus affirmat illum, qui ex ſimili errore eſt lapſus in adulterinum conjugium, non poſſe repelli à Baptiſmo, ideoque ſupponit eſſe in actuali, quæ ad Sacramenti effectum ſufficiat, Dei & proximi charitate.

Nec deſunt ſimilia exempla circa jus naturæ. Etenim aut magnus Athanaſius aut magnus Baſilius, dum circa memorati ſuperiùs juramenti obligationem ſanxerunt, & obſervari juſſerunt contraria, impegit in jus naturæ. Quod præſertim verum eſt de magno Athanaſio. Etenim Dracontium Monachum contra propriam ipſius ſententiam compulit ad ſuſcipiendum Epiſcopatum. Admiſit ille Epiſcopatum parvæ Hermopolis. Lucet ex Athanaſii litteris ad Antiochenſes. Et quin omnes tres ex charitate egerint, non eſt dubitandum. Præſertim Dracontius. Egit enim juſſus ex obedientia. Quod ipſum videre eſt in probabilis dumtaxat juſtitiæ bello. Etenim in omnes ſuos Vaſallos ſtatuit olim magnus Imperator Carolus: *Placuit ut omnis, qui aut in expedi-* Lib. 6. *tionem exercitus abſque gravi neceſſitate non progre-* cap. 253. *ditur, aut de exercitu fugit, teſtimonio dignitatis ſuæ ſit irrevocabiliter carens, ità ut in quibuſdam villulis, ſeu territoriis, ſeu vicis, peſtis hujus inſamationis habitatores ipſorum locorum ſint degeneres, & teſtificandi & accuſandi nullam habeant licentiam.* Eos proſcribit ad infames peſtes. Eſt lex communis omnium Regnorum. Et quod etiam in probabilis juſtitiæ bello ſubditos adſtringat, eſt unanimis & certa doctrina. Etenim generatim cuicumque Superiori, circa probabilem naturalis etiam juris materiam jubenti, eſt omninò obtemperandum. Alioquin & Eccleſiam & Rempublicam implebimus contumacia, rebellione, violentia, diſcordia, ſcandalis. Et iſta obedientia omninò fit ex charitate, qua mandat Apoſtolus nos non dumtaxat Præpoſitis, ſed etiam Regibus obedire, ac ſubjacere.

Reſpon-

Reſpondeo traditam aſſertionem eſſe certiſſimam. Hæc omnia non obſtare. Etenim repeto ſuperiùs laudatam ſancti Auguſtini doctrinam, qui in primo ad ſanctum Bonifacium Pontificem libro affirmat peccata noſtra eſſe triplicia: alia per ignorantiam ſimul & concupiſcentiam, alia per ſolam ignorantiam. Et in alio ſcribit ejuſdem libri capite: *Hæc ſunt quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam vel ignorantiam illicitè ſunt, dicuntur, cogitantur. Peccata ſunt, ſive in concupiſcentiæ conſenſionibus, cum ab eo, quod libet, vincitur quod placet, ſive cùm per ignorantiam malum quaſi bonum placet. Fiunt autem operando, loquendo, cogitando.* Quod ipſum docet in libro de ſpiritu & littera. Docet omnem noſtram juſtitiam non eſſe aliud, quàm Dei & proximi plenam charitatem, atque ſubjungit: *Veruntamen qui hæc attendit, etiam illud attendat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non diſpliscere quod facimus, & poſteà per Scripturam ejus, ſive certa & perſpicua ratione commoniti, cùm didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoſcat. Plena humana vita eſt documentis talibus.* Peccatis ſolius ignorantiæ. Proindè hæc, licèt in aliquo deficientia, opera fiunt per charitatem. Etenim ubi non eſt cupiditas, non poteſt non eſſe charitas, hoc eſt recta & pia in Deum voluntas. Aliud eſt opus eſſe pravum ac peccatum, aliud in ipſo peccari. Peccare poſſumus etiam in bono opere. Eſt conſtantiſſima ſancti Auguſtini, magni Gregorii, ac aliorum Patrum doctrina. Nam & Divina Lex mandat, ut non aremus in bove & aſino. Et Dominus in Evangelio jubet, ut noſtra ſiniſtra neſciat quid faciat dextera. Eſt idem penitùs mandatum. Præcipit ut bonis & ſanctis per dexteram charitatem factis operibus nihil admiſceamus vanæ gloriæ, proprii commodi, aut cujuſcumque alterius ſiniſtræ cupiditatis. Et ex hac doctrina adverſùm noſtri temporis hæreticos
Seſſ. 6. Can. 25. definivit ſacra Tridentina Synodus: *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque idèò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.* Et in alio loco:
Cap. 13. *Conſtat eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri.* Damnat non illos qui dicunt juſtum in quibuſdam, ſed dumtaxat eos qui dicunt illum peccare venialiter in cunctis bonis operibus. Et rectè. Etenim, uti certum eſt nos non in omnibus, ita certum eſt nos in quibuſdam bonis operibus venialiter peccare. Et ita fit in peccatis ſolius ignorantiæ. Hæc, quoniam per charitatem fiunt, non poſſunt eſſe peccata mortalia; quia ex originali ignorantiæ vitio procedunt, non poſſunt non eſſe peccata. Et hinc hodierni Doctores, qui cenſent ad naturalis juris ignorantiam aut errorem non poſſe enaſci veram charitatem, inſignitèr labuntur. Et iſtud eſt palmare fundamentum contra ſententias probabiles.

Verùm his videtur ipſe Auguſtinus obſtare. Etenim in quinto contra Fauſtum libro demonſtrat nullum opus plenè bonum poſſe eſſe ſine vera charitate, & adjungit: *Finis Præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Unde ergò habere poteſtis veram charitatem ex fide ficta ſurgentem?* Quod ipſum docet in plurimis locis. Et eſt manifeſta doctrina Apoſtoli. Etenim juſtus ex fide vivit. Et quidquid non eſt ex fide, eſt peccatum. At verò omnis, licèt probabili ſententia fultus, circa naturæ legem error eſt fides ficta: ergò ex ipſo non poſſit naſci charitas, aut bona voluntas. Reſpondeo aliud eſſe, bonam voluntatem naſci ex errore, aliud ipſam naſci ad errorem. Aliud eſt vera & verè luminoſa, aliud perfectè luminoſa, ſeu ut in epiſtola ad Anaſtaſium ſanctus Auguſtinus loquitur, luminoſiſſima charitas. Quævis imperfecta, Ep. 144. immò & pleraque hujus vitæ perfecta charitas, uti quoſdam concupiſcentiæ aſſenſus, ita ſecum patitur quoſdam ignorantiæ errores & nævos. Etiam circa leges naturales. Etenim necdum eſt plena ex toto corde. Nec omnem voluntatem inflammat, nec omnem intellectum illuminat. Eadem eſt ratio fidei. Proindè licèt charitas naſci non poſſit niſi ex fide, attamen fides errores compatitur, atque ita licet non ex his, tamen ad ipſos poteſt vera charitas exoriri. Et per talem charitatem facta opera ſunt ſancta & bona, ita tamen ut in ipſis venialiter delinquamus. Cap. 5.

CAPUT X.

An per naturalis juris ignorantiam patrata opera ſint ſemper peccata mortalia?

Reſpondeo aliquando eſſe peccata mortalia. Etenim de Gentilibus diſertè ſcribit ad Romanos ſanctus Paulus: *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Utique in ſempiternas gehennas. Gentiles habent nudum ac inerme voluntatis arbitrium, nihil fidei aut charitatis habent, ideoque viget in illis hæc ſancti Auguſtini regula: *Ubi non eſt Dei charitas, regnat mundi cupiditas.* Omnia per mundi cupiditatem volunt illi & agunt, atque ita omnis eorum volitio in creaturis hæret, uti in ultimo fine. Hinc & omnes ipſorum Philoſophi ultimum finem in aliqua creatura, aut aliquibus creaturis fixerunt. Porrò uti Dei charitas luminoſiſſima, ita mundi cupiditas eſt tenebroſiſſima, ideoque omnis gentilium circa naturæ leges ignorantia & error fuerunt cæcitas mentis. Ignorantia fuit per adjunctum æternæ mortis reatum vivens originale peccatum, error fuit per iſtas pluſquam Ægyptiacas tenebras pœnalis ceſpitatio, lapſus, ac deviatio. Et ſupremus juſtitiæ Sol nullos in ipſas immiſit Divinæ charitatis radios. Hinc quidquid illi per errorem egerunt, egerunt etiam per cupiditatem: nulla ſolius ignorantiæ, ſed omnia ipſorum peccata fuerunt ignorantiæ ſimul & concupiſcentiæ, atque ita, licèt forſitan non in cunctis, certè in plurimis iſtiuſmodi operibus omninò mortaliter deliquerunt. Videatur Cardinalis Robertus Pullus. Quæ omnia ſunt vera etiam in perfidis Judæis, hæreticis, atque ſchiſmaticis. Nam & hi nihil habent charitatis. Si quid haberent, non lacerarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cap. 2. Part. 6. cap. 5.

Etiam

Etiam multa à fidelibus per naturalis juris ignorantiam patrata opera sunt omninò mortalia peccata. Infigniter hoc docet ſanctus Auguſtinus in undecimo per Pariſinos Doctores olim adjecto ſermone, agens de Tuto-Lymeni, cive Hipponenſi. Tutus-Lymeni, vir fidelis & gravis, neſcio cui Depoſitum neganti detulit juramentum, & hic pejeravit. Reliqua audiamus à ſancto Auguſtino: *Tutus-Lymeni ipſa nocte fuit exhibitus ad Judicem, & cum magno impetu atque terrore pervenit ad Præſidentem Excelſum quendam & admirabilem virum, cui parebat Officium ſimiliter Excelſorum. Fuit perturbatus rerò revocari, & interrogatus his verbis: quare provocaſti hominem ad jurationem, quem ſciebas falſum eſſe juraturum? Reſpondit ille: negavit mihi rem meam. Et reſpondſum eſt illi: & nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam iſtius hominis falſa juratione perimeres? Proſtratus juſſus eſt cædi. Cæſus eſt tam graviter, ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi, poſteaquam emendatus eſt: parcitur innocentiæ tuæ. De cætero cave ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, & emendatus eſt. Sed multò gravius peccatum faciet, qui poſt iſtum mcum ſermonem, & iſtam meam admonitionem, & exhortationem, tale quid fecerit.* Verba, *parcitur innocentiæ tuæ*, Edicunt Tutum-Lymeni peccaſſe ex ignorantia. Hæc verba: *Multò gravius peccatum faciet*, &c. Edicunt Hipponenſis populi plures fuiſſe in eodem errore. Et quid miri? Hodie quidam ita docent Doctores Scholaſtici. Verba, *Fecit ille magnum peccatum*, evincunt ipſum peccaſſe mortaliter. Cap. 5.

Eadem eſt ratio carnalium peccatorum. Non ſoli neſcio qui libidinoſi, ſed etiam neſcio qui Doctores Scholaſtici non ita olim crediderunt ac docuerunt ſimplicem de partium conſenſu fictam fornicationem non eſſe ex ſuo genere lethale peccatum. Etiam nuper quidam docuerunt ex carnali delectatione, dummodò ulterioris fœditatis abeſſet animus, fixum oſculum eſſe liberum à mortali reatu. Et quorumdam prima pubertas iſtud ipſum per ignorantiam cenſet de proprii corporis immunditia. Et qualia quidam hodie docent ac permittunt inter conjuges? Quæ omnia acriter damnavit Hincmarus Remenſis Epiſcopus in libris de divortio Regis Lotharii. Reliqua damnarunt Pius quintus, ac Alexander ſeptimus: naturale jus declaraunt. Quare cunctos, qui nunc ex iſtarum Apoſtolicarum Conſtitutionum ignorantia peccant, aut ante ipſas, licèt quorumdam Scholaſticorum ſententiam ſecuti, peccaverunt, firmus exiſtimo peccaſſe mortaliter. Iſtiuſmodi enim opiniones nec unquam fuerunt, nec poſſint eſſe veraciter probabiles. Iſtiuſmodi item actus fieri non poſſint per ſolam ignorantiam: omninò fiunt etiam per concupiſcentiam. Sanctus Auguſtinus hæc infigniter tradit in inchoata expoſitione ſuper epiſtolam ad Romanos: *Quid agimus de illis, qui cum Baptiſmi Sacramenta pueri vel infantes perceperunt, poſtea negligenter educati, per ignorantiæ tenebras vitam turpiſſimam ducunt, neſcientes omninò quid Chriſtiana diſciplina jubeat aut vetet; quid polliceatur, & quid minetur; quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum ſit. An audebimus peccata eorum propterea non ignorantiæ peccato deputare, quia baptizati peccaverunt, cùm omninò ignorantes, & omninò, quemadmodum dicitur, ubi caput habereut neſcientes, in magno errore peccaverint?* Agit in quoſdam adſerentes in baptizatis nulla poſſe eſſe peccata ignorantiæ. Et ipſos revincit per ignorantem impudicitiam quorumdam indiſciplinatè educatorum juvenculorum. Affirmat ipſam omninò procedere ex ignorantia, & tamen per cœnitentiæ Sacramentum debere deleri, ideoque eſſe peccata mortalia. Et certè iſtiuſmodi nebulunculi ſuis immunditiis quærunt latebras, erubeſcunt de ipſis, ideoque naturaliter vident eſſe turpia monſtra. Pleraque item alia contra naturæ legem flagitia atque facinora non poſſe hominem plenè latere, Auguſtinus ibidem demonſtrat ex hoc omnibus notiſſimo principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Generalia naturalis legis principia ſunt noſtris animabus naturaliter inſcripta: per peccatorum tenebras poſſunt obduci, non penitùs abradi. Hinc talis ignorantia, quia ſemper diſcendi ac proficiendi negligentiam involvit, nec firmat nec purgat à gravi lapſu.

Quod tamen peccata diminuat, conſtantiſſimè docet idem Auguſtinus. Etiam alii Patres: eſt res manifeſta. Quæſtio eſt, An hæc diminutio poſſit eſſe tanta, ut mortale ex ſuo genere delictum faciat eſſe veniale? Reſpondeo poſſe. Etenim firma eſt hæc per ſanctum Auguſtinum in libro de utilitate credendi tradita regula: *Nemini dubium eſt, omnes homines aut ſtultos eſſe aut ſapientes. Nunc autem ſapientes voco non cordatos & ingenioſos homines, ſed eos quibus ineſt, quanta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis Deique firmiſſimè præcepta cognitio, atque huic cognitioni vita moreſque congruentes. Cæteros autem, cujuſque modi artibus ineruditque adfecti ſint, qualibet vitio probandi ſive improbandi, ſtultorum in numero deputaverim. Quæ cum ita ſint, quis mediocriter intelligens non planè videat ſtultis utilius atque ſalubrius eſſe Præceptis obtemperare Sapientum, quàm ſuo judicio vitam degere?* Cap. 12. 15.

Per Sapientes intelligit Doctores. Stultos accipit pro omni plebe ac populo. Eandem regulam tradit in libris de Ordine. Affirmat alios per rationem, alios per auctoritatem duci ad veritatem, addit priores eſſe paucos in hac vita, ac pergit de poſterioribus: *Qui autem ſola auctoritate contenti, bonis tantùm moribus, rectiſque votis conſtanter operam dederint, aut contemnentes aut non valentes diſciplinis liberalibus atque optimis eruditi, beatos eos quidem, cum inter homines vivunt, neſcio quomodo appellem; tamen inconcuſsè credo, mox ut hoc corpus reliquerint, eos qui bene magis minuſvè vixerint, eò factilius aut difficilius liberari.* Auctoritatem, ex qua fidelis populus debeat vivere, affirmat eſſe duplicem: Divinam ac humanam. Et poſt expoſitam Divinæ auctoritatis irrefragabilitatem, proſequitur de humana: *Humana verò auctoritas plerumque fallit. In eis tamen jure videtur excellere, qui quantum imperitorum ſenſus capit, multa dat indicia doctrinarum ſuarum, & non vivunt aliter quàm vivendum eſſe præcipiunt. Quibus ſi aliqua etiam fortunæ munera acceſſerint, quorum apparcant uſu magni, contemptuque majo-* Lib. 2. cap. 9.

res, difficillimum omninò est, ut eis quisque vivendi Præcepta dantibus credens, rectè viveretur. Palam docet istiusmodi auctoritati datam sequelam ac obedientiam esse legitimam atque irreprehensibilem. At verò talis auctoritas sunt Romanorum Pontificum Rescripta, Diœcesanarum aut Provincialium Synodorum Constituta, Patriarcharum aut Exarchorum Edicta, magnorum Patrum Sanctitas, aliaque id genùs. Adduxi plura exempla. Proindè qui illis obedit, obedit per charitatem, adeoque non agit perperàm, nec graviter peccat.

Quæstio est de talia docentibus, constituentibus, rescribentibus. Quomodo non impingant in Domini verbum: *Qui solverit unum de Mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum?* Respondeo non impegisse. Etenim sanctum Cyprianum, sanctum Athanasium, sanctum Basilium, aliosque similes Christianæ Religionis Gigantes quis dicat esse in cœlesti Regno minimos, id est, non esse? Quis dicat prævaricatos aut solvisse Divinam legem? Aliud est ipsam solvere, aliud ab ipsa per hujus vitæ tenebras in aliquo deviare. Isti Patres sunt secuti regulam, quam inter magni Caroli Capitularia laudat Levita Benedictus: *In his quæ dubia vel obscura fuerint, id noverimus sequendum, quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum inventur adversum.* Recto & simplici corde crediderunt à se teneri hanc regulam. Apud gloriosum Martyrem Justinum exstant antiquæ quæstiones, quarum hæc est quarta: *Si viribus omnibus in hoc incubuerunt hæretici, ut doctrinarum cognoscerent ac retinerent veritatem, id autem adsequi non valuerunt, quomodo iniquum non est eos, qui vero hallucinantes excidevunt, pœnis subdere?* Et ipsarum Auctor respondet: *Tantùm abest ut hæretici viribus omnibus veritatem inquisierint, ut etiam per illos, qui eam invenerunt, ipsi demonstratam suscipere neque potuerint, neque sustinuerint. Ac si quidem vera esset hæc defensio, oporteret & ipsos ignoscere aliis aliis invicem lapsus, tanquam qui virium imbecillitate, non maligna mentis declinatione hæreses & Sectas instituerint, sibi ipsis & veritati repugnantes. Nunc autem pro eo quod alios de aliena sententia condemnant, manifestò constat, gloriæ captandæ, aut Hæresiarcharum, Sectarumque Principum adversùs alios propugnandorum studium, hæreses omnes, ut instituantur, causam habere. Quamobrem hæreseon Duces sunt lupi graves ab Apostolis nominati.* Non ex fœda humani diei cupiditate, sed ex casta Divinæ gloriæ dilectione laudati Patres quæfierunt veritatem. Nec damnatos ab Ecclesia hæreticos, sed sanctissimos suarum Ecclesiarum Fundatores aut Doctores censuerunt defendendos atque sequendos. Sanctus Cyprianus Agrippinum, sanctus Basilius sanctum Firmilianum, eorumque Synodos crediderunt non errasse, ideoque etiam noluerunt deferere. Quæsierunt per charitatem; sed quia plenum ejus lumen necdum acceperant, à recta linea nonnihil declinarunt. Fuerunt peccata folius ignorantiæ: hinc prævalens charitas illa cooperuit, ac fecit venialia. Ea carent omnes hæretici: hinc ipsorum errores sunt lethales. Præfatus Auctor prosequitur: *Quòd autem fieri nequeat, quin veritatem inveniat, qui toto eam corde, Dei implorata gratia, pro virili sua quærat, testatur Dominus dicens; quisquis petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Hinc quæstio est, An laudati Patres omnibus viribus non quæsiverint veritatem? Levita Benedictus magni Caroli Capitularibus inferuit & hanc regulam: *Non est temerè judicandum de his, qui ad Dominum migraverunt.* Hoc præfertim verum est de tantis Ecclesiæ Patribus. Quin implorata Dei gratia, & grandi studio veritatem quæsierint, non est dubitandum. Attamen notanda sunt istius Authoris verba: *Qui toto corde eam quærit.* Dominum Deum, adeoque & veritatem nemo hic ex toto corde diligit aut quærit. Hæc est futuræ vitæ gratia. Quare ipsam nec sancti Patres habuerunt. Hinc uti per concupiscentiam, ita & per ignorantiam venialia deliquerunt. Etenim non ad plebeos, sed ad Philippensis Ecclesiæ ac totius Achaicæ Provinciæ Episcopos scripsit sanctus Paulus: *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Suo tempore *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, in eadem permaneamus regula.* Fraternæ ac indivisæ charitatis & veritatis.

Lib. 7. cap. 4.

Lib. 7. cap. 52.

Hæc in duodecimo de sanctissima Trinitate libro insigniter confirmat sanctus Augustinus, scribens de viro perfecto: *Cum bona voluntate ad interiora & superiora percipienda, quæ non privatim, sed communiter ab omnibus, qui talia diligunt, sine ulla angustia vel invidia, casto possidentur complexu, vel sibi vel aliis consulit, etsi fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia & hoc temporaliter gerit, & modum agendi non tenet, quem debebat, humana tentatio est. Et magnum est hanc vitam sic degere, quam velut viam redeuntes carpimus, ut tentatio nos non apprehendat, nisi humana. Hoc enim peccatum extra corpus est, nec fornicationi deputatur, & propterea facilimè ignoscitur. Cùm verò propter adipiscenda ea, quæ per corpus sentiuntur, propter experiendi, vel excellendi, vel contrectandi cupiditatem, ut in his finem boni sui putat, aliquid agit, turpiter agit. Et fornicatur in corpus proprium peccans, & corporearum rerum fallacia simulacra introrsus rapiens, & vana meditatione componens, ut ei nec Divinum aliquid placeat, nisi tale videatur, privatim avara fœdatur erroribus, & privatim prodiga inanitur viribus: Nec ad tam turpem & miserabilem fornicationem semel ab exordio profiliret, sed ficus scriptum est, Qui modica spernit, paulatim decidet.*

Augustinus nequaquam agit de corporea fornicatione. Hæc enim fit per solam contrectandi libidinem. Per concupiscentiam carnis. Agit de fornicatione, quæ fit per libidinem contrectandi, experiendi, aut excellendi. Hoc est, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, aut superbiam vitæ. Agit de illa, quæ fit per quamvis libidinem. De cunctis peccatis per concupiscentiam, quæ boni finem ponit in concupita creatura. Et omne istud peccatum affirmat esse fornicationem. Non utique corporis cum corpore, sed animæ cum quavis creatura. Distinguit solius ignorantiæ peccata, & peccata concupiscentiæ. Ignorantiam affirmat esse duplicem: Aliam circa æterna, utique Divinam Ma-

jestatem, ac ejus æterna Mandata; aliam circa temporalia: qua quis *modum agendi non tenet, quem debebat*. Etiam is qui *vel sibi vel aliis consulit*, Palàm agit de naturalis juris ignorantia, juxta quod Doctor debet & proprias & alienas actiones dirigere. Et in illis, qui casto Dei amore ista quærunt & agere studeni, eam ignorantiam affirmat esse non fornicationem, sed humanam dumtaxat tentationem, quæ facillimè ignoscitur: hoc est, veniale peccatum. Ita quæsierunt atque errarunt quidam sancti Patres, & quædam ipsorum Synodi: hinc fornicati non sunt, sed humano more tentati,

Hoc ipsum in tertio libro de vita contemplativa docet venerabilis Julianus Pomerius: *Hi qui prudentiæ participatione prudentes effecti, Deo suo non pedibus, sed sanctis moribus appropinquant; ex ea parte, qua sunt dono Dei prudentes, nec suo perire possunt, nec aliene peccato. Ex eo autem, quod necdum ita est eorum perfecta prudentia, sicut in illa vita erit, ubi perfectè viventibus nullus error obrepere omninò poterit, etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus acquiescunt, non voluntate depravati, sed humano errore, ut homines, lapsi, nec adhuc tota prudentiæ ac sapientiæ perceptione perfecti, sicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare jam poterunt. Hic verò si potuisset à peccato rectè factum perfectè discerni, nunquam ab occultis suis graret ille mundari, qui ait; Ab occultis meis munda me.* Affirmat prudentiam seu sapientiam esse duplicem: perfectam ac imperfectam. Hujus vitæ omnem esse imperfectam, ideoque etiam in justis reperiri peccata ignorantiæ. Etiam solius ignorantiæ. Et hæc fieri non depravata voluntate. Proindè in ita peccantibus voluntas in Dominum Deum manet recta, ideoque libera à mortali peccato. Omnia adducta Patrum ac Synodorum testimonia palàm aguni de innocuo errore: fundato in veraciter probabili sententia. Absque fundamento ille non possit esse innocuus. Quare multas, quæ hodiè hinc indè traduntur, liberiores sententias, certum est esse noxias, & homines per ipsas non excusari à gravi peccato.

CAPUT XI.

An semper & ubique sit observanda hæc Regula: In dubiis pars tutior est eligenda?

HAc regula usus est apud Gregorii noni Decretalia ad titulum de homicidio Clemens tertius. Quidam Presbyter, dum famulum incondità castigat, incurrit periculum ac suspicionem casualis homicidii ex re illicita, ideoque & irregularitatis. Hinc consultus Pontifex rescripsit: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Ex eadem Regula ad similem facti speciem rescripsit Abbati Meldenbergensi Innocentius tertius: *Quod si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos. Et si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet. Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, proindè quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur.* Etiam Pelagio Presbytero, qui de occiso à se fui castri invasore Saraceno dubitabat, rescripsit Honorius tertius: *Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia remordet, ministerio Altaris abstineas reverenter, tùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Omnes tres Pontifices non fuadent, sed mandant observari Regulam, ideoque censent ipsam esse rigidè obligatoriam. Ex jure naturæ. Eadem regula usus fuit in libro de Fide & Operibus sanctus Augustinus, scribens de novis post abjectam adulteram nuptiis: *Quid opus est in tantum diffcrimen ambiguitatis caput mittere?* Sancti Augustini tempore quidam, licèt non Donatistæ, fed Catholici vellent fieri, malebant apud istos baptizari, ac dein ad hos transire. Nec deerat rationis fucus: *Illic accipere malui, ubi Baptismum Christi esse utrique confentiunt.* Etenim Catholici fatebantur apud Donatistas, hi negabant apud istos validè baptizari. Verùm sanctus Augustinus respondit: *Sed illic non rectè accipi illi, ad quos migraturus es, dicunt. Rectè verò illic accipi illi, à quibus migraturus es, dicunt. Illud itaque quod hi dicunt, quos pòsponis contradicentibus illis, quos ipse anteponis, aut falsum est, aut, ut mitius dicatur, incertum. Vera ergò falsis, aut incertis certa præpone. Illic enim, quò migraturus es, cùm alibi acceperis, rectè posse accipi quod desideras, non illi tantùm ad quos transiturus es, sed tu ipse qui transiturus es, confiteris. Si enim utrùm rectè illic accipi possit dubitares, etiam illuc transeundum esse dubitares. Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Affirmat incerta certis sine gravi peccato non posse anteponi, ideoque tutiorem partem oportere semper eligi. Et Spiritus sanctus dicit: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Cap. 12.

Cap. 18.

Cap. 24.

Cap. 19.

Lib. 1. de Bap. cap. 5.

Ex eadem Regula ad Stephani Tornacensis Episcopi de casuali per abortum homicidio relationem rescripsit Alexander tertius. Et Stephanus reposuit: *In dubiis, Pater sancte, benignorem & humaniorem sententiam sequi debere proclamant Jura, quæ semper ad absolvendum pronora sunt, quàm ad condemnandum. De manifestis autem, non de occultis dubiis solet Ecclesia judicare.* Apostolico Rescripto Stephanus obedivit. Presbyterum suspendit à ministerio, ac Romam misit, à Pontifice discutiendum, solvendum, aut alligandum. Et adjunxit istud suum judicium. De ista regula censuit duo. Primò, quòd eam quisque servare deberet in foro propriæ conscientiæ. Quòd casualis homicida deberet se apud Dominum Deum censere irregularem, & dispensationem petere saltem ad cautelam. Secundò censet, quòd in externo foro possit omnem irregularitatem abnegare, ac se gerere ut regularem. Et quòd Ecclesiæ Præpositi debeant istud ipsum sentire. Etenim jura sunt faciliora ad absolvendum, quàm ad damnandum. Nemo damnari possit, nisi convictus. Et convinci non potest, nisi per lucidas probationes. Quia Actore non probante absolvitur Reus. Stephanus censuit in externo foro non esse locum isti Regulæ. Et certè in-

Ep. 177.

tè inter magni Caroli Capitularia habemus etiam
Lib. 5. Cap. 160. hanc Regulam: *Placuit inter pares sententias, clementior semper severiori præferatur.*

Hæc quæstio quibusdam videtur nodosa. Famosa olim fuit quæstio, An quod vis, casuale præsertim, sine culpa patratum homicidium induceret irregularitatem? Quidam negaverunt. Hinc pro isto suo Presbytero scripsit Stephanus Tornacensis: *Voluntatem, non opus Dominum attendere, sancti Doctores scripserunt, dicentes peccatum usque adeò esse voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum.* Romana tamen Ecclesia constanter judicavit oppositum. Hinc non solummodò laudatus Stephanus istum suum Presbyterum, sed etiam sanctus Hildebertus Turonensis Archi-Episcopus suum, qui vitæ aggressorem occiderat, debuit Romam mittere discutiendum ac judicandum. Res ita manst usque ad Clementem quintum Pontificem, à quo accepimus hunc mitiorem Canonem: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Romana olim Ecclesia istam irregularitatem adeò extendit, ut Henrico tertio Anglorum Regi, necessaria belli adversùm Francos adjutoria postulanti, Cistercienses Abbates responderint: *Non licet nobis juvare quemquam ad bellum gerendum, per quod sanguis effunditur, præcipuè Christianus, ne juvantes ad hoc, propter horrorem sanguinis irregulares efficiamur.* Ita habes apud Matthæum Parisiensem. Responderunt ex communi tunc sensu Romanæ Ecclesiæ. Hinc illos, quibus aderat vel minima casualis etiam homicidii suspicio, eadem Ecclesia censebat irregulares. Etiam furiosos, dormientes, ac infantes. Et se fundabat in laudata Regula per tres suprà memoratos Pontifices.
Anno 1242.

Quare ipsa non est amplianda ad omnes nostras actiones. Moderanda est per laudatam magni Caroli Regulam. Notanda sunt ejus verba: *Inter pares sententias.* Hoc est, æquè probabiles, licèt altera sit tutior, sanctior, aut rigidior, possumus oppositam eligere. Quia nempè & hæc est tuta, ac sancta, quia immunis à periculo labendi mortaliter. Res manifesta est ex suprà adductis exemplis. Nec aliud censuit sanctus Augustinus. Egit juxta sua rectissima principia. Sententiam illam, quæ asserebat per adulterium solvi conjugale vinculum, falsam censuit, & modicè probabilem. Et rectè censuit. Hinc omnibus suasit, ne quis per novas nuptias se præcipitaret in periculum. Quod ipsum in libris de laicali Institutione fecit venerabilis Jonas Episcopus Aurelianensis: *Hoc igitur tantum nefas contra Præceptum Domini, & Salvatoris nostri* JESU *Christi, de dimittendis uxoribus & aliis ducendis, ideò inolevisse non dubium est; quoniam nefandi tanti criminis operatores severissima canonica censura, ut oportet, non pertelluntur.* Sanctus Augustinus fuit longè mitior. Istiusmodi matrimonia inchoari non penitùs vetuit, sed dumtaxat dissuasit; per bonam fidem contracta permisit impartiri Sacramentis Ecclesiæ. Eodem modo sanctus Cyprianus suum Rebaptismum, quòd secutum ac firmum crederet, omnibus suasit; oppositam tamen sententiam, licèt improbaret, non damnavit, nec removit à Catholica Sacramentorum Communione. Sententias, quas censebant pariter probabiles, censebant & pariter tutas: permittebant quemque in suo sensu abundare. Censebant utraque in parte vigere ac operari, quæ ista ignorantiæ peccata cooperit, Dei ac proximi charitatem.
Lib. 2. Cap. 13.

Aliud est probabilis sententia, aliud sententia dubia. De hac scribit idem Augustinus in litteris ad nobilem virum Publicolam: *Si quis dubitat de aliqua carne, utrùm immolatitia sit, & non est immolatitia, si eam tenuerit cogitationem, quòd immolatitia non sit, & ea vescatur, non utique peccat. Quia jam nec est, nec putatur immolatitia, etsi anteà putabatur.* Perstante dubio nullus possit operari. Hic verum est: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Tutior istic est eligenda sententia. Et in facti dubio, & in dubio juris. Et hæc sanctus Augustinus amplè confirmat in tertio libro contra Academicos. Horum enim vitium fuit ita hæsitare, & nihil definire. Audiamus quid in Commentario ad suprà adductum Clementis tertii Capitulum scribat Augustinus Barbosa: *In dubio facti homicidii, quando scilicet certum est irregularitatem esse jure inductam, ac dubium est, an hic in eum casum inciderit, in utroque foro censendus est quis irregularis, cum secùs sit in dubio juris. Multi existimant idem sentiendum esse in quolibet dubio facti, eò quòd ratio Pontificis, videlicet in dubio facti tutiorem partem amplectendam esse, in omni dubio locum habere videatur. Sed alii probabiliùs existimant tantummodo in dubio homicidii aliquem esse judicandum irregularem. Ex quibus infertur eum, qui dubitat, an aliquem mutilaverit, non teneri se tanquam irregularem gerere, si facta diligenti inquisitione adhuc dubitat, an mutilaverit. Non enim versatur in dubio facti homicidii, sed in dubio mutilationis, quæ non est propriè homicidium.* Et in Commentario ad adductum Honorii tertii capitulum scribit: *Intelligi debet de dubio practico. Et tunc non est consilium, sed verè Præceptum.* Affirmat tria. Primò quod ista regula locum non habeat, nisi in dubio facti homicidii. Secundò, quod extendi non possit ad omne factì dubium. Tertiò, quod dubium, ad quod ista regula possit extendi, esse debeat dubium practicum. Hoc est, dubium Academicum, quo homo se nequeat in ullam partem inflectere, atque ita hæret in bivio, & se projicit in fortuitum eventum. Sanè tum sub gravi peccato eligenda est via tutior. Quia qui amat istiusmodi periculum, non potest non in ipso perire.
Ep. 154

Et hic omninò fuit sensus etiam sancti Augustini. Sanè in isto, de quo ipse, dubio quis non videat eligendam esse viam tutiorem? Quod in probabili sententia id censeat non vincere, lucet ex libro de Fide & operibus, ubi docet illum, qui post dimissam adulterum bona fide contraxit novas nuptias, posse admitti ad Baptismum, adeoque etiam posse manere in parte minùs tuta. Quia & hæc est tuta. Sanctus Augustinus fuit largior circa dispares cultus conjugium. Quin ipsum naturalis lex vetet, nemo possit hodie dubitare. Dubitavit sanctus Augustinus. Et haud dubiè non solus. Ita non fuisset probabilis sen-

tentia. Qualiumcumque & quantorumcumque fuerit, fuit falsa, & minùs tuta. Et tamen ejus usum sanctus Augustinus liberè permisit. Nullum ejus sequacem vocavit vel in minimum dubium æternæ salutis. Etiam dubitavit de tertiis & quartis nuptiis, & ipsas tamen permisit liberè ambulare.

Insignem regulam habet in suis Capitularibus imperator Ludovicus Pius: *Quia, teste Apostolo, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda est, multò magis in Pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus Sacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secùs judicet, quàm quod in Canonibus sacris inveneris, aut quod illi secundùm Sanctarum Scripturarum auctoritatem & Ecclesiasticam consuetudinem rectiùs visum fuerit. Si ergo Medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptationem his quæ sanare cupiunt, cauterio aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multò magis his observandum est, qui non corporum, sed animarum Medici existunt.* Facere debent non semper quod est tutius, sed quod secundùm Divinas litteras, sacros Canones, ac Ecclesiasticam consuetudinem apparet rectiùs. Eandem Regulam probat in Secunda Secundæ sanctus Thomas: *Aliud est judicare de rebus, aliud de bonitibus. In judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa, sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si verè judicet; vel malum, si falsò. Quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius. Et ideò unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicat secundùm quod sunt.* Ut judicet quod sit verius, non quod tutius. Adulterinas nuptias solvere erat tutius quàm non solvere: & tamen plures tunc Patres censuerunt non esse solvendas, Etiam sanctus Augustinus, licet apud se sentiret posse ac debere solvi, permisit non solvi, quia judicavit esse rectius juxta vigentem tunc Ecclesiæ consuetudinem. Relicto tutiori, tutum permisit. Ob sententiam probabilem. Hæc licet non ab omni veniali cessitatione, tamen ab omni mortali lapsu est tuta ac secura. Hinc qui in ipsa simpliciter ambulat, ambulat confidenter, securus de vita æterna. Omnem cessitationem quis in hujus mundi tenebris valeat evadere? Nec justissimus, ac in charitate perfectus. Adversùm pendentes, *Illumina tenebras meas*, adversùm incursos assiduè clamamus. *Dimitte nobis debita nostra.*

Addit. 3. cap. 32.

Quòd probabilis sententia nos purgeat à mortali lapsu, evincit ipsa vox, *Probabile*. Ejus expositio docebit plura. Post Constantinopolitanam Synodum magnus Imperator Theodosius per omnem Orientalem Ecclesiam certos Episcopos fixit in Catholicæ Communionis radices. Et dixit: *Ex Communione & consortio probabilium Episcoporum.* Hoc est, omni exceptione majorum. Exstat lex, ad Auxonium Asiæ Pro Consulem scripta, in Theodosiano Codice ad titulum de fide Catholica. In lege ad Palladium Prætorio Præfectum Theodosius junior Clericalem statum appellat *probabilem sæculi disciplinam.* Hoc est, cui nemo possit aut debeat detrahere.

Cap. 3.

Cap. 4.

Est sub titulo de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis. In lege ad Julianum Asiæ Pro-Consulem Valentinianus primus de Scenicarum filiabus, quæ se rectè gesserint, sancit: *Ut probabiles habeantur.* Id est, immunes ab omni nota infamiæ. Est sub titulo de Scenicis. In lege ad Messalam Prætorio Præfectum Imperator Honorius scribit contra certum genus litigantium: *Nec repetendæ actionis, etiamsi ei vel probabilis negotii merita suffragentur, habeat facultatem.* Antiquus Interpres exponit: *Boni meriti negotium.* Est ad titulum de his qui Potentum nomina in lite prætendunt. In lege ad Bassum Prætorio Præfectum Theodosius secundus mandat, ut elogio, sub quo Parentes possint filium exhæredare, suffragentur *probabilia & manifesta documenta.* Hoc est, documenta seu cautæ quæ per leges probentur. Est sub titulo de Judæis, Cælicolis, ac Samaritanis. In lege ad Claudium Asiæ Pro-Consulem primus Valentinianus vetat ad sacras suas aures deferri, nisi *desiderata probabilia.* In lege ad Provinciales Imperator Gratianus exponit: *Quæ probabiliter Principibus adferantur.* Hoc est, quæ sufficiantur rationibus, ob quas à Principe mereantur exaudiri. In lege ad Mamertinum Prætorio Præfectum idem Imperator laudat *probabilem cunctationem.* Utique cunctationem Præfecti ad preces Provincialium. Hoc est, cunctationem quæ sufficiatur legitimis fundamentis. Proindè etiam probabilis sententia est omni exceptione major, est talis cui nullus possit ex fundamento detrahere, est immunis à laxitatis nota, est boni meriti, est sulcita firmis anchoris, apud supremæ Majestatis Principem est probabile humanæ infirmitatis desiderium, ac istic probabiliter asseritur. Est sulcita auctoritate sacrarum Literarum, sacrorum Canonum, sanctorum Patrum, aut aliorum summorum in Ecclesia virorum. Quia nempè servare studet hoc suprà laudatum magni Caroli Capitulum: *In his quæ dubia vel obscura fuerint, id noverimus sequendum, quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum inventur adversum.* Hæc omnia altè clamant ipsam esse viam securam & tutam. Nempè à lapsu extra vitam æternam. Tres postremæ leges exstant ad titulum de Legatis & Decretis legationum.

Cap. 1.

Cap. 28.

Lib. 7. cap. 40.

Cap. 3. 6. 9.

CAPUT XII.

Demonstratur quod inter probabiles sententias vera quandoque videatur, immò & sit minùs tuta.

SAncti Augustini sententia, quæ injustum vitæ aggressorem negat posse occidi, est opposita Angelici Doctoris opinione omninò tutior. Etiam sententia, quæ Reum per allegata & probata convictum ad mortem, quem ex privata scientia Judex novit innocentem, negat posse damnari, est palàm tutior sua adversaria. Eadem est ratio de quibusdam hujusmodi aliis sancti Thomæ assertionibus. Et tamen Alexander septimus etiam has declaravit tutissimas. Porrò de Romanorum Pontificum dogmaticis judiciis atque Rescriptis olim dixit noster sanctissimus Apostolus atque Martyr Bonifacius: *Reve-*

rà

rà tanta reverentia apicem Apostolicæ Sedis omnes susceperunt, ut nonnullam sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore Præcessoris ejus, quàm à sacris Paginis & paternis Traditionibus expectant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem & ipsi remittant aut intendant. Proindè qui tantæ authoritatis judicio munitas Angelici Doctoris sententias probant, & juxta ipsas operantur, quis dicat amare periculum, aut posse in ipso perire? Si à naturalium legum tramite devient, est venialis deviatio.

Et quandoque fit, ut falsa inter probabiles sententia humano judicio videatur tutior. Certè & sanctus Cyprianus, & omnes ipsi consonantes Episcopi constanter de suo errore ita censuerunt. Nec fine coloribus. Etenim antiqua Ecclesiæ regula habet: *Placuit ut infantes, quando non invenimuntur certissimi testes, qui eos sine dubitatione baptizatos esse testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo legitimo baptizari. Quoniam quod non offenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.* Hoc ipsum, quod nos de facti dubio, illi censuerunt de dubio juris, atque ita in hæresi baptizatos crediderunt tutiùs rebaptizari. Ex eodem principio Francorum olim Episcopi sanctus, quos Chor-Episcopi confirmaverant, aut sacris Ordinibus initiniverant, duxerunt denuò initiandos. Existimarunt esse tutius. Ex eadem regula operati sunt, qui reordinarunt Ordinatos à Simoniacis. Et his quidam Romani Pontifices, istis Leo tertius fuit suffragatus. Etiam hodiè illi, qui nullum pœnitentiæ ignum dare valentibus infirmis impendunt Sacramentalem Reconciliationem, existimant suam sententiam esse tutiorem. Et sanè tutiùs est æternæ hominis saluti prospicere, quàm plenæ reverentiæ Sacramenti. Et tamen hi fortiùs errant non minus, quàm sanctus Cyprianus. Et certum est Simoniacorum Reordinatores pariter errasse. Quod ipsum apparet de Adversariis Chor-Episcoporum. Etenim caduco fuerunt nixi fundamento: quòd nempè Episcopi confectatio, nisi à tribus fiat Episcopis, sit irrita. Et sanctus Nicolaus primus Leonis tertii judicium circumduxit. Proindè licèt omnis & sola sententia vera sit veraciter ac plenè tuta, tamen illa, quæ inter probabiles humanis oculis videtur tutior, non est semper viciniorvero, ideoque nec semper eligenda.

Est antiqua quæstio: an quis non baptizatus potsit validè baptizare? Ea de re scribit in secundo contra Parmenianum libro sanctus Augustinus: *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab jis, qui numquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari. Nec aliquid indè temerè affirmandum est sine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Et Compendiensis, sub Pippini regno celebrata, Synodus edixit: *Si quis baptizatus est à Presbytero non baptizato, & sanctæ Trinitas in ipso Baptismo invocata fuerit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit. Impositione tamen manuum Episcopi indiget. Georgius Episcopus Romanus, & Joannes Sacellarius sic censuerunt.* Legati in Franciam à Paulo Papa primo sic non jusserunt, sed senserunt. Quòd nempè fuisset solius Sergii Re-

Cap. 13.

Cap. 9.

scriptum, non Decretum Apostolicæ Sedis. Hinc sanctus Jvo in suo Decreto habet hunc Canonem: *Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati rebaptizari. Et ipse non ordinetur.* Hoc est, sit irregularis. *Sed Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam credit Baptismi, licèt Paganus sit qui baptizat.* Eumdem Canonem suo Decreto inseruit Monachus Gratianus. Sensus est: licèt Romanus Pontifex aliud sentiat. Est Gallicanus Canon. Ediert aliud tunc sensisse Italicam, aliud Ecclesiam Gallicanam. Et Francorum Episcopi manserunt firmi in sua consuetudine. Etenim ediderunt hos posteriores Canones, quibus in sua Capitularia relatis magnus Imperator Carolus addidit vim legis, ac plenam executionem: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, & ordinetur iterùm, & omnes quos prius baptizavit.* Utique iterùm baptizentur. *Præcipimus ut qui à Paganis baptizati sunt, denuò à Christi Sacerdotibus in nomine sanctæ Trinitatis baptizentur. Quod hi qui dubitant, utrùm sint baptizati, an non, vel à Presbytero Dux mactanti, vel immolatitiis carnibus vescenti, fuerint baptizati, ut baptizentur, præceptum est.* Tutioris semper sententiæ eligendæ cura Majores nostros ita circumscripsit ac seduxit. Circumscribere illuduit etiam Bulgaros, inferentes ad Apostolicam Sedem: *A quodam Judæo, nescitis Christiano, an Pagano, insultos in patria vestra baptizatos esse asserunt. Et quid de his sit agendum consulitis.* Hæsebant an essent rebaptizandi. Verùm sanctus Papa Nicolaus intercessit hac Rescripto: *Ut profectò, si in Christi nomine baptizati sint, constat eos non esse denuò baptizandos.* Rescripsit ex Rescripto Sergii primi, & antiqua consuetudine Romanæ Ecclesiæ. Omnibus istis & Francis & Bulgaris Rebaptismus videbatur esse via tecurior: & tamen non erat.

Quinimmò vera inter probabiles sententia quandoque non dumtaxat videtur humano judicio, sed etiam ve acier est minùs tuta. Hinc Regula, *In dubio tutior pars est eligenda*, si non dumtaxat in suspensis dubiis, sed etiam in probabilibus judicis virtutem obtineat, cogit nos iniquiter deviare. Sententia vera non potest non esse tuta, potest tamen esse minùs tuta. Etenim magni Basilii, sancti Gregorii Nazianzeni, & totius Orientalis Ecclesiæ sententia, quæ quartas nuptias censuit esse belluinam vitam, fuit omnino falsa, & tamen adversa & vera Occidentalis Ecclesiæ sententia fuit palàm tutior. Quis enim non videt pendente isto dubio esse tutius abstinere à quartis nuptiis, quàm ipsas inire? Ipsas ineundo peccari potest, abstinendo non potest. Certè illius Regulæ Assertores cogunter profiteri, quod usque ad Lugdunensem Synodum aut ipsi vicina fœcula omnis Latina Christianitas hæserit in communi mortali peccato. Quæ omnia militant etiam circa tertias nuptias. Nam & has, licèt non ad portos proscripserit, graviter tamen damnavit omnis Orbens. Et ipsarum justitiam non plenè perspexit sanctus Augustinus. De ipsa formidavit. Quare omninò erat tutius ab ipsis abstinere.

Famosa item est quæstio, An prægnante uxore uti

Parte 1. cap. 294.

Causa 1. q. 1. cap. 59.

Lib. 6. cap. 93.

Lib. 7. cap. 1317. & 1320.

Ep. 71. cap. 140.

re uti sit mortale peccatum? Esse veniale peccatum docet copiosiùs sanctus Augustinus. Sanctissimus Hieronymus, & alii Patres. Et Latini & Græci. Hac de re non est dubitandum. Quæstio est de mortali peccato. Et pars affirmativa est multùm probabilis. Etenim in secundo Christiani Pædagogi libro sanctus Clemens Alexandrinus exoritur hoc è Moyse facti Philosophi Dictum: *Non est in petris aut lapidibus seminandum*. Philosophus hic est Plato, sub ista allegoria affirmans etiam hominibus non esse seminandum, nisi ubi semina possint radicari & germinare. Sanctus Clemens exponit: *Semen generationi degenerat, ineptumque redditur, si matricis sulcis privetur. Neque verò ullum unquam Moyses induxit veterum Hebræorum, cognitum cum suo uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea utatur etiam in conjugio, est præter leges, & injusta & aliena à ratione. Rursùs autem Moyses abduxit viros à prægnantibus, quousque peperierint. Reverè enim matrix sub vesica quidem collocata, super intestinum autem, quod rectum appellatur, posita extendit collum inter humeros in vesica, & os colli, in quod venit semen, implerum occludit, rursusque laxatur, partu purgato. Fructu autem deposito, deinde semen suscipit. Neque verò nobis turpe est, ad Autorum utilitatem nominare partes, in quibus fit fœtus conceptio: quæ quidem Deum fabricare non paduit. Matrix itaque fœtus filiorum procreationem, semen suscipit, probrosumque & vituperandum negat congressum, post satisionem ore clausio jam omnino excludens libidinem. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis versabantur complexibus, intrò convertit, in procreatione sobolis occupatæ, operantur unà cum Opifice. Nefas ist ergò operantem jam naturam adhuc molestia afficere, superflua ad petulantem prorumpendo libidinem.* Hunc congressum affirmat esse probrosum, vituperandum, nefarium, petulantem, non dumtaxat à Moyse vetitum, sed insuper à Platone. Quæ omnia sunt manifesta elogia solius mortalis peccati. Et sanè ille congressus nihil operari potest, nisi operantem vexate naturam, profundere humanum semen, & per ipsum matrix corpora maculare. Hinc Clemens pergit: *Ei soli, qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, fovere permissum est, quando tempus sementem admittit*. Etiam in tertio Stromatum libro scribit: *Veterum neminem ex Scriptura ostenderis, qui cum prægnante habuerit commercium, sed postquam uterum gestavit, & postquam editum fœtum à lacte depulit, rursum à vitis cognitas fuisse uxores*. Denuò adjungit ita juberi non dumtaxat à Moyse, sed etiam à melioribus Gentilium Philosophis, adeoque & ab ipsis legibus naturæ.

Ejusdem sententiæ videtur esse in commentario prioris ad Corinthios epistolæ Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Si causa creandorum filiorum ducitur uxor, non multum temporis concessum videtur ad ipsum usum. Quia & dies festi, & dies Processionis, & ipsa ratio conceptus & partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant*. Cap. 7. Affirmat Mosaicam legem, quæ à prægnante atque puerpera mandabat contineri, etiam à Christianis servandam. Et inter sancti Augustini de tempore sermones quidam hæc declamat. *Reverà, Fratres, si animalia sine intellectu non se continguntur, nisi certo & legitimo tempore, quantò magis homines, qui ad Dei imaginem facti sunt, hoc observare deberent? Sed quod pejus est, sunt aliqui ita luxuriosi vel ebriosi, qui aliquoties nec prægnantibus uxoribus parcunt. Et ideò si se non emendaverint, ipsi videant si non pejores animalibus judicandi sint*. Non est sancti Augustini sermo, sed cujusdam Gallicani Episcopi. Et hi omnes docuerunt ex communi sententia suarum Ecclesiarum. Nam istud ipsum docere videtur in secundo libro de Laicali Institutione Venerabilis Jonas Episcopus Aurelianensis. Septimum caput est *contra eos, qui à coitu uxorum prægnantium se minimè abstinere debere contendunt*. Hæc omnia demonstrant hanc sententiam esse infinitèr probabilem. Et est manifestior. Ergò si inter probabiles hæc sit semper eligenda, ista Alexandrini Clementis sententia etiamnum omnes obligat: & quisquis mitiorem sancti Augustini sententiam fuerit secutus, peccabit mortaliter.

Laudatus Aurelix Episcopus suæ conclusioni addit hanc moderationem: *Cerè qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitetur saltem pecudes. Et postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios: nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos*. Affirmat prægnanti, saltem dum fœtus vivere ac matures cere incipit, esse parcendum. Et hoc ut non perdant filios. Meminerint se non fornicarios amatores esse, sed maritos & Patres. Quæ omnia palàm important obligationem sub gravi peccato. Hinc & antiqui Hibernorum Canones habent ad titulum de temporibus, in quibus contineri se debent conjugati: *In illis diebus, quibus uxor prægnans, hoc est, à die quo filius in ejus utero motum fecerit, usque ad partus sui diem*. Et hanc moderationem existimo certissimam. Existimo à tali corpore esse omninò sub gravi peccato abstinendum. Sanctus Clemens Alexandrinus extendit ad quævis à conceptu tempora. Existimat conjugale commercium nunquam licere, nisi addit prolis bonum, seu spes fructificandi. Libidinem, quam ista spes comitatur & purgat, venialem; omnem ab ista spe destitutam censet esse damnabilem. Est sententia infinitèr probabilis, ac palàm & longè tutior. Et opposita, licèt sanctus Augustinus opinetur ipsam esse Apostoli, non est nisi probabilis. Proindè si tutior sit semper sequenda sub mortali peccato, Augustinianæ erit penitùs renuntiandum. Portò sanctus Augustinus suam sententiam abundè exponit in tertio libro contra Julianum, ac in libro Cap. 21. de bono conjugali.

Antiqua item quæstio est, An effœti ac alii steriles possint inire validum ac legitimum conjugium? Laudatus Alexandrinæ Ecclesiæ Doctor Clemens in laudato Christiani Pædagogi libro constanter negat: *Cæterùm introducatur quidem & admittatur matrimonium. Vult enim Dominus humanum genus repleri. Sed non dicit: Effote libidinosi. Nec vot tanquam ad coitum natos voluit dedere voluptati. Pudore autem nos affecerit Pædagogus clamans per Ezechielem*. Circumcidamini fornicationem vestram. *Etiam rationis expertia animalia habent aliquod tempus opportunum ad seminandum.*

Serm. 4.24

nandum. Coire autem non ad liberorum procreationem eſt facere injuriam naturæ, qua quidem oportet magiſtra, quas prudenter introducit, temporis commoditates diligenter obſervare. Senectutem, inquam, & puerilem ætatem. His enim nondum conceſſit, illos autem non vult amplius uxores ducere. Quia nempè deinceps non ad fructum, ſed dumtaxat ad libidinem poſſint ſeminare. Sunt ſimiles ſiedo ſeni, de quo ſanctus Auguſtinus in tertio
Cap. 11. libro contra Julianum: *Cùm hoc opus in manibus haberem, annuntiatus eſt nobis ſenex octoginta & quatuor agens annos, qui religioſè cum conjuge religioſa jam viginti quinque annis vixerat continenter, ad libidinem ſibi emiſſe lyriſtiam.* Clementis ſententiam docent & alii Patres. Et firmè ſequitur ex priori ejus ſententia. Hinc etiam eſt infigniter probabilis. Nam & antiquæ Gentilium Romanorum leges non permittunt ſcribi matrimoniales tabulas, niſi ad cauſam procreandorum liberorum. Attamen & hodierna & antiqua plurium Eccleſiaræ praxis adverſatur. Praxis Romanæ Eccleſiæ, ac omnis Latinæ. Etiam effœtos admittit ad matrimonium: ad remedium incontinentiæ. Proindè ſi tutior pars ſit ſemper eligenda, renuntiandum eſt huic conſuetudini, & omnem Eccleſiam accedere oportet ad ſententiam ſancti Clementis Alexandrini. Iſta igitur regula eſt omninò vera: at non in veraciter probabili ſententia, ſed in ſuſpenſo, ſeu practico dubio.

Et hoc ipſum in octavo Quodlibeto tradit Doctor Angelicus. Proponit hanc quæſtionem:
Quodlib. 8. Art. 13. *An ille, qui habet plures Præbendas, peccet ex hoc ipſo, quòd opiniones Magiſtrorum ſint in contrarium?* Et pro parte affirmativa ponit hoc argumentum: *Quicumque committit ſe diſcrimini in his quæ ſunt ad ſalutem, peccat, ſed iſte committit ſe diſcrimini, ut videtur, cùm faciat contra multorum Peritorum ſententiam. Ergò videtur quòd peccet.* Affirmat peccari duobus modis: peccando contra legem Divinam, & peccando contra conſcientiam. Exponit utrumque modum, atque concludit: *Dicendum eſt ergò, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, alteram falſam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpotè habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Sic enim contra legem Dei facit. Aut illa optio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod verè licet habere plures Præbendas. Et tunc diſtinguendum eſt. Quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat, contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem. Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem. Sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum. Et ſic, ſi manente tali dubitatione plures Præbendas habet, periculo ſe committit: & ſic procul dubio peccat. Utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur: & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.* Agit non de formidine, quæ omni opinioni intrinſeca per ſolam ſcientiam aut Divinam fidem excluditur, ſed de dubio practico atque ſuſpenſo. Agit de dubio, ex quo quis, licèt ſecundùm legem, tamen contra conſcientiam agit, uti ille qui levari feſtucam cenſet eſſe peccatum. Agit de dubitatione, quæ priorem evertat certitudinem, atque ita conſcientiam faciat nutare. Etenim uti ſanctus Auguſtinus, ita & ſanctus Thomas de pluribus, quas docuit, veritatibus non habuit certitudinem, nec ideò ſe expoſuit periculo, aut graviter deliquit. Ego ſanè ſanctum Auguſtinum, dum per adulterium non ſolvi conjugale vinculum, & dum diſparis cultus conjugia docuit vetita, & quartas admiſit nuptias, & tamen oppoſitas non improbavit aut damnavit ſententias, adeoque de ſua veritate non fuit certus, firmus credo graviter non deliquiſſe. Quin dici poſſet nec deliquiſſe venialiter. Eadem eſt ratio Synodorum & Patrum, quorum hucuſque adduxi teſtimonia.

Sancti Thomæ locus eſt elucidandus. Affirmat illos qui Scholaſticorum Doctorum opinione fulti plures Præbendas tenebant ſine ſcrupulo, ſi quidem illa opinio deviaverit, mortaliter peccaſſe. Quia licèt non contra conſcientiam, agebant tamen contra Divinam legem. Videtur aſſerere, quòd nulla ignorantia, nulla probabilis ſententia ab iſta lege excuſet. Reſpondeo ſanctum Thomam eſſe ab his alienitimum. Dominus Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Occidentalis Eccleſiæ hiſtoria exponit ſui ſæculi vitia, atque ita tranſit etiam ad vitia ſcholæ Pariſienſis. Exponit ſcandaloſam ſtudentium vitam, atque
Cap. 7. pergit ad Magiſtros noſtros: *Theologiæ Doctores, ſupra Cathedram Moyſi ſedentes, ſcientia inflabat, quos charitas non ædificabat. Docentes enim, & non facientes, ſacti ſunt velut æs ſonans, & cymbalum tinniens, & velut canale lapideum, quod ſicum in ſe remanenti mittit aquas in areas aromatum. Non ſolùm autem ſibi invidebant, & aliorum Scholares blanditiis attrahebant, gloriam propriam quærentes, de fructu autem animarum non curantes, ſed illud Apoſtolicum auribus non ſurdis attendentes.* Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, *præbendas ſibi multiplicabant, & venabantur dignitates.* Eadem de re in compendioſa ſancti Prophetæ Job expoſitione ſcribit Petrus Bleſenſis: *Quid videtur de Clericis, qui infinitas animas in cura ſuſciplunt, & de illarum ſalute non curant? Plerique ſunt, qui non dicam animarum, de quibus reſpondere tenentur in die tremendi judicii, ſed vix Eccleſiarum ſuarum numerum cognoverunt. Adjungunt Eccleſiæ Eccleſiæ, præbendam præbendæ, domum domui, agrum agro.* Similia, immò & graviora habent alii iſtorum temporum authentici Scriptores. Alexander tertius ac Innocentius tertius iſta damnarant in ſuis Lateranenſibus ac numeroſiſſimis Synodis. Et ipſorum Canones Gregorius nonus inſeruerat ſuo Decretalium Codici. At Magiſtrorum quoſdam non permoverant. Pergebant hi defendere beneficiorum pluralitatem, cæci cæcos ducere in infernalem ſoveam. Ipſorum doctrina non erat probabilis ſententia, ſed contumax pravæ mentis cæcitas. Hinc ſanctus Thomas ſcripſit per iſtas opiniones excuſari neminem, ſed omnem ſequacem impingere in Divinam legem. Et reQ. 21. ctiſſimè ſcripſit. Theodorus Balſamon in Canonicis

nicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Responsis demonstrat istam pluralitatem non soli Evangelio adversari, sed insuper naturæ legibus. Sanctus Thomas Quodlibeta scripsit juvenis. Hinc ne Magistros nostros offenderet, sub disjunctione locutus est: *Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, &c.*

CAPUT XIII.

Resolvuntur aliquot quæstiones.

Lactantius Firmianus scribit omnem Gentilium Philosophiam fuisse non certam scientiam, sed incertas opiniones, atque concludit:

Lib. 3. cap. 13. *Sciant igitur errare se, qui Philosophiam putant esse scientiam. Non trahantur auctoritate cujusquam, sed veritati potius faveant & assentiant. Nullus hic temeritati locus est. In æternum stultitiæ pœna subiturus est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Addit omnem hominem esse inanem atque mendacem, ideoque nemini credendum. Quod ipsum scribit atque exaggerat in plurimis locis. Hinc prima quæstio est, An hæc ejus doctrina exantlaverit omnem probabilem sententiam, adeò ut nec inter probabiles probabilitlimam, si falsa fuerit, possimus sequi citra peccatum mortale? Quidam affirmant. Respondeo quod pessimè. Etenim Lactantius invadit gentilem de Christiana Religione sententiam, de qua

Cap. 46. scribit in Apologetico libro Tertullianus: *Sed in terris inveritabilitas, dum de bono Sectæ hujus obducitur, quod usu jam & de commercio innotuit, non utique Divinum negotium existimat, sed magis Philosophiæ genus. Eadem, inquit, & Philosophi nonnunt atque profitentur: innocentiam, justitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam.* Hinc factum est, quod in Tractatibus super sancti Joannis Evangelium scribit beatus Augustinus: *Dicant ergò Pagani, Benè vivamus, Si per ostium non intrant, quid poteſt eis undè glorientur?* Demonstrat Christianam fidem esse unicam salutis viam, atque prosequitur: *Quærunt ergò plerumque tales homines etiam persuadere hominibus, ut Christiani non sint. Per alium partem volunt adfcendere, rapere, & occidere. Fuerunt ergo quidam Philosophi de virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam luculentis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere audierunt hominibus: nos sequimini, Sectam nostram tenete si vultis beatè vivere.* Christianam Religionem credebant esse novum humanæ Philosophiæ genus, ideoque vetustis generibus non prævalere. Hunc pessimum errorem invadit Lactantius. Affirmat Christianam Religionem esse Divinam sapientiam, non humanam opinionem: esse certissimam atque unicam veræ justitiæ ac sempiternæ vitæ viam, ideoque ab omnibus renuntiandum cunctis Philosophorum opinionibus ac Sectis, & hanc amplectendam. Adjungit omnes contumaces ab inani persona aut falsa opinione decipi, ideoque & expectari ab æterna pœna stultitiæ. Proindè per inanes personas intelligit Gentiles variarum opinionum auctores Philosophos, non Christianas integrarum Provinciarum aut Diœceseon Ecclesias, non ipsarum Synodos, non omnem Occidentalem aut Orientalem Christianitatem, non sanctum Athanasium, non sanctum Basilium, non sanctum Cyprianum, aut similes Heroes atque Gigantes Catholici dogmatis. Præfata magni Athanasii de juramento sententia videtur deviasse. Si igitur hunc errorem sequi nemo possit sine reatu æternæ mortis, sanctus Athanasius non solummodo semetipsum, sed etiam sanctum Dracontium demersit ad inferos. Etiam suam Synodum, quæ adjuvit edi istum Canonem. Si vera fit ista regula, quotquot olim ex variis causis solverunt conjugale vinculum, & non egerunt pœnitentiam, non possunt apud inferos jam non ardere. Ac præsertim Episcopi, qui talia sanxerunt, permiserunt, approbarunt; quinimmò tota Orientalis Ecclesia, quæ tertias, ac præsertim quartas damnavit nuptias, ac ex ista sententia justit vivere suum populum, hæsit in assiduis peccatis mortalibus. Quare etiam sanctus Clemens Alexandrinus, sanctus Athenagoras, sanctus Basilius, sanctus Gregorius Nazianzenus, aliique nostræ Religionis Principes, qui ad ista adegerunt populum, & de ista doctrina nequaquam pœnituerunt, imò in numero illorum, de quibus dicitur: *Laudantur ubi non sunt, torquentur ubi sunt.* Absint, absint hæc omnia. Illi Patres, illæ Synodi, illæ Ecclesiæ sunt secutæ Apostolicam regulam: *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiemus. Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, in eadem permanemus regula.* In fraterna charitate, ex qua ad istam erroneam Synodum dixit pacificus Cyprianus: *Proferamus singuli quid sentiamus, nemineni judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diverſum senſerit, amoventes.*

Ad Phi. lip. 3.

Secunda quæstio est, An ille, qui veram, at non certam, ideoque dumtaxat probabilem sententiam sequitur, peccet? Quidam affirmant. Et favere videtur in libro de Anima Tertullianus:

Cap. 23. *Planè non negabimus aliquando Philosophos juxta nostra senſiſſe. Testimonium est veritatis etiam evenius ipsius. Nonnumquam & in procella, confusis ventilgiis cæli & freti, aliquis portus ostenditur, prospero errore. Nonnumquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur, cæca felicitate.* Consonat in primo Stromatum libro sanctus Clemens Alexandrinus: *Jam illud quoque conſidere-*

Fol. 288. *mus, an quando rectè vivunt qui nesciunt benè facere, accidit enim ut benè faciant. Nonnulli autem per intelligentiam ad veritatis verbum ſeruntur tanquam ad ſcopum. Abraham autem non ex operibus juſtificatus est, ſed ex fide. Nihil ergò est poſt vitæ finem proderit, etiamſi nunc rectè operentur, niſi fidem habeant.* Recta Gentilium Dogmata ac opera utrique Doctor affirmat non esse plenè recta, eò quòd non fiant ex firma scientia. Respondeo hæc non habere locum in fidelibus. Etenim de his dictum est: *Spiritus sanctus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis.* Quare illi non prospero, ad instar fluctuabundæ navis, errore aut cæca felicitate, sed omninò à Divino Charismate deducuntur in illas etiam veritates, quas necdum firmè tenent, sed cum aliqua formidine. Etenim sanctus Augustinus,

dum

dum tertias & quartas probavit nuptias, non probavit firmus. Nec item veritatem de non folvendo per adulterium conjugali vinculo. Nec magnus Baſilius veritatem do firmitare ſuprà memorati juramenti. Quis dicat hæc illis fuiſſe cœcam felicitatem? Aut iſtas veritates cum formidine tradendo peccaſſe? Abſit. Divina gratia nos pedetentim illuminat. Et quandoque mentis noſtræ oculos, licèt jam videant, palpitare permittit ad tempus, non ſtatim firmat. Et hæc eſt nobis infirmitas, non ſemper culpa. Certè in tantis viris nullatenùs fuit culpa lethalis.

Quæſtio tertia eſt, An probabiles docere ſententias ſit grave peccatum? Quidam affirmant. Ajunt eſſe gravius, quàm ipſas practicare. Eò quòd iſtiuſmodi Doctor plurimas animas ducat in foveam æternæ mortis. Reſpondeo hinc palàm ſequi, quod magnus Athanaſius, magnus Baſilius, ſanctus Gregorius Nazianzenus, ſanctus Cyprianus, ſanctus Firmilianus, ſanctus Optatus Milevitanus, aliique ſimiles Chriſtianæ juſtitiæ, ac doctrinæ Coryphæi fuerint Eccleſiæ ſeductores, atque ita non ſolummodo ſemetipſos, ſed etiam credidas ſibi Eccleſias circumſcripſerint in gehennas. Etenim docuerunt ſententias probabiles. Et quidem tales, quibus ſe opponebat Romana, immò omnis Occidentalis Eccleſia, & quas generales Synodi poſtmodò damnaverunt. Imiremur pacificum Cyprianum, cujus ad ſuam Synodum verba rursùs adduco: *Proferamus de hac re ſingulì quid ſentiamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt alterum judicare.* Hæc verba probat atque laudat ſanctus Auguſtinus. Interim certum eſt quoſdam variarum probabilium ſententiarum authores graviter peccaſſe.

Quarta quæſtio eſt, An verus Chriſtianorum Doctor potiùs obligetur omne judicium ſuſpendere, quàm prorumpere in probabilem ſententiam? Quidam affirmant. Et favere videtur in libro de credendi utilitate ſanctus Auguſtinus: *Tria ſunt velut ſintima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, intelligere, credere, opinari.* Cap. 11. *Quæ ſi per ſcripta conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt, ſecundum aliquando cum vitio, tertium numquam ſine vitio eſt.* At verò probabilem docere ſententiam eſt opinari. Reſpondeo ſanctum Auguſtinum iſtic à ſemetipſo paùm exponi: *Duæ perſonæ in Religione ſunt laudabiles. Una eorum qui jam invenerunt: quos etiam beatiſſimos judicare neceſſe eſt. Alia eorum qui ſtudioſiſſimè & rectiſſimè inquirunt. Primi ſunt etiam in ipſa poſſeſſione, alteri in via, qua tamen certiſſimè perveniunt. Tria ſunt alia hominum genera, profectò improbanda ac deteſtanda. Unum eſt opinantium, id eſt, eorum qui arbitrantur ſe ſcire quod neſciunt.* Et infrà: *opinari ob duas res eſt turpiſſimum. Quod ediſcere non poteſt, quì ſibi jam ſe ſcire perſuaſit, ſi modò illud diſcì poteſt. Et per ſe ipſa temeritas non bene affecti animi ſignum eſt.* Et iterùm: *eorum qui opinantur ſe ſcire quod neſciunt, eſt profectò vitioſa credulitas.* Non quamvis, ſed ſine formidine præſumptivam opinionem damnat. Superbiam gentilium Philoſophorum. Opinionem ſancti Firmiliani, qui ſuam de Rebaptiſmo ſententiam non ſolummodo cenſuit probabilem, ſed ſolam certam & veram, atque ita præſumpſit damnare morem Romanæ Eccleſiæ. Hinc item Patriarcha Nicolaus à Sergio tertio fuit juſſus ejici, non quòd quartas improbaret nuptias, ſed quòd oppoſitam. Latinæ Eccleſiæ diſciplinam damnaret. Dum utramque ſententiam profeſſus eſt probabilem, & utramque Eccleſiam permiſit in ſuo abundare ſenſu, fuit à Joanne decimo repoſitus in Cathedram. Eodem modo de Rebaptiſmo ſanctus Cyprianus ac ſanctus Baſilius, & alii adducti Patres de aliis quæſtionibus ſenſerunt. Et ſanè ſi de tertiis & quartis nuptiis Eccleſia, nonniſi confecuta certitudinem, aliquid judicare potuit, omnis ſub cœlo, & Occidentalis & Orientalis Eccleſia egit temerariè, & graviter deliquit. Scire velim, An probabilis judicii hoſtes ſint ſemper certi de ſuis judiciis? An iſtam ipſam certitudinem habeant, quam Protoplaſti in Paradiſo? An aliis in caſibus ſint ſemper Pyrrhones? De ipſis in adducto loco rectè ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Quanquam in iſtis etiam, qui ſe in agendo probabilia ſequi dicunt, ſcire potiùs nihil poſſe, quàm nihil credere volunt videre. Quis enim quod probat, non credit? Aut quomodo eſt illud quod ſequitur, ſi non probatur, probabile?* Affirmat ab ipſis etiam antiquis Academicis non ſemper ſuſpenſum, ſed frequenter omninò impenſum fuiſſe judicium. Sed cum formidine. Aliter non poteſt vivi in hoc per peccata vitiato ac tenebrato ſæculo. Nos Chriſtiani noſtris probabilibus morum judiciis addimus ſtudioſiſſimam ac rectiſſimam veritatis inquiſitionem, atque ita lethaliter non peccamus.

Quæſtio quinta eſt, An quis liberè ſine gravi peccato ſequi contra proprium judicium poſſit ſententiam aliis probabilem? Reſpondeo poſſe, dum cogit aliqua diſpentatoria neceſſitas. Ita ſanctus Dracontius obedivit judicio ſancti Athanaſii contra proprium. Et quiſque ſubditus ſimiliter imperanti Prælato aut Principi debet obedire. Ita & ſanctus Auguſtinus bona fide contractis poſt dimiſſam adulteram nuptiis permiſit dari Eccleſiæ Sacramenta: dum nempè illi, ſulti probabili ſententia, nollent ſeparari. Nec dubito quin Auguſtinus iſtud ipſum aliquando fecerit, atque ita diſpenſatoriè egerit contra propriam ſententiam. Eccleſiarum Præpoſiti ob graves cauſas poſſint, immò debeant quandoque decernere ac operari ex alieno judicio. Nam & quidam Romani Pontifices dicuntur ob ſimiles rationes contra propriam ſententiam diſpenſaſſe in rato matrimonio. Locum tunc obtinet ſancti Cypriani Regula: *Arbitrii ſui poteſtatem habet quiſque Præpoſitus actus ſui rationem Domino reddaturus.* Et quin ipſas Divina Clementia ſit admiſura, exiſtimo non dubitandum. At verò ex propria citra neceſſitatem electione nemo poſſit operari contra propriam ſententiam. Etenim propria ſententia eſt quaſi quadam conſcientiæ ſpecies,

ſpecies, quam nemo poſſit prævaricari. Et qui nunc ex hac, nunc ex iſta ſententia citra neceſſitatem operantur, ſunt palàm vertumni, & haud dubiè venantur proprium commodum, adeoque non ex ſola tunc ignorantia peccant, ſed inſuper ex concupiſcentia. Si materia fuerit capax, erunt peccata mortalia.

CAPUT XIV.

An omnes ſanctorum Patrum ſententiæ ſint verè probabiles?

HAnc quæſtionem nuperrimè quis propoſuit. Et ad ipſam reſpondeo negativè. Etenim magnorum Patrum ſententiam ſanctus Auguſtinus exponit in exordio libri de fide & operibus:

Cap. 1. *Quibuſdam videtur indiſcretè omnes admittendos eſſe ad Lavacrum Regenerationis, quæ eſt in Chriſto* JESU *Domino noſtro, etiamſi malam turpemque vitam, facinoribus & flagitiis evidentiſſimè notam, mutare noluerint, atque in ea ſe perſeveraturos aperta etiam profeſſione declaraverint. Verbi gratia, ſi quis meretrici adhæret, non ei priùs præcipiatur ut ab ea decedat, & tunc veniat ad Baptiſmum, ſed etiam cum ea manens, manſurumque ſe confitens, ſeu etiam profitens, dimittatur & baptizetur, nec impeditur ſieri membrum Chriſti, etiamſi membrum meretricis eſſe perſtiterit; ſed poſteà doceatur, quàm ſit hoc malum, jamque baptizatus de mutandis in meliùs moribus inſtruatur. Perverſum enim putant atque præpoſterum, priùs docere quemadmodùm debeat vivere Chriſtianus, & deindè baptizari, ſed cenſent præcedere debere Baptiſmi Sacramentum, ut deindè ſequatur vitæ morumque doctrina, quam ſi tenere & cuſtodire voluerit, utiliter fecerit; ſi autem noluerit, & retenta fide Chriſtiana, ſine qua in æternùm periret, in quolibet ſcelere immunditiaque permanſerit, ſalvum eum futurum tam quam per ignem, velut qui ædificaverit ſupra fundamentum, quod eſt Chriſtus, non aurum, argentum, lapides pretioſos, ſed ligna, fœnum, ſtipulam: Id eſt, non juſtos caſtoſque mores, ſed inlquos & impudicos.* Iſta ſententia nequaquam hæreticorum fuit, ſed omninò Catholicorum. Hinc Auguſtinus de iſtius ſui ſcribendi libri occaſione habet in ſecundo libro Retractationum:

Cap. 38. *Miſſa ſunt mihi à quibuſdam Fratribus, laicis quidem, ſed Divinorum eloquiorum ſtudioſis, ſcripta nonnulla, quæ ita diſtinguerent à bonis operibus Chriſtianam fidem, ut ſine hac non poſſe, ſine illis autem poſſe pervenirì ſuaderetur ad æternam vitam.* Cujus vel quorum hæc ſcripta fuerint, ignoratur.

Ejuſdem interim ſententiæ ſanctus Auguſtinus meminit in primo libro de adulteriis conjugiis:

Cap. 28. *Ego non ſolùm altos Catechumenos, verùm etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore in his permanentes non admittimus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris Lavacro Regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrùm fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtaturint detineri? Si autem ab illa deſperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod ſtaturerant, aut edoſti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem Baptiſmatis, eadem Reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ Pacis exire velle debet Mater Eccleſia.*

Affirmat varia. Primò, quòd Mater Eccleſia olim quosvis, licet necdum ex pectore eſſent contriti de ſuis crimibus, paſſim admiſerit ad Catechumenatum, ac inferiores claſſes Pœnitentium. Admittebat enim apertos ac pertinaces Profeſſores adulterinorum conjugiorum. Eos concipiebat intra maternum ſuum uterum, pedetentim iſtic formandos in veram Chriſtianitatem. Et hinc hodiè quidam rectè docent, quòd iſtiuſmodi fructuosè admittantur, immò & invitentur ad Sacramentalem ſuorum criminum Confeſſionem. Etenim Confeſſio poteſt eſſe informis. Et etiam hæc incipit diſponere ad veram converſionem cordis, adeoque & ad Pacem Divinæ Reconciliationis. Secundò ſanctus Auguſtinus dicit, quòd quædam Catholicæ Eccleſiæ admitterent tales etiam ad Baptiſmum. Nullam exigebant præparationem, niſi plenum Catechiſmum, profeſſionem integræ Chriſtianæ fidei. Sanctus Auguſtinus tertiò affirmat iſtius opinionis fundamentum fuiſſe Apoſtolicum locum in priori epiſtola ad Corinthios:

Cap. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſtum eſt, quod eſt Chriſtus* JESUS. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulas, unuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit. Quia in igne revelabitur. Et unuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur. Ipſe autem ſalvus erit. Sic tamen quaſi per ignem.* Hoc quemcumque hominem ſalvans fundamentum quædam Eccleſiæ cenſuerunt eſſe ſolam fidem. Superædificata ligna, fœnum, ſtipulas cenſuerunt eſſe qualiacumque etiam facinora ac flagitia. Hæc in Fidelibus credideunt exurenda per futuri ſæculi ignes, ita ut illi poſtmodò eſſent plenè purgati, ac fierent ſalvi. An iſtæ Eccleſiæ Baptiſmum iſtiuſmodi cenſerent formatum, an dumtaxat informem, non poſſim demonſtrare.

Opinio originem ſumpſit ex commiſeratione erga adulterina conjugia: præſertim erga illos, qui dimiſſis etiam citra fornicationis cauſam uxoribus duxerant alias. Antiqui per Romanum Imperium Gentiles mutabant uxores, ut veſtes, Etiam Chriſtianis temporibus. Ita ſuprà audivimus à ſancto Aſterio. Et iſtum morem Chriſtianæ magni Conſtantini leges non plenè damnarunt, nec aboleverunt. Etenim in data ad Ablavium Prætorio Præfectum lege magnus Conſtantinus vetat conjugia deinceps ſolvi ex quavis cauſa, atque adjungit: *In repudio mittendo à fœmina placet hæc ſola crimina inquiri, ſi homicidam, vel medicamentarium, vel ſepulcbrorum diſſolutorem mariti ſui eſſe probaverit, ut ita demùm laudata datem omnem recipiat. Nam ſi præter hæc tria crimina repudium marito miſerit, oportet eam uſque ad aculeum capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna ſui confidentia in inſulam deportari. In*

maſcu-

masculis etiam, si repudium mittunt, hæc tria crimina inquiri conveniet: si mœchabam, si medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. Conciliatrix est læna, productrix, pretio conducta Saga, Lex data est Basso & Ablavio Consulibus anno trigesimo primo quarti Christiani sæculi. Constantinus ergò tunc erat plenè Christianus, Hinc legem suo Codici ad titulum de Repudiis inseruit junior Theodosius. Et ibidem extat simi-
Lib. 3. tit. 16. lis lex Imperatoris Honorii, impartiendis dispensationibus facultatem novarum post repudia nuptiarum. Hujusmodi adulteros commiseratæ quædam Ecclesiæ crediderunt istas, quibus tantorum Principum leges præbebant fomenta, infirmitates posse purgari in futuro sæculo, ideoque & admittebant ad Baptismum. Præcipua commiseratio fuit erga patrata ob fornicationis causam repudia ac adulteria. His enim non solæ hominum leges, sed & ipsa favere videbantur Evangelia. Hinc longè plures ipsa non dumtaxat miserebantur, sed & plenè purgabant. Et horum opinionem, licèt omninò improbarit, sanctus Augustinus non præsumpsit damnare.

Quænam verò fuerint istæ commiserantes Ecclesiæ, Augustinus non edixit. Haud dubiè ipsarum aliquæ fuerint in Africa. Et ipsarum sententiam constanter tenuit Ruffinus, qui passim creditur Palæstinæ Presbyter. Etenim in sua, per Jacobum Sirmondum vulgata, fidei professione ponit hunc primum articulum: *Qui dicunt Diabolo & Dæmonibus, & impiis, hoc est, Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque hæreticis (exceptis Christianis, qui rectam fidem sequuntur, & peccatores sunt) aliquando parcendum, & pœnas eorum non esse perpetuas, anathema sit.* Anathematizat Origenem, qui istam Dæmonum ac impiorum hominum reparationem à Platone mutuatus tentavit inducere in Ecclesiam. Et excipit Christianos, qui rectam sequuntur fidem, & sunt peccatores. Utique graves. His post longos in futuro sæculo ignes promittit expurgationem ac vitam æternam. Ista ætas habuit tres Ruffinos: omnes Presbyteros, omnes eruditos, omnes de recta fide suspectos. Primus fuit famosus sancti Hieronymi Adversarius, Presbyter Aquilejensis Ecclesiæ. Secundus fuit sancti Hieronymi amicus, utpotè ab ipso ex Syria missus in Occidentem ad res maximas, homo Latinus, & Presbyter nescio cujus in Palæstina Ecclesiæ. Et hujus quibusdam videtur esse jam dicta professio atque opinio. Tertius fuit homo Syrus, Presbyter Mopsuestienſis in secunda Cilicia Ecclesiæ, ac scelerati Theodori ibidem Episcopi. Hunc in Commonitorio, postquam Celestianam originali peccato hæresim affirmavit ortam ab isto Theodoro, notat Marius Mercator: *Hanc ineptam quæstionem sub sanctæ recordationis Anastasio, Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice, Ruffinus quidam natione Syrus Romam primus invexit, & ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, & per se proferre non ausus, Pelagium Monachum decepit.* Pelagius eandem impietatem impressit Celestio. Hic est Ruffinus, quem idem Celestius in Carthaginensi Synodo opposuit sancto Diacono Paulino, & laudavit esse suæ opinionis auctorem. Proindè graviter deviant, qui omne istud crimen hucusque impositum Ruffino Aquilejensi. Porrò de adducto Ruffini Palæstinæ antithematismo rectè scribit Joannes Garnerius: *Illorum pœnæ perpetuæ dicuntur, quod omninò Catholicum est; istorum temporales, quod etsi magnis olim viris placitum est, ab aliis tamen erroris damnatur.*

Inter istos magnos viros fuit sanctus Hieronymus. Etenim in primo adversùm Pelagianos Dialogo dicit ad Hæresiarcham Pelagium: *Illud verò, quod in sequenti ponis Capitulo,* in die judicii iniquis & peccatoribus non damnandum, sed æternis eos ignibus exurendos, *ferre quis potest, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem judicii de sententia Judicis judicare, ut si voluerit iniquos & peccatoribus parcere, tu præscribente non possit?* Hieronymus improbabat, quod iniquos Fideles, seu Catholicos peccatores Pelagius damnaret ad sempiternas gehennas. Hunc Pro-Cap. 9. phetæ Isaiæ locum, *Comburentur peccatores & iniqui simul*, objicienti respondit: *Non addidit, In æternum.* Et ad consequentia Prophetæ verba, *& qui relinquunt Deum, consummabuntur*, reposuit: *Propriè hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt. Quæ sententia & tibi parata est, si neglexeris ad meliora converti. Deindè, cujus est temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere?* Impios definit esse illos, *qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt.* Assermat ipsos à Fidelibus iniquis distare plurimùm. Amplè hæc confirmat, atque concludit: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & Diabolum & Satellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Palàm profitetur se quoad Catholicos peccatores sentire cum Origene. Et notanda sunt verba: *Ferre quis potest?* Edicunt Hieronymum in hac sententia fuisse constantissimum. Nam & Pelagium non increpasset, nisi ex firma sua sententia. Et præfatus Russinus omninò ex ipso formavit suum præfatum anathematismum.

Marianus Victorius Reatinus Episcopus conset sanctum Hieronymum agere de pœnis in futuro sæculo purgatoriis. Et Franciscus à Messana, qui difficiliorà sancti Hieronymi loca digessit in alphabeticum ordinem, præsenti loco dedit hoc marginale Scholion: *Impius hic Hieronymo dicitur infidelis, & hæreticus, & apostata à fide, propriè loquendo; peccator verò, qui firmus in fide peccatum aliquod commisit, cujus si eum pœniteat, post pœnas salvabitur.* Habet hæc sub verbo, *Purgatorium*. Respondeo sanctum Hieronymum omninò agere de igne purgatorio: verùm de illo, qui non sola venialia, sed qui purget insuper mortalia peccata. Et hoc citra pœnitentiam. Etenim opinio, quæ mortalibus peccatis post pœnitentiam promittit purgationem & veniam, non est singularis. Non est opinio, sed immobile Evangelii dogma. Plures scholæ Doctores docuerunt, & quidam etiamnum docent illos, qui in hac vita de venialibus pœnitere, aut de remissis peccatis mortalibus nolunt satisfacere, nec à Sacerdote Sacramentale admittere judicium, posse

posse ac debere absolvi, atque ad futurum dimitti sæculum, istic plenè usque ad novissimum quadrantem satisfassuros. Sententia ista docet hanc satis-passionem posse à nobis eligi, & ex fiducia in ipsam negligi satisfactiones. Istud ipsum sanctus Hieronymus docuit de mortalibus Fidelium peccatis.

Ejusdem sententiæ fuit nescio quis Paulinus Benedictus, qui varias quæstiones retulit ad Faustum Rejensem Episcopum. Semetipsum iste Paulinum, Faustus ipsum inscribit Paulinum Benedictum. Proindè *Benedictus* videtur non ejus nomen, sed fuisse titulus. Hic enim Antiquis fuit usitatus. Et usque tunc posse permansisse in Gallia. Præfatarum igitur quæstionum una fuit hæc: *Dominus meus Marinus, Eremita, vir sanctus, & nimia districtione metuendus, ita me sub Sacramenti etiam interpositione conterruit, quod qui corporalibus vitiis accumberet, nullam posse venialem promereri, sed in eisdem servatur ipsa Resurrectione suppliciis. Nec posse expiare infernalibus tormentis, quod corporalibus vitiis anima concreta contraxerit. Tamen ita miserrimus credo, quòd qui semel susceptum signum Divini nominis, & infixum fronti characterem Domini vestri, numquam malt sibi conscius vel subdolus fraudator infregerit, susceptis leviter pro expiando errore tormentis, purum aerium sensum & simplicis animæ ignem dies consumpta producat. Nam si univerſa hæc, quæ interminatur Dominus meus Marinus, excipimus peccatores, quid magis impii metrantur, ignoro.* Affirmat distinguendum inter iniquos & impios: ipsos in futuri sæculi suppliciis non posse æquari. Hinc hosce solos æternis cruciandos, istos esse purgandos temporalibus gehennis. Profitetur se ita sentire, & oppositam Venerabilis Marini opinionem esse nimiæ districtionis. Paulini sententiam Antistes Faustus exponit paucis verbis: *Quæsivisti, utrùm sola profectus ad salutem unitas scientia Trinitatis?* Sine operibus. Præcipua quæstio erat de carnalibus flagitiis. Ista Fidelium fragilitas videbatur Divina miseratione digna, ideoque non tradenda sempiternis tormentis. Et hinc vides istam sententiam viguisse etiam in Gallicana Ecclesia. Ibidem viguit adhuc nono Christi Domini sæculo. Etenim in libris de Laicali Institutione scribit Venerabilis Jonas Episcopus Aurelianensis:

Lib. 1. cap. 19. *Dici solet à nonnullis Christiani, quod bi qui in Christo renati sunt, quanquam scelerate vivant, & in malis operibus diem claudant extremum, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo igne sint puniendi.*

Eadem sententia decimo sæculo viguit in Italia. Eam quippè memorat atque impugnat in primo sermone de Quadragesima Ratherius Epi-

Cap. 22. scopus Veronensis: *De illis verò purgatoriis post obitum pœnis nemo sibi blanditur. Quia non sunt statutæ criminibus, sed peccatis levioribus, quæ utique per ligna, fœnum, stipulam designantur.* Videtur fuisse etiam Marii Mercatoris sententia. Etenim hic in suo, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ ac Imperatori Theodosio obtulit super nomine Celestii, Commonitorio scribit: *Manifestum est secundum Pelagium, quia si sub eodem, vel simili adhuc fumus*, utique Mosaicæ legis, *vinculo etiam sub Evangelii tempore, & si quid tanquam homines erraverimus, aut unum de Præceptis Evangelii non impleverimus, esse non maledictos.* Manifestè loquitur ex sancto Hieronymo. Et cum ipso reprehendit Pelagium, quòd doceret omnem Fidelem, qui vel unum Evangelii articulum neglexisset, citra purgationis spem damnari ad sempiternas gehennas. Et hinc patet ratio, ex qua idem Hieronymus fuerit adeò anxius de intellectu Apostolici verbi: *Qui delinquit in uno, factus est omnium reus.* Ex qua ejusdem loci interpretationem flagitaverit à sancto Augustino. Nempè videbat suam clementem de Fidelium peccatorum purgatione sententiam isti loco non aptè cohærere.

Eadem sententia placuit quibusdam Græcis. Etenim in homilia, quam in secunda Adventus Dominica dixit, & in qua Apostoli verbum, *Omnes stabimus ante tribunal Christi*; exposuit, sanctus Joannes Chrysostomus refert suo tempore quosdam dixisse: *Gehennam quidem esse, cultvis compertum est. At infideles tantùm in eam incidere.* Et illi addebant causam: *Quoniam Fideles Dominum suum agnoverunt.* Homilia exstat in sexto tomo. Ejusdem sententiæ idem Doctor meminit in trigesima homilia super Evangelium sancti Joannis. Quòd hujus sententiæ patroni nequaquam hæretici, sed omninò Catholici fuerint, diserè testatur sanctus Augustinus in Encheiridio: *Creduntur à quibusdam etiam bi, qui* Cap. 69. *nomen Christi non reliquunt, & ejus Lavacro in Ecclesia abluuntur, nec ab ea ullo scelsmate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, ac eleemosynis redimant sed in his usque ad hujus vitæ ultimum finem perstiterint perseverent, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine factnorum flagitiorumque diuturno, non tamen perpetuo igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur.* Notanda sunt verba: *Factnorum flagitiorumque.* Palàm agunt de peccatis mortalibus. Notanda sunt & hæc verba: *Nec diluunt pœnitendo.* Palàm exponunt sententiam sancti Hieronymi. Et evincunt Mariani Victorii, & Francisci à Messana, quibus adhærent etiam Sixtus Senensis & Leonardus Corcquæus, commentarium non subsistere. Et quod istic in sancti Hieronymi, quem ex reverentia non exprimit, sententiam sanctus Augustinus agat, non est dubitandum. Eandem refert, exponit, Lib. 21. atque impugnat in libris de Civitate Dei. De- cap. 20. monstrat ejus Defensores non fuisse per omnia 21. 22. consonos, & varios varia docuisse. Omnis error confuevit sibi ipsi non consonare.

Porrò hæc sententia, ac ejus defensores longissimè recedunt ac distant à Simone Mago, Valentino, cunctis Gnosticis, blaterantibus prava & bona opera differre sola hominum opinione, ideoque spirituales, qui ex aurea contemptu materia, per facinora aut flagitia non maculari. Distant etiam à scelerato Eunomio, de quo scribit sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus: *Eunomius docet nihil molestiæ inferendum naturæ, quando immoderatis corporis cupiditatibus ad libita fertur, neque resistendum voluptatibus. Neque etiam asperam vitæ disciplinam sectandam. Neque enim animam detrimenti quidquam capere ex voluptarum usu,* Tom. 2. Fol. 306.

usu, sed ad perfectionem homini sufficere solam hæreticam fidem. De ejus Sectatoribus scribit etiam
Hæref. 76. cap. 4. sanctus Epiphanius: *Nulla apud illos cura sanctitatis est, aut jejuniorum, aut mandatorum Dei, cæterarumvè rerum, quæ hominibus sunt Divino mandato præscriptæ. Cùm occurrens eis aliquis Divinorum Præceptorum mentionem injicitunt, subjiciunt nihil à nobis aliud flagitare Deum, quàm ut cognoscamus ipsum, quemadmodum Christus declaravit his verbis:* Hæc est vita, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum. *Nam & nonnullos referentes audivimus, quod de Ætio palàm se audivisse testificarentur. Cùm quidam ob illatum fœminæ stuprum accusarentur, & ab aliis damnarentur, nihil illum commotum, sed factum illud risu ac ludibrio prosequentem dixisse, nullius hoc momenti esse. Corporis hanc esse necessitatem ac functionem. Quemadmodùm autem nonnunquam scalpimus, sed pennula vel festuca scalpimus, atque hoc modo pruritus desinit; sic & id naturaliter nobis evenit. Neque quisquam ea re factenda peccat.* Et Eunomius & Ætius, eodem ferè sensu cum Gnosticis, censuerunt peccata non esse peccata. Nec displicere Deo, & hominem per ipsa non maculari. Et hinc sancti Gregorii Nysseni translator adducto testimonio non malè dedit hoc marginale Scholion: *Eunomius est Lutheranus.* Lutherus etiam cum Ætio effutivit non minùs reneses esse purgandos, quàm alvum.

At verò sanctus Hieronymus, & alii præfatæ opinionis defensores ortò loxè crediderunt & docuerunt peccata esse veræ peccata, veram Divinæ Majestatis offensam, veras maculas humanæ naturæ. Et cunctis deberi gehennas. Omnis quæstio fuit de istorum per has expurgatione. Et præsertim de expurgatione carnalium libidinum. Sententia ista docuit has compensari ac emundari duobus modis. Per eleemosynas aut alia bona opera in hac vita, vel in futura per longi temporis gehennales flammas. Est doctrina etiam Lactantii Firmiani, qui in septimo Divinarum Institutionum libro docet impios omnes, quòd in Unigeniti nomen non crediderint, esse jam judicatos, ideoque in extremo die solos Catholicos fore judicandos, atque adjungit: *Judicabuntur ergò, qui Deum servarunt, & facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur, ut si plura & graviora fuerint bona justaque, dentur ad vitam beatam; sin autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.*
Cap. 20.

Eandem ponderationem laudat in oratione pro defunctis sanctus Joannes Damascenus: *Dominus Deus id, quod manibus suis effinxit, in vitam æternam conservabit, nisi quis perspicuè deploratæ improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eoque causa sit, ut finistra ipsius lanx deorsùm præ gravitate majorem in modum propendeat. Narrant enim viri quidam, divinitùs illustrati, hominum actiones in extremo vitæ spiritu, non secùs atque in trutina, perpendi. Ac si quidem dextra lanx supra alteram efferatur, non esse dubitandum, quin, quisquis ille est, inter dexteros Angelos animam exhalet. Si autem parla utriusque lanetis momenta sint, Dei clementiam procul dubio victoriam obtinere. Quin, ut à sanctissimis viris proditum est, etiamsi trutina nonnihil ad lævam vergat, tum tamen Dei misericordia etiam supplet id quod desideratur. Habes jam tres Divinas Domini sententias. Quarum prima justa est, altera benigna atque humanitatis plena, tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quæ quidem tum demique locum habet, cùm improbæ & flagitiosæ actiones nimium præponderant. Ebeu, Fratres. Nam etiam hæc profectò est justissima, ut quæ damnatis non nisi justa pronuntiet.*

Eandem trutinationem laudat in sua Dioptra antiquus ac eruditus apud Græcos Scriptor, Philippus Solitarius: *Quis vel sermo exprimet, vel intellectus tandem capiet, quam calamitatem necessariò subitura est anima, quando instabit à corpore separatio? Dæmones malè feriati cum tumultu advenient, chyrographa & peccatorum acervos apportantes; Angeli humaniter ea per trutinam examinabunt, quibus Dæmones graviora tua crimina adjicient. Si juraſti, si calumniam struxisti, si fornicationes & adulteria perpetraſti, si aversus impudicus fuisti, si te supra fratres extulisti, si contra amicos mentitus es: totum denique & simpliciter peccatorum tuorum catalogum, seu sciens, seu nesciens, seu sentiens seu non sentiens illa commiseris, in humeris gestabunt, & apportabunt omnia maleficia, festinabunique ut hominum exitio lætantes, & num peccatorum lanx deorsùm vergat, observabunt. Boni verò Angeli in alteram lancem decenti specie bonas actiones imponent. Nempè si misericors fuisti, si fratribus pepercisti, si cibo esurientem refecisti, si sitienti potum præbuisti, si nudum tegumentis operuisti, si carceri mandatos & ægrotos invisisti, si peregrinos & hospitio carentes in ædes tuas induxisti, si pauperibus & egentibus opem attulisti, si aliud humanitatis officium humaniter culpiam præstitisti. Hæc to in bona extrema tuebuntur. Quando igitur actiones tuas in medium protulerint, profanas quidem Dæmones, Angeli autem bonas, lucidi lucidas, tenebrosi tenebrosas, & jis lances oneraverint, utrorum pars præponderaverit, illos voluptas & gaudium incesset, tanquam victores feliceſ, & victi contristabuntur vehementissimè, ut testantur Gregorius magnus in Dialogis, magnusque, & omnimodis magnus, & Divinus Antonius, Magistrorum reverendissimus & Sanctorum decus.*

Infigne hujus trutinationis exemplum refert in suæ Ecclesiæ Annalibus Eutychius Patriarcha Alexandrinus. Cujusdam sub Mauritii Imperio famosissimi latronis facinora, comprehensionem, correctionem, ac in mortis lecto pœnitentiam exponit, atque profequitur: *Fuit Constantinopoli vir quidem è Principibus Medicorum, eximius atque egregius, qui quotidiè ægrotos solebat visitare. Hic inter dormiendum domi suæ in insomnio, eadem hora qua mortuus est latro, vidit Nigraturam turbam, qui ad latronis lectum accedentes haberent secum chartas, quibus inscripta erant ejus peccata. Deindè & duos viros, quorum vultus splendescebant, candore nivei, pulchritudine fali similes, libram tenentes. Et accedentes Nigritæ chartas istas omnes in libram conjicere, adeò ut lancium altera, altera depressa, adscenderet. Dixisse ergò alterum virorum candidorum suo socio: non est nobis hic aliquid. Respondente autem altero, quid nobis hic esset, cùm nondum decem dies sint, ex quo conversus est ab exercendo latrocinio? Cùm lectum perfurtari cœpissent, ibi sudarium, quo oculos suos abstergerat,* inve-
Lib. 2. fol. 196.

juvenisse. Quod cùm in lanciam alteram mississent, descendisse illam quæ priùs minùs habuerat, sublata altera in qua chartæ fuerant, ipsasque omnes fuisse dispersas. Exclamantes ergò dixisse: vicit Dei misericordia. Et acceptam animam secum abstulisse, fugientibus Nigritis, pudore & tristitia affectis.

Istiusmodi exemplum habemus item in Græcorum Menæo, ac in vita sancti Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini. Sub Justiniani Imperio erat quidam telonarius, nomine Petrus, sordidissimus, ac nullius misericordiæ in pauperes. Mendicus quidam, hominis ingenium tenturus, ejus ædes accessit, postulavit stipem importunissimè, & pergit Menæum: *Petrus telonarius arreptum panem, nam tum fortè fortuna Pistor panes asferebat, trato animo tanquam lapidem in mendicum jecit. Nondum duo dies abierant, cum Patricius*, utique Petrus, *in gravem morbum delapsus vidit se actionum suarum rationes dare. Videbatur quoque libra adesse, qua utriusque generis facta trutinabantur & examinabantur. Ad cujus lævam lancem atros quosdam cernebat, qui multa ejus malefacta lanci imponebant; à dextra verò parte intuebatur candida veste indutos, sed adspectu terrificos, qui quòd ponderarent, nihil invenichant præter panem illum, quem iratus pest pauperem projecerat. Statim ergò exurgens omnes facultates suas egenis distribuit, & vestimentis suis mendicum vestivit, quibus postea Christum indutum in quiete conspexit.* Eandem Apocalypsim laudat in Oratione de Defunctis sanctus Joannes Damascenus. Proponit hanc quæstionem: *Potestne reperiri homo ejusmodi, qui cum opibus circumfluat, pauperum tamen cala mitate minimè commovetur?* Et respondet: *Ita certè invenirì potest. Quemadmodum cum multis aliis temporibus, tum clarissimi quoque ac sanctissimi illius Joannis Eleemosynarii tempestate inventus est Petrus quondam Publicanus, qui ex summa inhumanitate ac morum truculentia ad summam ac numeris omnibus absolutam erga pauperes misericordiam, sanctitatemque se convertit. Cùm enim aliquando extra se raptus fuisset, suaque opera ad lancem expendi videret, stigineum unum panem, quem etiam ipsum ira peretus in pauperis cujusdam faciem saxi loco conjecerat, in dextra trutinæ lance consp exisse dicitur. Atque hac visione commotus, ad ingentem pietatis magnitudinem beatus hic vir fertur evasisse.*

Simile exemplum refert antiqua & authentica vita sancti Imperatoris Henrici: *Sub ipsa hora exitus sancti Henrici cuidam servo Dei, in solitudine commoranti, Diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir Dei per Spiritum protinùs agnovit. Et ait: Quò vadis? Cui ille inquit: Ad exequias Principis pergo. At ille respondit: vade, & comple negotium tuum, in quantum tibi à Dominio permittitur. Veruntamen, consummato officio tuo adjuratus per Deum vivum, ad me revertere, ut per te cognoscam rei exitum. Post modicum verò reversus, coram servo Dei gemebundus adstitit, & voce querula ac ingenti ululatu dixit: heu, heu, heu, deluì sumus. Invanum laboravimus. Quin etiam ab Angelis Dei confusi discessimus. Assistentibus enim hinc & inde nobis & spiritibus Angelicis, animæ merita justè in statera appensa sunt, & fasciculis peccatorum deprimentibus jam penè pars nostra præponderaverat. Tunc subitò Adustus quidam superveniens cum catino aureo, partis dextera lancem oneravit, mirumque in modum parti nostræ adeò præponderavit, ut & ipso catino ad terram collapso tuba collisionis signum impresserit. Itaque victores Angeli animam nobis ereptam gaudentes in suum consortium abduxerunt.* Hujus vitæ Scriptor etiam exponit visionem: *Hæc tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, ut virtute spirituali completa intelligantur. Res enim spirituales per corporales exprimuntur imagines. Cumque aliud foris agitur aut dicitur, intus aliud geri significatur. Henricus Dei famulus calicem aureum in honore Dei & commemorationem sancti Laurentii Martyris Mersburgensi Ecclesiæ contulerat, cujus specialis patrocinio coram Deo adjutus, & in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni verò veneratione & admiratione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix, qui in certa custodia clausus habebatur, nec minùs tamen præditæ collisionis materiale signum excepit.* Imperator Henricus fuit addictissimus sancto Laurentio. Hunc ergò Diabolus per iram & blasphemiam appellavit Adustum. Similia exempla authenticè scribuntur contigisse in morte sancti Dagoberti Francorum Regis, in morte magni Caroli Imperatoris, & Successoris Ludovici Pii. Ad dexteram, dum in exordio elevaretur, lancem deprimendam defensores Angeli adjecerunt totas Basilicas.

Albertus Crantzius in quarto suæ Metropoleos libro ad hæc respondet: *Non habet apud me fidem fabula, quam Mersburgensis Ecclesia prædicat de calice aureo, cui ansa fit detracta, cùm in trutina meritorum ac demeritorum Imperatoris Henrici à Laurentio Divo Martyre injiceretur calix ille, qui meritа facerct præponderari demeritis. Non solent in Sanctos referri, quorum de virtutibus tam ambiguum est judicium. Nec tam levi momento pendebat sanctissimi Regis æterna salus, ut unius pondere calicis trutina illa librans in unam decideret partem. Ego sanctissimi Imperatoris meritis indignam esse judico fabulationem. Potest ex aliis causis ansa esse calici detracta.* Respondeo eundem Albertum eadem hac de re aliter scribere in sua Saxonia: *Mersburgi servant calicem, quem libræ ferunt injecisse sanctum Laurentium, cum Imperatoris sam mortui trutinarentur bona cum malis. Ansam ferunt tum indignantem humani generis Inimicum defregisse, quando nibil suum reperit in moriente.* Exiitimo ipsum calicem non fuisse in visione. Illius abtentis fractura firmavit hujus veritatem. Nec ejus sola donatio salvavit in extremo periculo optimum Principem, sed ejus in libram injectio sancto Monacho repræsentavit potentem intercessionem sancti Laurentii. Intercessionem, cujus virtutem laudavit in Evangelio Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Albertus Crantzius non satis attendit ad sancti Petri Apostoli verba: *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Et ad verba Psalmi: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Non intellexit præsentem sancti Hieronymi sententiam.

Cap. 9.

Lib. 4. cap. 35.

Psalm. 102.

Hanc sententiam insigniter exponit in sancti Augustini Appendice auctor quinquagesimi noni sermo-

sermonis: *Certum est, quia qui ad futurum sæculum fert secum plura opera bona & plura opera mala, in ipsis pœnis habebit aliquid refrigerii. Qui autem bonorum operum nihil habet, malorum autem secum defert multam copiam, quid eum maneat, non opus est dicere. Erit enim ibi sine dubio compensatio bonorum malorumque, & velut in statera posita utraque pars, quæ demerserit, illa sibi eorum, quò momentum vergitur, operarium vindicabit. Si ergò malorum multitudo superviucit, operarium suum perstrabit ad gehennam; si verò majora fuerint opera bonorum, summa vi obsistent & repugnabunt malis, at que operatorem suum ad Regnum vivorum ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt.* Hoc ipsum videntur velle antiquæ picturæ, in Belgarum etiam Basilicis repræsentantes extremum judicium, ac in ipso sanctum Archangelum Michaelem, qui per bilancem examinat opera omnium Christianorum. Proindè sanctus Hieronymus nequaquam cum Gnosticis aut Eunomianis contempsit, sed cum Catholica Ecclesia constantissimè prædicavit bona opera, & credidit atque docuit necessaria ad vitam æternam. Verùm insuper credidit unum, aut etiam plura mortalia peccata non sufficere ad condemnationem æternam. Fideles, qui cum quibusdam criminibus habent quædam bona opera, credidit esse auri, argenti, lapidum pretiosorum, ac simul ligni, fœni, ac stipularum superædificatores, ideoque fundamenti, nempè integræ fidei, merito salvandos. Attamen per ignem, qui exurat ista fragilia, per longas post extremum judicium gehennas. Hæc insigniter elucidantur à suprà adductis sancti Joannis Damasceni verbis: *Nisi quis perspicuè deploraverit improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit. Cùm improbæ ac flagitiosæ actiones nimium præponderant.* Sanctus Doctor affirmat duplex hominum genus esse æternaliter damnandum. Omnes infideles: & istos fideles, quorum crimina nimium præponderant. Hinc Ecclesiæ, quibus placuit ista clementia, etiam apertos flagitiorum, præsertim adulterinorum conjugiorum professores admittebant ad Baptismum. Credebant ipsos à se transmitti, licèt non proximè ad Regnum, tamen ad purgationem. Eodem ferè modo, quo quidam Scholæ Magistri illos, qui hac in vita nolunt satisfactiones agere, admittunt ad Reconciliationis gratiam, & credunt ipsos à se transmitti ad Purgatorium.

Hujus Almæ Lovaniensis scholæ Doctor Theologus Joannes Molanus in secundo de Sacris Imaginibus libro hæc scribit: *Michaelem Archangelum pingunt nonnulli cum libra, ponderantem in una statera animam, in altera verò ejus virtutes. Ad stateram, in qua est anima, appingunt Diabolum, qui eam conatur deprimere, quantùm potest. In altera verò statera Michael signo suo Crucis impedit conatum Diaboli, & ex merito Passionis & Crucis Christi videtur aliquid illi stateræ superaddere. Ex hac autem pictura facilè nonnulli colligerent, quòd si consequantur vitam æternam, in quibus bona opera præponderant malis; illi verò relinquantur Diabolo, in quibus mala bonis præponderant. Quale qui habere videtur apud Augustinum recentioris cujusdam hominis sermo, qui est primus in vigilia Pentecostes.* Hujusmodi imagines improbat, censetque periculosas populo, ac scandalosas. Cap. 23.

At verò de jisdem prosequitur in tertio libro: *Michael Archangelus cum libra pingitur, ut simplices, inquit Joannes Echius, intelligant eum posse statera habere animas hominum susciptendi, earumque merita ponderandi. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi ji consequantur vitam æternam, in quibus bona opera præponderant. Quale quid habere videtur incerti Scriptoris sermo in Appendice tomi decimi Augustini. Hæc enim absurdissimè dicerentur: cùm nihil coinquinatum introire possit in Regnum Cœlorum. Et qui offenderit in uno, factus sit omnium reus. Sed significatur hac pictura, quod debeamus deposuisse omne pondus & circumstans nos peccatum, ut Signifer sanctus Michael repræsentet nos in lucem sanctam, quæ olim Abrahæ promissa est, & ejus semini.* Ad adductum præfati sermonis locum etiam alii Majores nostri, dum reviderunt sancti Augustini opera, appositerunt hoc marginale Scholion: *Cautè legatur.* Respondeo picturam esse legitimam, ac fundari in sacris Litteris. Etenim ad Babylonis Regem Balthazar olim fuit dictum à Domino Deo: *Appensus es in statera, & inventus es minùs habens.* Et sanctus Propheta Job dixit: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Et ad istum locum magnus Gregorius scribit, quòd Divina justitia omnes totius humani generis iniquitates posuerint in bilance, & quòd hæc plurimùm præponderent. In Apocalypsi item nigri equi insessor habet stateram in manu. An Majores nostri per sancti Michaelis stateram voluerint populis prædicare sancti Hieronymi sententiam, quis dicat? Existimo quasdam Ecclesias voluisse. Aliæ prædicarunt necessitatem plenæ ac adæquatæ satisfactionis. Etenim satisfactio esse debet non rasus, non scalptus, non adulter, ac insuper pleni ponderis nummus, quo à Divina justitia emamus remissionem peccatorum. Et hic recta sententium Ecclesiarum scopus abundè lucet ex adducto testimonio Eutychii Patriarchæ Alexandrini. Cap. 39. Cap. 6. Lib. 7. moral. cap. 2.

Sancti Hieronymi sententia à multis usque huc non fuit perspecta. Hinc duxi elucidandam. Et adjungo ipsam non fuisse probabilem, ideoque ejus sectatores non evasisse sempiternas gehennas. Hinc ipsam acriter invaserunt sanctus Augustinus, sanctus Joannes Chrysostomus, Faustus Rejensis Episcopus, Jonas Antistes Aurelianensis, ac plures alii. Omnes demonstrarunt palàm adversari Evangelio ac aliis sacris Litteris. Adversùs ipsam sanctus Augustinus scripsit librum de Fide & Operibus. Eandem invadit in Enchiridio, in libris de Civitate Dei, ac aliis in locis. Constanter affirmat unicum etiam mortale peccatum sufficere ad sempiternam damnationem. Sancti Hieronymi nomen reticuit ex reverentia. Et hinc Majores nostri ad adductum in sancti Augustini Appendice sermonem rectè appositerunt: *Cautè legatur.* Etenim jam dudum à Domino Deo est circa hunc articulum instructa Ecclesia. Novit esse gravem ac pravum errorem. Divina sapientia tantum Doctorem, ac plures item Ecclesias permisit ita cespitare. Quid igitur

nos peccatores non timeamus? Proindè cujusvis Doctoris, immò & plurium hodiè Doctorum sententia nequaquam semper est verè probabilis, nec tuta in opere. Hæc opinio est penitùs devia, à fidelis populi auribus & mentibus longissimè proscribenda.

Quin istiusmodi opinionum primi auctores, aut etiam promotores quandoque graviter peccent, non est dubitandum. Etenim Dei legem solvunt, & sic docent homines, ideoque minimi sunt in Regno Cœlorum. Verumtamen istiusmodi judicium nec facilitèr est nec universaliter præcipitandum. Quis enim sanctum Hieronymum dicat aut credat jam dictam opinionem docendo peccasse mortaliter, aut esse excluſum à Dei Regno? Charitas ac recta intentio cooperuerunt peccatum istud, ac reddiderunt veniale. Etiam alii quidam Patres docuerunt & practicarunt quasdam paradoxas, ac palàm devias sententias: & tamen absit, ut ipsos damnemus. De sancto Synesio, Ptolomaidis in Pentapoliana Provincia Episcopo, ac Theophilo Alexandriæ Patriarcha Scribit in Bibliotheca Photius: *Synesius prodiit ex Gentilium Philosophorum schola, quem ajunt ad Divinum Christianorum dogma inclinantem, alia quidem facilè recepisse, sed Resurrectioni doctrinam suscipere noluisse. Verùm ita sentiens nostris tamen Sacris est initiatus, immò etiam summo Sacerdotio dignus habitus, cum ad aliam viri probitatem, pariterque actam vitam respectu habito, tum quod non posset, qui sic vitam instituisset, Resurrectionis lumine non illustrari. Nec ea spes fefellit. Facillimè enim, simul atque Episcopus creatus est, etiam admisit doctrinam Resurrectionis.* Hæc eadem ipse Synesius refert in litteris ad Patriarcham Theophilum. Quidam existimant ipsum ista ad evadendum Episcopatum simulasse. Verùm quid dicemus de taliter suscepto Baptismo? Crediderim quòd sacrosanctæ JESU Christi Sacramenta in ipso non suum dumtaxat effectum, sed & omnem dispositionem ad hunc fuerint operata, uti fecit & Baptismus ille, quem nescio quis Episcopus, à sancto Augustino laudatus in quarto libro Confessionum, largitus est cuidam pertinaci Manichæo. Abolevit pertinaciam, insudit charitatem, ac dedit gratiam remissionis peccatorum. Nec istum Episcopum, nec Patriarcham Theophilum crediderim istic peccasse.

Lib. 2c.

Cap. 4. ¾

Paradoxam quorumdam suo tempore Episcoporum opinionem refert in sancti Isaiæ Prophetæ Commentariis beatus Hieronymus: *Plerique nostrorum Cheirotoniam, id est, ordinationem Clericorum, quæ non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, ne fallaci, ut in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina Clericos ordinet nescientes, se intelligunt, ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum, Manus citò nemini imposueris.* Est opinio verè ridicula, ipsam tamen tenuerunt magni viri. Etenim sanctus Phædimus, Amasenus Episcopus, totius tunc Ponti Metropolita, paganis Neocæsariensibus volens imponere Episcopum, dudum & frequenter venatus fuit sanctum Gregorium Thaumaturgum. Verùm ille perstitit fugere per saltus & latebras, & non potuit comprehendi. Hinc in ipsius Encomio scribit sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus: *Postea quàm nihil non intentatum relinquens ille vir magnus Phædimus, & omni machinatione atque solertia utens non poterat virum ad Sacerdotium adducere, innumeris oculis præcaventem, ne quando Sacerdotii manu caperetur, atque utrique inter se studio certarent, illo quidem capere, hoc verò persequentis manus effugere cupiente, idcircò impetu quodam Divino Phædimus ad propositum studium provectus, nihil curans interjectum spatium, quo à Gregorio dirimebatur, quippè ille aberat itinere tridui, sed ad Deum suspiciens, precatusque ut & ipse & ille pariter in illa hora à Deo respicerentur, loco manus impositionis adhibet Gregorio sermonem, Deo ipsum consecrans, qui corpore præsens non adesset. Et illam ei civitatem destinans atque attribuens, &c.* Hanc sibi intimatam consecrationem admisit Gregorius, nec fuit denuò consecratus. Ejusdem sententiæ fuit nescio quis Agabrensis in Hispania Episcopus, qui ordinatis à se Clericis, quòd oculis laborans non posset legere, manus impositi, consecrationis formulam justit à Presbytero recitari. Videtur graviter deliquisse. Etenim secunda Hispalensis Synodus affirmat illum ob tantæ præsumptionis audaciam fuisse dignum degradari. Verùm quòd sanctus Phædimus peccarit mortaliter, quis audeat vel cogitare? Palàm contradicet sancto Gregorio Nysseno. Distinguenda sunt tempora: veritas pedetentim elucidatur.

Cap. 5.

Similem, sanè nullo modo probandam, sententiam docuit in sancti Matthæi commentario sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus, extrema Domini in cruce verba, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti*, exponens: *Clamor ad Deum corporis vox est, recedentis à se verbi Dei, contestata iisdem.* Affirmat Dominum per ista verba prædixisse suum corpus mox moriturum, & tunc non à sola anima, sed etiam à Deo Verbo fore separandum. Quod ipsum in Apostolici Symboli expositione docuit sanctus Ambrosius: *Beata Domini anima in cruce ad Divinitatem clamavit dicens*, Deus Deus meus, quare me dereliquisti? *Clamavit homo Divinitatis separatione moriturus. Nam cùm Divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet. Quia vita Divinitas est.* Et sanctus Epiphanius scribit de Resurgente Domino *Dominus suum corpus, neque dissolvendum amplius, neque passurum, neque sub mortis dominatum posteà cessurum, cum sua Divinitate conjunxit.* Quod nempè ab hac istud per mortem fuisset separatum. Et in alio loco scribit Dominicam Personam ex plena Divinitate ac plena humanitate fuisse compositam, atque adjungit: *Quæ cùm Divinitatem cum anima in proclivitatem quodam esse videret, ut sanctissimum corpus relinqueret, ex humanæ naturæ persona ad conjunctam Divinitatem est edita vox, Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Et secundæ Narbonensis Galliæ Monachus Leporius in fua, qua suos recautavit errores, & Orthodoxam professus est fidem, epistola scripsit ad Proculum Massiliensem & Cilinium Episcopum Aquensem: *Dominus clamavit*, Deus Deus meus, quare me dereliquisti? *Et in ligno Crucis pendens hanc vocem primò morti emisit, non ut humanam perfectamque in se patientiam demonstra-*

Cap. 13.

Hæres. 20. cap. 2.

Hæres. 69. cap. 62.

monſtraret, quæ ſine teſtimonio vocis, cauſis ipſis & rebus evidentibus probaretur, ſed ut verè manifeſtéque Filius Dei ſecundùm carnem ſe oſtenderet moriturum. Et velut carnis ipſius voce utens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem Crucis neceſſario terrenum corpus erat à Deo pro tempore relinquendum, non ſolùm à Deo, verùm etiam ab anima ſua, quæ erat unita cum Deo, hoc ipſum, priuſquam fieret, nobis moriens teſtaretur. Et infrà: *Corpus in morte Divinitas cum unita ſibi anima reliquit.* Hæc epiſtola eſt ſummæ auctoritatis. Ipſam quippè laudant Joannes ſecundus Pontifex, Joannes Caſſianus, Facundus Hermianenſis Epiſcopus, ac Gennadius Maſſilienſis. Caſſianus eam appellat *Catholicorum omnium fidem.* Licèt Leporii nomen præferat, quibuſdam videtur eſſe compoſita à ſancto Auguſtino. Et adducunt non infirma indicia. Quidquid ſit, epiſtolam probavit Carthaginenſis Synodus, & ipſi ſubſcripſerunt laudatus Auguſtinus, Aurelius Primas Carthaginenſis, Florentius Hipponenſis Diarrytorum, ac Secundus Epiſcopus Aquenſis, ſeu Mogarmitanæ. Et vulgata fuit per omnes Gallias, ac probata cunctis Epiſcopis. Horum quiſpiam ob rectam ejus doctrinam poſtmodò Leporium promovit in Presbyterum.

Non dico hunc epiſtolæ articulum fuiſſe probatum ab omnibus, aut omnes ita ſenſiſſe. Abſit. Dumtaxat dico iſtum articulum, licèt omninò devianiem, ab ipſorum nullo fuiſſe damnatum, projectum, notatum. Quòd nempe eſſet, quamvis non verè probabilis, tamen magnorum Doctorum. Et quin ex ipſorum populis multi ſint ſecuti iſtam opinionem, non eſt dubitandum. Et tamen nunquam credidero vel hos vel iſtos per hunc errorem deliquiſſe mortaliter. Quis enim iſtud credat de ſancto Hilario, aut ſancto Ambroſio? Quis dicat ipſis credentem populum cecidiſſe in crimen? Hæc quidem materia, licèt ſpeculativa, eſt tamen dogmatica, ideoque omnis circa ipſam lapſus eſt gravis ac momentoſus. Et ex his concludo tria. Primò, quod etiam magni Patres ſint quandoque lapſi in malè fundatas ſententias. Secundò, quòd etiam tales, dummodò liberè ambulent per Eccleſiam, opiniones nemo damnare poſſit, nec quempiam ejus ſequacem à Sacramentis excludere. Tertiò, quòd cunctis probabilium, licèt ſolum probabilitatis fucum habeant, opinionum auctores aut patroni non ſint univerſaliter arguendi de gravi peccato. Locum omninò hic habet antiqua regula: *Facta vident homines, intentio judicat omnes.* Sincera mentis ſimplicitas excuſat multa peccata.

Graſſantes hodiè libertinas ſententias abſit à me ut defendam. Memoria teneo verba, quæ Eminentiſſimus ac Eruditiſſimus Eccleſiæ Princeps Franciſcus Cardinalis Barberinus quibuſdam per Illuſtriſſimum Lucam Hoſtenium collectis antiquæ diſciplinæ Decretis præfixit in Inſcriptione ad optimæ memoriæ Pontificem Alexandrum ſeptimum: *Eruditorum, qui hæc viderunt, Beatiſſime Pater, concors opinio eſt, multa in hac collectione reperiri, quæ orthodoxum Dogma ſanciant, quæ jura vetera Sedis Apoſtolicæ illuſtrent, quæ laxitatem obrepentem hodiernis moribus cinctu quaſi ſeverioris diſciplinæ veteris adſtringant, quæ denique pleriſque inquieti hujus & factioſi ſæculi malis, maximè autem prurigini novitatum, quæ cæterarum ferè peſtium fons eſt, aptiſſimum remedium eſſe poſſint.* Impeti debet & alia ſpecies, quæ omnem contra naturales præſertim leges probabilem ſententiam, ac omnia ab ipſo procedentia opera cenſet eſſe peccata mortalia. Confido eſſe abundè revictam. Et adversùs ipſam adduci poſſunt adhuc multa alia.

DISSERTATIO

DE

SIMONIA MONASTERIORUM.

SIMONIA Eſt horrendum crimen ex quo Divinæ Majeſtatis Ira horrendas quandoque plagas miſit in Eccleſiam. Eſt prima per ipſos Apoſtolos damnata & caſtigata hæreſis, fœdior blaſphemia Macedoniana. Eam quæ in Sacroſanctorum Sacramentorum adminiſtratione, Eccleſiaſticorum Beneficiorum diſtributione, ac aliis ad iſta ſpectantibus patratur, utcumque expoſui in præviis Diſſertationibus ad Acta ſancti Leonis IX. Eam quæ à Cœnobiis admitti poſſit, tetigi in Scholiis ad ſeptimam Synodum. Eſt famoſa unà & clamoſa hodiè quæſtio. Et utraque pars excedit veri ac recti limites. Hinc quidam poſtularunt hæc ad quædam Monaſteria corrigenda, ac ſiſtendos aliorum exceſſus elucidari. Et ſanè Monaſteria ab hac ſcabie fuerunt olim longè mundiſſima. Etenim Chalcedonenſis Synodus, quæ prima adversùs hanc impietatem edidit Canonem, in ſolos Clericos ſanxit, non in Monachos. Monachalis Simoniæ prima, ſi rectè memini, mentio eſt apud magnum Gregorium. Primus in ipſam Canon eſt à ſeptimo Concilio. Etiam ſancti Romualdi Abbatis, ac ſancti Leonis IX. Pontificis tempore Simonia, licet omnem ferè macularet Eccleſiam, non invaſerat Monaſteria. Horum puritati humanum ſanctus Petrus Damiani Oſtienſis Antiſtes, Divinum teſtimonium perhibuit ſanctus Petrus Igneus Epiſcopus Albanenſis. Et certè ipſa ſingulariſſimo ſtudio obligantur iſtam lepram devitare.

CAPUT I.

Opulenti olim fideles, ſuſcipientes vitam Monaſticam ſolebant ſuarum facultatum aliquid largiri Monaſterio.

ANtiqua Chriſtianitas Monachis dedit varia nomina, varios titulos. Inter cætera appellavit *Renunciantes*. Quod nempe non ſoli diabolo, ejuſque pompis & operibus, quod omnes in Baptiſmo facimus, ſed etiam cunctis poſſeſſionibus ac temporalibus bonis nuncium mitterent, & ipſorum jura plenè abdicarent. A ſua perſona, non à Monaſterio. Hinc paſſim ipſum, antequam profiterentur, aut ſua bona omnia, aut ipſorum portionem tranſcribebant. Ita apud ſanctum Hieronymum dicit de ſemetipſo Malchus Monachus: *Venumdata poſſeſſuncula partem erogavi pauperibus, partem Monaſterio conſtitui.* Et de Monachiſmum amplectente ſancto Epiphanio ſcribit in ejus vita Joannes Monachus: *Epiphanius cum omnia vendidiſſet, dedit indigentibus, reliquis ſibi quadraginta nummis ad divinos ac utiles libros comparandos.* Et ad ſanctum Paulinum Monachum ſcribit ſanctus Hieronymus: *nos ſuſfarcinati auro Chriſtum pauperem ſequimur, & ſub præcuntis Electmoſynæ priſtinis opibus incubantes, quomodo poſſumus alteno fideliter diſtribuere, qui noſtra timidè reſervamus?* Etiam ſcribit ad ſacram Virginem Demetriadem: *ſolent miſeri Parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, Virginitati tradere. Tanti, ut dicitur, virum, quanti & margaritum. Certè qui Religioſorem ſibi videntur, parvo ſumptu, & qui vix ad alimenta ſufficiat virginibus dato, omnem cenſum in utroque ſexu ſæcularibus Liberis largiuntur.* Notat duplicem exceſſum. Quidam omnia bona, quidam ipſorum nihil, aut ſanè non niſi modica alimenta donabant Monaſterio. Ambos reprehendit Hieronymus, & cenſet aliqua pauperibus, aliqua Monaſterio donanda largiter, nec omnia ſæcularibus filiis aut fratribus relinquenda. Hanc avaritiam damnat in Profitentium Parentibus, adeoque longè amplius in ipſis Profitentibus. Præſertim arguit Parentes, qui deformes proles ſtudebant ſine dote trudere in Monaſteria. Omnia ſua largiri pauperibus quis inficiatur eſſe laudabile? Ita fecerunt ſanctus omnium Cœnobitarum Patriarcha Antonius, ejus diſcipulus ſanctus Hilarion, ſanctus Paulinus, & alii plures. Verùm Monaſticæ diſciplinæ Principes maluerunt Profitentis bona, partim in pauperes dividi, partim in Monaſterium. Inſignem hac de re inter breviores Regulam habet ſanctus Baſilius: *Omninò jis, qui ad Dominum accedunt neceſſario quæ ad ipſos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque prorſus quidquam ſubtrahere, ne ſacrilegii judicium incurrant. Verumtamen hæc ipſa in illorum oculis, ad quos pertinere viſa ſunt, conſumi nihil neceſſe eſt. St quidem hoc facere plerumque illis ipſis cauſam præbet ſeſe efferendi, & e contrario pauperibus, qui ad eandem vitam ſe contulerunt dolendi. Ex qua illud ſequitur quod vitio datur Corinthiis ab Apoſtolo, cum ait: Confunditis eos qui non habent. Quam ob rem cui creditæ eſt ſingularum Eccleſiarum procuratio, is ſi fidelis ſit, & diſpenſare prudenter poſſit, hac in re imitetur conſuetudinem illorum, de quibus eſt in Actis, quod ſcientes ponebant ante pedes Apoſtolorum. Quod ſi quæ hujuſmodi ſunt, diſpenſare non eſt omnium, ſed eorum tantummodo, quibus adhibita diligenti circumſpectione ſit demandata hujuſcemodi adminiſtratio, etiam quod ab hujuſmodi, quos diximus, hominibus datum fuerit, hic de eo ita ſtatuet, quemadmodum ipſe rectum eſſe judicavit.* Affirmat varia, & quidem bene notanda. Primo, quod omnia Profeſſi Monachi bona per Profeſſionem devolvantur, & pleno jure ſpectent ad Monaſterium. Hinc ſecundò dixit Profeſſi conſanguineos, qui illa occultaverint aut

Ep. 13.

Ep. 8.

Cap. 8.

Cap. 187.

aut defraudaverint, esse non solummodo fures, sed insuper sacrilegos. Quod nempe detineant res Monasterii. Tertio supponit, quod horum bonorum distributio fieri non debeat per ipsum Professum Monachum. Quia videlicet hic jam excidit omni jure translato in Monasterium. Quarto suadet hanc distributionem non fieri in præsentia istius Monachi. Quia nempe hinc illi possit nasci occasio superbiæ, qua se efferat supra illos, qui ex sæculi paupertate ad istam sanctam societatem venerunt. Addit elationem hanc esse similem Corinthiorum delicto, de quo sanctus Paulus: *Confundittis eos, qui non habent.* Quinto mandat istam distributionem fieri per Præfectum Monasterii. Dummodo tamen fuerit peritus administrare temporalia. Palam supponit omnia Professi bona, non esse retinenda a Monasterio, sed aliqua distribuenda in pauperes.

Eandem formam secutus est in sua Regula Sanctus Augustinus: *Fratres studeant non de Parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec exstollantur si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerint: Nec de suis divitiis magis superbiant quia eas Monasterio partiuntur, quam si eas in sæculo fruerentur.* Notanda sunt verba: *Aliquid contulerint.*

Cap. 25. *Eas Monasterio partiuntur.* Laudavit illos non qui totum, sed qui aliquid dederint Monasterio. Et in libro de Monachorum opere affirmat aliquos ex sæculi inopia, aliquos *relicta vel distributa, sive ampla, sive qualicunque opulenta facultate*, controverti ad Monasteria, & addit omnes suo modo obligari ad manibus operandum, & infra subjungit: *Nec attendendum est in quibus Monasteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus quisque id, quod habebat, impenderit.* Affirmare videtur, quod Professurus non dumtaxat sæculi pauperibus, sed aliis etiam Monasteriis possit elargiri. Dico, *videtur*. Alii enim censent ab illo asseri, quod ista elargitio non debeat in proprium, sed fieri possit in quodcumque Monasterium. Et certe hunc sensum videtur tradere etiam in literis ad Sanctum Alipium Episcopum Tagastensem. Quidquid sit, de hac consuetudine scribit etiam in Psalmorum commentariis: *Laborant manibus suis, inde se transfugunt, non avare aliquid petunt. Quidquid eis infertur a pis fratribus cum sufficientia & charitate utuntur.* Agit de *vita communi fratrum, quæ est in Monasterio*. Laudat res illatas a Profitentibus.

Psal. 99.

Ejusdem mentis fuit Sanctus Cæsarius Archiepiscopus Arelatensis. Ejus in Regula hoc est primum caput: *ad conversionem venienti vestimenta laica non mutentur, nisi antea de facultate sua chartas venditionis faciat, sicut Dominus præcepit dicens*, si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & veni, sequere me. *Certè si non vult vendere, donationis chartas aut Parentibus aut Monasterio faciat: dummodò liber sit. Si vero Pater ejus aut Mater vivat & non habet potestatem faciendi, quando illi migraverint, cogatur facere.* Venerabilis Benedictus Anianensis in Gallia Cœnobii nono Christi sæculo Abbas hanc Regulam Sancto Cæsario, alii adscribunt ejus nepoti ac Presbytero Tetradio: Ambo recte. Eam enim ille creditur huic dictasse. Et sanè Cæsarius istud ipsum repetit in sanctimonialium Regula: *Quæ ad Monasterium veniunt, non excipiantur, nisi ante de omni facultatula sua, cui voluerint chartas, aut donationes, aut venditiones faciant.* Et in sua Monachorum Regula Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: *qui relicto sæculo ad militiam Christi pia & salubri humilitate convertuntur, omnia sua primum, aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant.* Et infra: *qui aliquid habentes in sæculo converteruntur, non exstollantur, si de suis facultatibus quodcunque Monasterio contulerint, sed potius timeant, ne per hæc in superbiam labantur, & pereant, quibus melius esset, si divitiis cum humilitate in sæculo perfruerentur, quam ut pauperes effecti de earum distributione, elatione superbiæ exstollantur.* Hæc, uti & plura fuæ Regulæ alia Sanctus Isidorus est mutuatus ex Regula Sancti Augustini. Etiam in sua Regula Sanctus Benedictus statuit: *Professurus res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter Donatione conferat Monasterio nihil sibi reservans ex omnibus.* Et Nobilibus, filios suos Monasterio tradentibus seriò mandat, ne illis unquam aliquid donent, atque ita faciant Proprietarios, & adjungit: *Vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluntin elemosynam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio Donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario.* Pallam supponit, quod aliquid dent Monasterio.

Cap. 4.

Cap. 4.

Cap. 58.

Cap. 59.

Sanctus tamen Pachomius suis Monasteriis fixit aliam formam. Ipsam in secundo Monasticarum institutionum libro exponit Joannes Cassianus. Demonstrat Proprietatis vitium esse pessimam nostræ Professionis scabiem, addit à Pachomianis nec unum obolum suis permitti, atque profequitur: *Sciunt enim eum sub Monasterii disciplina diuturnum esse non posse, sed ne humilitatis quidem aut obedientiæ approbenturum esse virtutem, nec illa Cœnobii pauperiate ac disciplinæ contentum fore, si in conscientia ejus pecuniæ quantulumcunque latitaverit; sed ubi primùm exorta fuerit qualibet occasione commotio, fiducia stipis illius animatum, continuò de Monasterio, velut funda vo ante, fugiturum. Et idcircò ne ufsus quidem Cœnobii profuturas suscipere ab eopecunias acquiescunt. Primùm ne confidentia hujus oblationis inflatus nequaquam se Pauperculis fratribus coæquare dignetur. Tum ne per hanc elationem nullatenùs ad humilitatem Christi descendens cum sub Cœnobii disciplina non potuerit perdurare, egressus exinde ea, quæ in principio Renuntiationis fuæ spiritali fervore succensus intulerat, tepefactus postea non sine injuria Monasterii, sacrilego spiritu recipere atque exigere molliatur. Quod omnimodis observari debere multis sunt experimentis frequenter edocti. Nam per alia minus cauta Monasteria, simpliciter quidam suscepti, corum quæ intulerant; quæque in Dei opere fuerant dispensata, cum ingenti post blasphemia redhibitionem poscere tentaverunt.*

Cap. 3.

Eandem sanctitatem sectatus fuit venerabilis An-

Andreas, ad duodecimi ſæculi exordium Abbas apud ſanctum Petrum Caſalis Benedicti, de quo ejus poſt mortem filii ſcripſerunt ad omnes ſuos per Eccleſiam confratres: *Andreas Clericos tam pauperes quam Divites, & Laicos, prædicando ut mundum cum ſuis delectationibus derelinquerent, & Religionis habitum ſuſciperent, hortabantur. Quibus ſi verum deeſſet copia, unde veſtimenta ſibi non poſſent emere ad Religionem pertinentia, libenter & gratulanter properabat adminiſtrare propria.* Erat Monaſterium modicarum facultatum: hinc pergit laudata epiſtola: *Sæpè etiam cum fratres paupertatis onere nimium gravarentur, non habentes unde humanam naturam, ut deceret, reparare valerent, Andreas non admodum Mercenarii, ſed ad ſimilitudinem pii & boni Paſtoris, ſemetipſum periculo mortis tradens, pro eorum utilitate non ſolùm per loca victus mendicando ibat, ſed etiam mare tranſiens in Anglicum terram pergebat. Unde gratia Dei cum ornamentis pluribus, & marcis argenti redibat: quibus Eccleſiam & fratrum ſuorum inopiam ſuſtentabat.* Extat Epiſtola in Spicilegio Domini Lucæ Dacherii. Monaſtica mendicitas eſt ædeo antiqua.

CAPUT II.

Exponuntur aliquot antiqui Eccleſiarum ac Monaſteriorum abuſus.

QUod Clerici & Monachi paſſim avaritia laborent, eſt nimis exploratum. Inſignem rationem dat in libro de ſancta viduitate beatus Auguſtinus. Vitium invaleſcere cœpit ad media Chriſti Domini ſæcula, dum ſanctus Rigobertus, ſancti Benedicti Ordinis Remenſis, ſanctus Ledradus Lugdunenſis, ſanctus Crodogangus Metenſis atque alii ſimiles Epiſcopi, nec non Imperator Carolus Magnus, ejus ſucceſſor ac filius Ludovicus, ac id genus optimi Principes Clerum coegerunt ad communem in Clauſtro ſub Epiſcopi oculis vitam. Carolus Martellus pleraſque Eccleſias ac Monaſteria expilarat, ac ex ipſorum poſſeſſionibus ditarat milites. Hinc inopia, & acquirendi neceſſitas. Verùm cupiditas neſcit, ubi neceſſitas finiatur. Hinc avaritia. Quorumdam Epiſcoporum avaritiam notat ac damnat ſecunda Cabilonenſis Synodus: *Imputatur quibuſdam Fratribus, eò quòd avaritiæ cauſa hominibus perſuadeant, ut abrenunciantes ſæculo res ſuas Eccleſiæ conferant. Quod penitus eſt ab omnibus mentibus eradicandum. Animarum quippe ſalutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet. Quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque ſpontanea eſſe debet, juxta illud quod ait Scriptura:* Voluntariè ſacrificabo tibi. *Eccleſia verò ſancta non ſolùm fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri neceſſitatem patientes, à ſancta Eccleſia, utpote pia matre, & omnium gubernatrice, ſubſidium accipiant. Quia res Eccleſiæ quibus Epiſcopi non ut proprias, ſed ut commendatitias uti debent, pretia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viventium.* Carolus Magnus Canonem redegit in hocce compendium: *Statutum eſt ut nullus in Canonica aut Regulari Profeſſione conſtitutus aliquem tonſurari propter res adpiſcendas delinquere perſuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, Synodali vel Imperiali ſententia modis omnibus ſeriatur.* Extat in quinto libro Capitularium. Quidam Epiſcopi & Canonici opulentos homines invitabant ad ſuum Collegium: & ipſorum omnia artificioſè emungebant ac abſorbebant.

Cap. 6.

Cap. 137.

Eandem artem eadem Cabilonenſis Synodus damnat in Monachis: *Conſtituit ſacer iſte Conventus, ut Epiſcopi, ſive Abbates, qui non in fructum animarum ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoſlibet homines illectos circumveniendo totondederunt, & res eorum tali perſuaſione non ſolum acceperunt, ſed potius ſubripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ ſive Regulari, utpote turpis lucri ſectatores, ſubjaceant. Hi vero qui variis promiſſionibus illecti, vel quibuſlibet machinationibus perſuaſi, mentis inopes effecti, rerum ſuarum domini eſſe neſcientes comam depoſuerint, in eo quod cœperunt perſeverare cogantur. Res namque quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non ſolum acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur, qui dementia Parentum & avaritia incentorum exheredati eſſe noſcuntur. Si verò neſcientibus Epiſcopis aut Abbatibus Miniſtri eorum, quilibet videlicet in Clero hoc feciſſe convincantur, Epiſcopi & Abbates deſidia, illi verò rapacitate, & avaritia judicentur, hoc verò quod quiſque Deo juſtè & rationabiliter de ſuis rebus offert firmiter Eccleſia tenere debet.* Canon communiter agit de Epiſcopis & Abbatibus, de Eccleſiis & Monaſteriis. Ipſum ſuo Decreto inſeruit ſanctus Jvo Carnotenſis Epiſcopus.

Cap. 7.

Eadem de re habemus & alia magni Caroli Capitularia: *Ut liber homo, qui in Monaſterio Regulari comam depoſuerit & res ſuas ibidem delegaverit, promiſſionem factam ſecundùm Regulam firmiter teneat.* Per liberum hominem intelligit nobilem, legitimè ab illo factas in Monaſterium donationes probat ac firmat: At verò aliud capitulum habet: *De liberis hominibus, qui ad ſervitium Dei ſe tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis Licentiam poſſulent. Hoc ideo quia audimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe, quam pro exercitu, ſeu defunctione Regali fugiendo. Quoſdam verò cupiditatis cauſa ab his qui res illorum concupiſcunt circumventos audimus. Et hoc ideo prohibemus.* Eandem regulam idem Carolus poſuit in Legibus Longobardorum. Quod nempe vitium etiam iſtic graſſaretur. Regulæ cautam largiùs exponit aliud capitulum: *De oppreſſione pauperum liberarum hominum, ut non fiant à Potentioribus per aliquod malum ingenium contra Juſtitiam oppreſſi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc & ſuprà, & hic de liberis hominibus diximus, ne forte Parentes eorum contra juſtitiam fiant exheredati, & Regale obſequium minuatur. Et ipſi hæredes propter indigentiam mendici, vel latrones, vel malefactores efficiantur.*

Lib. I. cap. 143.

Cap. 120. Lib. 3. cit. 1.

cap. 13.

Lib. I. cap. 124.

Occurrunt aliquot quæſtiones. Prima eſt: An hoccè vitium fuerit Simonia? Fuit avaritia, turpe lucrum, fraus, rapacitas, injuſtitia. Quæſtio omnis eſt, an & Simonia fuerit? Reſpondeo fuiſſe. Etenim in finali de Simonia Capitulo

pitulo Gregorius Nonus declarat omnes Beneficii reſignationes, quæ licet nullo pacto, tamen præcedente animi erga temporalia affectu utrimque fiunt, eſſe Simoniacas. Eadem eſt ratio Monaſticæ Profeſſionis. Et ſane præfati Epiſcopi, Abbates, Clerici, aut Monachi non animarum ſalutem, ſed temporales poſſeſſiones venantur, & harum cauſa circumſcriptis à ſe hominibus imponunt Clericatum aut Monachatum, ideoque palam habent animum Simoniacum. Eſt tamen dumtaxat mentalis Simonia, ideoque licet grave peccatum ſit, ſecundùm hodiernam diſciplinam nullas incurrit Canonum pœnas. Diſertè ita ſtatuit idem Gregorius. Item eſt ſolius doloſi atque avari circumſcriptoris Simonia. De Romana Lucretia ac ejus Stupratore rectè ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Duo fuerunt, & unus commiſit adulterium*. Eodem modo frequenter ſunt duo, & unus committit Simoniam. Etiamſi quis dives jactet ſuas opes, & ex prava intentione ſpondeat Monaſterio, hoc verò illum caſtè ſuſcipiat ob rationes alias, ſolus ille incurrit lepiam.

Secunda quæſtio eſt, quare Cabilonenſis Synodus aliter de circumſcriptorum Clericorum, aliter ſanciat de bonis iſtiuſmodi Monachorum? De his ſtatuit: *Res quæ ab avaris & cupidis, non ſolùm acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur*. Quod non edixit de Clericorum bonis. Reſpondeo rationem eſſe obviam. Clericorum ad Eccleſiam, Monachorum hæreditas devolvitur ad Monaſterium. At verò Eccleſia eſt mater pauperum. Ejus omnia bona ſunt pari jure obſtricta non ſolis Epiſcopis & Clero, ſed inſuper Viduis, Orphanis, cunctis pauperibus. Monaſteria, licet juxta vires ſingulariter obligentur ad eleemoſynas, non habent iſtud onus. Excipe tamen Decimas, & alia bona, quæ devenerunt ad ipſa ab Eccleſiis. Hinc igitur laudata Synodus circumſcriptorum bona cenſuit Eccleſiis potius permittenda, quàm Monaſteriis. Nihilominus iſtarum Eccleſiarum Epiſcopos, licet ex ſola negligentia circumſcriptionem non impediviſſent, caſtigavit non minùs quàm Abbates.

Quæſtio tertia eſt, an Magnus Carolus, dum homines liberos ſeu nobiles ſine ſua venia tonſurari vetuit, non inciderit in crimen Imperatoris Mauritii, qui ſimilem emiſit legem, rejectam & circumductam à Magno Papa Gregorio? Reſpondeo non incidiſſe. Etenim iſtos ſuos ſubditos non ſimpliciter vetuit tonſurari: dumtaxat diſcutere voluit, an de ſuis poſſeſſionibus ex judicio citra circumſcriptionem tonſurandi diſponerent. Rectè diſponentes permiſit ſuo arbitrio. Antiqua & famoſa Romani Imperii Lex habuit, ut nemo Curialis fieret Clericus aut Monachus, niſi prius compoſuiſſet cum Curia, & omne ejus decrementum præveniſſet ac ſuppleſſet. Multos, qui hæc neglexerant, huc tempore fuiſſe etiam ex Presbyterii gradu retractos ad Curiam, apud Imperatorem Valentinianum lamentatur S. Ambroſius, & flagitat corrigi. Eodem ex principio Magnus Carolus ſuæ militiæ ac alterius miniſterii numerum noluit graviter decreſcere, ideoque nec omnium Tonſurandorum bona devolvi ad Monaſteria. Præſertim dum iſtis eſſent conſanguinei pauperes. His voluit portionem relinqui, atque ita ipſos non compelli ad mendicandum, furandum, aut latrocinandum, ſed potiùs invitari ad ſupplenda Imperii ſervitia. Sanxit ex Cabilonenſi Synodo. Cenſuit hoc prævium examen eſſe mitius quam poſtmodum à Monaſterio faciendam bonorum redhibitionem. Ex ſimili conſideratione Tridentinum Concilium ſanxit omnium Virginum, antequam profiteantur, vocationem & libertatem examinari per Epiſcopum. Quin tamen iſta Caroli Lex impegerit in Eccleſiæ libertatem, nemo poſſit inficiari. Iſtius mali correctio ſpectabat ad Epiſcopos. Unde & lex nunquam fuit uſu recepta.

Ita affirmat, & rationem dat in litteris ad Carolum Calvum, Francorum Regem, Hincmarus Metropolita Rhemenſis. Regem, qui quibuſdam Avi ſui, Magni Imperatoris Caroli, circumductis capitulis circumſcriptus Eccleſiaſticam libertatem offendebat, inſtruit atque deducit ad rectam, & adjungit: *Poteſt fieri, ut aliqui Principi antè vos hinc ſubreptum ad modicum fuerit, & iterùm æterna lege correctum, ſicut Julianus, & poſtea Imperator Mauritius decreverunt, ut ei qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulſus fuerit in Monaſterium recipi, & Chriſto cum militare non liceat. Quod religioſi Imperatores, & ſanctus Gregorius Apoſtolica authoritate & generali Epiſcoporum conſenſu, Eccleſiaſtico rigore ac Chriſtianæ Reipublicæ cohibente religione deſtruxerunt, velut in ejus epiſtolis ad Mauritium Imperatorem, & ad plurimos Archi-Epiſcopos directis offenditur, quod & divæ memoriæ Avo veſtro Carolo ſubripuit, ſicut Majorum traditione, & verbis, & ſcriptis didicimus. Et in primo libro Capitulorum demonſtratur, de liberis hominibus ad ſervitium Dei ſine ſua licentia non convertendis. Quod Eccleſia & Reſpublica non conſenſit, quodque poſtea correxit, ſicut in eodem libro Capitulorum monſtratur.* Adducit Capitulum. At ipſum hodie non extat in Codice Abbatis Anſegiſi. Et Capitum numerus non concordat. Proinde Hincmari ætas habuit codicem diverſum à noſtro. Interim hinc diſcimus plura. Primò, quòd iſtud Caroli Capitulum impegerit in jura Eccleſiæ. Secundò, quòd & Epiſcopi & Proceres contrà ipſum intercеſſerint. Tertiò, quòd ipſum Carolus circumduxerit. Quartò, quòd numquam fuerit uſu receptum. Iſtas Hincmari litteras in ſecundo Spicilegii tomo vulgavit eruditus Lucas Dacherius. Fecit Eccleſiæ non mediocre beneficium.

Cap. 112.

Cap. 134.

CAPUT III.

Exponitur varia pœna Monaſticæ Simoniæ.

PRima hujus Simoniæ pœna eſt divina. Ipſam in Occidentalis Eccleſiæ hiſtoria exponit Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Ad tantam corruptionem & defectum clauſtrales mulieres ubique ferè devenerant, quod converti volentes tutum ad eas refugium non habebant. Paſſim & publicè pro miſerabili Monaſteriorum ingreſſu pecuniam exigebant, allegantes ſuam paupertatem, & de Simonia crimine peſſimo*

Cap. 15

pessimè non curantes, domum orationis in forum negotiationis convertebant. Sed & propriùm retinere ferè omnes non timebant, cum Ananiæ & Saphiræ à Domino reprobatæ. Addit eadem etiam circa castitatem non bene audivisse. Affirmat divinam istius Simoniæ pœnam fuisse lapsum omnis Disciplinæ. Etiam substantialium votorum. Sancti Apostoli Petri in Simonem maledictio, *pecunia tua sit tecum in perditionem*, transit ac semper transibit in omnes hujus sectatores. Injusta, præsertim Simoniaca, bona invadunt justa, rodunt, lacerant, absumunt. Hinc istiusmodi Monasteria rediguntur in paupertem, atque ita quisque suis necessitatibus cogitur venari proprium, pestem ac exitium Regularis vitæ. Ex proprio sequitur Præpositorum contemptus, privata intemperantia, pericula ac vulnera castitatis. Et similium Monasteriorum ingressum Jacobus Cardinalis rectè ac meritò appellavit *miserabilem*.

Addit ista Monasteria tunc devenisse in solemnem Christiani populi contemptum, ac sanctissima Cistercienfium Monialium Cœnobia divinitùs prosecisse: *Multiplicata est sicut stellæ cœli, & excrevit in immensum Cistercienfis Ordinis Religio Sanctimonialium, benedicente Domino, & dicente eis, crescite & multiplicamini, & replete domum. Fundabantur Cœnobia, ædificabantur Monasteria, replebantur claustra, confluebant Virgines, concurrebant Viduæ, & mulieres conjugatæ de consensu mariorum suorum carnale conjugium in spirituale commutabant. Ex aliis Monasteriis Moniales mutato habitu ad fructum meliorisvitæ, & arctioris vitæ advolabant. Matronæ nobiles & potentes in sæculo, relictis hæreditatibus terrenis, & immensis possessionibus, præelegebant abjectæ esse in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Illustris Prosapiæ Virgines, oblata matrimonia contemnentes, relictis ingenuis parentibus, & blandientis sæculi deliciis, projectis ornamentis & vestibus pretiosis, Christo sponso Virginum jungebantur in paupertate & humilitate: & vitæ durioris asperitate Domino devotissimè servientes, temporales di vitias pro spiritualibus sapienter permutantes. Ut enim de aliis hujus Ordinis Monasteriis & Congregationibus Sanctimonialium, quæ in aliis locis passim ædificabantur, taceamus, in una Diœcesis Leodiensis regione septem hujus Ordinis & Professionis Abbatias Monialium tempore modico fundari & construi vidimus, & sanctis Monialibus, tanquam liliis & violis, exornari.* Tenacia veræ disciplinæ Cœnobia à Domino Deo ita benedicuntur. Falli non potest hæc Dominica Regula: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*.

Etiam Hospitalariorum varia vitia enumerat, atque deplorat idem Cardinalis, & prosequitur:

Cap. 29. *De regularibus Institutis, & Ordinis puritate nihil præter externum habitum retinentes, omnes ferè per Simoniam recipiunt. Qui turpitudines ingressi, turpissimè ad aliorum imitationem, ibidem commorantur, in murmure & dissensione, in jurgiis & seditionibus, in otio & dissolutione, in loculis & proprii retentione, in cubilibus & immunditiis, & omnimoda suditate, sine affectione, absque misericordia, sine fœdere.* Simoniacorum vita non possit esse alia. A Spiritu sancto, quem pejus tractant quàm Macedoniani, nec inhabitantur, nec regnntur, nec benedicuntur. Nescio quis Episcopus, quem ob Simoniam degradavit Apostolicæ Sedis Legatus Hildebrandus postmodo sanctus Papa Gregorius VII. Spiritum sanctum nunquam nominare valuit. In glorificationis hymno aliud dicere non potuit, quàm priora verba: *Gloria Patri, & Filio*. Hoc ipsum agitur in cordibus omnium Simoniacorum. Et Hospitalis Ordinem, olim longè sanctissimum, quod se reformare ac expugnare neglexerit, divina Justitia ferè redegit in nihilum. Quod solius etiam Abbatis Simoniaca promotio evertat omnem disciplinam, ac destruat opulentissima Monasteria, demonstrat Lambertus Schafnaburgensis. A. 1071.

Hanc Simoniam sacri etiam Canones durè persequuntur. Primam ab eis inflictam pœnam exponit in litteris ad Jerosolymæ Patriarcham Innocentius III. Templariorum Ordinem, militiam, ac merita extollit, atque prosequitur: *Ipsam quoque domum militiæ Templi, ad quam occulti respiciunt plurimorum, quosdam intelleximus simoniacè intrejisse, simplicitate tamen potius, quam malitia, prout ex litteris tuæ fraternitatis accepimus. Simplicitate occasionem præstante delicto. Ad excludendum igitur talis simplicitatis periculum, fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus Magistro & fratribus Militiæ Templi ex parte nostra districtè prohibeas, & ab eis factus per omnes domos sui Ordinis firmiter inhiberi, ne pro alicujus receptione aliquid exigatur. Nec etiam sub prætextu subventionis ad exactionem procedatur hujusmodi, cum superficies nominis veatum criminis non immutet. Si quis autem de cætero quenquam taliter admiserit ad Ordinem supra dictum, ut tam admittens quàm admissus puniatur, in quo deliquit, ab eo sine spe restitutionis perpetuò expellatur, ad alium districtioris regulæ Ordinem transferendus, in quotam execrabilis culpæ reatum pœnitentia condigna deploret. Cum jis autem, qui hactenus simplicitate peccarunt, si urgens necessitas aut evidens utilitas postulavit, mitiùs agere poteris, prout discretionis tuæ prudentia viderit expedire.* Istius ergo criminis pœna est triplex. Perpetua relegatio à proprio Monasterio, Traductio ad aliud strictius, & perpetua istic Pœnitentia. Omnes obligant & admittentem & admissum. Et ipsarum nulla dispensari aut mitigari possit, nisi per Romanum Pontificem. Ac non nisi ob urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem. Lib. 4. Ep. 90.

Innocentius hæc referipsit ex sexagesimo quarto Canone sui Lateranensis Concilii: *Quoniam simoniaca labes adeò pleraque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in serores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitùs prohibemus, statuentes ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quàm recepta, sive sit subdita sive Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale Statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem alibi fortè nequiverint commodè collocari, ne*

ferè

fortè damnabiliter in sæculo evagentur , reciplantur in eodem Monasterio dispensativè de novo , mutatis prioribus locis , & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos , & alios Regulares discernimus observandum. Verùm ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare , præcipimus ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari. Canon prodiit adversùs abusum , quem nobis suprà retulit Cardinalis de Vitriaco . Etenim ipse Concilio adfuit , unus è Canonis auctoribus. Erat tunc Accorensis Episcopus, id est , Ptolomaidis in prima Phœnicia ,

Aliam insuper pœnam inflixit Lateranensis Synodus Alexandri III. *Monachi pretio non reciplantur in Monasterium. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit , ad Sacros Ordines non ascendat. Is autem qui acceperit , officii sui privatione mulctetur* . Taliter admissum facit irregularem ad suscipiendos Sacros Ordines , adeoque in jam susceptis permittit ministrare, Eundem Canonem idem Pontifex antè adfectitiæ in Turonensi Concilio: *Prohibemus ne ab jis , qui ad Religionem transire voluerint , aliqua pecunia exigatur . Hoc Simoniam esse , Sanctorum Patrum auctoritas manifestè declarat . Undè quisquis hoc de cætero præsumpserit attentare , partem se cum Simone non dubitet habiturum .* Durioremn pœnam adjecit in sua Londonensi Synodo Richardus Cantuariensis Archi-Episcopus , successor sancti Thomæ Martyris: *Nullus Prælatus in recipiendo Monacho, vel Sanctimoniali pretium sumere vel exigere ab his , qui ad conversionem veniunt , aliqua pacti occasione præsumat . Si quis hoc fecerit , anathema sit* . Anathematizat solum Prælatum exigentem. Synodus extat apud Rogerum Hovedenſem. Obstrinxit solam Angliam, Marginale Scholion addit: *Ex Decreto Urbani Papæ* . Etenim Urbanus II. in Melphitano Concilio statuit : *Nullus Abbas pretium exigere ab eis , qui ad conversionem veniunt, aliqua Placiti occasione præsumat* . Eundem Canonem postmodò innovavit in Romana sua Synodo . Verùm istic omisit vocem, *Placiti* . Ipsam in Melphitana Synodo firmant etiam eruditi viri , Philippus Labbæus, & Gabriel Cossartius. Est manifestum mendum. Retinenda ac firmanda est lectio Rogerii Hovedensis: *Aliqua pacti occasione*.

Easdem pœnas confirmant & alii Canones . Quidam Presbyter nescio quem Abbatem ac ejus Conventum apud Apostolicam Sedem de Simoniaca Constratris admissione accusavit , & ad utriusque Episcopum, ac suum Legatum rescripsit Alexander III. *Quoniam factum hujusmodi pernitiosum videtur , mandamus quatenùs , si ita esse inveneris , Abbatem & Monachos ad restituendam pecuniam , præfato F. tam indignè acceptam , compellas , & abbatem ac majores personas Monasterii pro tantæ prævitatis excessu ab officii executione suspendas. Præcipiat dicto F. ut in alio Monasterio in habitu Monastico , Domino studeat deservire* . Imponit tres pœnas. Abbati ac ejus majoribus Officialibus suspensionem ab officio , ac simoniaci pretii plenam restitutionem . Quæ pœna obligat ante omnem Judicis sententiam . Etenim sacræ rei venditor scelleratum pretium non facit suum . Quæstio est , cui sit restituendum? Alexander videtur asserere , quod ipsi simoniacè admisso Monacho. Respondeo hoc planè esse devium . Textus est manifestè mendosus. Legendum est: *à præfato F. tam indignè acceptam* . Proindè restitutio facienda est in pauperes , aut alias pias causas, vel etiam in simoniacè admissi hæredes: si sint inscii pravitatis, ac innocentes. Est antiqua pœna inflicta etiam per secundam Synodum Cabilonensem. Desumpta est ex septima generali Synodo. Ejus namque Canon decimus-nonus habet : *Porrò quæ filius à parentibus donantur more dotis , vel si qua ex propriis rebus acquisita offeruntur , profitentibus his , qui ea offerunt dicendo Deo, diffinimus illa manere in Monasterio , secundùm repromissionem illorum* . Legitimè donata seu oblata permittit manere Monasterio, adeoque aliud censet de pretio simoniaco. Laudatus Alexander simoniacè admisso imponit, ut transferatur ad aliud Monasterium : utique strictius, ad agendam perpetuam pœnitentiam .

Hinc Alexandri Successor Clemens III. istud crimen etiam exaggerat , & profequitur: *Cùm super hoc authoritates multæ reperiantur expressæ , non aliter quàm statutum est , respondemus , ut locum , quem taliter adepti sunt , omninò dimittant , & solitudines seu alia Monasteria districtiora adeant , in quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent . Si autem ignorantibus ipsis pecunia data fuerit , cogas eos ad renuntiandum loco eidem : & posì modò in ipsum reducere si absque scandalo potuerint remanere , vel in alio , qui sit de Ordine ipso , ad serviendum Deo , poteris collocare* . Simoniaca in Ecclesiastica beneficia intrusio quandoque procuratur ab ipsis intrusis , quandoque ab ipsorum parentibus. Et de hac specie statuit in sua Romana Synodo Urbanus II. *Quicumque sanè cupidi- tate parentum , cùm adhuc essent parvuli , Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt , postquam eas omninò dimiserint , si Canonicè in eis vivere voluerint , pro magna misericordia ibidem eos esse concedimus , neque pro hoc facto à sanctis Ordinibus removemus , si aliàs digni inveniantur* . Istijusmodi promotio est nullius ponderis: est penitùs irrita. Hinc ita promotus obligatur beneficium dimittere citra omnem judicis sententiam . Quia Ecclesiasticum beneficium nunquam possidere potuit sine Canonico titulo. Ille tamen innocens poteſt ad suum beneficium reassumi: habiturus tunc in Choro & alibi locum, non juxta primam, sed juxta secundam admissionem . Etenim ad similem intrusum, qui Præbendam suam sponte dimiserat , Canonicum rescripsit idem Clemens : *Sed Præpositus & Confratres ibi compatientes de novo in Canonicum elegerunt , ita videlicet , ut per electionem ipsum postremum locum in Choro, & In aliis obtineres . Respondemus , ut indulgentia , quam Fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur , contentus existens , ratione prioris receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia vendicare* . Istud Collegium omninò egit , & Clemens omninò rescripsit ex laudato Urbani Canone. Et ipsum idem Pontifex hic extendit ad similes Monachos. Mandat duo. Primò , ut à suo , quod ipsorum parentes simonia maculaverant , Monasterio omninò removeantur . Deindè permittit eos in ipsum reponi , si fieri possit sine scandalo fidei populi .

Cap. 2.

Fol. 543.

Cap. 7.

L. 5, tit. 3. c. 19.

Cap. 25.

Cap. 5.

Cap. 26.

Eadem

Eadem de re infigniter ad Stephanum Cantuariensem Archi-Episcopum rescripsit Innocentius III. *Nuntius tuus pro parte tua proposuit, quod cùm Cantuariensem Diœcesim visitans, in Monasteriis & Religiosis locis pullulasse repereris simoniacam pravitatem, ita quod in eis multi pretio sint recepti, qui potiùs gratis recipi debuissent, imò etiam ad Religionis observantiam invitari. Dubitas igitur, an quia multitudo reperitur in culpa, severitati sit aliquid detrahendum. Nos inquisitioni tuæ taliter respondemus: quod si adversùm eos, qui labe hujusmodi fuerint maculati, accusatio coram te canonicè instituta fit, postquam crimen ordine fuerit judiciario comprobatum, tam in dantes quàm in recipientes canonicæ severitatis exercetas ultionem. Quod si de hoc tibi per solam inquisitionem constiterit, eos qui per simoniacam pravitatem in locis talibus sunt accepti, ab illis amotos ad agendam pœnitentiam in Monasteria dirigas arctiora. Abbatibus autem & Abbatissis, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & Officialibus eorumdem injungas, pœnitentiam competentem. Et donec illam peregerint, eos à Sacrorum Ordinum executione suspendas, injungens Episcopis tuis, ut hanc formam per suas Diœceses fludeant observare.* Admissi detrusionem in arctius Monasterium, ac Admittentis à Sacris Ordinibus suspensionem affirmat esse pœnam Canonum rigore mitiorem: quis igitur est iste rigor? Respondeo esse Admittentis insuper suspensionem ab officio, & Admissi ad recipiendos Sacros Ordines irregularitatem. Fortitan & anathema inflictum à Richardo Archi-Episcopo. Pontifex enim rescripsit pro sola Anglicana Ecclesia, ideoque possit ad ejus etiam singulares Canones respexisse.

Duriſſimas huic criminí pœnas impoſuit etiam ſeptima Synodus: *In tantum inolevit avaritiæ fa-*
Cap. 19. *cinus in Rectores Eccleſiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religioſi, viri ac mulieres, obliviſcentes mandatorum Domini deciplantur, & per aurum introitus accedentium, tam ad Sacratum Ordinem, quàm ad Monaſticam vitam efficiant. Undè ſit, ut quorum initium improbabile eſt, omnia ſint projicienda, ut magnus ait Baſilius. Neque enim Deo pro mammona ſervire licet. Si quis ergò inventus fuerit hoc faciens, ſi quidem Epiſcopus aut Abbas exiterit, vel quilibet de ſacrato Collegio, aut definat aut deponatur, juxta ſecundam regulam Sancti Chalcedonenſis Concilii. Abbatiſſa verò ejiciatur de Monaſterio, & tradatur in alio Monaſterio ad ſubjectionem. Similiter & Abbas, qui non habuerit manus impoſitionem Presbyteri.* Affirmat ac ſancit varia. Primò, quòd in Sacro Ordine aut Eccleſiaſtico beneficio, necnon in Monaſterii ingreſſu patratæ Simoniæ ſint ejuſdem reatus ac pœnæ. Secundò, quòd illi, quorum exordium eſt improbabile, ſint juxta magnum Baſilium projicienda omnia: quòd eorum promotio aut profeſſio non poſſit à Divina benedictione nanciſci felicem exitum: etenim à Simonis maligno corde incipiunt, ideoque ipſorum omnia vergunt in perditionem. Tertiò, Canon diſtinguit inter Abbates Presbyteros & Abbates adhuc laicos, aut certè poſitos in inferiori gradu. Quartò, Epiſcopum aut Abbatem Presbyterum cogit ad ceſſandum ab officio: quod ſi non obedierit, jubet per Superiorem ejici. Et hoc juxta ſecundum Canonem Chalcedonenſem. Agit hic de ſolis gradibus Eccleſiaſticis, ac ſimul in ſolos ipſorum Collatores Epiſcopos: noſter Canon ipſum ampliat ad Profeſſionem monaſticam, & Abbates Presbyteros. Iſtius verba ſunt: *Gradus ſui periculo ſubjacebit.* Mandat deponendum. Noſter Canon adjicit, quod ante omnem Judicis ſententiam obligetur ceſſare. Quintò, mandat non dumtaxat admiſſum Monachum, ſed etiam admittentem, qui Presbyter non ſit, Abbatem, itemque Abbatiſſam deportari in aliud Monaſterium, & ſubdi perpetuæ pœnitentiæ. Verùm iſtos Canones nunquam probavit Romana Eccleſia, ideoque hunc in Abbates rigorem nos Latini nunquam agnovimus. Laudata Innocentii III. Synodus ipſum admittit in Abbatiſſas.

CAPUT IV.

Oſtenditur quòd Religioſæ profeſſioni nullum poſſit apponi temporale pactum.

Est res exploratiſſima. Abundè lucet ex adductis teſtimoniis. Eandem confirmat Francofordienſis Synodus: *Audimus quòd quidam*
Cap. 16. *Abbates, cupiditate ducti, præmia pro introcunti-bus in Monaſterium requirant, Ideò placuit nobis & Sanctæ Synodo, ut pro ſuſcipiendis in ſancto Ordine Fratribus nequaquam pecunia requiratur, ſed ſecundùm regulam ſancti Benedicti ſuſcipiantur.* Hæc verat quidquam exigi, permittit admitti ſpontè oblata. Et Magni Caroli ad Monachos Capitula
Cap. 15. habent: *Ut nullus Abbas pro ſuſceptione Monachi præmium quærat.* Sancti Benedicti regulam inſigniter exponit in litteris ad Hervæum incluſum Hoſſredus Abbas Vindocinenſis; *Plus in hominibus diligimus honoratam pauperta tem, quàm ſuperbas eorum divitias. Quas ſi habuerint, reſpuendæ*
Lib. 4. Ep. 49. *non ſunt. Habent enim & illa locum ſuum. Nihil tamen profacientis Monachis quærimus: ſed ſi quid oblatum fuerit, quia illud Regula ſuſcipi jubet, ſuſcipimus. Ordo ſiquidem noſter exigit, ut tales ſimus, qui non lucris temporalibus, ſed lucrandis animabus operam demus.* Laudata Regula non ſolummodò permittit, ſed omninò jubet ſuſcipi oblata. Cenſet Renuntiantium opes non eſſe contemnendas. Ad quartum decimum decimi tertii ſæculi annum Petrus, Romanæ Eccleſiæ ad ſanctum Stephanum in monte Cœlio Presbyter Cardinalis, ac Innocentii III. per Galliam Legatus, in celebrata apud montem Peſſulum Synodo emiſit hunc Canonem: *Præcipimus ut*
Cap. 17. *nullus in Canonicum aut Monachum admittatur cum aliqua conditione vel pacto, per quod aliquid debeat pro ejus receptione dari.* Hanc Synodum nuper vulgavit Stephanus Baluzius. Ad ejuſdem ſæculi annum trigeſimum octavum Otto Cardinalis, Gregorii IX. Legatus per Angliam, omnibus iſtic Abbatibus impoſuit Lateranenſem Canonem laudati Innocentii. Ita habes apud Matthæum Pariſienſem. Ipſe item Innocentius ſuis, quas ſuprà adduxi, ad Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum litteris addidit hanc clauſulam: *Illud tamen gratanter accipi poterit, quòd fuerit, ſine taxatione gratis oblatum.* Notanda ſunt verba: *Sine taxatione.* Ad quinti-decimi ſæculi

finem

fuem etiam Trifandus de Salazar, Archi-Episcopus Senonensis, in sua Synodo edidit insignem Canonem : *Quia Canonicæ institutiones, quæ de Simonia loquuntur, distinctè prohibent pro ingressu Religionis ab ipsis ingredientibus, vel eorum nomine quidquam exigi, etiam prætexu cujuscumque consuetudinis, quæ potius dici debet corruptela, omnibus Abbatibus & Abbatissis, Prioribus, & Prioribus, & aliis quibuscumque suademus, quò jura de hac materia loquentia diligenter observent, sic scilicet quòd pro ingressu Religionis pro se vel Monasterii suis ex pacto vel conventione nihil recipiant; si autem post ipsum Religionis ingressum aliquid fuerit ab ipsis ingredientibus, vel ab ipsorum parentibus Monasterio ex devotione oblatum, illud recipi minimè prohibemus.*

Hæc Synodus rectè dicit: *Prætextu cujuscumque consuetudinis.* Imitatur Alexandrum III. qui de Simonia damnavit consuetudinem, ex qua nescio qui Monachi triginta, Abbas decem, Familia postulabat duodecim solidos, *asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii.* De cunctis Simoniacis tam sæcularis quàm regularis Cleri exactionibus rectè dixit idem Alexander in Turonensi Synodo : neque sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum aliquis tueatur. *Quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget.* Can. 1. Senonensis Synodus etiam rectè addit : *Pro se vel Monasteriis suis.* Nam & laudatus Alexander damnat istam Consuetudinem, ex qua & Monachi & Abbas aliquid pro se exigebant. Ista exactio illis cedebat in jocalia. Erat fœdissima consuetudo. Penitùs damnanda. Notanda sunt & hæc illius Synodi verba : *Si autem post ipsum Religionis ingressum, &c.* Est sanctum ac in sacris Canonibus laudatum consilium. Verùm repugnat Regulæ sancti Benedicti, ideoque non est authenticum. Etenim de adulto Novitio sanxit Cap. 58. Regula : *Res si quas habet, aut eroget priùs, aut conferat Monasterio.* Ante professionem. Et de Parentibus parvulum filium ad professionem offerentibus scribit : *Cum oblatione petitionem* faciant parentes, *& manum pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant.* Et hæc agendi forma apud omnes antiquos Monachos fuit solemnissima.

Laudata Innocentii III. ad Hierosolymæ Patriarcham epistola, quæ Templi milites de Simonia notavit, rectè addidit etiam *sub subventionis prætextu* nihil posse exigi. Etiam hanc exactionem esse simoniacam. Per subventionem intelligit tertæ Sanctæ, ac præsertim Sacræ Templi Militiæ præstanda nummaria subsidia. Et certè videbatur justissimus titulus. Interim doctissimus ille Pontifex affirmat esse inhabilem prætextum. Et rectè. Etenim quod neque ad dotandas Episcopales Cathedras, neque ad fundanda Xenodochia, neque ad faciendas eleemosynas quidquam possit à consecrandis Clericis exigi, & quod omnis istiusmodi exactio per tales pietatis fucos non abluatur à lepra, abundè ostendi in præviis Dissertationibus ad Acta S. Leonis IX. Adduxi authentica testimonia : præsertim magni Basilii, ac magni Papæ Gregorii. Repetamus aliquid ex Lib. 7. Indict. 2. Epist. III. hujus litteris ad Syagrium Augustodunensem, & quosdam alios Galliæ Episcopos : *Suadet forsan diabolus debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodò vel sic venena mortifera elemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, nec avem aucceps decipere, vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponerent, aut ille hamum esca absconditum non devasset.... Unde etiam illud certum est, quia etsi Monasteria vel Xenodochia aut quid aliud de pecunia, quæ pro sacris Ordinibus datur, constituantur, mercedi non proficit.* Eadem omnia militant in Monastica professione. Quare nihil exigi possit etiam pro ornamentis Ecclesiæ. Ex nulla penitus causa.

De antiquis Baptismi ritibus scribit in illius encomio S. Gregorius Nazianzenus : *Tempe est dicere, ubi est munus, quod propter Baptisma offeram? Ubi splendida vestis, in qua exsplendescam? Ubi ea quæ ad imitatores meos excipiendos requiruntur? Ut in his quoque rebus nomini celebritatem consequar. Valde enim, uti vides, hæc necessaria sunt.* Est invectiva in eos, qui ex istiusmodi causis Baptisma differebant. Ex ipsa discimus plura. Primò, quod quisque olim baptizatus baptizanti aut ejus Ecclesiæ offerret amplum munus. Quisque juxta vires suarum facultatum. Secundò, quod quisque suis initiatoribus, nempe baptizanti, ejus ministris, suis susceptoribus, ac aliis amicis exhiberet solemne convivium. Tertiò, quod hæc omnia passim censerentur necessaria : utique ad populærem honestatem. Quin etiam ex his rebus quisque venabatur celebritatem sui nominis. Hinc qui ista non habebant ad manum, differebant Baptismum. Gregorius adjungit & consuetudinis originem : *Salutem nostram lætitia profequi convenit. Ac multò quidem magis, quàm carnis amici dies illos quotannis celebrant, quibus vel nati, vel matrimonio juncti sunt, vel nomen acceperunt, vel certè inter juvenes censeri caperunt, vel locum aliquem primò incoluerunt, vel quacumque tandem alia de causa mortales diem festum agunt.* Hi sunt antiqui mores totius Romani Imperii. Primitivi Christiani primum suæ salutis, seu divinæ suæ Regenerationis diem censuerunt longè dignio rem. Hinc honorarunt solemni convivio. Qui mos viguit etiam apud Latinas Ecclesias. Extat enim Gallicanus Canon : *Ut tanto mysterio debita omninò reverentia exhibeatur, Parochos & Ecclesiarum Ministros sedulò monemus, ut manè intra Officia divina, aut mox post ea peracta, cum multa sobrietate & accurata devotione Baptismum administrent; comessationes verò & parùm sobria convivia, quæ quibusdam in locis post Baptismum inhiberi, per cunctos Magistratus inhiberi, aut saltem ad moderationem Christianis dignam reduci volumus.*

Quidam Episcopi ac Presbyteri videntur istam conviviorum consuetudinem vertisse in jus ac debitum, atque à populis exegisse. Quod enim quidam ipsa etiam à confecratis Episcopis, Abbatibus, & Clericis, item à missis in possessionem Beneficiatis exegerint, est omnibus Canonum peritis exploratum. Et istas exactiones Romana Magni Gregorii, ac aliæ plures Synodi damnarunt de Simonia, ac prosciplerunt. Certè ista Baptismalia convivia admittere noluit magnus Basilius. Nec admisit à Neophytis, nec tamen extinxit : sed ipse in Baptizatis exhibuit. Etenim de Josepho Judæo, arte medico, ideòque & opulento, nec non de ejus familia, per magnum hunc Antistitem baptizatis, scribit in ejus vita sanctus Amphilochius, vel quis alter

antiquus Scriptor: *Basilius cum adsumpsit, & reduxit ad cubiculum suum, ciboque appositio docuit quæ spectant ad vitam æternam, suo Qvili adjungens novum militem cum uxore & filiis.* Et de S. Episcopo, qui sanctum Epiphanium ac ejus sororem baptizavit, scribit in illius vita Joannes Cap. 8. Monachus: *Cùm essent participes divinorum ac immortalium Sacramentorum, jussit Episcopus eos prandere, similiter & septem dies manere in Episcopatu.* Et de Sabbathi Sancti apud Mediolanenses Ecclesiam consueto officio scribit Beroldus: *Sciendum præterea, quia illi duo custodes, qui porrexerunt aquam & manutergium Episcopo ad fontes ad lavandum pedes puerorum & ad extergendum eosdem, & tres Custodes majores, qui dederunt Cardinalibus pueros in frontibus, & Ostiarius hebdomadarius, qui in Processione portat crucem auream, & Candelarius, omnes isti debent prandere cum Episcopo.* Ad quem locum advertit Josephus Vice-Comes: *Verba*, debent prandere, *pro*, prandent, *à vito Latinæ Linguæ parùm perito posita sunt.* Quidquid sit, omnes per Orientem & Occidentem meliores Episcopi recusarunt hæc prandia à baptizatis accipere: ipsi illa exhiberunt.

Religiosa Professio est secundus Baptismus. Hoccè Elogio decoratur ab antiquissimis utriusque Ecclesiæ Patribus. Hinc variæ gentes Baptismale convivium etiam in ipsam traduxerunt. Et spontaneam consuetudinem quædam Monasteria verterunt in debitum ac necessitatem. A professuris aut ipsorum parentibus exegerunt. Testatur hoc in supra adductis, & apud Gregorium IX. sub titulo de Simonia extantibus, litteris Alexander III. *Familia duodecim solidos pro pastu, asserens hoc esse de consuetudine Monasterii, postulavit.* Cap. 19

Et istam consuetudinem Pontifex damnavit de Simonia. Attamen non exstirpavit. Aut certè illa postmodò revixit. Hinc Urbanus IV. emisit hunc Canonem: *Sanè multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, & aliis locis religiosis, tam virorum quàm mulierum, Ordinum, Regionum, & partium diversarum, detestabilis & à Canonibus reprobata servatur abusio, quod cùm personæ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam Regularem, ipsæ temeritate præsumptuosa pastus seu prandia Capitulis & Conventibus ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & locorum, aut pecuniam aut jocalia, seu res alias ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, & locis, seu Residentibus, ex statuto vel consuetudine, quæ corruptela est potius dicenda, tribuere compelluntur. Ex quibus decori Ecclesiasticæ & immaculatæ Religioni detrahitur. Quamplures etiam, tam execrationæ hujusmodi criminis, quàm expensarum onere, à sacræ Religionis Propositu retrahuntur. Ipsæque Ecclesiæ, Monasteria, & loca famulantium Deo consuetis numeris manent destituta. Et in multorum fidelium mentibus scandalum generatur.* Hunc *pestiferum morbum* Pontifex variè exagitat, & concludit: *Apostolica authoritate districtiùs inhibemus, ne tam à maribus quàm à mulieribus, volentibus ingredi Religionem, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, domus, seu loca, in earundem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alas, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis piumsum alium deputata vel deputanda, directè vel indirectè petere, vel exigere quoquo modo præsumant, sed eos potiùs cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & vestitu, sicut alias personas suarum domorum & locorum, sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quæ personæ illæ ingredientes purè & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare & offerre voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.*

Pontifex prohibet varia. Primò, quosvis pastus ac convivia. Deindè quævis jocalia. Tertiò quascumque exactiones. Etiam illas, quæ fiunt non pro Monasterio, sed in gratiam Præfecti. Etiam quæ fiunt ad ornatum Ecclesiæ, aut quemvis pium usum. Addit: *Qu amvis sit eis à jure prohibitum.* Affirmat hanc suam Sanctionem non esse novam, sed hausiam ex antiquis Canonibus. Ad ipsos innovandos. Et adducit varias suæ Constitutionis rationes. Prima est, quod per istas exactiones detrahatur decori Ecclesiasticæ ac immaculatæ Religionis. Secunda, quòd quidam veti fideles istud crimen detestentur, quidam reperire nequeant tantas impensas, ideoque ab ingressu Religionis divertantur. Hæc posteriior ratio quosdam olim retraxit à baptismo. Ita jam audivimus à sancto Gregorio Nazianzeno. Tertia ratio est, quòd ex hoc fonte quædam Monasteria non habeant competentem numerum, ideoque ab ipsis non expleantur debita Officia. Addi possent & aliæ rationes. Prima est, quòd ista exactio frequenter faciat impingi in Apostolicum Canonem: *Et confundatis eos qui non habent.* Uti olim in Baptismo, ita hodie in Regulari professione quisque vult *consequi celebritatem nominis*: suam famam non lædere. Hinc etiam modici cives nolunt istud prætermittere, ideoque se exhauriunt. Et dum ambiunt servare, impeiluntur lacerare famam Monasteriorum. Secunda ratio est, quòd neophytus Regularis diem suæ professionis, quem totum Domino Deo per ferventissimam pietatem oportet confecrari, per ista convivia quandoque prophanet, maculetque suos novos natales. Tertia ratio est, quòd ista exactio inutiles ac ineptas quandoque personas inducat in Monasteria, quæ ipsorum in matrem Ecclesiam onera non possint explere. Quæ postmodò laxent omnem disciplinam.

Interim Urbanus etiam Pontifex istam diem non vetat exhilarari. Solummodò mandat hoc fieri secundùm faciem. Sanctorum regulari cum temperantia, & citrà omnem exactionem. Hanc damnat de Simonia, & variè ac duré castigat. Prima pœna est: *Si sint singulares personæ, tam dantes quàm accipientes, excommunicationis sententiæ subjacere decernimus.* Si sit Capitulum aut Conventus, eos supponit suspensioni. Excommunicationem accepit à septima Synodo. Secunda pœna has censuras reservat Sedi. Apostolicæ, ac in solo mortis articulo permittit ab aliis relaxari. Quòd omnem hanc Simoniam sibi absolvendam semper reservaverit Romana Ecclesia, lucet ex finali Capitulo ad istum titulum. Est enim species hæresis, cujus absolutionem antiquissimi etiam Canones reservant Sedi Apostolicæ. Urbanus Pontifex adjungit aliquas gratias. Primò permittit, ut omnes ista Simonia usque tunc maculati absolvantur per Episcopum. Supponit ipsos esse excommunicatos, aut suspensos.

Secun-

Secundò permittit, ut etiam dispensari possint ad permanendum in suo Monasterio. Affirmat etiam per hanc Simoniam incurri reatum expulsionis ex proprio Monasterio. Tertiò permittit, ut omnia usque tunc exacta ac recepta permaneant Monasterio, dummodò tamen communi usui sint applicata, aut applicentur. Proindè Abbas, & quivis alius, quæ pro se acceperant, debebant traducere in communem usum. Pontifex supponit ista omnia esse obnoxia restitutioni. Utique in pauperes, aut alias pias causas.

CAPUT V.

An nullo in casu liceat aliquid ab ingredientibus exigere?

PRima quæstio est, an ob Monasterii inopiam non liceat quidquam exigere? Rationem dubitandi facit suprà adductus Innocentii III. in Lateranensi Synodo Canon: *Paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare.* Respondeo, Canonem exponi à Jacobo Cardinale de Vitriaco, uno ex Patribus istius Concilii. Laudat Cistercienses Ordinem, deplorat depravatos sui sæculi mores, atque prosequitur: *Deo devotæ virgines, & sanctæ mulieres, fervore Spiritus & desiderio fœmineum animum exuentes, evadentes mundi naufragium, ad tranquillum Cistercienſis Ordinis portum, assumpto regulariter habitu tranſierunt. Alias enim Monialium Congregationibus, propter nimiam vitæ dissolutionem, securè se committere non audebant. Ad tantam enim corruptionem & defectum claustrales mulieres ubique ferè devenerant, quòd ad eas tutum refugium non habebant. Quàm enim periculosum sit & difficile, inter impudicas castitatem conservare, nemo dubitat, qui talium mulierum mille artes & malefícia non ignorat. Sed & passim & publicè pro miserabili Monasteriorum ingressu pecuniam exigebant, allegantes suam paupertatem, & de Simonis crimine pessimo non curantes Domum orationis in negotiationis forum convertebant.* Lib. 2. cap. 15.

Istæ Moniales vivebant sine disciplina, ideoque omnia ipsarum bona cadebant in pertusum sæculum. Et talem paupertatem Simonia non levat, sed auget. Hinc laudata Lateranensis Synodus rectè dixit istis exactionibus non esse titulum, sed prætextum, ideoque ipsas esse plenè simoniacas.

Hinc superest quæstio, an vera disciplinati Monasterii paupertas sit legitimus titulus ad aliquid exigendum? Respondit in sua Oxoniensi Synodo Stephanus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, & Archi-Episcopus Cantuariensis: *Statuimus ut de cætero pro receptione alicujus in domum Religiosi, pecuniam aut quidquid aliud extorquere non præsumant, adeò ut si præ paupertate domus debeat vestire ſcipſum, prætextu vestium ultra justum pretium earum ab eo penitùs nihil recipiatur.* Et Ludovicus à Guysia, Cardinalis item Presbyter, & Rhemensium Archi-Episcopus statuit in sua Rhemensi Synodo: *Qui pro Religioni seu Monasterii ingressu aliquid extorserit, Simoniacus esse censeatur. Nam licet opes Monasterii sint adeò tenues, ut vix ingredientem alere queant, eumque oporteat aliquando pro alimentis & vestibus aliquid Monasterio conferre, tuta conscientia, modò id non fiat ante votorum emissionem; tamen ut deinceps omnis nequitiæ amputetur occasio, Synodi Tri-*

dentinæ Decretis admoniti statuimus, ne deinceps in quibuscumque Monasteriis major Monachorum vel Monialium numerus admittatur, quàm qui ex propriis reditibus Monasterii, vel elemosynis assuetis educari queat. Approbamus tamen & laudamus elemosynas, etiam copiosas, ab ingredientibus sponte oblatas.

Affirmat primò, quòd ob Monasterii paupertatem exigi possint non tantummodò prima vestimenta, sed & perpetua alimenta. Quod ipsum docuit Magnus Papa Gregorius in litteris ad Sabinianum, suum Constantinopoli Diaconum Apocrysiarium: *Domino Romano etiam dicendum est, quia Catellus Palatinus subſtantiam ejus, quantum Virigantinus dicit, malè exterminet. Cui vix potuit imponere, ut expensas eidem Virigantino in Monasterio, in quo lectioni vacat, & laboranti non poteſt, parum aliquid de subſtantia Matris suæ dare debuiſſet.* Virigantinus videtur more consueto fuisse ingressus Monasterium: videlicet ad laborandum, atque ita victum suum lucrandum. Verùm professus maluit litteris vacare, ideoque manibus operari non potuit. Hinc ipsi ex materna hæreditate Magnus Gregorius justit dari alimenta. Et quidem violenta juris via per Illustriss. Romanum, sub Imperatore Mauritio, Magistrum officiorum. Præfata Rhemensis Synodus secundò affirmat istiusmodi exactionem fieri tuta conscientia. Etenim uti Episcopus, antequam ad Clerum admittat & consecret, ita & Abbas, antequam suo pauperi proficientem Cœnobio incorporet, potest exigere patrimonialem titulum, seu alimenta. Quod etiam verum est, dum pro certo numero dotatum Monasterium admittit supernumerarios. Attamen horum alimentario est temporalis: quòusque ex supernumerariis fiant numerarii. Ita se habet rei natura. Verùm Tridentina Synodus sanxit aliud, mox exponendum. Rhemensis Synodus affirmat tertiò: *Modò id fiat ante votorum emissionem.* Ita legunt non dumtaxat Ludovicus Odespun, sed etiam Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius. Est lectio suspecta. Videtur legendum: *Modò id non fiat ante votorum emissionem.* Videtur hæc Synodus ista sumpsisse ex Synodo Tristandi de Salazar, Archi-Episcopi Senonensis: *Si autem post ipsum Religionis ingressum fuerit aliquid ab ipsis ingredientibus, vel eorum parentibus, Monasterio ex devotione oblatum, illud recipi minimè prohibemus.* Et quidem quod post professionem aliquid ab opulento recipi, & à paupere Cœnobio possit exigi, docet adductum exemplum ex Magno Gregorio. Et fateor istam oblationem ac receptionem esse magis liberam, minusque suspectam. Ut tamen & anteà fiat, disertè permittit, imò mandat Regula sancti Benedicti. Eadem est ratio istius exactionis. Expedit ipsam fieri ante professionem. Nam & Episcopi patrimonialem titulum non à confecratis exigunt Clericis, sed à confecrandis. Quarè affirmat istiusmodi exactiones interdici à Tridentina Synodo, ideoque deinceps non licere. Affirmat licere ex naturali ac Divino jure, verùm isto Ecclesiastico prohiberi. Et adjungit prohibitionis causam: *Ut deinceps omnis nequitiæ amputetur occasio.* Nempe ne quis Monasterii Præfectus habeat ansam, ex qua pauper tatem prætexat in titulum, atque ita pariet Simoniam. Ex simili causa Eliberinum Con- Lib. 7. Ep. 1.

cilium vetuit Baptismi tempore nummos in Sacrum fontem conjici à baptizatis, susceptoribus, aut assistentibus. Eadem de causa Annatas fuisse sublatas à Basileensi Concilio ad Eugenium IV. Pontificem scripsit Julianus Cardinalis Cæsarinus.

Audiamus Tridentinum Decretum: *In Monasteriis & domibus, tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, tantus numerus constituatur, at impositorum conservetur qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commodè sustentari possint.* Cap. 3. Est Decretum desumptum ex Bonifacii VIII. sexto Libro ad titulum de Regularibus: *Districtius inhibemus, ne in Monasteriis non mendicantium, aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis seu proventibus absque penuria sustentari. Si secùs actum fuerit, irritum decernentes.* Tridentina Synodus hoc Decretum partim extendit, partim contraxit. Extendit ad omnia generatim Monasteria: etiam Virorum. Etiam Mendicantium. Hinc adjunxit *ex reditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis.* Contraxit & circumduxit adjectam à Bonifacio professionis nullitatem. Adversus Tridentino Concilio professiones nemo jam censet nullas. Bonifaciani Decreti virtus aut nunquam recepta fuit in mores, aut jam pridem evanuit. Galliæ Regnum istas Constitutiones nunquam admisit.

Tridentinum Decretum nititur ac fulcitur antiquissimis Canonibus. Etenim noster sanctissimus Apostolus ac Martyr Bonifacius habet in suis selectis Capitulis: *Ut plùs non mittantur in Monasteria Canonicorum atque Monachorum, sive Puellarum, quàm sufficere possint.* Cap. 15. Et hanc Constitutionem innovavit tertia Turonensis Synodus: *Ut in Monasteriis Canonicorum, Monachorum, seu Puellarum, majorum hominum numerus non admittatur, quàm facultas Monasterii posse sufficere.* Can. 31. Ipsam etiam Magnus Imperator Carolus admisit in sua Capitularia: *De congregationibus superfluis, ut nullatenùs fiant, sed tantos congreget quis, quantis consilium dare potest.* Lib. I. cap. 112. Et Gerardus Comes inter alias fundavit à se Vizehacensis Monasterii conditiones posuit & hanc: *Sed & rerum quantitas in suscipiendis Fratribus, seu Sororibus semper attendatur, ne superfluo numero Congregationes ipsæ (quod absit) fortè gravatæ delabantur.* Et Nicolaus I. Pontifex Confirmationis Diplomati adjecit: *Sed & modus in numero Congregationis adeò conservetur ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat.* Habes hæc apud Hugonem Pictavinum in Chronico istius Monasterii. Decreti sensum insigniter aperit ac tradit Aquisgranense sub Ludovici pii Imperio Concilium: *Cavendum summoperè præpositis Ecclesiarum est, ut in Ecclesiis sibi commissis non plures admittant Clericos, quàm ratio finit, & facultas Ecclesiæ suppetit. Ne si indiscretè & extraordinariè plures aggregaverint, nec ipsos gubernare, nec cæteris Ecclesiæ necessitatibus, ut oportet, valeant administrari. Sunt namque nonnulli, vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numerosam Cleri Congregationem volunt habere, cui nec animæ nec corporis curam solatia exhibere. Hi namque taliter aggregati, dum à Prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque Canonicum servant ordinem, nec Divinis Officiis insistunt. Claustra, Societatemque cæterorum relinquentes efficiuntur vagi & lascivi, gulæ & ebrietati, & cæteris suis voluptatibus dediti. Quidquid sibi libitum est, licitum faciunt. Proindè Præpositis solerter providendum est, ut in hoc negotio modum discretionis teneant. Scilicet, ut nec plus quàm oportet, & possibilitas Ecclesiæ suppetit, in Congregationem admittant, nec eos, quos rationabiliter gubernare possunt, causa avaritiæ abjiciant.* Lib. I. cap. 118.

Certè in Monasteriis ubi Fratribus non dantur necessaria ac sufficientia, & ista vitia, & omnium ipsorum radix proprietas non possint non grassari. Hæc ipsum Decretum voluit evulsa. Ipsum innovavit Tridentina Synodus, ideoque habuit eundem scopum. Hunc præfata Rhemensis Synodus non plenè attigit.

Hinc Augustinus Barbosa circa Tridentinum Decretum proponit hanc quæstionem: *Cùm expletus est numerus personarum Religiosarum, quæ ali possunt ex annuis reditibus Monasterii, an possit aliqua sufficienter dotata cum sua dote supra illum numerum admitti?* Et respondet partem affirmativam defendi à Martino Navarro, aliisque scholæ Doctoribus. Et in Collectaneis adducit tres insignes Eminentissimorum Dominorum Declarationes. Prima est: *Moniales, Velatæ, aut Conversæ, supra numerum non recipiantur, nisi obtenta Sacræ Congregationis licentia. Et quoad Velatas supernumerarias servari debent conditiones in Licentiis contentæ.* Secunda est: *Moniales, quæ de licentia Sacræ Congregationis recipiuntur supra numerum in quolibet Monasterio constitutum, non subrogantur in locum earumdem decedentium intra numerum. Nec impediunt, quin aliæ in locum earumdem demortuarum intra numerum recipi possunt. Imò eædem sic supra numerum receptæ, ad hunc effectum ne impediant hujusmodi loca, remanent semper supernumerariæ, licet in cæteris nihil ab aliis differant, & in omnibus æquales esse debeant, juxta cujuslibet Monasterii institutum.* Tertia est: *Monialium in singulis Monasteriis, etiam curæ Regularium, seu Militarium subjectis, ordinarii debent certum numerum juxta cujusque Monasterii facultates præscribere. Et si quæ suprà statutum numerum recipiantur, duplicem eleemosynam adferre. Duplicis autem eleemosynæ nomine intelligi semper debet duplicata summa ejus, quæ in receptione cujusque Monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum erogari protempore consueverit.*

Ex his dictis plura. Primò, quòd Tridentina Sanctio non vetet admitti supernumerarios. Secundò, quod etiam numerariæ Moniales soleant conferre eleemosynam. Tertiò, quòd supernumerariæ debeant conferre eleemosynam duplicem. Quartò, quòd ista eleemosyna seu alimentitia dos, quoniam supernumeraria Monialis non transit in numerariam, debeat esse census ad totam vitam. Quintò, quòd possit exigi. Etenim sine ipsa Monialis non possit admitti. Tridentina Synodus Regulares personas, uti noluit premi inopia, ita nequaquam noluit augeri. Hinc & præfata Rhemensis Synodus probavit ac laudavit copiosas etiam eleemosynas conferri ab ingredientibus: utique ad Monasterii substantiam, ideoque & ad numerum augendum. Ista postulandæ à sacra Congregatione facultatis necessitas non viget in Gallia aut Belgio. Nec item rigidus

rigidus fratrum aut fororum numerus. Et hinc calamitosis hiscè bellorum temporibus, dum opulentorum etiam Cœnobiorum facultates sunt abrasæ, possint item ab his exigi dotalia alimenta. Necessarius enim numerus non potest diminui. Ita clamant cuncti Canones. Attamen Præsecti debent ex fide agere. Etenim avaritiæ iniquitas possit sibi ipsi facilitèr mentiri.

A Tridentina Synodo habemus & aliud huc
Cap. 16. spectans Decretum: *Sed neque ante professionem, excepto velo & vestitu, Novitii vel Novitiæ, illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne huc occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem subsidiatæ suæ Monasterium possideat; nec facilè, si discesserit, id recuperare possit. Quin potiùs præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna damnibus & recipientibus ne hoc ullo modo fiat. Et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.* Non dumtaxat pauperibus, sed & opulentis Monasteriis permittit, ut à Novitiis, adeoque & à professuris exigant vestitum, & victum Noviciatus. Etenim Novitius necdum est incorporatus Monasterio, ideoque necdum habet jus istorum accipiendorum. Est antiqua disciplina. Etenim Pachomianorum, qui nec vestitum exigebant, imò nec admittebant à Novitiis, disciplinam Joannes Cassianus, aliique notant fuisse singularem. Horum interim omnium exactio, licet legitima sit, miseri non potest cum ipsa admissione ad Monasterium. Exacto est quid disparatum adinstar contractus antenuptialis. Persona, si apta judicetur ad divinæ Majestatis ac Monasterii officia, debet purè admitti: postmodò dispici de ejus vestimentis ac alimentis. Hinc Tristandus de Salazar Archi-Episcopus Senonensis, & Ludovicus à Guysia Archi-Episcopus Rhemensis statuerunt hæc fieri post professionem. Notanda est superiùs laudata Magni Gregorii justio circa Virigantinum Monachum. Ipsius quod studere quàm laborare mallet, hæredes sanctissimus Pontifex coegit ad alimenta. Mendicantium Ordines obligantur ad studia; obligantur, utpotè novissimum militantis Ecclesiæ subsidium, ardere ac lucere. Et quædam ipsorum Cœnobia juniores fratres præ inopia non possint in studiis alere. Consuevit enim esse aliquis numerus. Hinc pro studiorum tempore possint exigere alimenta. Attamen & hic videndum est, ne iniquitas sibi ipsi mentiatur.

CAPUT VI.

Discutitur Doctrina Theodori Balsamonis, Patriarchæ Antiocheni,

Licet Schismaticus, tamen magnus hic ac eruditus Græcorum Doctor scribit ad quintum Canonem septimi Concilii; *Quando quispiam sua sponte in Ecclesiam res aliquas tulerit, quas & qui accipiunt, &c. citra ullum præjudicium accipiunt, & qui dant, in pœnam non incidunt. Si quis autem ab initio non ita liberali & sponte suscepta voluntate, sed ut ordinetur, vel in Clerum admittatur, vel aliquo alio modo in Ecclesia eligatur, oblationem fecerit, is qui talis est, punitur.* Affirmat quod Episcopi in eligendis & consecrandis Clericis, itemque Ecclesia in eligendis Episcopis non possint spem & oculos dirigere in ipsorum temporalia, nec eligendi ipsa ex ambitu promirtere: hanc promissionem esse omninò Simoniam. Nempè tunc quidam omnes suas possessiones promittebant Ecclesiæ, atque ita evehebantur. Ex his Theodorus posequitur: *Nota hæc propter eos, qui tondentur in Monasteriis cum pecuniarum largitione, & propter eos qui Deo sua sponte oblationem faciunt. Eos autem, qui pecunis in externis Monasteriis jus fraternitatis acquirunt, Canonibus non teneri existimo, quod non sit vituperanda alimentorum acquisitio.* Per fraternitatis jus seu Adelphata intelligit translationem ad aliud Monasterium. Antiqui omnes ante fratrum Mendicantium ingressum Monachi profitebantur stabilitatem in loco: & Græci & Latini. Quandoque autem ex causis oportebat transferri quempiam. Fiebat duobus modis. Primò, per incardinationem seu adiliationem in Matriculam alterius Monasterii. Secundò, per solam commorationem. Nempè Prælatus suum subditum faciebat commensalem in alieno Monasterio, ac illic emebat ipsius alimenta. Aut parentes id faciebant pro filio. Hujusmodi translationem Theodorus appellat Adelphata. Et affirmat posse emi ac vendi. Rectè. Etenim hæc fraternitas non est Monachale Beneficium: est mera habitatio, & præstatio alimentorum. Est merum temporale, ideoque palam cadit in pacta.

Eadem de re idem Theodorus scribit ad decimum nonum istius Concilii Canonem: *Dixerunt quidam hæc*, Monasticam Simoniam, ac ejus pœnas, *locum habere in Monasteriis, ubi communiter vivitur, quæ cœnobia dicuntur, sed non in Cellularitis, eò quòd in fraternitatem recepti victum emant, non tamen jus Tonsuræ vel Clericatus. Audierunt autem id in omnibus Monachis intelligi, eò quòd Monachorum & Monasteriorum non sit differentia ex Canone.* Nos Latini habemus triplicis generis Monasteria: Abbatias, Prioratus, & Cellas. Eadem habent & Græci. Eorum Præfectos appellant Archi-mandritas, Heghumenos, Martyrarios. Habuerunt & Prioris titulum: Eundem cum titulo Archimandritæ. Habuerunt & Exarchos, quos nos Latini appellamus Præfectos Generales aut Provinciales. Mediis Ecclesiæ seculis inter ista Græcorum Monasteria fuerunt plures differentiæ. Harum una fuit, quòd Majorum, quibus Archi-mandrita aut Heghumenus præerat, Cœnobiorum fratres possent; cellularum incolæ non possent initiari sacris Ordinibus. Hinc Theodori Balsamonis tempore quidam censuerunt istorum dumtaxat, non horum admissionem esse capacem Simoniæ. Quod nempè soli isti per professionem acquirerent jus Tonsuræ seu Clericatus. Eorum opinio fuit discussa per nescio quam Synodum, & damnata. Et optimo jure. Etenim ipsa citra quemvis ad sacros gradus respectum professio est res sacra: est species Ecclesiastici Beneficii. Hinc est etiam materia Simoniæ. Et hic manifestè est sensus septimi Concilii. Etenim Simoniam patrari ac omnes ejus pœnas incurri

curri affirmat etiam in admiſſione ſanctimonialium. Proinde profeſſio non ſunt ſimpliciter adelphata ſeu alimenta, ſed eſt ipſum radicale ac Eccleſiaſticum jus: res ſpirituales. Theodorus hic denuò affirmat Adelphata poſſe emi & vendi.

Et hinc oritur quæſtio de plena Monachi tranſlatione, qua non dumtaxat ad alimenta, ſed tranſferitur etiam ad filiationem alterius Monaſterii: An tunc illa, quæ vel ipſe, vel ejus parentes obtulerunt primo Cœnobio, cum ipſo tranſeant ad ſecundum? Etenim quòd omnia profitentis bona & jura cum ipſo per profeſſionem traducantur pleniſſimè in Monaſterium, eſt res certiſſima: antiquiſſimus Eccleſiæ mos & Canon. Quæſtio eſt, an hæc obtineant etiam in jam dicta translatione, ſeu ſecunda profeſſione? Reſpondeo de hac, aut ſanè ſimili re ſuiſſe duram quæſtionem inter ſanctum Auguſtinum, ac S. Alipium Epiſcopum Tagaſtenſem. Au-
Ep. 239. diamus iſtius ad hunc litteras: *Triſtitia Thyanenſis Eccleſiæ cor meum conquieſcere non permittit, donec eos tecum audiam in priſtinum animum reſtitutos. Quod citò faciendum eſt. Si enim de homine uno tantùm ſategit Apoſtolus dicens*, Ne majori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt, *quantò magis nos oportet vigilanter agere, ne hoc in toto grege plangamus. Et maximè in eis, qui jam Catholicæ paci acceſſerunt, & quos nullo modo relinquere poſſum. Sed quia temporis non finit anguſtia, ut ſimul indè nobis diligenter deliberatam liceret eloquare ſententiam, quid mihi poſt digreſſum noſtrum diu cogitanti placuerit, acciplat Sanctitas tua. Et ſi tibi quoque placet, jam litteræ, quas ad eos communi nomine ſcripſi, ſine dilatione mittantur. Dixiſti ut dimidium habeant, & alterum dimidium eis à me undecumque provideretur: ego autem puto, quia ſi totum eis auferetur, eſſet quod diceremur non de pecunia nos, ſed de juſtitia tantopere laborâſſe. Cùm verò dimidium eis concedimus, & eo modo cum eis pacem quandoque componimus, ſatis apparebit noſtram curam nihil aliud quàm pecuniariam fuiſſe. Et videt quæ pernicies conſequatur. Et illis enim videbimur alienam rem dimidiam tuliſſe, & illi videbuntur nobis inbonefté & iniquè ſe paſſos fuiſſe, ut adjuvarentur de dimidio, quod totum pauperum fuerat. Nam quod dixiſti, cavendum eſt, ne cum rem dubiam emendari volumus, majora vulnera faciamus. Tantundem valebit, ſi eis dimidium concedatur. Propter ipſum quippe dimidium illi, quorum converſioni volumus ut hoc exemplo ſecum agatur, rerum ſuarum venditionem per moras illas excuſatoras dilaturi ſunt. Deindè mirum, ſi de re dubia eſt totius plebis tam grande ſcandalum, cùm Epiſcopos ſuos, quos pro magno habent, ſordida avaritia maculatos putant, dum maligna ſpecies non vitatur. Nam cum quiſque ad Monaſterium convertitur, ſi veraci corde convertatur illud non cogitat, maximè admonitus, quantum malum ſit. Si autem fallax eſt & ſua quærit, non quæ* JESU CHRISTI, *non habet utique charitatem. Et quid ei prodeſt, ſi diſtribuerit omnia ſua pauperibus, & tradiderit corpus ſuum, ut ardeat? Huc accidit quia illud, ſicut jam collocuti ſumus, deinceps vitari poteſt, & agi cum eo qui convertitur, ſi non poteſt admitti ad ſocietatem fratrum antequam omnibus illis impedimentis ſe exuerit, & ex otio tenda-*

tur cùm ejus res eſſe deſſitérit. Hæc autem mors infirmorum, & tantum impedimentum ſalutis eorum, pro quibus tantoperè laboramus, ut eos Catholicæ paci lucremur, aliter vitari non poteſt, niſi ut apertiſſimè intelligant nullo modo nos de pecunia ſatagere in talibus cauſis. Quod nullo modo intelleCturi ſunt, niſi illam rem, quam ſemper Presbyteri eſſe putaverunt, eorum uſibus relinquamus. Quia etſi ejus non erat, hoc ab initio ſcire debuerant. Videtur itaque mihi hæc regula eſſe in hujuſcemodi rebus retinenda, ut quidquid eo jure, quo talia poſſidentur, ejus fuerit qui alicubi Clericus ordinatur, ad eam pertineat Eccleſiam, in qua ordinatur. Uſque adeò autem eodem jure Presbyteri Honorati eſt illud de quo agitur, ut non ſolùm alibi ordinatus, ſed adhuc in Tagaſtenſi Monaſterio conſtitutus, ſi re ſua non vendita, nec per manifeſtam donationem in quemplam translata moreretur, nonniſi hæredes ejus in eam ſuccederent, ſicut Frater Æmilianus in illos triginta ſolidos Fratri Privato ſucceſſit.

Pœnales, quas poſt Carthaginenſem collationem emiſit Imperator Honorius, leges non fuerunt ſine fructu. Non ſingulares dumtaxat perſonas, ſed etiam integras Donatiſtarum Civitates atque Eccleſias reduxerunt ad Matrem Catholicam. Et hæ pro ſua inſtructione quæſierunt ac elegerunt Eruditos, ex eadem Matre Clericos. Ita Thyanenſis Eccleſia ſibi è Tagaſtenſi ſancti Alipii Monaſterio in Presbyterum elegit Fratrem Honoratum. Porrò pleræque tunc Afrorum Eccleſiæ colebant inſtitutam à ſancto Auguſtino communem vitam, atque ita erant Clericorum Monaſteria. Et iſtam formam etiam Thyanenſis, dum ad unitatem rediit, Eccleſia admiſit, utpotè inſtructa ac permota per ſanctum Auguſtinum. Et hinc inter ipſum & ſanctum Alipium nata eſt quæſtio de Honorati bonis. Alipius voluit ſpectare ad primum Monachale Cœnobium, eſſe illi affixa per primam profeſſionem, ideoque eum tranſeunte non debere tranſire; at verò ſanctus Auguſtinus cenſuit oppoſitum. Cenſuit debere tranſire: & quidem omnia. Hoc ipſum ſenſit Eccleſia Thyanenſis. Hinc acriter certavit in Alipium. Nec ſine aliquo fraternæ charitatis vulnere. Sanctus Auguſtinus exponit ſuum fundamentum: *Uſque adeò autem eodem jure Presbyteri Honorati eſt illud*, &c: Quæ verba nos docent plura. Primò, quòd profeſſum in Cœnobio Clericum aut Monachum tunc ſequerentur omnia bona, ſpectatura ad uſum Monaſterii. Secundò, quòd iſta bona per ſolam profeſſionem tunc certò non tranſirent in Monaſterii proprietatem. Multis videbantur permanere in dominio profeſſi.

Etenim quibuſdam in locis morienti iſtiuſmodi profeſto ſuccedebant non Monaſterium, ſed tui hæredes. Quartò, quod hoc tunc intelligendum eſſet non de quibuſcumque iſtius profeſſi bonis, ſed de ſolis quæ ille per venditionem aut manifeſtam donationem non tranſcripſiſſet in alium. Hujuſmodi facta in Monaſterium donatio tranſferebat perpetuam proprietatem. Presbyter Honoratus de ſuis bonis non diſpoſuerat: hinc Auguſtinus cenſuit ipſa debere ſequi perſonam, ideoque eum tranſeunte debere tranſire. Et non malè ſenſit. Attamen in ſua opinione

non

non fuit firmus. Lucet ex his verbis: *Ego puto, quia ſi totum eis auferretur, eſſet quod diceremur non de pecunia, ſed de juſtitia tantoperè laborâſſe.* Et ex his verbis: *Ne quid fortè ipſe falleret, ſicut fieri ſolet, dum in ſententiam meam proclivior erro.* Hinc adjungit de Alipio: *Si fortè illud juſtum apertiſſimè pervides, &c.* Hæc verba edicunt Alipium fuiſſe conſtantiſſimum in ſua ſententia. Conſtanter cenſebat omnia profeſſi bona non quoad ſolum uſum, ſed etiam quoad proprietatem tranſire ac figi in Monaſterium. Fundamenta inferiùs exponentur.

Hac de re Auguſtinus & Alipius dudum diſceptarunt, & tandem conſenſerunt in hoc pactum: *Dixiſti ut dimidium habeant, & alterum dimidium eis à me undecumque provideatur.* Quod jus utrimque eſſet dubium, cenſuerunt ex æquo dividendum. Verùm cur ſupplendæ alterius medietatis onus fuit ſancto Auguſtino injectum? Quid Auguſtino cum Thyanenſi Eccleſia? Reſpondeo horum radicem edici à ſancto Auguſtino: *Quantò magis oportet nos vigilanter agere, ne hoc in toto grege plangamus, & maximè in eis, qui Catholicæ paci acceſſerunt, & quos nullo modo relinquere poſſum. Hæc autem mors infirmorum, & tantum impedimentum ſaluti eorum, pro quibus tantoperè laboramus, ut eos Catholicæ paci lucremur, aliter vitari non poteſt, niſi ut apertiſſimè intelligant nullo modo nos de pecunia ſatagere in talibus cauſis. Quod nullo modo intelligituri ſunt, niſi illam rem, quam ſemper Presbyteri eſſe putaverunt, eorum uſibus relinquamus.* Hanc Thyanenſium infirmitatem operosè exaggerat, ideoque cenſet ſine gravi peccato non ſore ſcandalizandam. Demonſtrat non dumtaxat Paulum Apoſtolum, ſed & ipſum Chriſtum Dominum ad evitanda puſillorum ſcandala abſtinuiſſe à licitis functionibus. Hinc concludit Thyanenſibus, licèt forſan non eſſent fundati, integrum Honorati Patrimonium eſſe cedendum. Nempè Thyanenſes magnis ipſe laboribus deduxerat ad Catholicam pacem: hinc ipſos deſerere non poterat, longè minùs ſcandalizare. Hæc omnia probavit & admiſit Alipius: attamen onus cenſuit dividendum. Mediam ex Honorati bonis portionem permiſit decedere ſuo Monaſterio, aliam medietatem voluit à ſancto Auguſtino ſupleri: ab Hipponenſi ejus Monaſterio. Iſtam medietatem cenſuit à ſe donari, ideoque tantundem præſtari voluit à ſancto Auguſtino. Et hic conſenſit in omnia.

Verùm poſt digreſſum cœpit ruminare ac re-
Ep. 168. ctare hæc ſua Acta. Et contulit cum Collega Samſucio, Turrenſi Epiſcopo, viro licèt non eruditiſſimo, tamen optimo: *Excepta eorum triſtitia, quam experti ſumus, nequid fortè ipſe falleret, ſicut fieri ſolet, dum in ſententiam meam proclivior erro, narravi cauſam Fratri & Collegæ noſtro Samſucio, nondum dicens quid mihi modò videtur, ſed illud potiùs adjungens, quòd utrique noſtrum viſum ſit, cum illis reſiſteremus. Vehementer exhorruit, & nobis hoc viſum eſſe miratus eſt, nulla re alia permotus, niſi ipſa ſpecie fœda, non noſtra ſed cujuslibet vitæ ac moribus indigniſſima.* Notanda ſunt verba: *Excepta illorum triſtitia. Cum illis reſiſteremus.* Edicunt cunctos Thyanenſes in ſua, quæ Monachi bona negat per profeſſionem devolvi in proprietatem Monaſterii, ſententia fuiſſe firmiſſimos, ac proipſa non ſoli Alipio, ſed & Auguſtino conſtanter reſtitiſſe. Ejuſdem ſententiæ fuit Samſucius: & adverſam Alipii ſententiam duxit ſcandalofam, & non ſolorum Epiſcoporum, ſed cujuſvis Chriſtiani vitæ indignam. Scandalofam de avaritia.

Notanda ſunt & hæc verba: *Ne quid fortè ipſe falleret, &c.* Edicunt plura. Primò, quòd ſanctus Auguſtinus ſuarum opinionum, licèt veriſſima cenſeret, non fuerit defenſor pertinax. Secundò, quòd ipſas docuerit cum formidine de oppoſito. Tertiò, quòd ipſas conferret cum aliis, licèt inferioris doctrinæ, Epiſcopis ac Doctoribus. Quartò quòd ipſorum judicium ſummi faceret, ac ſe ad ipſum inclinaret. Quintò, quòd Alipium, licèt ejus improbaret ſententiam, non damnaverit gravis peccati. Sequebatur ſancti Cypriani regulam: *Neminem judicantes, ſi diverſum ſenſerit.* Hinc ſubdidit ad Alipium: *Et ſi fortè illud juſtum apertiſſimè pervides, non cogantur infirmi modò diſcere, quod ego nondum intelligo, ut hoc circa eos in hac cauſa ſervetur, quod Dominus ait; Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modò.* Rursùm docet nos varia. Primò, quòd ſibi oppoſita Alipii ſententia poſſet eſſe veriſſima ac apertiſſima. Secundò fatetur eam à ſe necdum intelligi, ideoque adhuc improbari. Hinc & ipſam & ejus ſectatores profitetur probabiles ac tutos. Tertiò adjungit eam, licet veram ac manifeſtam, necdum eſſe imponendam Thyanenſibus. Cauſa ſcandali. Quæ Auguſtini regulæ palam firmant variis in caſibus authoritatem ac fecuritatem ſententiæ veraciter probabilis.

Elucidanda ſunt & hæc verba: *Poſtremò, quia omnia timeo, & memini in digreſſu noſtro quod propoſueris, quòd me Fratres Tagaſtenſes teneant debitorem in dimidio illius prædii, ſi hoc juſtum eſſe liquidò perſpicis, ea dumtaxat conditione non abnuo, ut cum habuero reddam. Id eſt, cùm aliquid tantùm obvenerit Hipponenſi Monaſterio, ubi hoc ſine anguſtia fieri poſſit, ut tanta ibi ſumma detracta, non minùs quàm æqualis pro numero cohabitantium pars ad noſtros perveniat.* Iterum habemus varia. Primò, quòd Auguſtinus fateatur Alipii ſententiam poſſe fieri ac eſſe liquidam. Secundò, quod inter ipſos facta tranſactio contigerit Tagaſtenſe Eremitarum Monaſterium. Honoratus enim fuerat apud ipſos profeſſus. Tertiò, quòd Auguſtinus alteram, dandam Thyanenſibus, medietatem ſponderit addere non ex ſuæ Eccleſiæ, ſed ex bonis ſui Monachalis Cœnobii. Non ex bonis jam habitis, ſed acquirendis. Ex collationibus aut doribus ingreſſurorum. Quartò, quòd Auguſtinus adſtringi noluerit ad ſummam hanc unicavice ſolvendam. Ex quavis futura oblatione ſeu dote voluit medietatem manere Hipponenſi Monaſterio. Et ſic forſan per unicam, forſan per plures vices & partes expungi iſtud debitum.

Et per ipſum noluit Thyanenſibus adſtringi, ſed Tagaſtenſi Monaſterio. Voluit Honoratum ad iſtos tranſire cum omnibus ſuis ſeculatribus. Priorem tranſactionem cenſuit ſordidam & tendalo-

dalosam, ideoque penitùs circumducendam. Lucet ex hisce verbis: *Quid mihi post digressum nostrum diu cogitanti placuerit accipiat Sanctitas Tua. Et si tibi quoque placet, jam litteræ, quas ad eos communi nomine scripsi, sine dilatione mittantur.* Et rursum ex his verbis: *Proindè, obsecro te, ut epistolam, quam eis communi nomine scripsi, subscriptam non differas mittere.* Huc faciunt & hæc verba: *Nam cum quisque ad Monasterium convertitur, si veraci corde convertitur, illud non cogitat, maximè admonitus, quantum malum sit. Si autem fallax est, & sua quærit, non quæ* J.C. *non habet utique charitatem.* Est obscura oratio. Existimo hunc esse sensum: qui Monasteria intrant, simpliciter intrant, & passim non cogitant de suis bonis. Præsertim non cogitant de sua evectione in Clerum. Quia ipsa cupiditas est pessimum virus Monasticæ humilitatis. Longè minùs cogitant, an in Clerum evectus sua bona relicturus suo Monasterio, an secum traducturus. Qui talia cogitant, sunt carnales, & non habent charitatem. Huc tendunt etiam sequentia verba: *Huc accedit, quia illud, sicut jam collocuti sumus, deinceps vitari potest, & agi cum eo qui convertitur, si non putat admitti ad societatem Fratrum, antequam se omnibus illis impedimentis exuerit, & ex otio tendatur, cùm ejus res esse desiterit.* Sensus est: sanciri poterit, ut deinceps nemo proficeatur, nisi priùs de suis rebus, & quidem ex otio, seu maturo consilio disposuerit. Sic nullus restabit locus istiusmodi quæstionibus. Hinc intelliges & hæc verba: *Propter ipsum dimidium illi, quorum conversionis volumus ut hoc exemplo secum agatur, rerum suarum venditionem per mor as illas excusatorias dilaturi sunt.* Alipius ex Augustini sententia dixerat sequi & fieri, ut Converti passim ante professionem de suis rebus non disponerent. Quia nempè sciebant sibi remanere dominium. Et ita omninò erat. Augustinus reponit istud ipsum sequi ex Alipii sententia, quæ volebat solum dimidium transire in Monasterium. Sic enim ille sensit. Notanda sunt & hæc Alipii verba: *Cavendum est, ne cùm rem stultam emendari volumus, majora vulnera faciamus.* Et hoc Augustini responsum: *Mirum si de re dubia est totus plebis tam grande scandalum*, &c. Ambo profitentur utramque dubiæ seu probabilis opinionis partem posse adsumi in praxim, nisi aliud mandet scandalum pusillorum.

Sanctus Augustinus rectè dixit sancti Alipii sententiam posse evadere liquidam & apertissimam. Etenim jam talis evasit. Imperator Justinianus jam pridem sanxit, & omnis sub cœlo Ecclesia admisit omnia Conversorum bona per professionem transire in plenam ac liberam proprietatem Monasterii. Hinc illa, etiam dum Professus transit aut transfertur ad aliud, seu ejusdem seu diversi Ordinis, Monasterium, firma maneant ad primum. Ita disertè sanxit præfatus Imperator in scripta ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum Novella Lege: *Si relinquens Monasterium, in quo conversionem habuerit, ad aliud tranſeat Monasterium, etiam sic quidem ejus subſtantia maneat, & vindicetur à primo Monasterio, ubi abrenuntians hanc reliquit.* Lib. 5. cap. 7.

Vulgaris lectio habet: *In quo conversationem habuerit.* Est manifestum mendum. Legendum est, *Conversionem*. Eadem lex Monachorum translationes rigidissimè vetat, ac impediri jubet per quosvis Archimandritas atque Episcopos, ideoque quibusdam videtur hæc sanxisse in pœnam.

Eandem Constitutionem firmat in Novella Lege ad Petrum Officiorum Magistrum: *Si Monachus reliquerit suum Monasterium, & in aliud ingrediatur, quascumque res tempore, quo Monasterium dereliquerit, habere videbitur, proprio Monasterio, in quod ab initio conversus est, eas competere jubemus.* Quod ipsum valere jubet dum apostata Monachus ad pœnitentiam detruditur in aliud Monasterium. Et adjungit: *Res, quas postea*, utique post apostasiam aut translationem, *habuisse probatus fuerit, Monasterio, in quod mittitur, jubemus competere.* Istud ipsum in Basilicarum Legum Synopsi habet Michael Attaliates: *Si Monachus reliquerit Monasterium suum, & in aliud abierit, si quas res id temporis, quo Monasterium reliquit, habere potuerit, eas ad primum illud Monasterium, quod ab initio fuit ingressus, pertinere jubemus.* Etiam Leo & Constantinus, Sapientes Augusti habent in selectarum legum compendio: *Si Monachus, relicto proprio Monasterio, ad aliud se contulerit, si qua bona illo tempore, quo Monasterium reliquerit, habuisse competens fuerit, ea Monasterio, in quo ab initio fuit, tradi jubemus.* Septima Synodus de apostatantibus adjungit: *Nisi fuerit culpa Prælati.*

Lib. 123. cap. 42.

Tit. 3.

Tit. 9.

Can. 19.

Est antiqua etiam Latinæ Ecclesiæ Regula, ex qua magnus Imperator Carolus formavit hoc Capitulum: *Si Monachus Monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in Monasterium introduxit & quæ non introduxit, dominio Monasterii sint, & ipse officio Præfidis servire cogatur. Si verò Monachus ad aliud Monasterium migraverit, substantiam ejus prius Monasterium possideat: & in alio Monasterio ipse non reciptatur.* Prior in apostatas, posterior Capituli pars sancit in tranfeuntes. Et sancit in utriusque pœnam. Videtur non sancire in translatos. Quidquid sit, Regulam de translatis etiam intellexit, & ipsam in longè alia ratione fundavit Venerabilis Stephanus, sanctæ Genovefæ Abbas apud Parisienses, ac postmodò Tornacensium Episcopus, scribens ad Abbatem sancti Dionysii: *Desiderium Fratris H. Canonici nostri, cupientis ad Monasterium vestrum transire, nec commendare volumus, nec reprehendere audemus, illi omnia reservantes, qui tempore retributionis appendet merita singulorum in pondere & statera, sed ut vestræ petitioni & ardentissimæ illius satisfaciamus voluntati, liberum & absolutum vobis eum concedimus, salva nobis eleemosyna domus, quam ipse & mater sua Ecclesiæ nostræ contulerunt, ut vobiscum in habitu Monastico deserviat, & ex eo fructum capiat Beatus Benedictus, cui sacræ Religioni primitias sanctus contulit Augustinus.* Prioris Monasterii jus fundat in datis primæ conversioni primis institutionibus.

Lib. 5. cap. 226.

Ep. 151.

Aliud fundamentum adducit sanctus Anselmus, adhuc Abbas Beccensis, de nescio quo Cle-

Clericō, qui ex alterius Monasterii novitiatu adductus fuerat, ac ibidem professus esset, repetebatur à priori Monasterio, scriptis ad ejus Abbatem: *si praedictus Clericus nobissum manserit, & res ejus, quas prius, sicut scipsum, nobis dedit, quam apud vos petitionem & votum Monachi faceret, retinere voluerint, nullam à nobismet calumniam sustinebitis.* Nempe Monasterium illud in fratris, qui dumtaxat Novitius fuerat, bona nullum jus acquisiverat: hinc Antelmus illa licet omnia remitteret dixit ad suum Cœnobium spectare. Quia huic per professionem ille, & se & sua dederat. Hæ donationes sunt distinctæ, ideóque licet per professi translationem prima solvatur, solvi non debet & secunda. Hanc leges & Canones, ut & prima solutioni impediret, nolaerunt solvi.

Idem censuerunt & sanxerunt antiqui Hybernorum Canones: *Si quis commendaverit animam suam, & corpus, & omnia quæ habet, Deo & Principi, id est, Abbati sancto, & si postea exerit ad alterum Abbatem, & commendaverit illi animam suam, & omnia quæ possidet, cujus erunt hæc omnia? Priori utique Abbatis omnia sua. Si tamen votum ejus ille vivente non tacuit. Notissimo verò Abbati relinquitur & corpus ejus, & vestimentum, & equus, & vacca. Vel si tanti honoris fuerit, duo equi cum curru, & ornamentum sui lecti, & vas de quo bibebat. Tamen prior Abbas offerre pro anima sui Monachi discedentis ab eo debet.* Hæc hinc-moràm Hybernorum mores sunt suo loco exponendi. Hæc verba, *si tamen votum ejus &c.* edicunt quod prior Abbas debuerit secundo loco jus ante transeuntis Monachi mortem intimare. Spectat hoc ad solos Hybernorum mores, qui numquam subfuerunt Romano Imperio, ideóque ejus leges ignoraverunt. Lib. 18. cap. 6.

CAPUT VII.

An antiquus Ecclesiæ Canon aut mos omnis professi Monachi bona per professionem devolvevet in firmam proprietatem Monasterii?

REspondeo circa hoc olim fuisse varios variarum Regionum ac Ecclesiarum mores. Etenim partem affirmativam continuer docuit Magnus Basilius. Ejus verba adduxi superiùs. Quare videtur non dubitandum, quin ista continuendo, obtinuerit per omnem Pontican Diœcesim. Eadem vigut apud alias Ecclesias, & Latinas & Græcas, verùm cum aliqua formidine, & plurium contradictione. Ita fuisse in Africa, abundè nos docet jam exposita contentio inter sanctum Augustinum ac sanctum Alipium. Alipius constans tuebatur sancti Basilii sententiam, & ipsum Augustinus non damnabat, sed tamen credebat dubiam. Etiam multi censebant oppositum: & his ille in praxi se conformabat. Hinc permisit Privato Monacho Fratrem Æmilianum succedere. Quod ipsum volebat etiam à Fratris Honorati hæredibus, & generatim à cunctis fieri. Quæ ejus mens lucidissimè patet etiam ex secundo sermone de communi vita Clericorum. Omnes suos, licèt jam professos, Regulares Clericos istic donat libera facultate, imò & cogit ad disponendum de suis bonis: *Sunt qui de* Tom. 10. *sua qualicumque paupertate, quod fratuerant, nec-* Hom. *dum fecerunt. Hi sunt Valens Diaconus, & Patri-* 50. de *tius nepos meus Subdiaconus. Matris vita impedie-* diverf. *bat, quia indè vivebat. Expectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, ut quod faceret, seriùs-simè faceret. Nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo Fratre communes, & sub indiviso eos possident.* Proindè professus tunc Clericus aut Monachus solum suarum possessionum usum transferebat in Monasterium, proprietatem pleno sibi jure retinebat. Transferebat usum: quia vitam communem ac paupertatem professus nequit administrare. Poterat tamen de proprietate disponere: & inter vivos, & per extremam voluntatem. Etiam excludere proprium Monasterium. Hinc Augustinus scribit de suo Presbytero Leporio: *Vobis dico qui forsè nescitis. Nam vestrum plurimi sciunt presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi. Non quia nihil habuit, sed quia jam fecerat quod lectio ipsa persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus ubi fecit. Unitas Christi & Ecclesiæ una est, ubicumque fecit bonum opus, pertinet ad nos, ut sibi congaudeamus. Horius est unus, ubi novistis, ibi Monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et dixerit aliquis, Ad quem? Ad illud, quod ibi est, Monasterium.*

Hinc discimus plura. Primò, quod Leporius jam Monachus de suis possessionibus disposuerit. Erat enim tunc Deo serviens. Hic titulus erat tunc conflictus Monastico Proposito. Secundò discimus, quod ex suis bonis fundaverit novum Monasterium. Tertiò quod ipsum fundaverit in horto. Hoc est, in aliquo Suburbano. Ita tunc solebat. Quartò discimus, quod istiusmodi Monasteriorum bona ex tunc non spectarent ad Ecclesiam, adeoque nec ad administrationem Episcopi. Ex hinc lucet ista Monasteria fuisse non Clericalia in domo Episcopi, sed Monachalia in agris. Illustrissimus Lucas Holstenius in proemiali ad Monasticum Venerabilis Benedicti Anianensis Abbatis codicem Dissertatione affirmat prima Cœnobitice vitæ exordia fuisse in Ægypto plantata per sanctum Antonium, ab aliis fuisse traducta per omnes sub cœlo Ecclesias, atque adjungit. *E Capraria Insula, ubi greges fuisse Monachorum indicat Rutilius Numantinus, missi ad Augustinum Monachi id Institutum in Africam invulerunt. Quod ibi receptum est, nequidquam Donatistis obsistentibus. Monasteria Carthaginæ, Thagastæ, Hipponæ fuisse testatur Paulinus.* Primum est verum, posterium apertè deviat. Etenim manifestum est apud Afros fuisse Monasteria ante Gildoniana tempora ac adventum Fratrum Capratiensium. Nempè sanctus Augustinus, juxta cunctorum istius temporis morem, cum Baptismo suscepit & Monachismum, ipsum portavit ex Italia in Africam, plantavit apud Thagastam, & varii per omnes Africanas Provincias traduxerunt. Hinc Petilianus, Constantinensis Donatistarum Episcopus, & ex ista factione plures clamarunt ipsum esse Monachismi Cap. 2.

apud Afros authorem & plantatorem. Hæc sunt alterius loci. Quintò dicimus, quod Leporius è Monacho fuerit factus Regularis Presbyter Hipponensis Ecclesiæ. Istud fuit tunc frequentissimum in Africa, ac omni Ecclesia. Et hinc aliqui existimant illum Leporium esse illum ipsum qui ob Nestorianam hæresim è Gallia Narbonensi ejectus fugit in Africam, atque illic à sancto Augustino fuit reductus ad Catholicam mentem, & postmodò evectus in Presbyterum. Existimant evectum ab ipso Augustino ac incardinatum Hipponensi Ecclesiæ. Verùm multa suadent oppositum. Est alterius loci. Interim morem, qui Monachos in Clerum evehit, Magnus Athanasius, licet non induxerit, insigniter tamen ampliavit atque firmavit. Et omnes Ecclesiæ comprobarunt. Sextò dicimus, quod sanctus Augustinus, qui statis Honorati bona constanter censuit spectare ad Thyanensem Ecclesiam, Leporii bona non flagitarit pro Ecclesia Hipponensi. Neque impegit in suæ Ecclesiæ jura. Etenim Leporius ante suam translationem jam disposuerat de suis bonis, & ipsorum proprietatem per solemnem donationem transtulerat in Monasterium; quod nondum fecerat Honoratus. Ad evadendas istiusmodi quæstiones Augustinus judicavit expedire ut quisque professurus Clericus aut Monachus ante professionem disponeret.

Hoc ipsum dubium, ac ex ipso natæ quæstiones fuerunt etiam apud Ægyptios. Lucet ex supra adductis, & hic repetendis verbis Joannis Cassiani. Demonstrat propietatis vitium esse pessimam Monasteriorum lepram, firmumque incentivum ad apostasiam, atque adjungit de Sanctissimis Beati Pachonii Monachis: *Et idcirco nec ullius quidem Cœnobii profecturas suscipere ab ingrediente pecunias acquiescunt. Primùm, ne confidentia hujus oblationis inflatus nequaquam se pauperioribus fratribus coæquare dignetur. Tum ne per hanc illationem nullatenus ad humilitatem* CHRISTI *descendens, cum sub disciplina Cœnobii non potuerit perdurare, egressus exindè ea, quæ in principio renunciationis suæ spiritali fervore succensus intulerat, reperfactus postea non sine injuria Monasterii, Sacrilego Spiritu recipere atque exigere molsatur. Quod omnimodis obstrantes observari debere, multis sunt experimentis frequenter edocti. Nam per alia minùs cauta Monasteria simpliciter quidam suscepti eorum, quæ intulerant, quæque in Dei opere fuerant dispensata cum ingenti posì blasphemia redhibitionem poscere tentaverunt.* Agit de istis, qui sua non per solemnem donationem, sed per solam professionem intulerant in Monasterium. Affirmat quod quidam postmodò apostatantes ista omnia repetiverint. Et adjungit: *Cum ingenti blasphemia.* Nempe istam repetitionem aliqui justitiam censebant, aliqui damnabant de blasphemia. Erant diversæ sententiæ. Et ad ista litigia ac ex ipsis nascentia incommoda evitanda Pachomienses Monachi non permittebant à professuris aliquid inferri. Existimo quod inferri permiserint per prævium ac solemnem donationem. Hæc enim non poterant repeti.

Ad has quæstiones evellendas Imperatores Theodosius II. ac Valentinianus III. ad Taurum Orientis Prætorio-Præfectum scripserunt hanc legem: *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut Diaconissa, aut Subdiaconus, aut cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ti parentes utriusque sexus, vel liberi, vel qui agnationis cognationisque jure jungunter, vel uxor extiterit, bona quæ ad eum vel ad eam pertinuerint, Sacrosanctæ Ecclesiæ vel Monasterio, cui fortè fuerit destinatus aut destinata, omnisortiam socientur, exceptis his facultatibus, quas fortè lenitibus adscripti, vel Juri patronatus subjecti, vel Curiali conditioni obnoxii Clerici vel Monachi, cujuscumque sint sexus, relinquunt.* Sanciunt varia. Primò, utriusque sexus & Clericis & Monachis permittunt libertatem testandi. Nempè omnes isti tunc usque ad mortem retinebant suorum bonorum proprietatem. Secundò volunt, ut intestatis succedant sui hæredes. Tertiò addunt, ut his deficientibus succedat vel Monasterium. Quartò hoc restringunt ad bona libera, alieno juri non obnoxia. Crediderunt omnes istas lites hac via extinguendas. Et mulæ fuerunt extinctæ. Lex data est sub Consulatu Ariobindi & Asparis, quinti fœculi trigesimo quarto, quarto anno post mortem sancti Augustini. Quòd tunc istæ lites incalueriint lucet ex adductis usque huc testimoniis atque exemplis. Extat lex in Codice Justiniani. Lib. 1. tit. 3. cap. 20.

Lex fanxit de solis morientibus, non de apostatis. Et de his erat major quæstio. Hinc Imperatores Leo & Anthemius legem suppleverunt: *Qui sua Monasteria relinquunt, non recipiunt quas attulerunt ad ea res mobiles, cujuscumque quantitatis sint, etiamsi non sint confecta monimentorum gestæ super ipsis. In donationibus autem immobilium oportet jura servari, quando non admittur ei, qui donavit evictio earum.* Res immobiles, nisi solemniter donatas, permittit reperi ab apostatis. Et insuper circa solemniter donatas indulget legalem evictionem. Lex extat in eodem Codice. Et nec ipsa præcidit omnes lites. Hinc Magni Monasteriorum Patres alio modo providerunt. Probarunt, ac in executionem miserunt Sancti Augustini consilium: per suas regulas fanxerunt, ut quisque Renuntians ante professionem de omni sua substantia solemniter ac firmè disponeret. Sanctus Cæsarius Arelatensis Archi-Episcopus statim in ipso suæ Regulæ exordio laudat Dominicum verbum, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*, atque subjungit: *Certè si Renuntians non vult vendere, donationis cartbas aut parentibus aut Monasterio factas, dummodò sit liber. Et nihil habeat proprium. Si verò Pater ejus aut Mater vivat, & non habet potestatem faciendi, quando illi migraverint, cogatur facere.* Quod ipsum traduxtæ ad Sanctimoniales Regulæ inseruit Venerabilis Tetradius. Et sanctus Isidorus Hispalensis Archi-Episcopus posuit in sua Regula: *Qui relicto sæculo ad militiam Christi pia & salubri humilitate convertuntur, omnia sua primùm aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant. Tunc enim servi Christi liberum animum Divinæ militiæ offerunt, quando à se cuncta spei sæcularis vincula præcidunt.* Et gloriosus Monachorum Patriar- Cap. 39. Ep. 13.

triarcha Benedictus: *Res ſi quas habet, aut erogetur prius pauperibus, aut facta ſolemniter donatione ferat Monaſterio. Quippè ex illo die nec proprii corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat.* Notanda ſunt verba: *Facta ſolemniter donatione*. Etiam ſancti Cæſarii verba: *Donationis cartbas*. Mandant fieri diſpoſitionem, quæ omnes quæſtiones præcidat atque excludat, ideoque illam volunt veſtiri omnibus legum ſolemnitatibus. Et tales, quæ Imperatoris Juſtiniani leges præceſſerunt, Monachalium Regularum ſanctiones habemus plures. Hinc item vides, quòd magnus Patriarcha Benedictus ante iſtas leges ſcripſerit ſuam Regulam. Iſta tamen optima diſciplina ubique non viguit. Hinc fuit opus iſtis legibus.

Egregiam, ſed ſingularem, doctrinam ad ſanctum Paulinum, novellum tunc Monachum,
Cap. 98. ſcribere videtur Beatus Hieronymus: *Jam non ſunt tua quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Sapphiræ. Illi ſua timidè ſervaverunt, tu confidera ne* CHRISTI *ſubſtantiam impudenter effundas. Id eſt, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundùm dictum prudentiſſimi viri, liberalitate liberalitas pereat.* Sanctus Paulinus non fuit Cœnobita, ſed cum venerabili uxore ſua Tharaſia, & modiciſſima familia egit privatam in Solitudine vitam, non penitus abſimilem Anachoreticæ. Solam paupertatem & caſtitatem videtur voviſſe, nulli obedientiam. Eorum & perſonæ & bona in nullius tranſietunt poteſtatem. Et tamen Hieronymus affirmat duo. Primò, quod ſuorum bonorum nullam deinceps proprietatem habeant, ſed ſolam adminiſtrationem. Deindè, quod illa ſpectet ad pauperes, ideoquè ſuo tempore ſit in ipſos dividenda: quibuſdam videtur docere, quod Anachoretica profeſſio omnia profitentis bona tranſeribat in pauperes. Reſpondeo iſtam tranſcriptionem in nullo Canone, in nulla fundari conſuetudine, neque tradi à Sancto Hieronymo. Radicem, ex qua Paulino nata fuit iſta obligatio, exponit in litteris ad Sabinum Placentinum Epiſcopum ſanctus Ambroſius. Admirabilem Illuſtriſſimi ac Nobiliſſimi Paulini
Ep. 30. convertionem exponit, & adjungit: *Matrona quoque virtuti & ſtudio ejus proximè accedit, neque à Propoſito viri diſcrepat. Denique tranſcriptis in aliorum jura ſuis prædiis virum ſequitur: & exiguo illic conjugis contenta ceſpite, ſolabitur ſe religionis & charitatis divitiis.* Ambo omnia ſua pauperibus addixerant. Et iſtud ſuo tempore inſigniter expleverunt.

Hocce Monaſteriorum jus fundamentum habet in Actis, quæ nobis eſſe adinſtar Canonum rectè ſcribit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, Beatorum Apoſtolorum: *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Vir autem quidam nomine Ananias cum Sapphyra uxore ſua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conſcia uxore ſua. Et adferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus: Ananiæ, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens manebat tibi, & venumdatum erat in tua poteſtate? Quare poſuiſti hanc rem in corde tuo?* Senſus eſt: hanc ſanctam ſocietatem ingredi erat tui arbitrii, at verò ingrediens debuiſti tua tecum portare omnia. Ob hanc prævaricationem Apoſtolus ipſum horrendè percuſſit.

CAPUT VIII.

Exponuntur Imperatoris Juſtiniani de hac re Leges.

IMperator Juſtinianus, ut præfatis quæſtionibus ſuccideret omnem radicem, emiſit inſignes Leges. In primo Codicis libro extat ejus ad Joannem Prætorio-Præfectum lex, quæ varia Renuntiaturis contra priores Leges aut mores dat privilegia, inter quæ eſt & hoc: *Ut non liceat parentibus impedire, quo minùs liberi eorum volentes Monachi aut Clerici fiant, aut eam ob ſolam cauſam exhæredare, ſed ſi ipſi teſtamentum condant neceſſe habento quadrantem illis relinquere. Sin autem hoc non fecerint, locus ſit ab inteſtato. Quod ſi illi Monaſteria aut Eccleſias relinquunt, omne ipſorum jus ad Monaſterium aut Eccleſiam pertinet.* Tit. 3. cap. 35. Largiùs hæc exponit in conſequenti lege: *Hoc etiam cognitum nobis correctione noſtra dignum eſſe judicamus, ut ſi quis in Parentum poteſtate conſtitutus vel conſtituta, vel forſan ejuſmodi ſure abſolutus vel abſoluta, elegerit ſe Monaſterio vel Clero ſociare, & reliquum vitæ ſuæ tempus ſanctimonialiter degere voluerit, non liceat parentibus eoſdem vel eaſdem quocumque modo abſtrahere, vel propter hanc tantummodò cauſam, quaſi ingratum vel ingratam, à ſua hæreditate vel ſucceſſione repellere, ſed neceſſe ſit eis omnimodò, cùm ultimam voluntatem ſuam, ſive per Scripturam, ſive alio legitimo modo perficiunt, quartam quidem portionem ſecundùm Leges noſtras eis relinquere. Sin autem & amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus. Sin verò ultimam voluntatem parentes, neque teſtamento, neque alio ultimo elogio declaraſſe monſtrati fuerint, omnem parentum ſubſtantiam heredes, quibus ab inteſtato competit, ſecundùm leges noſtras ſibi defendent: nullo eis impedimento ex ſanctimoniali converſatione generando ſive ſoli, ſive cum aliis ad ſucceſſionem vocentur. Hujus autem perpetuæ legis noſtræ beneficia eos volumus obtinere, qui in Monaſterio vel Clericatu perſeveraverint. Nam ſi qui eorum, de quibus præſentem legem poſuimus, ſanctimonialem vitam elegerint, ad ſeculatem autem converſationem poſteà remearint, jubemus omnes eorum res ad jura ejuſdem Eccleſiæ vel Monaſterii, a quo receſſerint, pertinere.* Hoc ipſum repetit in Novella Lege ad Petrum Officiorum Magiſtrum: *Nullam licentiam damus aut Parentibus ſuis, aut* L. 123. *filiis Parentes, ſeculatem vitam ſectantes & relin-* cap. 41. *quentes, velut ingratos à ſua excludere hæreditate, Monaſterium aut monaſticam vitam ſubſecutos.*

Ex his addiſcimus varia. Primò, quod quidam uſque tunc parentes ſuas utriuſque ſexus proles ob Clericatus aut Monachiſmi aſſumptionem exhæredarint. Leges, quæ hoc permittunt ob præcoces aut indignas nuptias, cenſebant obtinere etiam in his ſpiritualibus nuptiis. Etiam tunc non ſoli gentiles, ſed & quidam Chriſtiani vilipendebant ſtatum Clericalem ac Monaſticum:

cum; hæreditarias præſertim ſucceſſiones Eccleſiis ac Monaſteriis invidebant. Lucet ex variis ſcriptis ſancti Hieronymi, ſancti Joannis Chryſoſtomi, ac aliorum Patrum. Adduco unum S. Hieronymi locum ex litteris ad ſacram Virginem Demetriadem: *Ep. 8.* *Solent miſeri Parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere. Cerè qui religioſiores ſibi videntur, parco ſumptu, & qui vix ad alimenta ſufficiat, virginibus dato, omnem cenſum in utroque ſexu ſæculares liberis largiuntur. Quod nuper in hac urbe dives quidam fecit Presbyter, ut duas filias in propoſito virginali inopes relinqueret, & alienum ad omnem copiam filiorum luxuriæ atque delitiis provideret. Fecerunt hoc multæ, pro dolor! noſtri Propoſiti fœminæ; atque utinam earum eſſet exemplum. Quod quanto crebrius eſt, tanto iſtæ feliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla ſecutæ ſunt. Fertur, & omnium Chriſtianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptiis præparatum, à ſancta Chriſti Ignoride Virgini traditum, ne ſponſo ſieret injuria. Imò ut dotata priſtinis opibus veniret ad ſponſum: & quod in rebus mundi periturum erat, domeſticorum Dei ſuſtentaret inopiam.* Notanda atque veriſſima ſunt ſancti Hieronymi verba: *Ne ſponſo ſieret injuria:* utique Chriſto Domino. Hinc adversùs iſtum ſuo adhuc tempore graſſantem abuſum Imperator Juſtinianus ſanxit varia. Primò, ut utriuſque ſexus proles poſſit etiam invitis parentibus profiteri in Monaſterio. Etiam proles adhuc poſita ſub patria poteſtate. Secundò, quòd proles ob talem profeſſionem non poſſit exhæredari. Tertiò, quòd parentes obligentur illis relinquere legitimam, ſeu quartam portionem totius hæreditatis. Quartò, quòd illi inteſtatis parentibus plenè ſuccedant. Et quidem ſi unica fuerit proles, in omnem omninò ſubſtantiam. Quintò, hoc jure exuit Apoſtatas. Eo- *Cap. 43.* tum omne jus devolvit ad Monaſterium. Quod ipſum repetit in præfata Novella Lege ad Petrum Magiſtrum officiorum.

Hæc omnia Juſtinianus innovavit ac ampliavit in Nove la Lege ſcripta ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum: *Illud quoque* *L 5.* *decernimus, qui in Monaſterium introire voluerit,* *cap. 5.* *antequam Monaſterium ingrediatur, licentiam habe-* *6. 7.* *re ſuis uti, quo voluerit modo. Ingredientem namque ſimul ſequuntur omnes omninò res: Licèt non expreſſim, qui introduxerit eas, dixerit. Et non erit dominus earum ullerius ullo modo. Si verò filios habuerit, ſi quidem contigerit jam eum res aliquas donaſſe eis, aut per antenuptialem donationem, aut per doris occaſionem contuliſſe, & faciunt hæc quartam ab inteſtato ejus ſubſtantiæ, nullum in reliquis rebus habeant participium ſibi, ſin autem nihil eis donaverit, aut minùs quarta, poſtquam abrenuntians conſeci tus fuerit inter Monachos, nihilominùs quarta debeatur filiis, aut ſupplementum, ſi contigit eos jam aliquid acceſſiſſe, aut etiam quatenùs totum eis detur. Si autem uxorem habens, deindè eam relinquens, in Monaſterium ingrediatur, & dos mulieri ſervetur, & ex morte pactum, quod in alia noſtra ſanctione Conſtitutione, omnibus quæ ſuper Monachis de his dicta ſunt, & in mulieribus in Monaſterium ingredientibus valuris. Si verò relinquens Monaſterium ad quandam veniat militiam, aut ad aliam vitæ figuram, ſubſtantia ejus etiam ſic in Monaſterio, ſecundùm quod à nobis prius dictum eſt, remanente, ipſe inter Officiales Clariſſimi Provinciæ Judicis ſtatuetur. Et tunc habebit mutationis fructum, ut qui ſacrum miniſterium deſpexit, Tribunalis terreni obſervet ſervitium.* Adjungit translati etiam Monachi bona remanere primo Monaſterio.

Superioribus Sanctionibus adjicit varia. Primò, quòd Renuntians ante profeſſionem poſſit liberè de ſuis bonis diſponere. Secundò, quòd cuncta non diſponentis bona pleno jure devolvantur ad proprietatem Monaſterii. Per ſolam ſine quavis donatione aut diſpoſitione profeſſionem. Nullum ipſi in illis manet dominium aut jus. Tertiò, quòd omnia hæc obtineant etiam in Profitentibus, qui habent filios. Quartò, quòd filiis tamen debeatur legitima: præſtanda ſive ante, ſive etiam poſt profeſſionem. Attamen poſt profeſſionem non à profeſſo poſtulanda erit aut præſtanda, ſed à Monaſterio. Hoc enim acquiſivit omne dominium ac proprietatem; & res tranſeunt cum ſuis oneribus. Et iſta conſtitutio eſt longè juſtiſſima, dudum antè probata per Sanctum Auguſtinum, ac venerabilem Carthaginenſis Eccleſiæ Primatem Aurelium. Etenim de ſuo regulari Presbytero Januario, qui condito in Eccleſiæ favorem teſtamento filium Monachum ac Monialem filiam excluſerat, ſanctus Auguſtinus in primo ſermone de communi Clericorum vita dixit ad ſuum populum: *Magnus mihi dolor eſt. Deo Charitati Veſtræ, propter hunc dolorem ſtatui hæreditatem ipſam in Eccleſia non ſuſcipere. Filiorum ipſius ſit, qui reliquit. Ipſi indè faciant quòd voluerint. Videtur enim mihi, quia ſi eam ſuſcepero, in iſto facto, quod mihi diſplicet, & de quo dolco, ejus particeps ero. Commendavi Eccleſiæ, ut non ſuſcipiat ipſas portiunculas, quæ pertinent ad exhæredatos, niſi cum ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis refert vat Eccleſia.*

Non mireris Auguſtinum hæc declamaſſe ad populum. Audi populi murmura: *Ecce, quare nemo donat Eccleſiæ Hipponenſi aliquid. Ecce, quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem. Quia Epiſcopus Auguſtinus de bonitate ſua donat totum, non ſuſcipit.* Adversùm hæc optimus Antiſtes adjunxit: *Planè ſuſcipio. Profiteor me ſuſcepere oblationes: oblationes ſanctas. Si quis autem iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæredat eum, ſi viveret, non eum placarem? Non ei filium ſuum reconciliare deberem? Quomodo ergò cum filio ſuo vola ut habet pacem, cujus appeto hæreditatem? Planè quando donavi filio, quòd iratus pater moriens abſtulit, benè feci. Laudent qui volunt, parcant qui laudare nolunt. Quid plura, Fratres mei? Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum. Imò, Deo propitio, neminem inveniat.* Et ad hæc firmanda adducit exemplum laudati Aurelii: *Quàm laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis? Quomodo implevit omnes, qui ſciunt, laudibus Dei. Quidam enim cum filios, non haberet, neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi uſufructu, donavit Eccleſiæ. Nati ſunt iſti filii. Et reddidit Epiſcopus nec opinanti,*

nanti, quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere: sed jure fort', non jure poll. Hæ rationes permoverunt etiam Imperatorem Justinianum, ut Parentum in Monasterio profitentium filios non permitteret orbari legitima. Etiam sanctus Augustinus videtur istorum filiorum legitimam refutasse. Id suadent hæc verba: *Commendavi Ecclesiæ, ut non sufciperet ipsas portiunculas, quæ pertinerent ad exhæredatos.*

Hæ optimæ Leges non clauserunt aditum omnibus litibus. Lucet ex præfatione Novellæ Legis ad Joannem Præfectum Orientalis Prætorii:

Lib. 67. *Cognovimus quia mulier quædam, habens filium sibi ex nuptiis legitimis procreatum, voluit quidem segregare se à communi illa conversatione, & in quodam mulierum Monasterio commanere, plurima bona faciens mulieribus reverendissimis ibidem congregatis. Et quoniam nostræ Pietatis Lex vult eos, qui se Monasteriis dederint, seu viros seu mulieres, antequam ingrediantur Monasterium, eo quo voluerint modo quæ sua sunt disponere, nec posse postquam ingressi sunt Monasterium, ulteriùs quidquam agere de propriis, utpote Domini rerum non existentes ulteriùs, eò quod sanciverimus nos hujusmodi viros & mulieres cum corpore & anima ipso ingressu ad Monasterium dedicare se suasque substantias. Et si quidem discesserint, manere etiam sic eorum substantias in Monasterium, eò quod Domini harum ulteriùs non existant. Hinc autem metuere, ne fortè, quamvis nostra Constitutio multò posterior sit, quàm quod in prædictam venerabilem domum ingressa est, aliqui prohibeant eam prosperare suo filio: & oportere propter prædictum metum hæc interpretari, & lege nostra fieri manifestum, quia nihil læsa sit, aut filius ejus circa ejus successionem ex memorata Constitutione.* Est casus non absimilis illi, quem sanctus Augustinus nobis jam dixit evenisse Venerabili Aurelio. Istic parentum testamento aut donationi filius, hic filiali juri supervenit adversa Constitutio.

Hinc Imperator Justinianus est insecutus Aurelii vestigia, & ad istam Relationem rescripsit: *Propterea sancimus, Si quis Monasterium habitave rit vir aut mulier ante prædictam nostram Constitutionem, aut hactenùs habitet, & maximè filiis existentibus, nullam habere necessitatem nunc eorum substantiam in Monasterium, sed filio aut filiæ transmittere aut totum aut etiam partem suæ substantiæ, aut etiam quo voluerit modo res suas disponere, ut potè primam illam legem alia nostra hac Constitutione interpretante (eos enim qui semel ante memoratam dudùm nostram legem Monasteria intraverint, in nullo postea posita lex contrifatura est, aut ablatura eorum quæ priùs eis ut liceat, data sunt) neque priùs nostræ legi impedimentum penitùs faciente, eò quod neque possibile fit hoc fieri, ut oportuisset priùs disponere, & ita ingredi in Monasterium. Si verò nulla tunc tali legeposita, in Monasterium ingressa est, quomodo fieri potuerit conversi ordinem legis, & exigere eos, qui priùs ingressi sunt Monasterium, illa facere, quæ priùs ignorata, posteà per Sacram nostram Constitutionem sunt innovata? Sed unumquemque competit secundùm sua tempora expectare, & ea quidem quæ post legem sunt, ita quærere fieri, sicut lex vult. Si quid autem ante legem subsecutum est, hoc non commovere, neque perscrutari, sed in priori figura relinquere. Hæc igitur lex pro interpretatione utili posita sit nostræ prioris illius Constitutionis,*

ut illa in posterioribus temporibus, ex quo facta est, locum habeat, & sit qui postea convertentur, viris ac mulieribus posita sit, sibique potestatem in illis custodiat, nihil horum, quæ antea fuerunt, perscrutando, cùm licentia sit prioribus viris ac mulieribus, qui habitaverint, aut etiam hactenùs habitant in Monasteriis, & maximè filiis existentibus, suas res quo volunt disponere modo.

Plura hinc discimus, primò, quod quisque olim professus, nisi antea se solemni & legitima via exuisset, retineret plenam proprietatem omnis suæ substantiæ, nec ipsam per professionem devolveret in Monasterium. Secundò, quod de ista proprietate posset semper disponere: Etiam per testamentum. Tertiò, quod testamentum posset condere non dumtaxat in filios, sed etiam in extraneos. Quartò, quod posset vel in suos vel in extraneos legare aut donare etiam omnem substantiam, ac nihil relinquere Monasterio. Quintò, quod Imperator Justinianus hæc omnia mutaverit. Etenim statuit, quod professio omnem de qua professurus non dispositit, substantiam transferat in plenam Monasterii proprietatem, ac professum omni dominio exuat, ideoque & incapacem reddat ad quovis modo aut via de ipsa disponendum. Sextò, quod ista, uti & quævis alia Imperatoris Lex solis futuris figat modum, non præteritis. His nullum inferat, intulerit, aut illatura sit præjudicium. Et hinc usque ad istam legem professi poterant ista omnia. De tota substantia disponere etiam in extraneos. Etiam in proles aut cœlibes. Hoc evincunt bis repetita verba: *Et maximè filiis existentibus.* His præfertim Justinianus noluit præjudicare.

Eandem gratiam Justinianus postmodò amplia-
vit atque extendit in Novella lege ad Petrum
Magistrum Officiorum: *Si qua mulier aut vir Mo-* Cap. 38.
nasticam elegerit vitam, & intraverit Monasterium, filiis non existentibus, Monasterio quod ingreditur, res ejus competere jubemus. Si verò talis persona filios habeat, & non antequam intret Monasterium de suis rebus fecerit dispositionem, & legitimam partem filiis deputaverit, etiam sic liceat ei postquam Monasterium ingreditur, suam facultatem in proprios dividere filios, ita tamen ut nulli filiorum suorum minuat legitimam partem: quam verò non dederit filiis partem, Monasterio competat. Si verò omnem substantiam inter filios dividere voluerit, propria persona filii communerata, unam sibi partem omnibus modis retineat, quæ debeat juri Monasterii competere. Si verò in Monasterio degens moriatur, antequam inter filios suos proprias distribuat res, legitimam partem sibi percipiant. Reliqua verò substantiæ pars Monasterio competat. Quidam conjugati, dum converterentur, omnem substantiam suam inferebant Monasterio. Etiam exclusis filiis. Hoc Imperatori Justiniano, ac præsertim Episcopis, ex quorum adsessu & judicio ille condidit hujusmodi leges, visum est devium. Et jure merito. Hinc adjecta sunt plura. Primò, ut tales Parentes, qui tamen antea legitimè non disposuissent, etiam post professionem possent disponere in filios. Secundò, quod disponere possent in solos filios. Tertiò, quod illis omnibus & singulis obstringerentur præstare legitimam. Quartò, quod ipsis possent relinquere omnem suam substantiam. Quintò, quod tunc non possent penitùs

excludere Monaſterium, ſed obligarentur ipſum adjungere in numerum filiorum, atque ita & ipſi relinquere legitimam. Sextò, quod nolentibus diſponere, ideoque ineſtatis filii ſuccederent in ſolam legitimam. Reliqua manerent Monaſterio. Denumerando in filiorum tortem Monaſterio regulam frequenter probat S. Auguſtinus. Omnibus opulentis fidelibus ſuadet, ut in ſuo teſtamento iſtud ſemper præſtent Eccleſiæ aut pauperibus.

Ex huc uſque dictis naſcitur quæſtio, ex quo fundamento laudatus Auguſtinus de ſuo ſupra memorato Presbytero Januario declamarit ad ſuum populum: *Ecce, quomodo vivimus. Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Sed forsè aliqui habent. Nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet. Benè autem ſentio de fratribus meis: & benè ſemper credens, ab hac inquiſitione diſſimulavi. Quia & iſta quærere, quaſi malè ſentire videbatur. Noveram enim, & novi omnes, qui mecum vivèrent, noſſe Propoſitum noſtrum: noſſe legem vitæ noſtræ. Venit etiam ad nos Presbyter Januarius, qui videbatur ſua honeſtè erogando quaſi conſumpſiſſe. Sed non conſumpſit. Remanſit illi quædam pars pecuniæ, id eſt, argentum, quod diceret eſſe filiæ ſuæ. Filia ipſius, Deo propitio, in Monaſterio fœminarum, & bonæ ſpei eſt. Et quia infra annos erat, & de ſua pecunia nihil facere poterat, factum eſt ut ipſum argentum quaſi puellæ ſervaretur ut cum ad legitimos annos veniret, faceret indè quod Virginem* CHRISTI *deceret, quando optimè jam facere poſſet. Dum hæc expectantur, cœpit ille mortis propinquare, qui diu tanquam de ſuo vivens, quia ipſius erat, non filiæ, teſtamentum fecit. Teſtamentum, inquam fecit Presbyter, ſocius noſter, nobiſcum manens, & de Eccleſiæ vivens, communem vitam profitens, teſtamentum fecit. Hæredem inſtituit. O dolor iſtius ſocietatis! Sed Eccleſiam ſcripſit hæredem. Nolo munera iſta: non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, ſocietatem profeſſus erat, hanc teneret, nihil haberet, teſtamentum non faceret.* S. Auguſtinus hocce teſtamentum in utroque iſto ſermone conſtanter ac aſſiduè affirmat fuiſſe ſacrilegum ac ſceleratum, atque ita palam contradicit Imperat. Juſtiniano.

Reſpondeo hos ſermones eſſe ſuperiori ejus ad S. Alipium Epiſtola longè poſteriores. Iſta ſtatim poſt Carthaginenſem, quinti ſæculi anno undecimo factam, collationem ſcripta eſt, hi dicti ſunt paucis annis ante optimi Patris mortem. Lucet ex fine primi ſermonis: *Ego, ſicut videtis, per ætatem jam ſenui, ſed per infirmitatem corporis olim ſenex fui.* Etiam in ſecundo ſermone dicit: *Homo ſum ſenex.* Et iterum: *Non decet bos canos.* Dico, *Paucis annis ante mortem.* Ad minùs quinque. Etenim hoc tempore Eradius, quem S. Auguſtinus ſibi poſtmodò creavit Coadjutorem & ſucceſſorem, erat adhuc Diaconus. Lucet ex ſecundo ſermone. Aſt verò ad duodecimum ſecundi Theodoſii, & ſecundum tertii Valentiniani Conſulatum, id eſt, ad iſtius ſæculi annum vigeſimum ſextum, quo facta eſt iſta electio, idem Eradius erat junior Hipponenſium Presbyterorum. Porrò Auguſtinus è vivis abiit anno iſtius ſæculi trigeſimo. Inter iſtam Epiſtolam ac hoſce ſermones medio tempore conceptum fuum, quem ad præcindendas de Profeſſorum ſubſtantia lites S. Alipio propoſuerat, eſt executus, ac redegit in mores. Sanxit ut deinceps in ſuis, ſeu Clericorum ſeu Monachorum, Cœnobiis nemo profiteretur, niſi antea de ſua ſubſtantia diſpoſuiſſet. Sanxit omnium deinceps fine diſpoſitione Profeſſurorum bona pleno jure ſpectare ad Monaſterium. Omnem Profeſſum voluit eſſe non ſolo uſu ac adminiſtratione, ſed etiam proprietate pauperem. Hinc dicit in primo ſermone: *Nemo me reprehendat, quia Januarii hæreditatem nolo ſuſcipiat Eccleſia. Primò, quia factum illius deteſtor. Deindè, quia Inſtitutum meum eſt.* Audi Inſtitutum: *Sanè etiam hoc noverit Charitas veſtra, dixiſſe me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat. Eccleſiam habet per quam Deus nos paſcit.* Et infra ſcribit: *ſi paratus eſt paſci à Deo per Eccleſiam ipſius, non habere debet aliquid proprium, ſed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, manetat mecum.* Et in ſecundo ſermone legi fecit per Lazarum Diaconum, & ipſemet legit Apoſtolica Acta, quę primæ Hieroſolymorum Eccleſiæ affirmant omnia fuiſſe communia, & adjunxit omnes ſuos obſtringi ad id, *quod iſta profeſſio, & iſta exigit lectio.* Et profeſſionem & lectionem prævaricatus fuerat Januarius: hinc ipſius, & cujuſcumque alterius ſui Clerici teſtamentum Auguſtinus cenſuit nefarium atque ſacrilegum. Hinc & de ipſo Auguſtino ſcribit Beatus Poſſidius: *Teſtamentum nullum fecit, quia undè faceret, pauper* CHRISTI *non habuit.* Quia nempè primus ipſe omnium iſtam profeſſionem emiſerat. Proindè iſta non fuit tunc omnium Eccleſiarum lex, ſed ſingulare Inſtitutum S. Auguſtini.

Eadem ſingularis forma tunc viguit etiam in aliis Monaſteriis. Etenim de univerſæ Ægypti ac Thebaidos Cœnobiis in ſecundo Monaſticarum Inſtitutionum libro Joannes Caſſianus: *Non quiſquam conventiculo Fratrum, ſed ne ſibi quidem ipſi præeſſe conceditur, priuſquam non ſolùm univerſis facultatibus ſuis reddatur extraneus, ſed ne ſui quidem ipſius ſe eſſe dominum, vel poteſtatem habere cognoſcat.* Uti apud nobiles, quæ ſolemne Caſtitatis votum non emittunt, Belgarum Canonicas nulla niſi emiſſo iſtiuſmodi voto poteſt evehi in Abbatiſſam, ita apud iſtos Monachos nemo, niſi facta ſui plena expropriatione poterat promoveri in Præfectum. S. Auguſtinus hanc legem extendit ad omnes ſuos & Clericos & Monachos. Hinc ipſorum nullus condere teſtamentum poterat, aut quovis modo diſponere, & ex his lucet eximia S. Auguſtini ſanctimonia. Etenim omnia Januarii Presbyteri bona ſpectabant ad Eccleſiæ Monaſterium, ideoque & iſta ejus hæreditas. Auguſtinus iſtam iniquitatis Mammonam fuit averſatus, & projecit. Magnus Gregorius ſimiles ſordes juſſit cum proprietario Monacho fepeliri. Cap. 3

Attamen S. Auguſtinus admiſit quaſdam exceptiones. Hæc eſt prima: *Sunt qui de qualicumque ſua paupertate, quod ſtatuerant, nondum fecerunt. Hi ſunt Valens Diaconus, & Nepos meus Patricius Subdiaconus. Matris ejus vita impediebat, quia indè vivebat. Exſpectabatur in illo etiam legitimæ ætatis acceſſus ut quod faceret, firmiſſimè faceret. Nondum autem fecit, quia ipſos agellos habet cum Fratre ſuo communes, & ſub indiviſo eos poſſidet.* Hic ſunt tres exceptiones: Matris uſus-fructus, minor

minor ætas, ac bonorum indivisio. Primam Augustinus exponit: *Nepos meus impediebatur aliquid de agellis fuis agere invita Usufructuaria, Matre fua, quæ hoc anno defuncta eſt.* Et adjungit. *In ter ipſum & Sororem ejus ſunt quædam cauſæ, in* CHRISTI *adjutorio cito finiendæ, ut & ipſe faciat, quod Deo ſervum decet.* Hæc eſt quarta exceptio. Auguſtinus adducit &quaſdam alias. Ex hiſce fontibus Imperator Juſtinianus ſuas hauſit laudatas leges, laudatque ipſarum moderamina. Ex his item vides inter utriuſque ſcripta nullam intercedere antilogiam.

Omittere nolim & aliam Juſtiniani de hac re Legem, ſcriptam ad Joannem Prætorio Præfectum: *Ad hæc ſancimus, five vir ad ſolitariam vitam venire voluerit, five mulier viro relicto ad exercitationem Monaſticam venerit, ne hoc damni cauſam præbeat, ſed ut ſua omnimodò recipiat, ita ut liceat uxori & dotem recipere ſuam, & propter nuptias donationem ei, qui cum ipſa cohabitaverat, & quod indè venit lucrum, non ſecundùm eam, quæ per repudium ſit, disjunctionem vindicare aut manere apud eum, qui non diverſit, ſed ſecundùm, quod in caſu mortis factum eſt pactum, qua ſi videantur ſi, qui diverſit à communi alterius convictu, mortuus eſſe in alterius contubernio, cum cohabitanti ſit omnino inutilis. Quidquid autem in dotalibus inſtrumentis receptum fuerit ex pactis in caſum mortis, id debitum intelligatur. Non audente muliere ante anni lapſum in aliud reſpicere Matrimonium, propter generationis aut ſemhnis incertitudinem.* In fæculo relictam non cogit more latino ad ſimiliter ingrediendum Monaſterium, ſed permittit reſpicere ad novas nuptias. Quæ licentia dudum viguit etiam in Gallicana Eccleſia. Exſtat lex in primo libro Codicis. Et ex ipſa diſcimus cauſam, ob quam Romanæ leges Viduæ ante expletum annum non permittant novum Matrimonium.

Titul. 3. cap. 53.

Eadem de re Juſtinianus ſanxit in Novella Lege ad Petrum Officiorum Magiſtrum: *Sponſalibus ſecundùm leges factis inter aliquos, ſive Sponſus Monaſterium ingrediatur, recipiat quæ pro Sponſalibus arrharum nomine ſunt data; ſive Monaſticam vitam elegerit, illi ſolummodò reddat, quæ ſimiliter arrharum nomine accepit. Pœna utrique pariter con edenda. Si verò conſtante adhuc matrimonio, aut vir ſolus, aut uxor ſola intraverit Monaſterium, ſolvatur matrimonium. Et citra repudium. Poſtquam tamen perſona pergens ad Monaſterium ſcema perceperit. Et ſi quidem vir elegerit Monaſticam vitam, reſtituat priùs mulieri dotem: & ſi quid aliud ab ea acceperit: & ſuper hoc ex nuptiali donatione tantam partem, quanta ex morte viri competebat mulieri ſecundùm pactum dotalibus inſtrumentis inſertum. Si verò mulier fuerit Monaſterium ingreſſa, ſimili modo vir retineat nuptialem donationem: & caſum dotis ex morte mulieris placitum. Reliquum verò dotis mulieri reſtituì præcipimus, & ſi quid aliud ex rebus mulieris apud eum inveniatur. Ambobus autem Monaſticam vitam eligentibus, jubemus vacantibus dotalibus Placitis, virum retinere donationem ante-nuptialem, & mulierem propriam accipere dotem, & quidquid aliud viro dediſſe probatur: ut unuſquiſque citra dammum ſuis fruatur rebus: niſi fortè ſponſus ſponſæ, aut ſponſa ſponſo, aut mavitus uxori, aut uxor marito aliquid donare, aut cedere voluerit. Quoniam neque ex pactis nuptialibus viro aut mulieri lucrari aliquid conceditur.*

Cap. 39. & 40.

CAPUT IX

Demonſtratur quod baſce Imperatoris Juſtiniani Leges non ſola Orientalis, ſed etiam cuncta Occidentalis, Romana præſertim, Eccleſia ſemper probaverit atque admiſerit.

Adductæ leges, licèt ſolius Juſtiniani nomen præferant, ſunt etiam Eccleſiaſtici Canones. Sunt avita Eccleſiarum diſciplina, per adſidentes iſti Principi Epiſcopos probata ac firmata, & per Auguſtam authoritatem admiſta etiam in legis vigorem. Juxta eam omnis ſemper vixit Eccleſia. Etiam Occidentalis. Variis hoc in locis teſtatur ac profitetur magnus Papa Gregorius. Ad Candidum, Romani in Scauri Clivo apud S. Andream Monaſterii Abbatem, hæc ſcribit: *Quoniam inter te Candidum, Abbatem Monaſterii S. Andreæ Apoſtoli, poſiti in hac urbe Romana in Clivo Scauri, agentem utilitates ejuſdem Monaſterii, & Maurentium glorioſum Magiſtrum militiæ, cauſa ſucceſſionis hæreditatisque Joannis, fratris conſanguinei prædicti viri, qui in ſuprafcripto Monaſterio converſus eſt ac defunctus, cum noſtro quoque conſenſu commodæ ſollicitudine tranſactionis pagina inierveniente, deciſa eſt; denique quia cum fides memorati glorioſiſſimi Magiſtri militiæ finceritas olim nobis veraciter nota fit, & benè comperta, ut ſatisfactionem poſſit omninò ſufficere, etiam dato corporaliter Sacramento firmaret nihil ſe in fraude verſatum, aut aliquid occultaſſe, ſed omnia integrè prodidiſſe, idcircò hujus Decreti, Præceptique noſtri ſerie tranſactionem deciſionemque inter ſe & præfatum Maurentium glorioſum habitam, ratam habentes per omnia confirmamus, nec in totum partemve aliqua ratione convelli, ſed eam habere perpetuam decernimus firmitatem.* Glorioſi Maurentii frater, in S. Andreæ Monaſterio profeſſus, ac defunctus, quædam bona apud fratrem reliquerat. Ea Candidus Abbas repetivit. Et Maurentius reddidit: Attamen expectationi non ſatisfecit. Hinc ſe corporali juramento purgavit. Et quia nec ſic explevit omnem Monaſterii ſpem, inita eſt tranſactio. Et ipſam Pontifex firmavit. Quæ omnia palam fundantur in adductis Juſtiniani Legibus, ac in ſuperiùs laudata regula Magni Baſilii. Etiam hæc ſanxit omnia defuncti Monachi bona ſpectare ad Cœnobium, & ab hæredibus nihil poſſe occultari.

Lib. 7. Ep. 13. indict. 1.

Idem ſanctus Gregorius primo ſeptimi ſeculi, duodecimo ſui Pontificatus anno celebravit numeroſam Synodum, cui Probus Abbas obtulit has preces: *Ea quæ nunc Beatitudini Veſtræ intimare deſidero, ibique Domino meo benè comperta ſunt, veſtramque mihi conſcientiam teſtem eſſe ſcio quæ ſuggero. Quoniam dum ante hos annos ex latco ad religioſum migraſſem officium, diſpoſueram in cellula mea ſuper me ſolitarius habitare, ibique ipſis paucis diebus, qui ſuperſunt, vitam tranſigere. Propter quod nec aliquid de ſubſtantiola mea antè ordinavi ſive diſpoſui, ſciens tam ab inteſtato quàm ex teſtamento filium mihi poſſe ſuccedere. Quadam autem die dum inter alios ad obſequia Domini mei fuiſſem ingreſſus, ſubitò atque inopinatò introire in Monaſterium, atque ut onera Abbatis deberem ſuſcipere præcepiſis. Statimque ſurgentes, non indulto ad deliberandum vel tranſlan-*

Lib. 9. Ep. 22.

dum mihi spatio, ad Monasterium jam cum Monachis ambulare coactus sum. Unde quta nihil antea, quod de subsistentiola mea occurrit, potui ordinare, idcircò lachrymabiliter supplico, ut concessa per Constitutionem vestri Decreti licentia, fas mihi sit de omnibus rebus meis voluntatem meam disponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum est, quia illos Legalis Sanctio quidquam de subsistantia sua prohibet, postquam Monasterium ingressi fuerint, ordinare, quibus dispondarum rerum suarum supplere-tit ante licentia, non autem eos quos adhuc quod nunquam tractaverant, Præpositorum suorum parere cogit instantia. Quia sicut Legis voluntas hoc ex deliberatione facientibus contradicit, ita eis qui compelluntur, majori providentia succurrit.

Hæ preces palam fundantur in laudatis Justiniani Legibus, & nos docent varia. Primò, quod solitarium extra Cœnobia Monachatum professi retineant plenam & proprietatem & administrationem suæ subsistantiæ. Secundò, quod possint condere testamentum. Tertiò, quod ipsis intestatis neque Ecclesia, neque quodvis Cœnobium succedat, sed filii, aut alii sui hæredes. Quartò, quod laudatæ Leges de istis nihil disponant. Et hinc intelligè laudati Gregorii Rescriptum ad Petrum Subdiaconum, Rectorem Apostolici in Sicilia Patrimonii: *Fantinum Defensorem Joannes Monachus quidam moriens in sex unciis hæredem dimisit. Cui hoc quidem quod dimissum est trade, sed contestare eum, ut hoc facere ulterius non præsumat. Sed pro labore suo statuę quid accipiat, ut ei vacuus labor suus esse non debeat, & hoc meminerit, ut qui Ecclesiæ stipendiis subsistit, ad lucra propria non aubelet.* Rescriptum agit de solitario Monacho. Et Romanæ Ecclesiæ Defensoribus præscribit, ne ab istiusmodi venentur legata aut testamenta. Proindè Justiniani Leges sanciunt ac disponunt de solis Cœnobitis. Quintò dicimus, quod Probus Abbas censuerit adversùm istas Leges dari locum exceptionis, dispensationis aut epykejæ. Dispensationis locum esse illis, qui per Romanum Pontificem essent abrepti, & quasi detrusi in Cœnobium, & quidem in officium ac Sedem Abbatis. Præsertim si haberent filios. Etiam horum subsistantiam Probus admisit spectare ad Cœnobium, addidit tamen esse dignos quibus aut deberetur, aut dispensatorie impartiretur plena facultas testandi. Saltem in gratiam filiorum. Nec dubium est quin Probus hanc gratiam ab optimo Pontifice extra Synodum popoposcerit. Verùm erat implicata quæstio. Etenim circa istam facti speciem Justinianus nihil sanxerat. Hinc sibi foli non fidens Pontifex, quæstionem retulit ad Synodum. Hic Probus videtur fuisse successor Candidi. Etenim fuit Abbas Urbici ad Sanctum Andream Monasterii, quod Gregorius appellat suum, utpote à se erectum & fundatum in propria domo. Ejus item precibus Pontifex plenè annuit. Et adduxit varias rationes. Quod nempè plenum vigorem haberent istæ Leges, ideoque sine firmis fundamentis non possent dispensari. Synodus est integrè legenda.

Hæc omnia Gregorius insigniter confirmat in litteris ad Januarium Calaritanum Episcopum, Metropolitam Sardiniæ: *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta Legis definitione decretum est: quod cùm penè omnibus notum sit, in magnam nos Gravinæ Abbatissæ Monasterii Sanctorum Gravini & Luxorii, insinuatio admirationem deduxit. Quæ Suicam Monasterii sui Abbatissam, postquam regendi suscepit officium, condito testamento, legata quibusdam asseruit reliquisse. Et cùm de Sanctitatis vestræ solicitudine quæreremus, cur res Monasterio competentes ab aliis pertuleriit detineri communis filius Epiphanius, Archi Presbyter vester, præsens inventus respondit præmemoratam Abbatissam usque ad diem obitus indui se Monachica veste noluisse, sed in vestibus, quibus illius loci ututnur Presbyterę, permansisse. Ad hæc replicabat prædicta Gravina hoc penè ex consuetudine licuisse, adeò ut Abbatissam, quæ ante supradictam Siricam fuerat, talibus usam fuisse vestibus allegaret. Cùmergo de qualitate vestium nec non medio criter cæpissemus ambigere, necessarium visum est nobis, tam cum Consiliariis nostris, quàm cum aliis hujus Civitatis doctis viris, quid esset agendum, de Lege tractare. Qui tractantes respondérunt: postquam solemni more Abbatissa ab Episcopo ordinata est, & in Monasterii regimine per annos plurimos usque ad vitæ suæ transitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam fortè Episcopi respicere, qui eam sic esse permiserit, non tamen potuisse Monasterio præjudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco, ex eo quo illuc ingressa & Abbatissa constituta est, manifesto jure competere. Et idcò quia ex dimissis illicitè rebus Xenodochium possessionem asserit indebitè retinere, bis vos hortamur assatibus, ut quia & Monasterium & Xenodochium ipsum in vestra est Civitate positum, omni cura ac studio providere debeatis, quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex eo memoratæ Siricæ legato descendit, antedicto Monasterio, postposito strepitu vel excusatione, reddatur. Si verò ex alio fortè dicitur obvenisse contractu, ut Fraternitas vestra inter partes cognita veritate, quod Legalis fuaserit ordo, definiat aut mutuo sibi consensu arbitros eligant, qui eorum valeant allegationes discutere. A quibus quidquid fuerit statutum ita vestra provisione servetur, ut nullum inter venerabilia loca jurgium remaneat, quæ magnoperè alterna pacis sunt fovenda concordia. Alia igitur omnia, quæ ex testamento præfatæ Siricæ detinentur, quippè quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut juri Monasterii, Fraternitatis vestræ sollicitudine, Sacerdotali per omnia studio reponantur: quia Imperiali Constitutione apertè sancitum est, ut ea quæ contra Leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Notanda sunt verba: *Aperta legis definitione decretum est. Quid esset agendum, de Lege tractare. Quid legalis suaserit ordo, definiat. Legali sanctione permittitur. Imperiali Constitutione apertè sancitum est.* Altè clamant laudatas Leges tunc fuisse solemnissimam Latinæ Ecclesiæ Regulam.

Lib. 7. Ep. 42.

Lib. 7. indict. 2. Ep. 7.

Trajanus in Valeria Provincia, ac in fundato per suum patrem Cœnobio Monachus & Abbas, à Paganis ac Barbaris Longobardis fuit ejectus cum suis Fratribus, ac fugit ad Melitenses. Et varia Monasterii secum abstulit. Tandem assumptus fuit in istius Insulæ Episcopum, atque

ita

ita omnia ista retinuit. Licere sibi credidit ex duplici capite. Primò, quòd ista servasset à rapina Barbarorum. Deindè, quòd ejus Parens fundasset Monasterium. Asit istud postmodò liberatum à Barbaris, ac restitutum interceſſit. Hinc Gregorius ad Romanum Siciliæ Defensorem rescripsit inter cætera: *Sed & hoc quod Tra-*
Lib. 8. Ep. 1. *janus de Monasterio illo, in quo conversus est, quod in Provincia Valeria in possessione juris sui patrem ejus manifestum est construxisse, pellente hostilitate, decedens absuit, secumque detulit, sine aliqua dubietate et reddendum est. Quia alterius acquisitionis jus efficit quod simel Monasterii fuerit dominio sociatum.* Hæc est ipsa facti species, de qua olim disceptarunt sanctus Auguſtinus ac sanctus Alipius: nempè an Monachi ad Episcopatum aut Clericatum promoti bona debeant aut possint cum ipso migrare ex Monasterio ad Eccleſiam? Et magnus Gregorius senſit cum sancto Alipio. Ob Leges Juſtinianæ. Ex jisdem principiis noſtri Ordinis Conſtitutiones mandant, ut ad Episcopatum assumptus frater nihil secum auferat, niſi unicum habitum: & ut de ejus usui conceſſa supellectile disponatur per Conventus Priorem, uti conſuevit disponi de supellectile Fratrum defunctorum.

Insigne Reſcriptum Gregorius transmiſit etiam ad Adeodatum Monachum: *Quia prius-*
quam in Monasterio Sancti Adriani, ubi es conversus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres, domos & hortos intra Civitatem, seu terras salionales, vel vineas in fundo fullonico, vel ex aliquibus mancipiis tuis, quibus antè concessa à te libertas est, verbo largius es, ipsa quoque donatio, licèt posſit jure subsistere, præcipuè in hoc quod ab illis tributur, qui cum pompis suis sæculum relinquentes, ad Dei se eligunt conferre servitium, tamen ne quid futurum tempus oblivionis nubilo huic derogare quidquam valeat largitati, Scripturæ hoc desideras tradere monimentis. Quod ut queat robuſtum existere, à nobis tibi posſis dare licentiam. Idcircò hujus Præcepti noſtri pagina liberam tibi hoc faciendi concedimus facultatem, quatenùs dum omnia à te fuerint diligenter expressa, & designatione tua noverint esse suum, quod cunctis modò commune est, & ipſi sine contentione donata posſideant, & voluntas tua, quid ad quem pertinere voluerit, esse non posſit ambigua. Quidquid enim hujusmodi Scriptura interveniente fecerit, firmum stabileque, & ex rei ipsius veritate, & hac noſtra authoritate, non dubites. Quippè qui non novum aliquid facere, quod Lege est vetitum, sed dudum factum videns exprimere, & salubriter, amputandi causa litigii, litterarum memoriæ servanda reponere. Profeſſurus Adeodatus varia donaverat variis: omnia solo verbo, citra solemnem Scripturam. Hinc post ejus mortem nasci lites potuerant: Monasterium potuiſſet omnia postulare ac invadere. Hinc dispoſitionis suæ in solemnem Scripturam redigendæ facultatem popoſcit Adeodatus, & Gregorius donavit. Notanda sunt verba: *Quod lege est vetitum*: edicunt duo. Primò, quòd hoc Apoſtolicum Reſcriptum fundetur in laudatis Juſtiniani legibus. Secundò, quòd Romana Eccleſia tunc istas Leges venerabatur ut rigidiſſimos Canones, ideo-

que in ipsis non dispenſabat.

Huc item spectant duo Articuli in Gregorii Reſcripto ad Petrum Subdiaconum, Apoſtolici in Sicilia patrimonii Rectorem: *De lapsis Sa-*
cerdotibus vel Levitis, vel quolibet ex Clero, ob-
servare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miſceatis, ſed pauperrima regularia Monaſteria require, quæ ſecundùm Deum vivere ſecuntur, & in jiſdem Monaſteriis ad pœnitentiam lapſos trade, ut res lapſorum in eodem loco proficiant in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipſi ex rebus illorum ſubſidium habeant, qui de correptione eorum ſubſidium gerunt. Si verò Parentes habent, res eorum legitimis Parentibus dentur, ita tamen ut eorum ſtipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, ſufficienter debeat procurari. Si qui verò ex familia Eccleſiaſtica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapſi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, ſed res eorum Eccleſiaſtico juri non ſubſtrahi. Ad uſum tamen ſuum accipient; undè ad pœnitentiam ſubſiſtant. Nec ſi mudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi ſint. Si qui Parentes in poſſeſſione habent, ipſis res eorum tradendæ ſunt, ut in ipſis Jura Eccleſiæ conſerventur. Et inſrà: *Donationem Ancillæ Dei, quæ lapſa eſt, & in Monaſterio data, omni poſtpoſita tarditate reſtitue, quatenùs ipſe locus rerum ejus ſtipendia habeat, qui ejus ſollicitudinis labores portat. Sed & quidquid ab aliis ex ejus ſubſtantia tenetur, recollige, & Monaſterio præfato trade.* Gregorius etiam hæc reſcripſit ex Juſtiniani Legibus, quæ à Gratiani Auguſti Lege ſancitam degradati Epiſcopi aut Clerici ad centum à ſua Civitate milliaria relegationem mutarunt in perpetuam clauſuram ac pœnitentiam in Monaſterio. Et reſcribit ac docet varia. Primò, quòd quidam Romanæ Eccleſiæ Defenſores ſimilium Epiſcoporum & Clericorum bona invaderent, tanquam Apoſtolicæ Sedi debita ſpolia. Secundò, quòd magnus Gregorius, iſtam praxim improbarit ac proſcripſerit. Tertiò, quòd iſtiuſmodi Epiſcopos & Clericos juſterit pauperibus & Regularis diſciplinæ tenacibus Monaſteriis tradi in pœnitentiam. Quartò, quòd omnia iſtorum bona voluerit ſpectare ad hocce Monaſterium. Quintò, quòd tamen voluerit præſerri parentes *ex* utique ſuos hæredes. Sextò, quòd hoc etiam caſu iſtorum Epiſcoporum & Clericorum bona, durante ipſorum vita, cederent ad uſum dicti Monaſterii. Septimò, quòd hoc obtinere debuerit etiam in Epiſcopis & Clericis promotis ex Eccleſiarum familia. Octavò, quòd hoc locum habuerit in promotis ex ſimili familia Monachis.

Lib. 1. Ep. 42.

At verò aliud ſtatuit de lapſa Ancilla Dei. Omnia ipſius bona mandat tradi Monaſterio, non dumtaxat ad vitalitium uſum, ſed in perpetuam proprietatem. Hinc quæſtio: quod ſit fundamentum hujus diſcriminis? Reſpondeo agi de Sacra extra Cœnobium Virgine, quæ fuit Monaſterio tradita non dumtaxat ad pœnitentiam ſed inſuper ad profitendam Monaſticam vitam. Videtur quod ex propria ejus electione. Et ante profeſſionem ipſa dederat quædam Monaſterio. Hinc Pontifex mandat, ut & hæc, & quævis

alia eidem Monasterio tradantur. Ista ob factam donationem, cætera ob factam professionem. Ex quo vides Regulam, quæ lapsis Episcopis aut Clericis interdixit suæ substantiæ alienationem, non obtinuisse respectu istius, in quo pœnitendum erat, Monasterii. Etiam vides, de qualibus Monachis fuerit suprà locutus Pontifex. Locutus est de Solitariis extra Cœnobium. Hi enim soli tunc habebant propriam substantiam. Hinc discimus & alia duo. Primò, quòd tunc Ecclesiæ suis mancipiis facultatem ac libertatem darent non dumtaxat ad intranda Cœnobia, sed etiam ad ducendam vitam solitariam. Secundò, quòd hæc libertas habuerit adnexum onus, ex quo omnia per ipsos acquirenda postmodò devolverentur ad Ecclesiam. Magnus Gregorius permisit in acquisitam per hujusmodi Monachos, dum ob lapsum detrusi in Cœnobio morerentur, substantiam præferri parentes ante Ecclesiam. Et adjungit causam: ut in ipsis jura Ecclesiæ conserventur: hi parentes erant Ecclesiæ mancipia, ideoque quidquid acquirebant, acquirebant Ecclesiæ. Hæc statim largiùs elucidabuntur.

CAPUT X.

Demonstratur quòd omnis Ecclesia semper perrexerit laudatas Justiniani leges probare & observare.

ISTas Leges Orientalis Ecclesia constanter perrexit probare atque admittere. Etenim septima Synodus post damnatam pro Monasterii ingressu Simoniam profequitur: *Porrò quæ filiis à parentibus dantur more dotis, vel si qua ex proprijs rebus acquisita offeruntur, profitentibus his qui ea offerunt Deo dicanda definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere illa in Monasterio secundum repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa Prælati.* Synodus ad Justiniani Legem addidit istud moderamen. Existimo intelligendum non de apostatante ob Prælati culpam Monacho, sed de transferente se ad aliud Monasterium. Et tamen nec ita intellectum moderamen videtur umquam admissum in mores Ecclesiarum Orientalium. Eadem de re sanxit in sua Synodo Photius Patriarcha Constantinopolitanus: *Monachi nihil debent habere proprium, sed omnia ipsorum Monasterio asscribi. Dicit enim Beatus Lucas de jis qui credunt in Christum, & Monachorum institutionem deserbunt, quòd nemo quidquam eorum quæ aderant, proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et ideò jis, qui Monachi esse volunt, priùs datur facultas de suis rebus testandi ac disponendi, & quibuscumque vellint personis, lege scilicet non prohibitis, sua transmittendi. Postquam enim Monachi facti fuerint, omnium bonorum dominium Monasterium habebit, & nullam de rebus propriis curam gerere, vel disponere eis permissum est. Si quis autem deprehensus fuerit possessionem aliquam, quæ Monasterio non adscripta fuerit, sibi privatim attribuere, & acquirendarum possessionum cupiditati servire, ea quidem ab Episcopo seu Præfecto recipiatur, & in multorum præsentia vendita pauperibus & mendicis distribuatur.* Scio hanc Synodum, utpotè schismaticam & latrocinalem, esse nullius momenti: ex ipsa tamen disciplinam antiquam discipliman Orientalis Ecclesiæ. Quin & noster Gratianus integrum ejus Canonem Decreto suo inseruit. Præsentem Canonem Codici suo inseruit etiam Constantinus Harmenopolus, atque ita testatur ipsum suo adhuc tempore vixisse in Græcorum moribus.

Can. 19.

In jure Græco-Romano extat Codex cum hac epigraphe: *Delectus legum compendiarius, factus à Leone & Constantino, Sapientibus Augustis, ex Institutionibus, & Digestis, & Codice, & Novellis Magni illius Justiniani Constitutionibus, atque etiam correctio in id quod æquius & melius est.* Et sub nono titulo habentur hæc: *Monasterium intratus rus de omnibus rebus suis ante introitum disponat. Quia Monasterio dedicatus omnia sua, tametsi id verbis expressum non fuerit, secum infert. Neque amplius ulla ratione existit Dominus illorum. Monachus factus, qui liberos habet, potest etiam postquam factus est, facultates suas dividere filiis suis, reservans sibi unam partem, quæ & Monasterio competit. Si verò intestatus discesserit, tunc quidem liberi ejus ab intestato capient nimirum Falcidiam, & reliquum debetur Monasterio.* Obligatur sibi reservare unam partem: Monasterium computare in numerum filiorum. Etiam Constantinus Porphyro-genitus statuit: *Si homicida motu proprio, vel ipsum in viam revocantium consilio & approbatione, commisso priùs scelere deposito, Monasticam ad vitam tranierit, tertiam bonorum ejus partem Monasterium accipiet, reliquo triente uxori & liberis interfecti, ad exiguum calamitatis eorum solatium, reservato. Quod si nulli sint interfecti liberi, pars hæc tertia bonorum uxori & ascendentibus ex æquo dividetur, &c.* Extat Rescriptum in secundo libro Juris Græco-Romani. Et Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus hæc rescripsit: *Sacerdos, qui noverit uxorem suam adulterio pollutam, si ipsam expulerit, à munere suo non arceatur; sin receperit, Sacerdotium amittat. Dotis autem, quam adultera marito attulit, duo trientes pro nato utrique filio retinebuntur; reliquus ipsi conceditur, ei tribuendus Monasterio, in quo tondebitur.* Exat Rescriptum in quarto libro præfati Juris.

Can. 8. 9.

Fol. 111.

Fol. 263.

Eadem de re extat insignis novella Lex Imperatoris Leonis Philosophi, directa ad ejus Fratrem Stephanum, Patriarcham Constantinopolitanum. Confirmat hæc omnia, ita tamen ut adjiciat duas moderationes. Prima est de bonis Monachi post professionem advenientibus, quæ ex Justiniani Legibus palam spectant ad Monasterium: *Statuimus ut si quis, quo tempore Monasticam vitam suscepit, Ecclesiæ quidquam consecraverit, illi circa res postmodò comparatas liberum ratumque judicium sit quomodocumque de illis statuere velit; sin nihil omninò ab initio in Monasterium sit allatum, tum ut bifariam substantia dividatur, ita ut una pars in bessem, altera verò in trientem circumscribatur, ac Monachus, quomodocumque ipsi visum fuerit de besse testamento statuat, trientem autem applicetur Monasterio.* Altera moderatio est circa Monachos impuberes quibus per Leges non permittitur conditio Testamenti. Magnus Basilius contra plurimarum Ecclesiarum, quæ

Lib. 5.

etiam

etiam infantes atque pueros permittebant offerri aut profiteri in Monasteria, morem sanxit neminem ista oblatione aut professione adstringi, nisi post ætatis annum sextum-decimum aut decimum-septimum. Et ejus Canonem firmavit, ac ad omnem Orientem extendit Trullana Synodus. Verùm plures Episcopi atque Archi-mandritæ intercesserunt. Hinc Imperator Leo permisit professionem fieri anno decimo, atque in alia ad fratrem Patriarcham directa Lege adjunxit. *Puer decennis, ne quomodo ejusmodi vitam ineundi, sic etiam de rebus suis testandi facultatem accipiat, sed donec illud tempus, quo legitimam plenamque ad testandum ætas potestatem capit, advenerit, à disponendis rebus inhibeatur. Quod si, ut sunt res humanæ, antè illius temporis expletionem è vita excesserit, servi ejus omnes à servitute liberentur, reliqua verò bona bifariàm dividantur in bessem & trientem, ac bessem quidem Monasterium auferat, triens autem defuncti cognatis detur. Quorum si nulli suppetunt, quò bes processit, eò triens quoque abeat.* Verùm & hæ moderationes etiam à Græcis vix fuerunt admissæ.

In Commentario ad supra adductum Photianæ Synodi Canonem Theodorus Balsamon adducit insigne ad Justiniani Leges additamentum: *Exorta est aliquando controversia in judicio circa Monachi jura incorporalia, quæ ab eo ante tonsuram non fuerunt dispensata. Cum enim Monachus quidam pro mutuo aliquem in jus traxisset, quæstum est, An Monachus posset agere? Et visus est non esse admittendus. Cum autem Monasterium ad Judicium venisset, & proponeret Jura ipsa tanquam ex Canone ad se pertinere, quod ante tonsuram de iis non disposuerit, dicebant qui Reos defendebant, quod neque Monasterium neque Monachi possent agere. Monachus enim, qui jam ut mortuus ne res quidem habet, ad litem movendam admitti non debet. Monasterium verò, cui jus actionis incorporale cessum non est, actionem intendit cujus non est particeps. Meminerunt autem & Legis, quæ dicit: jus incorporale, si cessum non fuerit, non transit ad alterum. Et volebant iem in jus non esse trahendam, quod eo modo extincta fuerit actio. Hæc tamen dicentes non placuerunt. Statutum enim est, quod quoniam non ex Proposito Monachi, qua habet jus incorporale, bona ejus ad Monasterium transeunt, sed à Legis auctoritate, vire etiam sinè cessione ipsum sibi actionem attribuet. Præterea dicebant nonnulli, quod hæc quidem locum habeant in Cœnobitis, non autem in Cellularitis Monasteriis. Audiverunt autem eos non rectè dicere. Quoniam nulla est differentia Monachorum & Monasteriorum ex Legibus & Canonibus.* Hoc posterius est verum de Cellulariis intra Monasterium: quales apud nos sunt Monachi Carthusienses. Simplices solitarios Justinianus palam distinxit à quibusvis Cœnobitis.

Quod Latina Ecclesia istas Justiniani Leges probare ac servare perrexerit etiam posterioribus sæculis, demonstrant multa testimonia. Attamen cum quibusdam moderationibus. Antiquæ Gothorum in Hispania Leges habent: *Clerici vel Monachi, sive Sanctimoniales, qui usque ad septimum gradum non reliquerint hæredes, & sic moriuntur, ut nihil de facultatibus suis ordinent, Ecclesiæ sibi, cui deservierint, eorum substantiam vindicabit.* In antiquis Longobardorum Legibus statuit Rex Luitprandus: *Si qua mulier Religionis velamen induta fuerit, & Monasterium intrare voluerit, si filios aut filias habuerit, in quorum manu-dio esse inventur, cum tertia portione de proprits suis rebus intret in Monasterio. Et post obitum ejus remaneat in ipso Monasterio. Si verò filios aut filias non habuerit, cum medio de rebus suis intret. Et post ejus decessum remaneat ipsa medietas in potestate Monasterii.* In filiorum aut filiarum mundio inveniri, est ipsos habere in sua cura, arbitrio, potestate, Proindè fœmina filios emancipatos habens poterat secum deferre medietatem suæ substantiæ. Et magni Caroli ac Ludovici Pii Capitularia habent: *Si Monachus Monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in Monasterium introduxit, & quæ non introduxit, dominio Monasterii sunt. Et ipse officio Præsidis servire cogatur. Si Monachus laicus factus fuerit, honore & cingulo spolietur, & res ejus Monasterio adjiciantur. Si quis incognitus in Monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præsletur. Si intra tres annos servus, aut colonus, aut libertus quæratur, domino suo reddatur cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requisitus non fuerit, postà quæri non poterit, sed tantum ea, quæ in Monasterium adduxit, dominus servi accipiat.* Quia nempè ista sunt Domini, ideoque sequi non possunt servi personam. *Si quis rapuerit, vel sollicitaverit vel corruperit religiosam fœminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit. Ipsi tamen capitali periculo subjectantur. Quod si hæc mulier consensit, cum suis rebus Monasticæ cautioni tradatur. Si verò liberos habet, pars legitima eis reservetur. Quod si intra annum post cognitum tale scelus à religiosis locis non vendicetur, Comes loci illius hæc nostro fisco addicat.* Eandem regulam habes in sequenti libro. Et sic sonat: *Quod si mulier non consensit, cum suis rebus Monasterii dittionibus tradatur.* Et hæc lectio est omninò retinenda. Habetur & hæc Regula; *Quicumque Monachus vel Monacha in Monasterium sunt ingressi, nihil de rebus suis habeant potestatem faciendi, quamvis liberos habeant; sed omnia eorum sint Monasterii, quæ eadem die justè possidebant, quando ingressi sunt Monasterium.* Quæ omnia sunt manifestè desumpta atque fundata ex Justiniani Legibus. Etenim licèt Franci eas abjecerint, de eisdem tamen in quarto ad Capitularia additamento scriptit Ludovicus Pius: *Lex Romana est omnium humanarum mater Legum.* Eadem suo adhuc tempore viguisse demonstrat in litteris ad Robertum Rotho-magensem Archi-Episcopum Sanctus Fulbertus Episcopus Carnutensis. Etenim mulieri, quæ volebat intrare Cœnobium, jussit reddi dotem, quò posset in Monasterium recipi. Et ejus marito fecit facultatem transeundi ad novum conjugium. Istæ Leges, non minus quàm magni Gregorii Rescripta etiamnum vivunt per omnem Ecclesiam. Demptis tamen quibusdam articulis, quos idem Gregorius hinc indè correxit.

Lib. 2. tit. 37. cap. 4.

Lib. 5. cap. 226. 228. C. 227.

C. 232.

Cap. 99.

C. 108.

C. 102.

Lib. 4 tit. 2. cap. 12.

CAPUT XI.

An Monasticam vitam profiteri substantia non solummodò possit, sed etiam debeat devolvi in Monasterium.

REspondeo hic miseri duas quæstiones. Prima est. An filius-familias, parentes vivos habens, adeoque nihil adhuc possidens substantiæ, possit suo ad Legitimam juri renuntiare, atque ita excludere & Monasterium? Respondeo non posse. Etenim Justinianus suo Codici ad titulum de Transactionibus inseruit hanc Legem Imperatoris Gordiani: *De alimentis præteritis si quæstio deferatur, transigi potest; de futuris autem sine Prætore seu Præside interpositâ transactione nulla authoritate juris censetur.* Qui transigit, aliquid accipit: Proindè si de futuris alimentis non possit transigi, longè minùs ipsa possunt renuntiari, aut donari. Quod ipsum locum habet in Legitima. Etenim ipsa non est aliud, quàm alimenta. Et hinc in quarta Lege ad titulum de Collationibus sanxit Imperator Alexander: *Pactum dotali Instrumento comprehensum, ut contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet, Juris authoritate improbatur, nec intestato Patri succedere filia ea ratione prohibetur. Datem sanè, quam accepit, fratribus qui in pactis manserunt, conferre debet.* Dionysius Gothofredus apponit hunc Commentarium: *Pactum ut filia contenta sit dote, cæteris-que bonis renuntiet, Jure Civili non valet, nisi fortè Dos data Legitimæ portioni satis sit ac sufficiat.* Et inscripta ad Julianum Prætorio-præfectum Lege, extante sub titulo de Inofficioso Testamento, sanxit ipse Imperator Justinianus: *Si quis à Patre certas res vel pecunias accepisset, & pactus fuisset, quatenus de inofficioso querela adversus Testamentum paternum minimè ob eo moveretur, & post Patris obitum filius, cognito paterno Testamento, non agnoverit ejus judicium, sed oppugnandum putaverit, vetere jurgio explosa, hujusmodi pacto filium minimè gravari, secundùm Papiniani Responsum, meritis magis filios ad Patrum obsequia provocandos, quam pactionibus adstringendos.* Adeò fœda & per omnes Leges damnata est hæc renuntiatio, ut nullo, nequidem dotali, pacto possit firmari. Quare gratuita est longè absurdior, longe magis casta atque damnata. Præsertim si ita ad excludendum Monasterium, hæc in parte tantopere Privilegiatum per ipsas Leges justinianas.

Objici possit Bonifacii VIII. Constitutio ad titulum de Pactis: *Quamvis pactum Patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullam ad bona paterna regressum haberet, improbet Lex Civilis, si tamen juramento, nec vi nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omninò servari debebit, cum non virgat in salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Respondeo hæc nostræ Assertioni non obesse, sed plurimùm favere. Etenim Pontifex Civiles Leges non circumducit, nec istud pactum validat, sed solum ipsi adjectum liberum juramentum, juxta suam Regulam: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum.* Ex contrario sensu concludit, ompe, quod bonis moribus non adversatur, obligare. Audienda est glossa: *Nota primò, quod quis non potest renuntiare futuræ successioni. Nota ultimò, quod filia non potest cum patre pacisci, ut sit contenta sola dote sibi data, ut renuntiet aliis bonis Patris. Nota insuper, quod Juramentum præstitum super tali pacto non est illicitum, ideoque est servandum. Et secundum secundum Archidiaconum, quod oportet ponderari verbum, omninò, hic positum. Nam excludit dispensationem, ita quod filia non potest habere relaxationem juramenti ab Episcopo.* Glossa rectè distinguit inter gratuitam Legitimæ renuntiationem, ac inter renuntiationem sub dotali pacto & onere: rectè affirmat Bonifacium sancire de sola posteriori renuntiatione. Proindè prior, licet juramento confirmetur, manet vacua, vacuumque est istud juramentum. Est enim de re non licita: Quia de omnimoda abjectione alimentorum, quam nemo possit præsumere. An nullo casu istud liceat, nolim disquirere. Quidquid sit, de tali juramento nihil sanxit Bonifacius. Et ut istud, de quo sanxit, juramentum striget, debet fieri sine metu & dolo, & citrà præjudicium tertii. Ad quæ verba rectè Glossator: *Posset ibi detrimentum reperiri filii, vel viro, vel venientibus ab intestato, vel similibus personis.* Proindè tale juramentum fieri nequit sine consensu sponsi. Quæ omnia per argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, locum obtinent etiam in Religiosa Professione. Et sequuntur plura. Primò, quòd absoluta ante professionem facta legitimæ successionis renuntiatio sit omnibus modis nulla. Secundò, quòd non firmetur juramento. Tertiò, quòd etiam ob constitutam Monasterio dotem facta sit irrita & vacua. Quartò, quòd tamen firmari possit per juramentum. Quintò, quòd istud juramentum fieri ac valere non possit in præjudicium tertii. Hoc est, sine interventu & consensu Monasterii. Archidiaconi opinio, asserens istud juramentum non posse relaxari per Episcopum, est valdè ambigua. Est enim implexa quæstio, An irritata per Leges pacta ratificentur atque firmentur per adjectum Sacramentum? Certè magni Doctores censent solum juramentum valere, ideoque juramentum sola religione constringi, non justitia. Et hæc sententia est longè verior. Ipsa insuper censet talia juramenta posse relaxari per Episcopos.

Secunda quæstio est, an emancipatus, adultus, ac propria bona habens possit ante professionem condere tale testamentum, aut tales facere donationes, ut penitùs excludat Monasterium? Partem affirmativam videtur sanxisse Imperator Justinianus. Etenim in scripta ad Epiphanium Patriarcham Novella lege professuris permittit liberrimam disponendi potestatem. Ad aliud non adstringit, quàm ut propriis filiis relinquant Legitimam, & Uxori restituant dotem. Et in scripta ad Joannem Orientalis Prætorii-Præfectum lege similem faculratem facit cuntis ante priorem Legem professis: Ipsos non adstringit ad quidquam relinquendum Monasterio. Ad quæstionem tamen respondeo negativè. Etenim

Lib. 2. tit. 4. cap. 8.

Lib. 6. tit. 20.

Lib. 3. tit. 28. cap. 35.

Cap. 2.

Lib. 5. cap. 5.

Lib. 76.

nim in ſcripta ad Petrum Officiorum Magiſtrum Lege ſancit de illis, qui nullo in filios condito
L. 123. cap. 38. Teſtamento fuerant profeſſi: *Si omnem ſubſtantiam inter filios dividere voluerit, propria ſua perſona filiis connumerata, unam ſibi partem omnibus modis retineat, quæ debeat juri Monaſterii competere*. Hæc Lex iſtiuſmodi profeſſis non injicit novum vinculum, ſed impartit novum privilegium: eis concedit, ut etiam poſt profeſſionem poſſint ſua bona diſponere in filios. Verùm ſub onere, quo cogantur Monaſterium aſſumere in numerum & ſortem filiorum. Proindè iſtud onus etiam ante profeſſionem diſponentibus inerat. A prioribus legibus, licet non expreſſum, fuit omninò ſuppoſitum. Quis enim idoneus Monaſterium, in quo & vivere & mori diſponat, à ſua ſubſtantia penitùs excludat? Hac de re certus Juſtinianus nihil hic ſanciendum duxit: ſanciendum ſolummodò duxit, quid eſſet relinquendum aliis. Ejus veſtigia ſecutus eſt Imperator Leo Sapiens in Lege, qua profeſſos Monachos teſtari permiſit de bonis poſtmodò acquiſitis. Etiam permittit, ut non condito in filios teſtamento profeſſus poſſit id poſt profeſſionem
L. 5. facere, mandat ut ſemetipſum numeret in ſortem filiorum, & adjungit: *Quæ verò pars ad ipſum reſpicit, in ea teſtamenti factio deficiat, Quippe quæ integra ad Monaſterium pertineat*. Pergit de bonis poſt Profeſſionem acquiſitis: *Statuimus, ut ſi quis, qui tempore monaſticam vitam ſuſcepit, Eccleſiæ quidquam conſecraverit, illi circa res poſtmodò comparatas liberum ſit ratumque judicium, quomodocumque de illis ſtatuere velit. Sin nihil omninò ab initio in Monaſterium ſit illatum, tum bifariam ſubſtantia dividatur, ita ut una pars in beſſem, altera verò in trientem circumſcribatur, ac Monachus, quomodocumque ipſi viſum fuerit, de beſſe teſtamento ſtatuat, triens autem applicetur Monaſterio*.

Ejuſdem ſententiæ fuit Imperator Conſtantinus Porphyro-genitus. Etenim in Lege, quâ homicidarum pœnas mitigavit, ſtatuit hæc ſequentia. Primò, homicidam privat omni ſubſtantia, adeoque & omni facultate diſponendi. Deindè ejus innoxiæ uxori reddit dotem, donationem propter nuptias, & quæcvis iſtiuſmodi alia. Tertiò ejus innoxiis filiis donat trientem. Quartò beſſem donat uxori & filiis interfecti. Fi ſcum penitùs excludit. Et adjungit: *Si homicida motu proprio, vel ipſum in viam revocantium conſilio & approbatione, commiſſo priùs ſcelere depoſito, monaſticam ad vitam tranſierit, tertiam bonorum ejus partem Monaſterium accipiat, reliquo triente uxori & liberis interfecti, ad exiguum calamitatis eorum ſolatium, reſervato*. Uxorem iſtam & filios ob Monaſterii jus excludit à triente. Quòd nempè ipſi ex cunctorum intruntium bonis triens, aut certè legitima debeatur. Et adulteram Presbyteri uxorem claudi in Monaſterio juſſit Patriarcha Conſtantinopolitanus Michael Cerularius, atque adjunxit: *Dotis, quam marito attulit, duo trientes pro filio retinebuntur, reliquus ipſi concedetur, ei trimendus Monaſterio, in quo tondebitur*. Hæc omnia deſumpta ſunt ex Legibus Imperatoris Juſtiniani. Definiunt Monaſterio dotalem portionem, quam illæ leges aperte non expreſſerunt. Et ſanè Monaſterium, dum quem ad profeſſionem admittit, ubi admittit durum onus: ipſum perpetuò alimentandi, docendi, tolerandi, ſi fiat cœcus, fatuus, ſcandaloſus, aut etiam apoſtata, ſit ad perpetuum onus Monaſterii. Quare ipſum ſine crudelitate excludi non poſſit à legitima.

Hæc omnia in ſuo ad quintam Imperatoris Juſtiniani Novellam Legem inſigniter elucidat & confirmat Jacobus Cujacius, Cœnobiticæ vitæ ſtatum ac profeſſionem exponit, atque proſequitur: *Tractemus, an verum ſit, quod Accurſius notat, Monachiſmum eſſe capitis minutionem. Equidem puto non eſſe. Quia nec civitatem, nec familiam adimit. Non omnis ſtatus mutatio eſt capitis minutio. Manumiſſio non eſt capitis minutio; Senatus-motio non eſt capitis minutio; Monachiſmus non eſt capitis minutio. Nam & jus legitimarum hereditatum Monachi habent. Et ante hanc Novellam habuerunt bona propria, & teſtamenti factionem, quaſi Cives. Et irritum teſtamentum non fit Monachiſmo: quod tamen conſtat irritum fieri capitis minutione, etiam minima. Idque hæc Novella probat. Sed ſi ante Monachiſmum teſtamentum non fecerit, ex hac Novella non poteſt Monachus poſtea facere teſtamentum. Omnia enim, quæ ejus fuerant propria, tacito jure ad Monaſterium tranſeunt, excepta Falcidia debitæ ſucceſſionis, quæ liberis ſervatur. In quam tamen imputare oportet dotem, & donationem propter nuptias, ſecundùm jus commune. Excepta etiam uxoris dote, & lucro nuptiali ex caſu mortis. Atque ita caſus mortis ducitur ad caſum Monachiſmi. Et Monachiſmo ſolvitur matrimonium. Hodie ex Novella 123 Monachus teſtamentum facere poteſt inter liberos, virili portione Monaſterio relicta. Et ex quinta Leonis Novella de his, quæ poſt Monachiſmum acquiſivit, teſtamentum facere poteſt, vel in aſſem, ſi quid verum ſuarum in ingreſſu Monaſterio contulerit, vel ſi nihil contulerit, in beſſem, triente Monaſterio relicto*. Anteà pauper per Monachiſmum quandoque fit dives. Quòd nempè eminenti ejus ſcientiæ, aut aliis virtutibus quidam ampla donent, aut legent, vel fiant aliæ acceſſiones. Ex his teſtari iſtum Monachum permiſit ad fratris ſui Patriarchæ Stephani ac aliorum Epiſcoporum conſilia & preces Leo Sapiens, verùm illa conditione, ut Monaſterio impartiretur trientem. Quia nempè Monaſterium habebat iſtud jus etiam ab ingredientibus. Non ex ſolis Juſtiniani Legibus, ſed ex antiquiſſima conſuetudine multarum Eccleſiarum.

CAPUT XII.

Exponitur nova quorundam Regnorum conſuetudo, quam appellant amortiſſationem, ſeu manum mortuam.

MAnus mortua eſt duplex. Primam exponit magnum Belgii Chronicon: *Hoc tempore*, ſub Epiſcopatu Alberonis I. *maxima pax Leodienſium fuit. Unde de nocte dicitur orare ſolitos hic Epiſcopus pro grege ſibi commiſſo ante fores diverſarum Eccleſiarum, ubi ſemel audivit mulierem flentem mortem mariti ſui, & præſertim propter mortuum maritum auferr i ab Epiſcopo ſuam cuiſcumque*

tram. Quapropter Episcopus iste, annosui Pontificatus tertio, primus omnium inter prædecessores suos juri suo vel servituti, quæ dicitur mortua ma-
An. 1123. nus, quæ adhuc in quibusdam partibus exhibetur dominis temporalibus à suis subditis, ex super-affluentia misericordiæ sibi innatæ, in tota terra Episcopatus Leodiensis renuntiavit, & hanc abusionem abstulit. Quæ quidem servitus conditioni humanæ, quam libram in exordio Deus condidit, penitùs adversatur. In ea verò consistebat jus, ut quandocumque aliquis pater-familias, qui hanc debebat servitutem, moreretur, in signum servitutis præteritæ optimum pignus vel jocale, quod in ipsius domo reperiri contigerit, à dominis exigeretur; sin autem nihil esset, ut tum defuncti dextera manus abscissa dominis exhiberetur.

Ejusdem juris ac servitutis meminerunt pii Imperatoris Ludovici Capitularia: *Ubicumque commutationes, legitimæ & rationabiles atque utiles*
Lib. 5. cap. 47. *Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant, ubicumque verò inutiles & incommodæ, atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur. Et recipiat unusquisque quod dedit. Ubi verò mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videatur, interventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam deferatur.* Per interjacentem manum mortuam omninò intelligitur jam dictum Regium jus. Ita de factis ad Dei casas injustis commutationibus habet Caroli Calvi admonitio apud Pistas: *Si mortua manus vel præceptum Regium super eis interjacet, discutiatur diligenter, qualiter factæ sint.* Et Philippi Augusti Regis Diploma habet: *Neque nos, neque alius super hominem de communia mortuam manum clamabimus.* Hæc consuetudo videtur obstrinxisse solos servos, libertos, adscriptos ad glebam, aut alios Principum conditionarios. Servilis conditionis solutio semper fuit appellata manumissio, missio extra domini potestatem. Apud Francos fiebat cum onere istius Beneficii agnoscendi ac profitendi etiam post mortem. Hoc erat jus & obligatio manus mortuæ. An jam dicta manus abscissio ubique vigueri, non possim affirmare. Quidquid sit, erat crudelis barbaries.

Altera mortuæ manus species sunt Ecclesiæ, Monasteria, Xenodochia, aliaque id genus pia loca: in ordine ad acquirendas vel possidendas temporales possessiones. Quidam dant hanc nomen-claturæ rationem: *Sicut semel mortuus denuò non moritur, ita quoque corpus ejusmodi, etiamsi omnes personæ, ex quibus constat, rebus humanis eximantur, & mutentur, immutatum permanet.* Verùm ob hanc rationem tale corpus deberet potiùs appellari manus viva. Hinc in Tractatu de bonorum amortisatione Petrus Peckius dat aliam
Cap. 2. vocabuli causam: *Mihi sanè visum semper fuit, idcò manum mortuam dici, quod quemadmodùm morientis hominis manus id, quod comprehendit, firmissimè conclusum tenet, neque facilè remittit, sic etiam quidquid Ecclesia, seu corpus istiusmodi semel acquirit, & in manum, hoc est, in potestatem suam accipit, nonnisi magna cum difficultate & solemnitate in commune hominum commercium post dedit remittit, sed accumulando conservat.* Alii manum mortuam & vivam discernunt ex idoneitate apprehendendi ac retinendi temporales possessiones. Ecclesias, Monasteria, aliaque id genus sacra corpora, quidam Reges ad dictam apprehensionem & retentionem fecerunt incapacia, atque ita quodammodò mortificarunt. Hinc dici cœperunt manus mortua. Hæc ethymologia apparet verior. Quidquid sit, omnes rem intelligimus: parum est de nomine. Petrus Peckius consequenter nobis exponit naturam amortisationis: *Quemadmodùm iis mortua dicitur, quæ in disceptatione judiciali esse debit, Monachus mortuus, qui communi hominum consuetudini exemptus est, excommunicatus & deportatus mortuus, quia à cœtu & frequentia hominum excluditur, exhæredatus mortuus, qui inter hæredes amplius non est, ab hostibus captus, qui inter Cives esse non potest; eodem quoque modo eam rem mortuam non absurdè dici existimo, quæ amplius de una manu in alteram manum vivantium non transit, sed communi hominum commercio eximitur. Cujusmodi sunt hæc bona, quæ dicimus amortisata. Nam & in simili Accursius id mortuum dici putat, ex quo nemo fit locupletior. Ita quoque ea bona immobilia, quæ Principis authoritate in manum mortuam transferuntur, & per hoc hominum commercio & alienationis conditione eximuntur, ducta à Gallis voce, amortisari vulgò dicimus.*

Quæstio est, Quænam sit prima hujus mortificationis origo? Petrus Peckius in præfato Tractatu respondet: *Ejusmodi Leges jam indè à multis sæculis in Italia, locisque aliis Romano Imperio subditis viguisse, cùm Divus Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, tum Divus Ambrosius evidenter ostendunt.* At certum est eruditum in Romano ac Belgico jure virum labi. Audiamus utriusque Patris verba. Sanctus Ambrosius hæc scribit ad Imperatorem Valentinianum I. *Nobis etiam pri-*
Lib. 12. Ep. 12. *vatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. Scribuntur testamenta templorum Ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ; soli ex omnibus Clerico commune jus clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quòd Sacerdotibus Fani legaverit Christiana vidua, valet. Quòd ego non ut querar, sed ut sciant quod non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse, quàm gratia. Sed referunt, ea, quæ vel donata vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata.* Sanctus Hieronymus Nepotianum Clericum graviſſimè dehortatur ab omni cum mulieribus, Sacris præsertim, familiaritate, atque adjungit: *Pudet dicere, Sacer-*
Ep. 2. *dotes idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis Clericis & Monachis hoc Lege prohibetur. Et prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc Legem. Cauterium bonum est, sed quò mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severaque Legis cautio, & tamen nec sic refrænatur avaritia. Per fidei commissa Legibus illudimus: & quasi majora sint Imperatorum Scita, quàm Christi, Leges timemus, Evangelia contemnimus. Sit hæres, sed mater filiorum, id est,*

gregis

gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutrivit, & pavit.

Ista Valentiniani ad sanctum Damasum Pontificem scripta, ac in omnibus Romanæ urbis lecta & publicata Basilicis, Lex extat in sexto-decimo libro Codicis Theodosiani: *Ecclesiastici, vel ex Ecclesiasticis, vel qui Continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur judiciis, si posthac eos ad fines earum vel Propinqui putaverint deferendos. Censemus etiam ut memorati nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint liberalitate quacumque, vel extremo judicio possint adipisci. Et omne in tantum ineffi-cax fit quòd alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel donatione vel testamento percipere. Quin etiam si fortè post admonitionem Legis nostræ aliquid eisdem eæ fœminæ vel extremo judicio putaverint relinquendum, id Fiscus usurpet. Cæterùm si earum aliqui voluntate percipiunt, ad quarum successionem vel bona jure civili vel Edicti beneficio adjuvantur, capiant ut Propinqui.*

Tit. 2. cap. 20.

Lex sanxit varia. Primò, ut Clerici, ipsorum domestici, aut Monachi non adeant domos viduarum aut pupillarum. Secundò, ut ab isto aditu prohibeantur & arceantur, si opus fuerit, per publicas Potestates. Tertiò, ut ad istas domos ne quidem deferri vel deduci possint per dictarum personarum Cognatos vel Affines. Quartò, ut in Clericorum aut Monachorum domos introductæ, seu Agapetæ mulieres istis Clericis aut Monachis nihil donare possint, ne quidem per ultimam voluntatem. Hæ enim sunt mulieres, quibus se Clerici, & extra Cœnobium degentes istorum temporum Monachi sub religionis prætextu adjungebant. Ipsarum formam & qualitatem spero amplè demonstrare in augmentis Scholiorum ad Canones Nicænos. Quintò Lex sanxit, ut omnis istiusmodi donatio, aut etiam extrema dispositio, sit penitus inefficax & nulla. Sextò, hunc rigorem extendit ad artificiosas etiam donationes ac dispositiones, quæ fiebant per interpositam personam. Septimò, eundem rigorem extendit ad jam factas donationes, testamenta, ac Legata, quæ tamen necdum erant deducta in plenam executionem. Octavò, post hæc faciendas donationes & quasvis dispositiones addicit Fisco. Nonò, permittit ut sui hæredes in suam suarum Agapetarum portionem succedant ab intestato. Insuper ut ab istiusmodi Agapetis accipere possint singularia beneficia. Et per donationem inter vivos, & per extremum oraculum.

Legis radicem prodit Sanctus Hieronymus. Agapetarum Secta locum habuit in utroque sexu. Quandoque Clericus Agapetam, quandoque Sacra Virgo aut vidua in suam domum introducebat Clericum aut Monachum Agapetum. Hoc contubernium Sanctus Hieronymus largè exponit: affirmat germanum etiam Fratrem è germanæ Sororis domo quandoque ab istis Agapetis fuisse seclusum, atque prosequitur: *Frater dolet sibi prælatum juvenem, non quidem comatum, non vestium fericarum, sed torosulum, & in sordibus delicatum, qui ipse sacculum signet, textrinum teneat, pensa distribuat, regat familiam, emat quidquid de publico necessarium est, dispensator & dominus, & prævenienti officia servulorum, quem omnes regant famuli, & quidquid domina non dederit, illum clamitant subtraxisse. Querulum servulorum genus est, & quantumcumque dederis, semper eis minus est. Non enim confidenter de quanto, sed quantum dederis: doloremque suum solis, quod possunt, obtrectationibus consolantur. Ille paravit, iste impositorem, hic hæredipetæ, alius novo qualibet appellat vocabulo. Ipsum jactant adfuisse lectulo, obstetrices adhibere languenti, portare matulam, calefacere linea, plicare fasciolas. Facilius mala credunt homines, & quodcumque domi fingitur, rumor in publico fit.* Hæc epistola videtur esse scripta ante adductam Legem. Ecenim post ipsam Agapetus non poterat hæredipetæ elogio impeti. Erat enim incapax capessendæ hæreditatis. Eandem antè Legem Sanctus Ambrosius scripsit in tertio libro Officiorum: *Nihil deformius, quàm nullum habere amorem honestatis, & usu quodam degeneris mercaturæ, quæstu sollicitari ignobili, avaro æstuari corde, diebus & noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinem. Hinc nascuntur aucupia quæstiæ hæreditatis, continentiæ atque gravitatis simulatione captatæ, quod abhorret à Proposito Christiani viri. Omne enim quod arte elicitum, & fraude compositum est, caret merito simplicitatis. In ipsis qui nullum Ecclesiastici ordinis officium receperint, incongrua judicatur affectatæ ambitio hæreditatis. In supremo fine vitæ positos suum habere judicium ut liberè testentur quod sentiunt, qui postea non sint emendaturi: cùm bonestum non sit compendia aliis, vel debita vel parata avertere, cùm vel Sacerdotis vel Ministri sit prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini.* Eadem repetit in alio ejusdem libri capite, atque adjungit: *De illo quid loquar, qui de eo testamento, quod ab aliis licet factum, falsum tamen cognoverit, hæreditatem sibi aut legatum vendicet, & lucrum quærat alieno crimine, cum etiam Leges publicæ eum, qui scienter falsò utitur, tanquam reum adstringat facinoris?* Eodem tempore ad populum declamavit de Episcopis & Clericis: *Licèt dicere possimus: nemo nos invasionis arguit, violentiæ nullus accusat; quasi non interdum Majorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quam tormenta. Non interest apud Deum, utrum vi, an circumventione quis res alienas occupet, dummodò quo pacto teneat alienum.* Adversum talia quorumdam nequissimorum Clericorum & Monachorum facinora constanter & acriter declamarunt & alii Episcopi atque Doctores: verùm ipsis non persuaserunt. Hinc tandem prodiit adducta Lex Valentiniani.

Cap. 9.

Cap. 11.

Ep. 47.

Serm. 7.

Sanxit in solos Agapetos & Agapetas. Præsertim in Agapetos. Hi se sacris mulieribus sub pietatis prætextu adjungebant: Agapetas adjungebant sibi, non se istis. Interim Lex in utrosque loquitur. His donare, legare, ac testari; istis vetuit quidquam ex istarum quavis dispositione percipere. Hinc & Clericis & Monachis interdixit omnem additionem ad viduas aut pupillas, & quidem tanto rigore, ut ipsos arceri jusserit per publicas etiam Potestates. Res terribilis.

lis. Quia nempè additiones istæ erant via & venario ad conciliandam introductionem agapericam. Eadem Legis verba videntur ipsum introductionis commercium proscribere : utpotè ad formam & limites, quos ipsi præscripsit Nicæna Synodus. Porrò Lex sancit in solos Clericos, non in ipsorum Ecclesias. Hinc supra dixit Sanctus Ambrosius : *Quod Sacerdotibus Fani legavevit Christiana vidua, valet ; quod ministris Dei, non valet*. Hoc ipsum iterat : semper queritur excludi solos ministros, non Ecclesias. Ex eodem principio scripsit Sanctus Hieronymus : *Sacerdotes Idolorum, mimi, aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis Clericis ac Monachis hoc Lege prohibetur*. Et adjungit : *Sit hæres, sed mater filiorum, id est, gregis sui Ecclesia. Quid nos inferimus inter matrem & liberos ?* Hoc est, quid nos Clerici aut Monachi venamur nobis legata & Testamenta Agapetarum ? Si quid pietatis titulo legatum velint, legent Ecclesiæ. Quod nempè Lex ipsum non vetaret. Quare rectè ad ipsam scribit Jacobus Gothofredus : *Mulieres Ecclesiasticis & Continentibus aliquid donare vel relinquere hac Lege prohibetur, non ideò tamen prohibitæ ipsis Ecclesiis aliquid relinquere, quod tamen perperam viri docti nonnulli putarunt*.

Notanda sunt & hæc verba Sancti Hieronymi: per fidei-commissa Legibus illudimus. Adversùm easdem fraudes Legem ampliarunt, ac variè extenderunt Imperatores Valentinianus II. Magnus Theodosius, atque Arcadius. In data ad Tatianum Prætorio-Præfectum Lege sanciunt, ut vidua deinceps in Diaconissam consecranda debeat expleſſe sexaginta annos, item ut neque ex immobilibus, neque ex primariis mobilibus bonis possit quidpiam alienare, atque adjungunt:

Cap. 27. *Ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat hæredem. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit à moriente confectum. Imò si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliquid Clericis in fraudem venerabilis Sanctionis, callida arte, aut probrosa cujusplam conhibentia defertur, Exteres sint ab omnibus, quibus inhiaverint, bonis. Et si quid fortè per Epistolam, Codicillum, donationem, testamentum, quolibet denique detegitur genere, conscriptum erga eos, quos hac Sanctione submovimus, id nec in Judicium devocetur, sed vel ex intestato is, qui sibi competere intelligit, stabili hujus desinitione succedat*. Hæc Lex quibusdam videtur à priori esse disparata. Etenim non de Agapetis statuit, sed de Diaconissis: quas inter est multa differentia. Diaconissa enim possit esse & non esse Agapeta: item habere & non habere Agapetum. Deindè hæc Lex non solos Clericos excludit, sed in super Ecclesiam & pauperes. Quod nempè quidam Clerici horum nomine hæreditates venarentur. Et non excludit Monachos. Respondeo Leges has non esse disparatas : Priorem per hanc ampliari & extendi. In duobus Articulis. Prima extensio est ad quasvis Diaconissas. Etenim & hæ, licèt agapetico commercio non obstringerentur, erant obnoxiæ dolosis Clericorum circumscriptionibus. Hac de causa Lex non loquitur de Monachis. Etenim inter Diaconissas & Monachos nullum, nisi ex agapetica introductione, poterat esse familiare commercium. Secunda extensio est ad Ecclesias ac pauperes. Extensio tertia est ad memoratas à Sancto Hieronymo fraudes per fidei-commissa.

Hanc Legem in suo ad ipsam commentatio Jacobus Gothofredus affirmat esse priori quadantenus similem, & dat rationes: *Nam illa vigesima Lex est de omnibus mulieribus, atque ex his de omnibus viduis ; Hæc verò de Diaconissis tantum. Illa prohibentur Monachi & Clerici quidquam ex mulieris alicujus bonis aut donatione aut ultima voluntate consequi ; hac verò etiam Ecclesiæ, etiam pauperibus ex ultima Diaconissæ voluntate capiendi, jus admittur. Illa relictum Clerico vel Monacho à mulitere caducum fit, seu in fiscum cadit ; hac verò imutiliter relictum jubetur esse pro non scripto, & sic hæredibus quibuscumque, imò his deficientibus, & legatariis & fidei-commissariis proficit, seu relinquitur. Quod singulare admodùm est : ut hac velut auctoramento fraudibus obviàm iretur. Cùm alioquin commune hoc fit utrique Legi, ut tacitis fidei-commissis in fraudem Legis, quantum potest, occurrat*. Miscer vera fallis. Penitùs falsum est, quod Primi Valentiniani Lex sanxerit de omnibus mulieribus, ideòque & de cunctis viduis. Etenim diserte ipsa dicit se sancire in solas viduas ac pupillas. Nec in omnes, sed in solas istas, quibus se quis Clericus aut Monachus privatim sub religionis prætextu conjunxerit. Hoc est, in solas agapetas. Si de cunctis generatim mulieribus Lex sanxisset, non erat necesse ipsam extendi ad Diaconissas. Eriam quod Doctor ille de fidei-commisso docet, non est plenè verum.

De hac posteriori Lege pius Imperator Theodosius statim erubuit, ideoque ipsam circumduxit, aut sanè plurimùm castravit. Lex data est Mediolani, quarti Christiani sæculi anno nonagesimo, undecimo Kalendas Julias. At verò optimus Princeps eodem anno, decimo Kalendas Septembris, Veronæ ad eundem Prætorio-Præfectum Tatianum scripsit hanc Legem: *Legem, quæ Diaconissis vel viduis nuper est promulgata, ne quis videlicet Clericus, nevè sub Ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem, prædia, velut infirmi sexus despoliator, invaderet, & remotis affinibus & propinquis, ipse sub prætextu Catholicæ disciplinæ se ageret viventis hæredem, eatenus animadvertat esse revocatam, ut de omnium earthis, si jam nota est, auferatur, neque quisquam aut liti gator ea sibi utendum, aut Judex noverit exequendam*. Cap. 28. Præsarus Gothofredus refutat vocem, *Prædia*, & substituit vocem, *Prædam*. Nempe Legem quoad immobiles possessiones vulr non esse temperatam. Verùm pessimè. Etenim vox, *Prædam* nullum reddit sensum. Prior Lex sanxerat plura. Primò, ut nullum prædium sœmina istiusmodi alienare posset vel donatione inter vivos, vel extremo judicio. Secundò, ut utroquè modo liberè posset disponere de prædiorum fructibus. Tertiò, ut etiam nihil alienare posset de monilibus, supellectile, auro, argento, cæterisque claræ domus insignibus. Sub quibus præsens Lex comprehendit & mancipia. Quartò ut nec ulli Clerico, nec Ecclesiæ, nec pauperibus

ribus posset aliquid per extremam voluntatem relinquere. Præsens Lex adjungit causam: *Sub prætextu Catholicæ disciplinæ*. Nempè uti Clerici & Monachi Agapetas, ita Clerici Diaconissas captabant & capiebant sub Catholicæ disciplinæ seu institutionis fuco, atque ita proficiebant in hæredes & viventium & morientium. Erat dura Constitutio. Dominus Cardinalis Baronius existimat ipsam graviter displicuisse Sancto Ambrosio, ideoque ipsum adversùs eam potenter intercessisse. Et certè data illa fuit Mediolani; & adeò properè circumducta, ut plurimis necdum *nota esset*. Circumducta est statim post mensem. Quod opus omninò videtur fuisse Sancti Ambrosii. Hæc ergo Lex ipsam firmat quoad ultimas voluntates, quoad donationes inter vivos circumducit. Istas permittit à Diaconissis deinceps fieri etiam in Clericos, Ecclesias, & pauperes. Etiam de prædiis. Sic ipsam post-modò, interpretatus fuit in sua ad Palladium Prætorio-Præfectum de Clericorum testamentis Novella Lege Imperator Martianus. Et sanè tanto, qui Magnum Theodosium videre potuit, Principi est potius credendum, quàm Jacobo Gothofredo. Interim hæ ambæ, & circumducta & circumducens, Leges statuunt de solis Diaconissis, quæ non erant agapetæ. Quoad has firma manst lex primi Valentiniani.

Emergunt aliquot quæstiones. Prima est, An Primus Valentinianus suam Legem postmodò extenderit etiam ad Episcopos & Sacras Virgines? De his enim prior ejus lex non loquitur, sed de solis Clericis ac Monachis. Jacobus Gothofredus affirmat. Et censet extensionem fuisse factam ab hac ad Paulum novæ Epiri Præ-
Lege 32. fidem scripta Lege: *Forma præcedentis Consulti etiam circa Episcoporum Virginumque personas, & circa alias, quarum statuto præcedenti facta complexio est, valeat ac porrigatur*. Prior quarti sæculi septuagesimo, hæc Lex data est anno septuagesimo secundo. Est Lex extendens, & est ejusdem Principis: hinc videtur non extendere aliam, quàm istam. Respondeo tamen hanc ab illa non extendi. Etenim & Sanctus Ambrosius, & Sanctus Hieronymus de sola in Clericos & Monachos exercita duritia sunt questi, nusquam de Episcopis aut Sacris Virginibus. Certè non tacuissent. Et Sacræ Virgines de captatis agapetarum hæreditatibus nunquam fuerunt suspectæ. Nullum apud Antiquos extat istius suspicionis vestigium. Præterea hæc Lex non ad sanctum Damasum Pontificem directa, nec jussa est legi in Romanis Basilicis, sed scripta est ad Præfidem Epiri. Certè si de Episcopis & Sacris Virginibus fanxisset, dirigi debebat ad Romanam Ecclesiam ac per omnes ubique Basilicas divulgari. Augustas de Ecclesiastica Disciplina Leges antiqua Christianitas ita honorabat: ostendi id possit variis exemplis. Porrò quam Legem ista Lex extendat ad Episcopos & Sacras Virgines, fateor me ignorare.

Secunda quæstio est, An hæ omnes Leges semper viguerint in Ecclesia, & nunquam fuerint circumductæ? Respondeo fuisse circumductas ab Imperatore Martiano. Circumductionis radicem audiamus ab ejus jam laudata Lege:

Nuper cum de testamento Clarissimæ memoriæ Hypatiæ, quæ inter alios virum religiosum Anatolium Presbyterum in portione manifesta bonorum suorum scripsit hæredem, amplissimo senatu præsente tractaret Pietas mea, & dubium videretur, An verè esse deberent hæ voluntates viduarum, quæ testamento suo aliquid his Clericis relinquunt, qui sub prætextu religionis hujusmodi fœminarum domos adeunt. Cum Lex Divæ memoriæ Valentiniani, & Valentis, & Gratiani, Ecclesiasticos, vel eos qui Continentium se volunt nomine nuncupari, nihil quacumque liberalitate viduarum extremo judicio permittat adipisci. Contra hæc autem Divæ memoriæ Valentiniani, Theodosii, & Arcadii Constitutio legeretur, Inspicientibus & æstimantibus nobis latoris animum, visum est justa & rationabili pœnitentia priorum Constitutionum vigorem antiquare voluisse. Nam cùm in prima viduarum tantummodò mentio facta sit, in secunda autem tantummodò Diaconissarum; intelligitur eam Constitutionem, quæ viduarum & Diaconissarum meminit, de Lege utraque dixisse. Illustris Hypatia extremo suo judicio multa Ecclesiis, multa pauperibus, multa redimendis captivis, multa Monachis, multa suis libertis, quædam donarat Anatolio Presbytero. Et hanc præsertim testamenti partem aliqui per adductam primi Valentiniani Legem studebant evertere. Alii firmabant, asserentes non Secundi dumtaxat jam adductam, sed & istam primi Valentiniani Legem fuisse ab istius secunda circumductam. Et hanc sententiam Imperator Marcianus, vel potius ipsi assistentes Juris-Consulti comprobabant. Adducta ejus præfatio memorat tres superiores Leges. Prima est Valentiniani I. Valentis, & Gratiani, sanciens de solis viduis. Et est prima jam à nobis adducta, in Sexto-decimo Theodosiani Codicis libro ad secundum titulum vigesima. Secunda est Valentiniani II. Theodosii, ac Gratiani, sanciens de solis Diaconissis, ejusdem tituli vigesima-septima, inter adductas à me secunda. Tertia est eorumdem Principum, sanciens de Diaconissis simul ac viduis, præfati tituli vigesima octava, etiam inter adductas à me tertia. Et Marcianus censet ab hac utramque priorem fuisse circumductam, ideoque Hypatiæ in Anatolium beneficia fuisse rata ac firma.

Est res digna examine. Certum est Martianum, aut potius Adsessores ejus in quibusdam fuisse circumscriptos & lapsos. Primus lapsus est in his verbis: *Dubium videretur, An verè esse deberent hæ voluntates viduarum, quæ testamento suo aliquid Clericis relinquunt, qui sub prætextu Religionis hujusmodi fœminarum domos adeunt*. Etenim de istiusmodi voluntatibus nullum erat dubium. Erant palam verè legitimæ, validæ. Primi namque Valentiniani Lex, licèt istas additiones proscripserit, adeuntes tamen Monachos aut Clericos non proscripsit ab extremi Judicii beneficiis, Solos Agapetos proscripsit à talibus beneficiis Agapetarum. Sola aditio, licèt frequentissima, non complebat agapeticum commercium. Secundus lapsus est, quod Primi Valentiniani Lex proscribat Clericum ab extremo beneficio cujusvumque viduæ. Etenim proscribit à beneficio solius Agapetæ. Tertius lapsus est, quod revocatrix Valentini ac Theo-

doſii Lex ſanciat non de ſolis Diaconiſſis, ſed de quibuſcumque viduis. Labendi occaſio ſunt hæc ejus verba: *Diaconiſſis vel viduis*. At clarum eſt, quod ſanciat de ſolis Diaconiſſis. Et quidem non de cunctis, ſed de ſolis, quæ non erant Agapetæ. Agapetæ ſpectabant ad Primi Valentiniani Legem. Revocatrix Lex addit, *vel viduis*: Quod Diaconiſſæ, de quibus agit, eſſent ex viduis. Quartus lapſus eſt, quod hæc Lex non ſolam priorem Secundi, ſed etiam Primi Valentiniani Legem revocet aut temperet. Etenim revocat ſolam nuper promulgatam Legem, & quidem adeò nuper, ut plurimis vix eſſet nota: quod non cadit niſi in Legem Secundi Valentiniani. Quintus lapſus eſt dubitatio de valore memorati teſtamenti. Etenim illuſtris Hypatia non erat Apageta, nec Presbyter Anatolius ipſi jungebatur iſto commercio, atque ita nullum erat fundamentum iſtius dubitationis.

Quidquid ſit, Imperator Marcianus & Primi & ſecundi Valentiniani Legem penitus abrogavit, & ſanxit in hunc modum: *Securitati vel fiduciæ morientium providentes, generali perpetuoque victura hac Lege ſancimus, ut ſive vidua, ſive Diaconiſſa, ſeu virgo Deo dicata, vel Sanctimonialis mulier, ſive quocumque alio nomine religioſi honoris vel dignitatis fœmina nuncupetur, teſtamento vel Codicillo ſuo, quod tamen alia omni Juris ratione munitum ſit, Eccleſiæ, vel Martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro vel ex parte, in quacumque re vel ſpecie credidit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque conſiſtat; ſive hoc inſtitutione, ſive ſubſtitutione, ſive legato, ſive fideicommiſſo, per univerſitatem vel ſpecialiter, ſive ſcripta ſive non ſcripta voluntate fuerit derelictum, omni impoſſerum de hoc negotio ambiguitate ſubmota, donationibus etiam vel qualibet liberalitate tam viduarum quàm Diaconiſſarum, ſive Virginum quæ Deo dicatæ ſunt, vel Sanctimonialium quæcumque in Eccleſiam, vel Martyrum, vel Clericum, vel Monachum, vel pauperes conlata fuerint pari robore firma eſſe præcipio.* Eſt ampliſſima utriuſque Legis caſſatio. Verùm cur nulla memoria de Agapetis? Exiſtimo ſecundi Theodoſii & Conſtantii Legem, quæ iſtud commercium rigidiſſimè proſcripſit, tunc ubique locorum viguiſſe. Extat legis pars in Theodoſiani Codicis ſexto-decimo libro: integram vulgavit Jacobus Sirmondus in Appendice ejuſdem Codicis. Etenim Theodoſio proximè ſucceſſit Martianus. Attamen quod iſtud commercium poſt-modò revixerit, aut forſan hinc indè permanſerit, docent Leges Imperatoris Juſtiniani. Non ſpectat ad rem præſentem.

Tit. 2. cap. 44. Cap. 10

Quæſtio tertia eſt, An D. Petrus Peckius rectè ſcribat ab adducta Primi Valentiniani Lege Eccleſias, Monaſteria, Xenodochia, aliaque id genus pia loca eſſe facta manus mortuas, inductamque amortiſationis neceſſitatem? Reſpondeo negativè. Etenim iſta lex nullam Eccleſiam, nullumque Cœnobium excluſit ab extremæ voluntatis beneficio, ſed ſolos Clericos & Monachos. Non Cœnobitas, ſed ſolos degentes extra Cœnobia, Solos Agapetos. Nec ipſos ab omni iſtiuſmodi beneficio excluſit, ſed à ſolis liberalitatibus propriarum Agapetarum. Quare ab alienis Agapetis omninò poterant capere. Et forſan hinc reſpiciunt Sancti Hieronymi verba: *Per fidei-commiſſa Legibus illudimus*. Quòd nempè proprius Agapetus curaret ſe tranſmitti ad fidem alieni. Ad alias ſucceſſiones omnis Clericus, omniſque Monachus permanſit plenè idoneus. Etiam Secundi Valentiniani Lex Eccleſias aut pauperes non demutavit in manum mortuam. Eis clauſit ſolas manus Diaconiſſarum: quavis alia via permiſit acquirere. Interim hæc erant quædam mortificandæ Eccleſiaſticæ manus exordia. Et hæc quadantenùs ipſe Valentinianus, aut certè Magnus Theodoſius; plenè abſtulit ac evulſit optimus Martianus.

Senior Valentinianus videtur iſtorum exordiorum non fuiſſe primus author. Ea cœpiſſe videtur Imperator ac Apoſtata Julianus. Etenim Sancto Tito Boſtrenſi Epiſcopo, Arabum Metropolitæ, ac ejus ſubditis offenſus, hæc ſcripſit ad omnem iſtam Civitatem: *Qui ad id uſque tempus tyrannidem geſſerunt, non hoc ipſo contenti ſunt, quòd præteritorum criminum pœnas nullas luant, ſed prioris dominationis cupidi, quoniam neque jus dicere amplius illis permittitur, neque teſtamenta ſcribere, aut alienas hæreditates intervertere, & ad ſeſe omnia tranſferre, omnes, ut ita dicam, petulantiæ rudentes, explicant, & quod eſt in Proverbio, ignem in ignem derivare, ac priora mala majoribus cumulare non dubitant, dum Civitatum populos ſeditionibus invitem committunt.* Loquitur adverſùm Epiſcopos & Cleticos. Per præteria ipſorum crimina intelligit Arianas ſub Conſtantii Imperio cum Catholicis lites, & varias hinc natas turbulentias. Affirmat quòd has miſerias non vindicarit, variè tamen ſœnarit. Primò quòd eis omnem civilem in Chriſtianos populos jutiſdictionem abſtulerit: Secundò, quòd eis conſcribi vetuerit teſtamenta aut legata. Lex periit aut latet. Videtur non dubitandum, quin & Monachos comprehenderit. Etenim ſummus Juliani Encomaſtes Comes Zozymus hæc de iſtis ſcribit: *Monachi legitimis nuptiis abſtinent, & tam in urbibus quàm in vicis populoſa Collegia complent hominibus innuptis, nec ad bellum nec alium Reipublicæ neceſſarium uſum idoneis, niſi quòd via quadam progreſſi ab eo tempore in hanc uſque diem, magnam terræ partem ad ſe tranſtulerint, & ſub prætextu, quaſi cum pauperibus omnia communicent, omnes, propè dixerim, ad inopiam redegerint.* Eiſdem haud dubiè rationibus Julianus ſuper-ædificaverit ſuam Legem. Ejus partem reſuſcitavit primus Valentinianus, hanc verò Magnus Theodoſius ac optimus Martianus circumduxerunt.

Lib. 5. fol. 97.

CAPUT XIII.

Exponuntur vera apud Græcos exordia manus mortuæ, atque amortiſationis.

PRima harum rerum exordia ſunt à poſteriotibus Græcorum Imperatoribus. Ab Imperatore

ratore Romano I. qui ad decimi sæculi annum vigesimum · primum proscripsit ac exsufflavit varias, pauperibus onerosas, alienarionum species, inter quas fuit & hæc: *Per occasionem alicujus, qui Monachus factus est, aut fieri vult, & prædium suum Scholæ Sacræ addixit, rectè Decreta confusionem aliquam recipere per dijudicationem præsentem minimè debent. Nimirùm ut justum æstimationis pretium recipiat. Siquidem hoc ab eo reverâ salutis causa, non dolo, non præstigiis, non astu factum est fraudulento. Id verò non minùs ad sacrarum domuum, quàm pauperum utilitatem spectare putabitur, dum rixis & contentionibus, & illiberali acquisitione liberantur, & inventiones ac detentiones vitant, & non incurrunt quæ negotiis molestis occasiones præbent.* Et iterùm ad ejusdem sæculi annum vigesimum octavum: *Ut Monasteria prædiorum, quæ ipsis titulo renuntiationis mundo factæ dantur, æstimationes & pretia, non ipsos fundos accipiant.* Eadem Novella Lex habet hunc Articulum: *Nullus impositorum nec Illustrium Magistrorum, aut Patriciorum, nec Magistratibus, aut Præturis, aut Civilibus vel militaribus dignitatibus honoratorum, nec eorum omninò qui Senatorum numero censentur, nec Provinciarium Præsidum vel Ex-Præsidum, nec amantissimorum Dei Metropolitarum, vel Archi-Episcoporum, vel Episcoporum, vel Abbatum sive Priorum, vel Ecclesiasticorum Præsidum, vel eorum qui religiosis Ædibus, aut augustæ alicui domui cum potestate præsunt; in persona sua, vel nomine patrimonii Principis, vel Ecclesiæ, per se aut per subjectam personam audeat amplius in prædium vel agrum, in solidum vel ex parte succedere, vel emptionis, vel donationis, vel hæreditatis, vel occasionis alterius cujuscumque titulo.* Omnem qualiscumque acquisitionis speciem exsufflat, & acquirentem cogit, etiam non recepto pretio, ad restitutionem. Dura fames fuerat grassata, atque ita multi in pauperiem acti cogebantur sua prædia distrahere: in horum gratiam Imperator Romanus emisit istas Leges. Attamen Monasteriis quoad unam acquisitionis speciem fecit aliquid gratiæ: permisit ab illis fundorum, quos profitentes inferebant, acquisti pretia. Quòd nempè ista acquisitio haberet authenticum titulum, & nullius fraudis periculo esset obnoxia. Exstant hæc omnia in Jure Græco-Romano. Lib. 1. Fol. 157.

Hæ Leges videntur non fuisse à populis admissæ in mores, aut certè non perseverasse. Etenim Imperatorem Nicephorum Phocam, qui ad ejusdem sæculi finem regnavit, de avaritia ac insulsis Constitutionibus graviter arguit Georgius Cedrenus, atque adjungit: *Neque hoc tantùm, sed & donationes Monasteriis atque Ecclesiis legatas à quibusdam piis Imperatoribus prorsùs abolevit, Lege etiam lata ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bona, causatus Episcopos malè prodigere ea, quæ pauperibus darentur, militibus interim deficientibus.* Affirmat ipsum ob istiusmodi Edicta fuisse cunctis invisum ac detestabilem. Et infrà prosequitur: *Patriarcha Polyeuctus justit confestim Libellum Edicti, quòd ad confundendas res Ecclesiasticas Nicephorus ediderat.* Statim post Nicephori mortem. Et ejus in Imperium successor Joannes Tzemisces Patriarchæ factum confirmavit. Diserte hoc scribit Michael Glycas. Edictum exponit, ac adjungit: *Tzemisces etiam libellum illum dilaceravit, quem Phocas ad perturbandam Ecclesiam conscribi curaverat. Has ob res à Polyeucto diademate ungitur.* Nempè Polyeuctus illum, nisi Ecclesiæ suam libertatem repararet, noluit coronare. Consonat compendiaria Joelis Chronologia: *Joannes Tzemisces à Polyeucto Patriarcha Imperatoris insignibus donatur, cùm prius illi obtemperasset, tomumque quem Nicephorus Phocas, ut res Ecclesiasticas transversas ageret, conscripserat, dilacerasset.* Laudatus Cedrenus de eodem novo Imperatore adjungit: *Reditus etiam decretus jis, quos Nicephorus solum vertere jusserat, Pontificibus præsertim primariis, quibus ostendimus id evenisse, quod Constitutioni ab eo, spoliandæ, & contumeliæ afficiendæ Ecclesiæ causa factæ, noluissent subscribere.* Primates Episcopi Edictum Nicephori adeò improbabant, ut relegari maluerint, quàm ipsum admittere. Part. 4. Fol. 308. Fol. 658.

Integrum Nicephori Edictum nobis in Jure Græco-Romano custodivit Joannes Leunclavius. Et istud dicit varia. Primò, quòd divitiæ sint Christianæ perfectioni magnus obex, remora, ac impedimentum. Etenim Christus Dominus nobis interdixit non solummodò baculum, manticam, & secundam tunicam; sed insuper omnem curam cræstini, licèt necessarii victus. Secundò graviter queritur de Monachorum avaritia. Affirmat antiquos ab isto vitio fuisse remotissimos, hodiernos esse ipsi penitùs involutos. Etenim *infinita terræ jugera, structuras ambitiosas, greges equorum, boum, camelorum, jumentorum aliorum innumerabilium singulis horis acquirere student, tetanque animi curam in hæc intendunt, adeò quidem ut ipsa studia Monastica nihil à vita mundana, multis sollicitudinibus æstuante, differant.* Tertiò, hanc avaritiam mordacissimè insectatur. Quartò affirmat jam in Romano Imperio esse sufficientissima Monasteria, ideoque vetat nova instrui aut fundari. Opulentis hominibus, ipsa fundare volentibus, mandat ut superfluas opes fundant in pauperes. Quintò, omnia antiqua Monasteria mandat restaurari, & ad opulentos fideles, qui nova fundare ambiunt, scribit: *Jubemus ut curam priorum & opis indigentium Monasteriorum suscipiant, non agros eis donando, nec loca quædam & ædificia; quippè jam ante data sufficiunt, & quæ ab initio possident, sed hæc neglecta, nec elaborata, & inculta propter opum defectum jacentia, quibusvis mundanis vendendo fundos, & loca quæ possident, conveniente cura ac provisione dignentur servos eis & mancipia suppeditantes, & boves, & greges, & alia quæ jumentorum numero continentur. Nam si eos ipsos fundos, eaque loca quæ habemus, eis largiamur, quandoquidem bona Religiosarum domuum & Ecclesiarum diffrabi lex prohibet, in idem cum priore incommodum incurremus, & malè adfecta ac ruinosa relinquemus inculta, & opis expertia cùm pecuniæ non adsint, nec ea manus quæ aliquid eorum habeat, quæ requirantur, & præstare quidpiam possit. Itaque ab hoc tempore nemini liceat nec fundos aut agros, nec loca Monasteriis, aut Gerocomiis, aut Xenodochiis* Lib. 2. Fol. 113.

quocumque modo transmittere, adeoque nec alicui Metropoli, vel Episcopatui. Nec enim hæc illis quidquam conducunt. Si verò quæpiam ex factis jam antea religiosis domibus aut Monasteriis tam ignaram nacta sint manum & curam, ut expertia fundorum relicta sint, ea non impedientur, quominùs de Imperatoris sententia & approbatione sibi comparent quantum satis est. Ascellis verò & lauris, quas vocant, construendis in desertis locis, ut ad possessiones & fundos alios non porrigantur, sed complexu dumtaxat suo terminentur, tantùm abest ut eos arceamus, qui facere id volunt, sed potiùs in laude eam rem ponamus. Hæc est summa Edicti.

Sancit varia. Primò, ut deinceps nulla nova fundentur Monasteria. Secundò, ut omnia antiqua in honestam formam restaurentur. Tertiò, ut ipsis nulla deinceps donari, aut quavis via accedere possint bona immobilia. Quartò, hæc Lex item adstringit Ecclesias: etiam Cathedrales. Imò & Metropolitanas. Patriarchalem videtur non includere. Quintò, ut eadem Lege stringantur Xenodochia, aliaque id genus pia loca. Sextò, ut usque huc fundata, & nihil aut parùm immobilium habentia Monasteria possint aliquid acquirere: verùm ex notitia, consensu, & authoritate Principis. Septimò, quòd unicus ac palmaris hujus Legis scopus sit impedire, ne bona immobilia deinceps devolvantur ad manum mortuam. Hinc octavò permittit, imò & hortatur, ut in desertis multiplicentur nova Monasteria: quòd illic acquiri non possint novæ possessiones aut fundi. Et tandem Nicephorus adjunxit: *Hæc præcipiens equidem & sanciens sat scio futurum, ut plerisque molesta & gravia dicere videar, & ab ipsorum judicio discrepantia. Sed eorum mihi non erit habenda ratio. Si quidem secundùm Paulum, non hominibus, sed Deo placere velint. At mente ac intelligentia præditis, & adsuefactis ad res non ita de superficie inspicien-das, ut quidquid semel obtulerit, simpliciter eorum animo perturbationem adferat, sed ultrà penetrantibus, & rerum profunditatem intueri valentibus, non solùm expedientia videbimur, sed etiam utilia tam secundùm Deum viventibus, quàm Reipublicæ toti, protulisse.* Verùm Patriarcha Polyeuctus & ejus cuncta Synodus censuit longè aliud.

Ejusdem Edicti partem suo ad primum primæfecundæ Synodi Canonem Commentario inseruit Theodorus Balsamon, & adjungit: *Quam quidem Novellam Porphyro-genitus Dominus Basilius novus sua Novella sustulit, mense Aprili edita, indictione prima anno sexies millesimo quadrigentesimo nonagesimo quinto.* Est Christi Domini annus nongentesimus octogesimus septimus, Basilii & Constantini, filiorum Romani Junioris, qui occiso Joanni Tzemisci successerunt, duodecimus. Ipsorum Edictum est hujus tenoris: *Imperium nostrum, quod à Deo profectum est, cum & à Monachis, quorum pietas & virtus est testata, & à multis aliis Legem de Dei Ecclesiis & sanctis domibus, vel potius contra Dei Ecclesias & sanctas eorum domos, à Domino Nicephoro, qui Imperio excessit, conditam, præsentium malorum causam fuisse & radicem, & universalis hujus subversionis & confusionis, ut quæ ad injuriam & contumeliam non solùm Ecclesiarum, & sanctarum domorum, sed etiam Dei ipsius facta sit, intellexissent, & maximè cum id re ipsa expertum esset.* (*Ex quo enim hæc Lex est observata, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitæ nostræ occurrit; sed contrà nullum penitus calamitatis genus defuit.*) *Per præsentem auream Bullam statuit, ut Lex prædicta ab hoc præsente die cessaret, & deinceps infirma ac irrita permaneat, & locum habeant, & in usu sint, quæ de Dei Ecclesiis, & sanctis ac religiosis domibus factæ sunt Leges.* Utique Justiniani ac Leonis Philosophi Leges, aliæque id genus.

Hæc libertas ambulavit usque ad Imperium Isaaci Comneni, primi regnantis ex ista familia, de quo in supplemento ad Georgium Cedrenum scribit Joannes Schylitza Curo-palates: *Parcimonia quoque Isaacio curæ fuit, necnon ut Imperio agros adderet. Et idcirco multos privatos homines possessionibus spoliavit, negletis ipsorum aureis bullis. Quibusdam etiam Monasteriis multas possessiones ademit, & relictis Monachis idoneis sumptibus ad victum, quos computari jusserat, id quod supererat, publico vindicavit. Quod quidem jis, qui inconsideratè & temerè judicarint, ab impietate ac iniquitate ad sacrilegium tendere videri queat, sed tamen nihil absurdi eo molimine perficiebat, ut eis videbatur, qui rem graviter atque spirituali ter considerabant. Nempè eo pacto ad paupertatem illos qui ipsam profiss essent, adducebat, & molles ac Sybariticas delicias auferebat, nec tamen eis, quæ ad usum essent necessaria, privabat: & finitimos, id est, qui propinquos agros haberent, à Monachorum molestia & avaritia liberabat. Quod utinam ad exitum ipse feliciter perduxisset, non solùm in Monasteriis, sed in omnibus omninò rebus ad Ecclesiam spectantibus.* Proindè Isaacius sola Monasteria, non verò Ecclesias transmutarit in manum mortuam. Et de illa transmutatione plerique Laici confuevêrunt fentire cum Schylitza. Hic interim pergit: *Vita functo Imperatore, conspecta sepultura ejus humoris plena suspicionem multis dedit illam rem esse ultionem, ac indicium supplicii, quo afficeretur ob intestinum bellum ac cædem, & ea quæ post ufurpatum Imperium commiserat in privando Senatu jis boni quæ ei antiquitus concessa fuerant, & adimendis sacris templis ac delubris facultatibus, quas dixinus, id curans ut nihil ipsis superesset, sed ea tantummodò haberent, quæ ad victum satis essent, mediocrem adhibens Reipublicæ consolationem. Alii autem fluentem humorem interpretabantur sanctitatis indicium, quod purè ac sine ulla controversia cum factorum pœnituisset. Amborum ego sententiam laudo & approbo: quod altera probibeat futura mala, altera à deterioribus ad meliora adhortetur ac revocet.* Quod Isaacius egerit dignam pro criminibus pœnitentiam, existimo non dubitandum. Etenim Imperium deposuit, Monasticen professus est in Studii Cœnobio, & adeò obedienter se gessit atque humiliter, ut quandoque egerit domus janitorem. Et fuit semper adeò cassus, ut etiam valetudinis periculum subire maluerit, quàm ex medicorum consilio facere pudicitiæ jacturam.

Fol 808.

Audiamus quid hac de re scribat ex Cardinale

Cæsa-

Cæsare Baronio Dominus Henricus Spondanus Episcopus Aprameensis : *Isaacius à Patriarcha Michaele Cerulario solemni ritu coronatus est Imperator . Qui quidem illud laude dignum tunc præstitit, ut Ecclesiam Constantinopolitanam, quæ tum in sacris muneribus, tum in thesauri dispensatione Præfectos ab Imperatoribus delectos pati cogebatur , in pristinam vindicaverit libertatem, Patriarchæ potestati ac curæ omnimodam ejus relinquens administrationem . Idem tamen post modò aliam impiam sanctionem edidit , qua plurium Monasteriorum bona addixit fisco , relicta tantummodò stipe Deo servientibus Monachis .* Adjungit Joannis Schylitzæ de ista Sanctione judicium fuisse penitus fatuum. Michael Cerularius agebat tunc non tantummodò Patriarcham, sed & Papam : utpote vir superbus ac nequam, sceleratus resuscitator Photiani Schismatis. Erat tamen constans vindex libertatis Ecclesiasticæ. Et quia ex Monacho fuerat evectus, favebat Monasteriis. Quod ipse istam Legem exsufflaverit, videtur non dubitandum. Magnæ Ecclesiæ ab Isaacio datam libertatem exponit præfatus Curo-Palates. *Isaacius Magnæ Ecclesiæ permittit Sacras suas res ad ministrare , interdicta prorsus administratione Imperio , ita ut neque ad obeunda sacra munera , neque ad habendam sacri thesauri rationem aliquis ab Imperatore delectus adesset ; verùm à Patriarchæ potestate omnia penderent , & personarum delectus , & rerum administratio .*

Isthæc libertas viguit usque ad Imperium Emmanuelis Comneni, de quo scribit Nicetas Choniates : *Emmanuel Monasterium in Ponti faucibus , loco qui Cataspe dicitur , Archi-ducis Michaelis nomine exstruxit , in quo celeberrimos quosque & præstantissimos Monachos collocavit , ea ratione ut solitariam & quietam vitam sine ulla sollicitudine posset degere . Cum etiam Monachos possessionibus & negotiis turbatos , & tranquillitate animi , & Dei cultu excidere intelligeret , nullas eis possessiones , quas nec eorum professio admittit , adsignavit , sed ex fisco tantum pendi jussit , quantum ad victum ac cultum opus esset . Nimirum videtur immodicam Monasteria struendi cupiditatem improbasse , & exemplum posteris prodere voluisse , quo pacto templa condenda , & quæ vivendi ratio Eremitis , pauperibus , & se abstrahentibus à rebus terrenis sit proponenda . Tantùm autem abfuit ut eorum laudaret Institutum , qui Monasticam vitam professi & opibus affluunt , & multitudine curarum magis distrahuntur , quàm illi qui hujus vitæ delicias occupantur , ut Sanctionem Nicephori Phocæ , fortissimi & cordatissimi Imperatoris , olim abolitam , de non augendis Monasteriorum latifundiis , quasi post-liminiò revocarit , neque patrem , avum , cæterosque cognatos suos omnes , qui Monasteriis amplissima prædia donaverant , incusare desiterit , non quod de suis opibus aliquid Deo confecrassent , sed quod rem bonam malè administrassent . Nam cum Monachis habitationes in abditis & desertis locis , in antris & montium cacuminibus assignandæ essent , & Constantinopolis , tanquam Syrenum cantus , vitanda , gloriola ductos , incrustata sua sepulchra , & vario marmore exornata , jis qui templa ingrediuntur spectanda propositisse , & mortuos quoque coronari se , & bilari ac splendido vultu conspici voluisse , & in foro ac trivii Monasteria ædificasse ; & ibi nullo cum delectu virtutis , velut in cavea conclusisse eos , qui Monachos non ultra tonsum capillum , & mutatum habitum , promissumque barbam exprimerent . His igitur de causis , five ut Monasticam sanctimoniam nutantem , ac potius humi serè prostratam fulciret , five metuens , ne ea ipse facere diceretur , quæ reprehenderet , rationem à suis majoribus diversam est secutus .* Etenim omnis Comnena familia Monasticæ sanctitati fuit singulariter addicta. Et hinc in superius adducto Commentario prosequitur Theodorus Balsamon : *Præterea scias , quod etiam Beatissimus Imperator , Dominus Emmanuel Comnenus , per jussionem , mense Septembri indictione septima , editam definiit , ne liceret ullis , qui immobilium donationes ab Imperatore accepissent vel acciperent , ad alios transmittere , quàm ad personas Senatorii Ordinis , vel numeri militaris . Si autem præter hæc factum fuerit , immobilia ad publicum redeant . Similiter & mense Februario indictionis tertiæ , nova quoque ejusdem rei Constitutio edita est , quæ eadem fermè complectitur . Quæ quidem omnia sublata sunt per posteriorem auream Bullam filii ejus Porphyro-geniti , & Imperatoris Domini Alexii Comneni , mense Februario editam primæ indictionis , anni sexies millesimi sex-centesimi nonagesimi primi .* Erat Domini post millesimum centesimus octogesimus tertius , tertius & ultimus dicti Alexii annus , optimi pueri , ejecti & trucidati per sceleratum Andronicum . Qui Patris Legem haud dubiè circumduxit ad Consilia & preces Patriarchæ Theodosii.

Lib. 7. Cap. 3.

Theodorus Balsamon memorat duas Emmanuelis Constitutiones . Posteriorem integram refert jus Græco-Romanum , ac item affirmat editam mense Februario , verùm indictione undecima , anno mundi post sexies millesimum sexcentesimo quinquagesimo sexto . Et rectè dicit. Fuit enim Domini post millesimum centesimum quadragesimus octavus , regnantis Emmanuelis annus sextus. Aurea ista Bulla fuit appellata *Medicatrix* . Utique prioris , quæ fuit omninò durior. Et hinc aliqui existimant hanc ab ista fuisse circumductam. Et certè posterior est omninò edita per pœnitentiam. Etenim *Occidentalis Draco , qui in Sicilia exercebat tyrannidem* , tunc imminebat orientali Imperio, atque ita Emmanuelem compulit ad mitiora in Ecclesiam consilia. Ita ipse per contumeliam appellabat Rogerium Guiscardum , Siciliæ Principem , cujus conatus tunc parum abfuerunt ab invasa Constantinopoli. Hanc pœnitentiam aliqui putarunt fuisse tantam , ut primam Sanctionem circumduxerit. At rectè scribit præfatus Theodorus : *Nova Constitutio eadem fermè complectebatur* . Primum ejus caput Ecclesiis ac Monasteriis confirmat omnia usque tunc acquisita bona immobilia : & ipsa ex nullo titulo vult per quempiam inquietari . Et ita judicari apud quævis Tribunalia . Et hocce caput in quarto Comnenæ historiæ libro laudat Joannes Cinnamus. *Emmanuel Edicto vetuit Sacris apud Byzantium locis vel Monasteriis negotium exhiberi de ulla re , quam ubi demum cumque possiderent .* Eamque

Fol. 300.

que denationem confirmavit libello , quem , quia in auro figillum Imperatoris subnexum habet , auream Bullam appellari mos est . Ex eo tempore neminem Monachum Judicum fores pulsantem videas , quia nihil habent quod licium calumnia sit obnoxium . Rectè dicit gratiam fuisse factam solis Constantinopoli vicinis Monasteriis . Lex singulas regiones exprimit . Ejus secundum caput cuncta , ubicumque locorum sita , magnæ Constantinopolitanę Ecclesię immobilia bona solvit ac liberat ab omni actione fiscali . Harum variæ vexabant istorum varia . Tertium caput easdem Ecclesias eximit ab Imperiali violentia potiùs , quàm à jure in morientium Episcoporum spolia . Quartum caput hæc omnia exponit largius , & tandem adjungit : *Nec enim licentiam habebunt Monasteria augendi & amplificandi ea , quæ ab ipsis hodie possidentur , sive Parœci sint , sive loci , sive autorgia .* Pauca verba , sed grande venenum . Hujus clausulæ Cinnamus nullam fecit memoriam . Forsitan quod improbaret . Quidquid sit, ipsam abscidit ac abolevit Emmanuelis successor ac filius Alexius .

Alexius erat puer , & vix triennio regnavit , occisus à nefandissimo cognato Andronico Comneno . Quomodo hic Andronicus Edictum tractarit , ignoro . Certè Emmanuelis Sanctio videtur permansisse , aut sanè non fuisse penitus suppressa . Etenim ad Henricum , è Flandriæ Comitibus Imperatorem Constantinopolitanum, anno sui Pontificatus decimo tertio scripsit Innocentius Tertius : *Gravem Venerabilium Fratrum nostrorum Archi-Episcoporum & Episcoporum , & dilectorum Filiorum Prælatorum Imperii tui , recepimus quæstionem , quod Tu & Barones tui in eorum inhibuisti gravissimum detrimentum , ne quis de possessionibus suis in vita suâ conferat , vel in extremo articulo condat Ecclesiis testamentum . Cùm igitur ex inhibitione ejusmodi & Ecclesiarum dispendium , & inhibentium interitus procuretur , Excellentiam tuam monemus , attentius & hortamur , quatenus ejusmodi pravam inhibitionem & Tu ipse relaxes , & à tuis Baronibus factas potestate tibi tradita relaxari .* Istorum Baronum unus fuit Otto de Rocca, Athenarum Princeps , de quo idem Pontifex eodem anno scripsit ad Metropolitam Thebanum , ac Davaliensem Episcopum & Sithonien sem : *Venerabilium Fratrum nostrorum Archi-Episcoporum, & Episcoporum, ac dilectorum Filiorum aliorum Prælatorum Constantinopolitani Imperii , gravem nuper accepimus quæstionem, quòd nobilis vir Otto de Rocca , Dominus Athenarum, & alii Barones ac milites ipsius Imperii , communiter inhibuerunt in eorum gravissimum detrimentum, ne quis de possessionibus suis in vita sua conferat , vel in extremo articulo condat Ecclesiis testamentum . Cùm igitur ex inhibitione hujusmodi , & Ecclesiarum dispendium , & inhiben ium interitus procuretur , Fraternitati vestræ per Apostolica Scripta mandamus , quatenus illos , ut eandem inhibitionem relaxent , monetis attentius , & efficaciter inducatis , ipsos ad id , si necesse fuerit , per censuram Ecclesiasticam , appellatione remota , sicut justum fuerit , compellentes .* Pariformia adversùm Achajæ Procetes Mandata scripsit Matonensi Episcopo & Amiclensi . Et quia obedientiam spontaneam obtinere non potuit , tandem quinto decimo sui Pontificatus anno scripsit ad Cardicensem & Sithonien sem Episcopos , & ad Archi-Diaconum Davaliensem : *Ad nostram noveritis Audientiam pervenisse , quòd carissimus in Christo Filius noster , Henricus Constantinopolitanus Imperator illustris , constitutionem cum suis Baronibus edidit , quæ vergit in periculum animarum , & est contraria prorsus libertati Ecclesiasticæ , videlicet ut nullus possit de suis possessionibus in vita sua , vel ultimo testamento aliquid Ecclesiis elargiri . Cùm igitur constitutio hujusmodi tam divinis quàm humanis sit Legibus inimica , Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus , quatenus ipsam auctoritate nostra , decernatis frivolam & inanem , & penitus non servandam .* Ipse Pontifex iniquam Legem circumduxit . An Flandri nostri morem istum , secum è Gallia delatum , intulerint Constantinopolitano Imperio , an verò ipsum jam antea ab Emmanuele Comneno plantatum stabiliverint , non possim certus affirmare . Quidquid sit, audivimus Innocentii Tertii de ipso Apostolicum Judicium . Franciscus Bosquetus secundam epistolam ponit inscriptam Episcopo Sidonien si . Est manifestum mendum . Etenim Sidonien sis Ecclesia est in maritima Phœnicia , ideoque nihil commercii habet cum Metropolita Thebarum . Proindè legendum est , *Episcopo Sithonien si* . Hæc enim Ecclesia est in Macedonia, ad oram maris Ægæi . Et hic fuerunt istæ Leges Flandrorum .

Lib. 1. Epist. 98.

Ep. 110.

Ep. 174.

CAPUT XIV.

Exponitur mortuæ manus & amortisationis exordium apud nos Latinos .

PRima hujus rei apud Francos exordia sunt à Chilperico Rege , quem Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus appellat Herodem ac Neronem sui temporis , atque profequitur : *Chilpericus non aliundè magis , dum secretus esset , exercebat ridicula vel jocos , quàm de Ecclesiarum Episcopis . Illum fervebat levem , altum superbum , illum abundantem , ipsum luxuriosum , illum asserebat elatum , hunc tumidum , nullam rem plus odio habens , quàm Ecclesiæ . Ajebat enim plerumque : Ecce pauper remansit Fiscus noster , ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ . Nulli penitus , nisi soli Episcopi regnant . Periit honos noster , & translatus est ad Episcopos civitatum . Hæc agens assiduè , testamenta quæ Ecclesiis conscripta erant , plerumque disrupit , ipsaque Patris sui Præceptiones , putans quod non remaneret qui voluntatem ejus servaret , sæpè cassavit .* Consonat in Chronico Venerabilis Hugo Abbas Flaviniacensis : *Chilperi us , Nerone pejor & Herode , Episcopos execrabatur , testamenta Ecclesiarum multa disrupit .* Etiam Paterno Præcepto firmata . Etenim sacta Ecclesiis testamenta , licet nulla tunc Francorum Lege cassarentur , a Procerum tamen violenta avaritia sæpè sustinebant istam injuriam . Hinc providi testatores ipsa muniebant impetrato Regio Præcepto, seu Regia per solemne Scriptum auctoritate . Plurima sunt istiusmodi post eversum in Europa Romanum Imperium exem-

Lib. 3. Ep. 74.

Lib. 6. cap. 46.

Fol. 588.

exempla. Hinc de Rege Suntramno, qui Chilperici regnum, & Filium Clotarium, puellum quadrimestrem, in suam tutelam acceperat, pergit laudatus Gregorius: *Suntramnus Rex omnia, quæ fideles Regis Chilperici non recte diverfis abstulerant, justitia intercedente restituit. Multa & ipse Ecclesiis conferens, testamenta quoque defunctorum, qui Ecclesias hæredes instituerant, & à Chilperico compressa fuerant, restauravit.*

Hæc Ecclesiarum libertas diu permansit in Gallia. Etenim neque per successores Merovingiæ, Carolinæ, aut Capetinæ familiæ Reges fuit ullatenus læsa, & sanctus Ludovicus Rex in sua Pragmatica Sanctione posuit hunc articulum: *Libertates, Franchigias, Immunitates, Prærogativas, jura, & Privilegia, per inclytæ recordationis Francorum Reges, prædecessores nostros, & successive per nos Ecclesiis, Monasteriis, atque locis piis religiosis, necnon personis Ecclesiasticis Regni nostri, concessas & concessa, laudamus, approbamus, & confirmamus per præsentes.* Sanctio prodiit decimi-tertii Christiani sæculi anno sexagesimo-octavo. Verùm uti Romana à Domini Incarnatione, quædam à Kalendis Januarii, ita tunc Gallicanæ Ecclesiæ computabant à Dominica Resurrectione. Qui mos duravit usque ad elapsi sæculi annum sexagesimum-tertium. Rustinonensis tunc declaratio justit computari à capite anni. Sanctio prodiit adversùm tunc erumpentes quarundam in Gallia Provinciarum novitates, in quas ad Philippum Augustum Regem scripsit Innocentius III. *Ad nostram noveris Audientiam, referente venerabili Fratre nostro Rothomagensi Archi-Episcopo, perveniſſe, quod Justitiarii tui per Normandiam constituti, & quidam alii Regiæ ditioni subjecti, posponentes penitus zelum Dei, præpediunt laicos ægritudine laborantes, ne de terris vel suis hæreditatibus aliquid in eleemosynam alicui largiantur, sive pro suarum animarum salute secundum Ecclesiasticam sanctionem, vel condant testamentum ex indè in ultima voluntate. Imponentes illis post obitum crimen usurarum, qui pœnitentes, judicio Ecclesiæ satisfactione præmissa, viam sunt universæ carnis ingressi, ut prætextu criminis usurarum, decedentium bona fisco Regio, in detrimentum justi Ecclesiastici, applicentur.* Quod usuræ crimen tunc horrendè fœdarat Galliam, est res notissima. Eo enim tempore adversùs ipsum prædicavit Venerabilis Fulco, Presbyter Parisiensis. Ad ejus prædicationem plurimi fuerunt Zachæum imitati, & saltem in extremis multa donarunt Ecclesiis, Monasteriis, Pauperibus. Hinc Regii per Normandiam Ministri cunctos istiusmodi donatores consuerunt usurarios, ideoque ipsorum testamenta ac legata ruperunt ac invaserunt. Usuræ enim in Gallia, etiam in nostro Belgio, non pauperibus applicantur aut piis causis, sed Regio Fisco. Notanda sunt verba: *De terris vel suis hæreditatibus.* Donata extremo judicio mobilia videntur non fuisse invasa. Erat exordium manus mortuæ. Et profecit ulteriùs. Hinc inter jura & libertates, quæ Bellæ Villæ incolis dederunt Toparcha Hombertus, ejusque filius Guichardus, posuerunt hunc Articulum. *Si quis pro sepultura legaverit Ecclesiæ vel Sacerdoti domum vel pedam infra villam, benè poterit hoc facere, & intra annum & diem debet vendi laico homini, qui possit & debeat domino tanquam Burgenses alii, respondere.* Edictum prodiit tertii-decimi sæculi anno trigesimo tertio. Extat in Spicilegio Domini Lucæ Dacherii. Ad ejusdem sæculi annum septuagesimum tertium Ludovicus Belli Joci Dominus inter datas Tyfiancenfibus libertates posuit hoc caput: *Quicumque possessionem habuerit, cuicumque voluerit possit vendere. Solummodò Ecclesiæ vel militi non vendatur.* Hæc aliaque id genus hinc indè Edicta ac Statuta Sanctus Ludovicus circumduxit. Verùm non plenè obtinuit. Etenim hoc postremum Edictum est pragmatica Sanctione posterius. Et mos assiduè processit. Etenim omnes per Galliam Ecclesiæ, Monasteria, ac pia loca jam pridem habent manus mortuas.

Lib. 2. Ep. 1-31.

Fol. 261.

Tom. 9. Fol. 181.

Mortuæ manus prima apud Anglos exordia sunt à Richardo Cantuariensi Archi-Episcopo, proximo successore sancti Thomæ, glorioso Martyris. Novellus tunc Cistercienses, qui à summa paupertate duxit sanctitatis originem, ordo cœperat opulentiam induere. Amplos fundos admittere ex testamentis ac legatis, imò & emere: & ad ipsos Apostolicum, quòd pauciſſimos propriis eorum manibus excultos à decimis exemerat, privilegium extendere. Hinc plurima Ecclesiarum & Abbatialium Monasteriorum querimonia. Etenim ad Guilielmum Rhemensem Archi-Episcopum scripsit etiam Stephanus Episcopus Tornacensis: *Credo quia Cistercienses de numero sunt eorum, qui violentè diripiunt cælum, sed utrùm violenter eis terram*, hoc est, terrarum decimas, *rapere liceat, nondum legi.* Adversùs eandem igitur violentiam iratus scripsit præfatus Archi-Antistes ad Fratres Cistercienses: *Quod si pertinaces vos & inflexibiles exhibebitis, vinculo anathematis innodabimus universos, qui aliquid vobis dederint aut vendiderint, undè jus decimationis obveniat, atque in cælum clamabimus, & ad thronum summi Judicis appellabimus, ne quis hujus vinculum Excommunicationis absolvat. Principum etiam favorem in hoc plenissimè obtinebimus, ut gladio spirituali manus civilis assistat, & quidquid contra spirituale oraculum fuerit vobis venditum, aut donatum, confiscetur.* Extat Epistola in Regesto Petri Blesensis. Res varié cucurrit usque ad Regnum Eduardi è Northmannis primi, de quo ad decimi-tertii sæculi annum septuagesimum sextum scribit Thomas Walsingamensis: *Hoc anno coactum est Parliamentum Londoniis, in quo Eduardus Rex Statuta edidit contra manum mortuam, ne de cætero possessiones terrarum seu redituum fine speciali Regis licentia ad manum mortuam devolvantur.* Et in Neustiræ hypodigmate adjungit ad annum octogesimum quintum: *Quia Rex priùs statuerat, ne Religiosæ personæ in secularibus possessionibus crescerent, nunc statuit ut priùs habitas non minorarent.* Suum simile Edictum Imperator Emmanuel Comnenus appellavit prioris medicinale. Eadem de re ad annum septuagesimum quintum scribit Nicolaus Trivettus: *Rex Londonias Parliamentum convocat, in quo inter alia multa, quæ ad utilitatem Regni de assensu Prælatorum, Comitum & Baronum statuta sunt, inhibitum est ne de cætero possessiones terrarum seu redi-*

Ep. 74.

Ep. 82

redituum sine speciali Regis licentia ad manum mortuam devolvantur.

Longiùs hæc describit Guilielmus Thorne apud Cantuariam Monachus sancti Augustini:

Anno 1293. *Eduardus Rex, æmulorum Sanctæ Ecclesiæ instigatione circumventus, statuit & consilio Procerum suorum ordinavit, quod nullus Religiosus aliqua tenumenta emere vel vendere, vel ex dono alicujus aliquid percipere, aut alio qualicumque modo, arte, vel ingenio quidquam acquirere posset, & si secus à quoquam Religioso fuerit attentatum, liceret Domino Regi illud sic acquisitum, emptum, vel datum per Escaetorem suum ingredi, & in perpetuum tenere in feudo & hæreditate. Heu, heu, pro dolor, quemodò non solùm perit nunc liberalitas illa Deo grata, qua devoti Reges, Proceres, cæterique fideles pro magno desiderio habuerant Religiosos fundare, prædia & possessiones in honorem Dei liberalissimè conferre, & ipsos tueri. Verùm ex tunc opere hujus Charitatis palam tabescente, & unoquoque manum suam à talibus beneficiis retrahente, non solùm non possunt religiosi quidquam novum acquirere, quin etiam nec antiquis suis possessionibus, propter oppressionem laicorum, ne dicam Magnatum, prospere ut laici gaudere, sed his novissimis temporibus sapientes hujus sæculi horum prosperitati invidentes, suæque fraudi consulentes, universos Religiosos, ne sic oblata acceptarent, & quod nequius est, sibi quidquam appropriarent, per decretum & Seniorum judicium coarctarunt. Et de jis veraciter posset dici, quod egressa sit iniquitas à senioribus Judicibus, qui filium Israel, puta Ecclesiam, nequiter condemnaverunt.*

Plura adducit Henricus Cnyghtonus, Canonicus Leefestrensis:

Lib. 3. cap. 1. Anno 1278. *Rex Eduardus cum Proceribus suis edidit Statutum contrà manum mortuam, ita ut nullus deinceps terras, tenumenta, redditus daret, venderet, legaret, aut permutaret, seu quovis titulo viris religiosis assignaret sine licentia Regis.* Eduardus habuit dura cum Francis Bella, ideoque ab Ecclesiis ac Monasteriis plurima & rapuit & extorsit. Hæc omnia exponit memoratus Scriptor, & prosequitur:

Cap. 7. Anno 1294. *Quia immunitas Ecclesiæ, ut supra dictum est, læsa fuit & violata, petiit Clerus à Rege quosdam Articulos, Regi jubente. Justi Rex, postquam vocis ipsius paruerunt, ut & ipsi ab eo peterent remedia quæ vellent. Et petierunt imprimis, ut Statutum de manu mortua, quod in præjudicium sanctæ Matris Ecclesiæ fuit editum, deleretur. Cui quidem Articulo Rex, quod idem Statutum de consilio Magnatum suorum fuerat editum ac ordinatum, & absque eorum consilio non erat revocandum; Ceteris autem Articulis respondit de facili, ita quod frustrati ac delusi sint reversi ad propria.* Attamen tunc emanasse videtur medicinale Edictum, supra laudatum à Thoma Walsingamensi.

Denuò res variè cucurrit usque ad sequentis sæculi annum nonagesimum primum, & Regnum Richardi II. de quo idem Scriptor Henricus:

Lib. 5. Anno 1371. *Ricardus Rex celebravit Parliamentum apud West-Monasterium, in crastino animarum. In isto Parliamento editum est prophanum Statutum contra Ecclesiam & Ecclesiæ personas, videlicet ne quævis personæ Ecclesiasticæ possideant maneria, domos, glebas, possessiones, terras, redditus, quoscumque proventus per manus Feoffatoris absque licentia Regis & capitalium dominorum. Et istud Statutum extenditur se tam ad Ecclesias Parochiales, Capellas, Cantarias, quam ad Abbatias, Prioratus, seu quæcumque alia Monasteria. Similiter ad Cives Civitatum, & villicanos, atque Burgenses, Burgorum & villarum hujusmodi redditus, hujusmodi vel possessiones pro communi utilitate habentes. Nam homines in illis diebus, qui volebant conferre redditus vel possessiones alicui Ecclesiæ vel cuiquam communitati, nec expensas possent effundere, ut eos in manum mortuam reducerent sub licentia Regis & Capitalium Dominorum, solebant Feoffare certos homines, in quibus habebant fiduciam, sub quorum nomine & defensione Ecclesiasticæ personæ vel hujusmodi Communitas rei commodo gauderent, & utilitatem eorum possiderent. Et cautum est in eodem statuto, quod omnes & singuli, tam personæ Ecclesiasticæ, quam Parochiales, & Cives atque Burgenses, & villicani, seu quicumque alii, habentes hujusmodi redditus, possessiones, maneria seu quoscumque Prioratus, in manibus talium Feoffatorum sine licentia Regis & talium Capitalium Dominorum, quoad aut licentiam à Rege & Capitalibus Dominis impetrarent, in manum mortuam redigere, vel venditioni talia exponere, & suum commodum indè facere citra festum sancti Michaelis primò sequens, vel illo festo peracto Rex & Capitales Domini in sic non præordinatis & dispositis intrare, & Saegire, & ad suum placitum obtinere.*

Plura hic involvuntur. Primò, quòd quædam Ecclesiæ maneria, glebas, domos, possessiones, terras, redditus, ac alios proventus possiderent per Feoffatores absque licentia Regis. Feoffator est ex Anglico barbarum vocabulum, ac ipsum in suo Glossario exponit Guilielmus Somnerus: *Feoffare nostratibus est feudum dare, aut in aliquem conferre. Jus prædiorum concedere, possessionem tradere, investire, donare. Hinc Feoffator. Ille scilicet, qui altum feudo donat, seu investit. Is autem qui sic investitur, appellatur Feoffatus.* Igitur ad circumscribendum Eduardi I. Edictum quædam Ecclesiæ fundos aut alia immobilia tenebant per intermedias personas, quibuscum habebant secretam intelligentiam. Et has artes Richardus II. circumduxit. Secundò habemus, quòd Eduardi Edictum non solummodò fundos ac domos comprehenderet, sed insuper census. Quòd nempè hi apud Anglos sint bona immobilia. Tertiò habemus, quòd Edictum non dumtaxat Ecclesias, Monasteria, ac alia pia loca, sed insuper quasvis laicas Communitates fecerit esse manus mortuas. Quòd videlicet etiam hæ consueverint sua bona non alienare, ideoque ipsa subtrahant communi commercio. Porrò quid sit Cantaria, exponit præfatus Guilielmus: *Cantaria est Ædes sacra, ideò instituta & dotata prædicta, ut Missa ibidem cantaretur pro anima Fundatoris & propinquorum ejus.* Franci appellant Capellas. Richardus Rex omnes istas fraudes abolevit: vetuit ab Ecclesiis, ac aliis piis locis, itemque a laicis Communitatibus quid possideri per subornatam personam. Attamen possessa & taliter acquisita bona non redegit in Fiscum, sed unicuique possidenda permisit, dummodò tamen facultas impetratetur

retur à Rege ac Dominis Capitalibus. Hoc est, dummodò impetraretur privilegium amortisationis. Ast istud Privilegium Rex tanti voluit vendere, ut quidam maluerint perdere omnia. His Rex justit, ut sua ante proximum Sancti Michaelis festum distraherent: tunc non distracta faciebat disponenda ad suum placitum. Saesire est Regiam manum immittere, seu ponere sub arresto. Proindè Richardus Eduardi Legem non solummodò innovavit & confirmavit, sed insuper omnes antea toleratas illius circumscriptione s abolevit.

Eadem consuetudo quibusdam videtur apud Hybernos esse antiquissima. Etenim antiqua, quam Eruditus Lucas Dacherius censet esse octavi sæculi, Hybernensium Canonicum collectio ad titulum de Ecclesia & mundo, habet: *Nullum oportet fraudare filios, aut fratres, aut propinquos. Ecclesia nonnisi partem Dei accipiat. Cum enim hæres mundi venerit, retrahet ea quæ mundi sunt*: Est obscurus Canon. Sanctus Augustinus testamenta, quæ excludis filiis aut aliis suis hæredibus ditabant Ecclesiam, constans improbavit. Ipsis volebat relinqui non solam legitimam, item volebat non penitus excludi Ecclesiam: hanc volebat computari in partem filiorum. Et dumtaxat in hanc partem. Ab illo, qui sex habebat proles, Ecclesiam suadebat adsumi in septimam. Quæ pietas placuit pluribus Ecclesiæ Patribus. Portò Sanctus Patricius, è cujus disciplina manarunt isti Canones, fuit Augustinianæ doctrinæ peritissimus ac obervantissimus: hinc Canon per Dei partem videtur intelligere jam dictam filialem portionem. Proindè non de cunctis, sed loquitur de solis testamentis habentium filios. Et est Ecclesiasticus Canon, non Regia Constitutio. Hinc non facit ad præsentem materiam. Tit. 41.

Romanæ Ecclesiæ Schismata semper fuerunt omni Christianitati perniciosissima. Plures per ipsa irrepserunt abusus, plura scandala. Per nullum plura, quàm per illud quod aversus Urbanum VI. concitavit Robertus Gebennensis Episcopus, à sua factione appellatus Clemens VII. Christianitas nunquam vidit aliquid inclementius. Quod sub ipsius Pseudo-papatu dicta consuetudo tentaverit occupare Germaniam, disertè testatur Basileensis Synodus in litteris ad Adriensem Episcopum, Decanos Ecclesiarum Zoenxensis & Mosæ Trajectensis. Rei exordium exponit Mindensis Ecclesia in precibus exhibitis Imperatori Carolo IV.: *Seculares quidam in potestatibus & officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, Milites, Scultesti, & alii Domini temporales, necnon Consules Civitatum, oppidorum, villarum, & locorum Rectores Mindenſis Diœcesis, Dei timore postposito, statuta singularia, iniquas ordinationes, motu proprio ac temeritate præsumptuosa de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum, & locorum religiosorum libertates & Privilegia condiderunt, & condunt, jisdemque publicè & de facto tuisitere præsumpserunt, & præsumunt ausu temerario & nefando quotidie contra legitimas Civiles & Canonicas Sanctiones, utpotè quòd nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur.* Ita habes in Chronico Mindensis Ecclesiæ. Easdem preces eidem Imperatori exhibuerunt Ecclesiæ, Moguntina, Colonienſis, ac Magdeburgensis. Ita habes in Diplomate, quo Bonifacius IX. firmavit ejusdem Principis, necnon & Frederici II. Edicta restituentia suam libertatem Ecclesiis. Earumdem precum, licèt non omnia penitùs verba, tamen sensa refert Constantiensis Synodus in Diplomate, quo firmavit laudata Edicta præfatorum Principum. Basileensis Synodus adjungit eadem preces & querimonias fuisse sibi oblatas à Zoenxensi sancti Livini apud Ultratrajectinos, à sancti Servatii Trajectensi, ac a Sancti Petri Lovaniensi Ecclesia, itemque à Sancti Bavonis Gandavensi, necnon à Sanctorum Cornelii & Cypriani Ninivensi Monasterio. Ex quo lucet istud Schisma esse primam mortuæ manus originem etiam apud nos Belgas. Item ista exordia fuisse damnata ac evulsa à Bonifacio IX. Pontifice, à Constantiensi Concilio, à Conventu Basileensi, ac ab Imperatore Carolo IV. Eadem post Constantiensem Synodum damnavit, ac repullulantia avertuncavit in suæ provinciæ Synodo venerabilis Eberrhardus Archiepiscopus Salisburgensis. Celebrata fuit hæc Synodus anno vigesimo decimi-quinti sæculi. Et videtur istam consuetudinem radicitùs evulsisse. Ep. 50.

CAPUT XV.

An bodiè in regionibus, ubi viget manus mortua, Monasteria validè ac legitimè stipulentur de hæreditatibus debitis professuro apud se Monacho?

Dico, *in regionibus, ubi viget manus mortua*. Etenim in regionibus, apud quas sacri Canones, & Imperatoris Justiniani Leges vivunt, istiusmodi stipulationes sunt omninò nullius ponderis. Etenim quòd omnis, non solùm gratuita, sed etiam per dotis stipulationem onerosa, futuræ successionis renuntiatio per Leges & Canones improbetur ac exsuffletur, est suprà abundè demonstratum. Proindè hoc, per locum à carnali ad spirituale matrimonium, omninò locum obtinet etiam in professuro Monacho. Hinc quæstio devolvitur ad istas regiones, in quibus non dumtaxat professus Monachus, sed & ipsum ejus Monasterium est manus mortua. Quæstio est, An Monasterium, quoniam cunctis sui futuri filii successionibus, ac ipsi etiam legitimæ portioni debet renuntiare, non possit cum professuri parentibus, fratribus, aut tutoribus ante istius professionem stipulari de certa dote, atque ita sibi utcumque consulere? An ista stipulatio sit valida & casta? Respondeo esse. Etenim Ecclesiæ ac Monasteria per manus mortuæ Legem nequaquam exuuntur avito suo jure ad profitentium bona, sed dumtaxat facta sunt incapacia ad fundos, aliaque immobilia. Hinc professurus, qui sui juris est, possit omnes suos fundos divendere, & omne pretium transferre in Monasterium. Hoc ipsum faciendum post suam professionem poterit in suo ante ipsum testamento disponere ac jubere. Plures hodie parentes sunt similes illis, de quibus scripsit sanctus

sanctus Hieronymus ad Sacram Virginem Demetriadem: Ep. 8. *Solent miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere. Certè qui religiosores sibi videntur, parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexus sæcularibus liberis largiuntur.* Hanc irreligiosam forditiem nostri pientissimi Belgarum Principes abfit ut probent, aut ipsi dent ulla fomenta. Omnia, quæ Regularem vitam professuris ac ipsorum Cœnobiis dant Leges & Canones, jura volunt salva & integra, dummodò salventur sine damno Reipublicæ, cui non expedit, ut nimia fundorum massa devolvatur ad Ecclesias aut Monasteria. Cum Imperatore Justiniano penitùs nolunt, ut quis ob Monasticam sanctimoniam exhæredetur. Hinc dictas stipulationes probant, stabiliunt ac defendi mandant in suis tribunalibus. Et nulla hic Simoniacæ lepræ apparet species. Nec enim de professione, aut ad Monasterium vel ejus spiritualia jura & vincula admissionem fit stipulatio, sed de solis temporalibus juribus Monasterii.

Et hujusmodi stipulationes sunt apud Ecclesiam antiquissimæ. Insigne ejus exemplum habemus à venerabili Geraldo Caturcensi Episcopo, qui sub Urbani II. Pontificatu istam rexit Ecclesiam, & suos Cathedrales Clericos reduxit ad regularem in claustra vitam. Inter ejus Ecclesiam & illustrem virum Gansbertum Deltalium de Castro Novo dura fuit quæstio de quibusdam fundis ac juribus. Est tandem inita transactio, ex cujus apud Domini Lucæ Dacherii Spicilegium extante instrumento quædam adduco: *Est taliter hujusmodi discussum negotium. Priùs dimisit prædictus Gansbertus quidquid in honore Sanctuarii nostri justè vel injustè, sive aliquo ingenio vel quacumque calliditate expetere potuisset. Posteà verò quasi pro obedientia commendavimus ei exteriorem bonorem Secretariæ nostræ, nimiis precibus Domini Pontificis obstrictî, exceptis Ecclesiis & decimis, & excepta turre, quæ in superiori parte Civitatis nostræ sita est, cum appositis domibus, & furno, hoc tenore tamen & convenientia, ut det nobis filium suum unicum è duobus, quos priùs illi genuit uxor sua, ut fiat Canonicus Regularis in nostra Ecclesia, & cum eo relinquat nobis cum omni pace totum bonorem pertinentem ad Secretariam nostram, in perpetuum possidendum cum omni pace & dilectione nominatus Gansbertus. Fiat verò concessio & pueri & honoris usque ad expletionem decem annorum, ita tamen ut eo die, quo puer Canonicalem induerit habitum, dimittat nobis totum omninò bonorem ad Sanctuarium pertinentem, & ad jus Ecclesiæ nostræ, ubicumque inventus fuerit, & infra terminum decem annorum disposuerit nobis tradere infantem. Si autem nec expletis decem annis, aliqua consisus calliditate, noluerit nobis tradere filium, ut Canonicus fiat Regularis, sicut pactum est, bonorem tamen liberum sine omni inquietudine, sive cum filio, sive sine filio, consummato termino in pace nobis relinquet.* Tom. 8. Verba sunt lucidissima. Geraldus ille fuit Summus Episcopus. Nec ipse solus, sed & omnis ejus Ecclesia hæc pepigit. Quis præsumat damnare? Ex his etiam vides hanc complexam vocem, *Canonicus Regularis*, non esse hesternam.

Elapsi sæculi annus vigesimus secundus fuit Catholicæ Ecclesiæ infelicissimus. Turcorum Imperator Solimannus arctissimè cingebat, & tandem cœpit Rhodum, Metropolim Provinciæ Insularum. Martinus Lutherus invalescebat per omnem Germaniam, ac omnis ferè Europa flagrabat intestinis bellis. Hinc optimus Princeps Ferdinandus, Imperatoris Caroli Quinti germanus frater, ac Imperii Vicarius, omnes Germanorum Episcopos & Proceres convocavit Norembergam, consultaturus de remediis. Optimus Pontifex Adrianus VI. ad eundem Conventum legavit eruditum virum Franciscum Cheregatum, Aprutinæ Ecclesiæ Electum, postulans varia, quorum palmare caput erat suppressio ac extinctio factionis Lutheranæ. Hujus exordium fuit Ecclesiasticæ disciplinæ prævaricatio, & libertina Cleri vita. Istam hujus pœnam à divina justitia irrogandam jam olim Basileensis Synodi tempore prædixerat, & ad Quartum Eugenium scripserat magnus ille Cardinalis Julianus Cæsarinus. Hinc dictus Conventus laudato Legato, ac per ipsum Summo Pontifici, vice versa proposuit centum gravamina, quæ Germania partim à Romana Ecclesia, partim ab omni statu Ecclesiastico sustinebat, & postulavit corrigi. Postremum gravamen fuit hoc: *Utriusque sexus Religiosi in suorum Monasteriorum, claustrarum, fundationum, aliorumque Conventuum commodum succedunt sæcularibus, cùm ipsi vicissim ab illis ad hæreditates, neque vocentur, neque admittantur. Neque hoc Germanicorum gravaminum postremum est, quamvis ultimum hic sortiatur locum. Mos non amplùs ferendus, badenus inolevit, pauloque altiùs, quàm par est, radices egit. Videlicet quòd Monachi, Moniales, Beginæ, Begardæ, Nolhardi, Conventus, & quicumque tandem sint, qui se Religiosos & à sæcularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, & cæteris amicis, in hæreditatis bonis, aliquando in partem, nonnumquam in totum succedant. At vicissim eorum cognati, seu necessarii Laici, à præfatis Religiosis ad ipsorum hæreditates adeundas, non solùm non vocantur, sed nec admittatur quidem. Quod Germanis & grave, & molestum, injustum etiam, ac non diutiùs tolerandum omnes est. Eapropter necessariò, ac summa prudentia curandum est, ut deinceps nemo se memoratorum Religiosorum votis adstringat, vel addicat, nisi priùs ea de re civiles Magistratus certiores fecerit, quorum præsentia, auctoritate, & Consilio Religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam & facultates, mediocriter provideri debet, ut habeant undè commodè in Monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto, & conditione, ut omnibus hæreditatibus, omnibusque parentum, fratrum, sororum, cognatorum, cohæredum, & quorumcumque aliorum successionibus renuntient, in animumque nequaquam inducant sumum, se in posterum hæreditario jure quidquam nedum sperare; tantum abest, ut consequi se posse putare queant. Idemque cum his, qui jam olim Religiosorum regulis sese subjecerunt, fieri à Sacri Romani Imperii Statibus & petitur & censetur.*

Hinc discimus varia. Primò, quod Bonifacii noni,

noni, Caroli quarti, Constantiensis Synodi, & Basiliensis Concilii adversus mortuæ manus Legem aut consuetudinem Edicta fuerint apud Germanos admissa in plenum vigorem. Secundò, quod Justiniani Leges, sancientes Monasterium in omnia profitentis Monachi bona ac jura succedere, usque ad illud tempus istic etiam plenissime viguerint. Tertiò, quod non dumaxat vera Cœnobia, sed etiam Beginagia, aliaque id genus pia loca fuerint gavisa isto Privilegio. Quartò, quod Germani apud se voluerint deinceps induci manum mortuam, ex qua profitens, ac ejus Monasterium renuntiarent omni spei suarum hæreditatum. Quintò, quod noluerint penitus omni fructu privari Monasteria. Etenim ipsis voluerunt per profitentium parentes & amicos constitui certas dotes ad honesta alimenta. Et hoc ea Lege, pacto & conditione, ut illa plenè renuntiarent omnibus successionibus. Quæ verba manifestè stabiliunt stipulationem de dote. Quintò discimus, quod iste Conventus voluerit hanc stipulationem fieri coram laico Magistratu. Quod nempè esset contractus laicus & civilis, non minus quam in carnali conjugio contractus ante-nuptialis. Reduci voluit supra-memoratum magni Caroli Capitulum, sanciens liberum hominem deinceps non consurari sine venia Principis. Utique quò Princeps arbitraretur de consurandi dote seu facultatibus. Isti Conventui præfedit laudatissimus Princeps, post-modò Imperator, Ferdinandus Austriacus: adfuerunt doctissimi ac piissimi Antistites & Proceres. Nec dubitandum quin ipse Imperator Carolus omnia antèà viderit, ac per suum Consilium probaverit. Proindè quisquis istas stipulationes de Simonia damnaverit, damnabit & istum omnem Conventum.

Conventus Orthodoxa pietas lucet vel ex eo, quod hocce mortuæ manus remedium postulaverit à Sede Apostolica. Etenim manum mortuam, licet variè ac durè damnari jam audiverimus, non ab uno nostris novissimis Ecclesiæ temporibus esse utilem, imò forsitan & necessariam. Etenim quod Episcopi ex Ecclesiastico dum nimium increscit, patrimonio quædam possint, imò & debeant Laicis militibus dare in feudum, atque ita ad Ecclesiarum defensionem augere sæcularem militiam, insigniter demonstrat in litteris ad Ludovicum Germaniæ Regem Carisiacus Episcoporum conventus, ac in litteris ad Carolum Calvum Galliæ Regem, quas integras nuper edidit Petrus de la Lande, Hincmarus metropolita Remensis. Certè nisi figatur modus, omnis terræ orbis deveniet ad Ecclesiam, & scelerati Comitis Zozimi calumnia verteretur in veritatem, etenim videmus & Ecclesias & Monasteria non saturari, sed quotidiè ab illis jungi domum ad domum, fundum ad fundum. Et optima ac validissima figendi modi via est lex de mortua manu. Præsertim illa, qualis apud nos Belgas est, quæ Ecclesiarum manus ad solos fundos, aliasque possessiones apprehendendas mortificat, non ad census, & alia istiusmodi incorporalia. In duodecimo de tribus Chalcedonensis Synodi capitibus libro Facundus Hermianensis Episcopus Imperatorem Justinianum, quædam Ecclesiasticæ Jurisdictionis officia quasi ex medicinali pietate invadentem, rectè comparat Ozæ titubantem Dei Arcam sustentanti, ideoque percusso per Dominum Deum, atque adjungit: *Prædicatoribus veritatis, quasi bobus, de quibus dicitur*, non in- Cap. 3.
fæmabis os Bovi triturani, *non - nunquam contra stimulum calcitrantibus, videtur Ecclesia, cujus illi Rectores Doctoresque, velut Arca illa nutare, sed non est Ozæ officii continere. Præcedit illam suus David, qui deducit exultans. Ipse manu fortis invisibiliter eam regit, per quos eam regi constituit. Et ideò nutare quidem potest, cadere nunquam potest. Nihil igitur habes Oza, quod simulatione piæ sollicitudinis excuseris, quin Divino Judicio pro temeritate percuteris.* Dum Ecclesiarum Prælati, qui omnia sibi de suis superflua deberent effundere in pauperes, ampliandis latifundiis incubant, boves calcitrant, Dei Arca nutat, debetque contra lapsum sustinere. Verùm non per Oza, seu per laicos Principes id fieri possit: fieri debet per verum David, per ipsos Episcopos, ad arcæ custodiam ab illo ordinatos. Laici Principes, dum istas Leges condiderunt, licèt justa statuerint, perperàm egerunt. Quia Ozam imitati. Hoc noverant optimus Ferdinandus, ipsique adsidentes Episcopi & Principes: hinc manum mortuam ipsi facere non attentarunt, sed faciendam supplicarunt à Romana Ecclesia. Et ubicumque illa viget, per hujus ratificationem aut conniventiam viget. Alia via non possit vigere.

Quæstio est, An istius manus Lex obliget Ecclesiæ conscientiam? Respondeo illam esse ab Ecclesiâ reverendam & obervandam. Etenim Sanctus Hieronymus illos qui similem Primi Valentiniani Legem per varias olim artes circumscribebant, omnino arguit. Etiam Sanctus Ambrosius ipsam veneratus est, & omnibus Clericis ac Monachis justit venerandam. Attamen est purè pœnalis, ideoque conscientiam non adstringit, nisi ad pœnam. Illa omninò est mens Christianorum Principum. Hinc Anglorum Rex Richardus II. illos fundos, quos quædam Ecclesiæ & Monasteria post & contra Eduardi I. Legem emerant ac possederant per subornatas Personas, non redegit in Fiscum, sed dumtaxat justit intra certum tempus divendi, aut quavis legitima via reduci in manum vivam, tunc in contumaciæ pœnam donandos fisco. Qui mos etiam viget in nostro Belgio. Piissimi nostri Principes servant piissimam Legem, quam eorum proavus Rex Recesvinthus publicavit in octava Toletana Synodo: Priorum Regum morem, qui in subditorum fortunas solebant plenum exercere imperium, circumduxit ac abolevit, cunctisque justit esse securum dominium. Hanc pietatem, uti in populum, ita longè magis exercent in Ecclesiam. Hinc manui mortuæ, dum malè acquisitas possessiones mandant reduci in manum vivam, permittunt integrum pretium.

Principalis Assertio nostra lucidum fundamentum habet etiam in Instituto Societatis Jesu. Hujus Religiosi per primam professionem non fiunt manus mortua. Hinc si Justiniani

Leges

Leges attendas, ſuis ſucceſſionibus non poſſunt renunciare. An juxta hodiernos Latinæ Eccleſiæ mores poſſint, ſunt adverſæ ſententiæ. Et communior affirmat. Hinc & profeſſurus, & profeſſus, adeoque & ipſorum nomine Societas omninò poſſunt de ipſis ſtipulari. Quare poſſint, & alii Ordines. Etenim manus mortuæ Lex nullatenus exſufflavit ipſorum avita Jura. Firmum etiam fundamentum eſt Innocentii IV. Epiſtola ad Ciſtercienſem ordinem: *Indulgemus ut poſſeſſiones, & alia bona, mobilia ac immobilia, exceptis feudalibus, quæ perſonas Fratrum, ad Monaſteria veſtra à ſæculo fugientium, & profeſſionem facientium in iſdem, ſi remanſiſſent in ſæculo, ratione ſucceſſionis, vel quocumque alio juſto titulo contigiſſent, petere ac retinere valeatis, contraria conſuetudine non obſtante.* Univerſalem Eccleſiæ Canonem ac Reipublicæ Legem dat eis in Privilegium. Et exſufflat adverſam conſuetudinem. Rationes adduxi in Scholio ad decimum nonum Canonem ſeptimi Concilii. Feudorum Exceptio fundatur in ſingulari ipſorum indole. Et ex hoc Indulto lucet manum mortuam iſto tempore necdum fuiſſe in Gallia. Proindè Ciſtercienſes de rebus quas poſt ſui Monachi profeſſionem petere poterant, poterant & tranſigere. Etiam ante devolutionem poterant de ſuo ad ipſas jure. Et ſi poſt profeſſionem, cur non & antè? Cur nequeat quid modicum in præſenti accipere pro grandi futuro? Non de Monaſtici ingreſſus aut profeſſionis pretio, ſed de ſpectante ad ipſos futuræ hæreditatis jure erat iſta tranſactio. Hinc caſta & immaculata.

CAPUT XVI.

Præcedens Aſſertio ſtabilitur ex aliis Principiis.

Part. 5. Cap 343

INſignem Canonem ſuo Decreto inſeruit ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Statutum, & rationabiliter ſecundùm Sanctos Patres à Synodo eſt confirmatum, ut Monachus, quem Canonica electio à jugo regulari monaſticæ profeſſionis abſolvit, & Sacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit, velut legitimus hæres paternam hæreditatem poſtea jure vendicandi poteſtatem habeat. Sed quidquid acquiſierat, vel habere juſſus fuerat, Monaſterio relinquat, & Abbatis ſui, qui fuerat, ſecundùm regulam ſancti Benedicti, arbitrio. Poſtquam enim Epiſcopus ordinatur, ad altare, ad quod conſecratur, & titulatur ſecundùm ſanctos Canones, quod acquirere poterit, veſtituet.* Eundem Canonem ſuo Decreto inſeruerunt Burchardus Epiſcopus, & Monachus Gratianus. Sanctus Ivo affirmat eſſe Canonem Alteimenſis Synodi, celebratæ coram Imperatore Conrardo, utique Salico. Quidquid ſit, celebrata fuit iſta Synodus eo tempore, quo Clerus in Clauſtro adhuc ſervabat communem ſub Epiſcopi oculis vitam. Conſtituit varia. Primò, quòd omnia profitentis Monachi bona per profeſſionem pleno jure devolvantur in Monaſterii dominium. Secundò, quod eadem ſit ratio bonorum, quæ ex aliqua poſt profeſſionem ſucceſſione ſpectant ad iſtum Monachum. Tertiò, quòd iſtud Monaſterii jus ceſſet per Monachi promotionem ad Epiſcopatum. Hæc illum è Monachali Clauſtro tranſfert in Clericale & Cathedrale Monaſterium, atque ita omnis ipſi deinceps adveniens ſucceſſio ſpectabit ad iſtam Eccleſiam. Ex quibus Sylveſter, magnus Theologus ex Prædicatorum Ordine, ac Apoſtolici Palatii Magiſter, in Summa ad Verbum, *Religio*, infert hæc ſequentia. Primò, quod talis Epiſcopus ſuccedere debeat non ſolummodò in bona parentum, aut aliorum conſanguineorum adhuc viventium, ſed etiam in jam aditas ac diviſas hæreditates defunctorum. Deindè, quod hoc locum habeat non dumtaxat in ſancti Benedicti Monachis, aut aliis habentibus poſſeſſiones in communi, ſed etiam in Fratribus Minoribus. Et quòd ita deciſum fuerit in quibuſdam Supremis Tribunalibus. Portò fieri poſſit, ut talem Epiſcopum accipiens Eccleſia prævideat quæſtiones & lites: præſertim circa hæreditates aditas ac diviſas. Fieri item poſſit, ut ex cauſis ſui Epiſcopi parentelam nolit offendere. Hinc tranſigere poterit & ſtipulari. Non ſolummodò poſt confecrationem, ſed etiam ſtatim poſt electionem. Stipulari poterit etiam de pendentibus ac futuris ſucceſſionibus. Nec ullam patrabit Simoniam. At verò Monaſterium habet iſtud ipſum jus in bona ſui profeſſuri, quod Eccleſia in bona ſui electi Epiſcopi; hinc & iſtud poterit eodem modo caſtè ſtipulari.

Et quoniam doctiſſimi Sylveſtri incidit mentio, placet ejus de his quæſtionibus judicium exponere. Ad verbum, *Simonia*, hæc ſcribit: *Quæritur, quid juris de Simonia quoad Religionis ingreſſum? Et dico multa. Primum. Si receptio ad habitum, quæ eſt quædam promotio ad gradum ſpiritualem, eſſet diviſa à ſuſtentatione Recepti, ſicut olim aliqui Religioſi recipiebant ad habitum Religionis in eremo, & tamen non erant obligati alimentare Receptum, ſed illum tantummodò docebant, ſicut Romanus recipiebat Beatum Benedictum, & Macarius duos adoleſcentes, & nunc etiam Canonici elevant aliquem ad dignitatem vel gradum Canonicatus, quem tamen non alunt, iſta quæſtio non haberet difficultatem. Quia planè eſſet Simonia, ſi quid exigeretur aut reciperetur pro receptione; & planè non eſſet, ſi quid acciperetur pro victu, ſicut nunc licitè à Religioſis recipiuntur hoſpites. Sed quia nunc iſta regulariter ſunt conjuncta, & jura clamant contra eos, qui verè aut præſumptivè aliquid exigunt gratia receptionis, aliqui ea exiſtimant loqui de alimentatione. Et Canoniſtæ, ſeu Juriſt præſumptione fundantes, implent quaternos, & materiam aliquando non benè reſolvunt.* Similes quorumdam clamores etiam hodie perſtrepunt. Similiter ex præſumptione.

Pergit Sylveſter: *Secundum. Quidam, ut etiam refert Archidiaconus, dicunt quòd ingreſſo Monaſterium competat Jus duplex: ſcilicet ſpirituale, quo habet dignitatem Clericatus, & vocem in Capitulo, & participat bona ſibi facta, & hujuſmodi. Et corporale: ſcilicet quo debetur ei victus & veſtitus à Monaſterio. Quæ jura nunc regulariter conjunguntur de facto, ſed per intentionem poſſunt dividi. Et dicit iſta opinio, quòd pro ſecundo jure licèt paciſci, non pro primo, ubi Monaſterium ad victum non ſufficit. Et iſta opinio eſt Sancti Thomæ. Nam dicit in Secunda Secundæ, quòd pro ingreſ-*

ingressu Monasterii non licet aliquid accipere vel exigere quasi pretium: si tamen Monasterium sit tenue, non sufficiens ad tot personas nutriendas, licet exhibere ingressum quidem gratis, sed accipere aliquid pro victu personæ recipiendæ, si ad hoc non sufficiant opes Monasterii. Hæc ex illo. Et intelligè quòd liceat accipere, id est, exigere. Undè in quartum dicit, quod tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium, undè possit illi providere. Si autem sine gravamine Ecclesiæ possit recipi, Simoniacum est aliquid pro receptione exigere. Hæc ille. Et sic potest secundùm eum, stante rectitudine intentionis, pacisci pro victu. Sylvester adjucit plures istius opinionis magnos defensores. Et rectè. Etenim uti Episcopus legitimè neminem ordinat in majorem Clericum, nisi adfuerit ad honestam ejus sustentationem sufficiens Beneficium aut patrimonium; ita inopis Cœnobii Præfectus rectè non admittit, nisi qui actulerit eidem sustentationi sufficientem dotem. Uti recta Episcopi intentio non pro Sacro Ordine, ita recta Præfecti intentio non exigit pro Monastica admissione. Prudens Præfectus olim admittebat in hæc verba: *Nos libenter & gratis recipimus te ad consortium spirituale, sed cùm bona nostra non sufficiant nobis & tibi, porta tecum undè possis vivere.* Et Sylvester adjungit: *Quæ verba in effectu, & coram Deo sonant, nisi adferas tecum tantum undè vivas, te non recipiemus. Quod est pacisci.*

Sylvester pergit: *Si autem Monasterium esset opulentum, secundùm omnes prædictos esset Simonia, sed intelligè præsumptivè. Sicut semper fecerunt, & faciunt quædam Moniales, quæ ex divitiis superbientes, quantò sunt ditiores, volunt dotes majores. Ita de statu Religionis, quasi de statu mundani ponsi judicantes.* Et talis exactio est manifestè pessima Simonia. Et omnia ab opulento Monasterio facta exactio præsumitur illiusmodi, nisi palàm adlit legitimè purgans titulus. Hinc pergit Sylvester: *Circa ingressum Religionis, & etiam circa promotionem ad Ecclesiasticam dignitatem multa sunt Simoniaca secundùm Doctores, quæ intelliguntur vel præsumptivè quantùm ad forum contentiosum, vel in conscientia, si habeatur respectus non ad victum, sed ad ipsum ingressum, sive elevationem ad Clericatum.* Purgantem titulum adducit ad verbum, *Religio*, hæc scribens: *Si quis Monasterium ingreditur condito testamento, in quo nihil reliquit Monasterio, sed hæredem extraneum instituit, est distinguendum. Nam si tempore ingressus, nulla facta mentione de testamento, expressè contulit Monasterio bona sua in continenti post testamentum, non revocat illud, nec illa bona erunt Monasterii, sed præsumitur illa collatio facta ad tempus vitæ suæ. Quia non videtur quis incontinenti animum mutare. Si verò bona fecit executio dicti conditum Testamentum, præsumitur mutasse animum favore Religionis: & sic sumpsit testamentum. Et illa bona erunt Monasterii. Si verò non contulit expressè, remanebit testamentum, & Monasterium solummodò petet suam portionem, aliter quàm rumpendo testamentum.* Ita docet ex Antonio de Burrio. Et rectè. Quod enim homo opulentus, dum ingreditur Monasterium, obligetur ipsi suam legitimam relinquere, est suprà demonstratum ex variis authenticis fontibus. Hanc quodvis, etiam opulentum, Monasterium potest exigere, atque ita de ipsa etiam transigere ac stipulari. Pergit Sylvester: *Religiosi succedunt in bona parentum. Et hujusmodi nec exhæredari possunt propter admissum crimen ingratitudinis in sæculo.* Omne istiusmodi crimen censet purgari per professionem Monasticam. Et censet ita sanciri à Justiniani Legibus. Hodierna manus mortuæ Lex istud Monasteriorum jus expungit, aut potiùs sistit. Hinc quodvis Monasteriorum possit de ipso stipulari. Et huc lucidè tendunt omnia Sylvestri principia. Verumtamen ab istiusmodi Monasteriis servanda est Apostoli regula: *Omnia nobis licent, sed non omnia expediunt.* Hæc omnia Sylvester repetit etiam in alio loco: *Jura dicunt, quòd ingressi religionem se & sua dedicent Deo ita quòd omnia eorum bona Monasterio intelligantur esse collata. Et hoc intelligitur de ingressu professionis. Et nisi ipsi aliter deposuerint ante professionem. Et si à patre vel matre filius vel filia poterat exhæredari propter vitium ingratitudinis, jam non poterunt: quia hoc vitium tolluntur per religionis ingressum. Alicubi tamen est consuetudo, quòd Propinqui occupent bona immobilia ingressi: nisi si quæ dedit Monasterio. Et alibi etiam mobilia. Quæ secundùm Raymundum valet, si est ostenta quadraginta annis, quo tempore præscribitur contra Ecclesiam. Sed puto quòd non valeat ratione præscriptionis. Tum quia in rebus invasis aut furtivis non currit præscriptio. Tum quia in Ecclesia, quæ hic spoliatur, non est digna pœna, cùm non sit in mora negligentiæ, sed violentiæ. Nec quocumque modo. Quia est contra legem naturalem, privant hominem facultate disponendi de suis bonis.* Palàm scribit in Legem manus mortuæ, quæ tunc in quibusdam regionibus nasci cœperat. Affirmat Ecclesias ac Monasteria per ipsam non privari suis juribus: hinc de ipsis, ne penitùs excidant, possis tranfigi & stipulari.

Eadem de re scribit in alio loco: *Quæritur, utrùm bona ingredientis Monasterium pertineant ad illud? Et quo jure? Et dico quod pertinent. Quo verò jure pertineant, est magna controversia inter Doctores & Glossatores Juris Civilis. Dic verius esse, quod jure successionis. Tamen si læsum fuerit Monasterium, poterit restitui, ad similitudinem minoris.* Quod omninò verum est etiam de tranfactionibus super professuri hæreditate, quas ob manus mortuæ Legem cogimur inire. Verùm in Regionibus, ubi istiusmodi quæstiones dirimuntur per Regia Tribunalia, erit difficile perduci adfelicem sententiam. Notandum est, & ad hoc verbum, *Simonia*, Sylvestri documentum: *Et reverè, si intentio sit pura, laudabile est exigere à volentibus ingredi, victum, quando Monasterium majorem numerum non potest commodè sustentare. Quia dilatatur Dei cultus, & servorum ejus numerus augetur.* Agit de Canonibus, mandantibus ad Monasterium non recipi suprà numerum, qui possit ab ipsis honestè alimentari. Affirmat plures supernumerarios posse admitti cum exactione dotis. Et istam exactionem esse non

dumtaxat puram, ſed inſuper laudabilem. Et recte. Etenim explet ſolemnes Eccleſiæ preces: *Ut populus tibi ſerviens & merito & numero augeatur.*

Eadem omnia comprobat inter Prædicatorii Ordinis Doctores, ac Tridentini Concilii Theologos Magnum Lumen, Dominicus Soto, in opere de Juſtitia & Jure hæc ſcribens: *Ubi Monaſterium eſt tenue, nec ad tantum numerum nutriendum ſufficiens, nulla eſt Simonia aliquid pro victu & veſtitu recipere. Exemplum qualecumque poſſumus in Matrimonio ponere. Pro illo enim, quatenus eſt Sacramentum, nihil poteſt vir ab uxore recipere, poteſt tamen id admittere ad ſuſtinenda ejus onera. Dubia exurgunt exigua. Primum; Utrum quando Monaſterium eſt locuples, ut poſſit perſonas, quæ recipiuntur, alere, ſimoniacum ſit pretium exigere? Extat enim à parte affirmativa argumentum, quod cùm non alia ratione iſtiuſmodi exactio juſta ſit, quàm propter Monialium alimentum, ubi illud aliundè ſuppetit, apparet pretium pro ingreſſu Religionis exigi. Reſpondetur nihilominus, opulentiam Monaſterii nihil prorſus facere, ut quæ in paupere non erat Simonia, ſit in divite. Et ratio eſt patentiſſima. Nam Simonia ex objecto ſpeciem ſortitur; nempè quia ſpirituale venditur, puta Profeſſio ipſa, & locus in religione. Si autem illud cavetur, & pecunia nonniſi pro victu recipitur, etiamſi Monaſterium illo ſubſidio nullatenus egeat, poterit quidem eſſe peccatum avaritiæ, non tamen Simoniæ.* Exiſtimo, niſi adſit titulus, eſſe Simoniam. Porrò luciditſimus titulus eſt, dum dos exigitur pro ceſſione futurarum hæreditatum. Hunc titulum in Conſiliis ad titulum de Regularibus agnovit Martinus Navarrus: *Bernardina, cùm malè tractaretur à matre, ingreſſa Monaſterium, convenit cum illo, quod loco dotis haberet hæreditatem, quæ ei contingebat poſt mortem matris, quam tamen anté ingreſſum matre petente, occultè renuntiaverat.* Circa quam factì ſpeciem reſolvit ille varia. Et in quibuſdam labitur. Præſertim quod ſupponat iſtam renuntiationem valuiſſe. Etenim res videtur acta in loco, ubi non viguit Lex manus mortuæ, ideoque manifeſtum eſt iſtam ceſſionem fuiſſe nullius ponderis. Et non erat opus iſta conventione. Etenim Monaſterium per Bernardinæ profeſſionem erat ſucceſſurum in omnia ejus jura. Interim quædam etiam Laica Tribunalia, apud quæ viget præfata lex, probant atque admittunt iſtiuſmodi conventiones. Admitti item olim poterant, ac etiam hodiè poſſint, ubi non fuit aut non eſt manus mortua. Etenim competens mihi jus poſſim per pacta & ſtipulationes firmare. Et nulla itìc eſt vel diluta ſimoniæ umbra. Quare etiam probandæ ſunt conventiones, quæ pro futura hæreditate exigunt aliquam dotem. Nec dubitandum eſt, quin hæc ſit prima Monaſticarum dotium origo. Et hanc noſtri Majores cenſuerunt innoxiam.

Lib. 6. qu. 6. art. 2.

Conſ. 30

CAPUT XVII.

Expediuntur aliquot Quæſtiones.

QUæſtio prima eſt, An probandus ſit quorumdam Monaſteriorum mos, aut etiam Statutum, quæ neminem admittunt ſine certa dote? Reſpondeo morem eſſe abominabilem. Etenim excludit omnes pauperes, de quibus recte ſcribit in libro de Monachorum opere ſanctus Auguſtinus: *Veniunt plerumque ad hanc profeſſionem ſervitutis Dei & ex conditione ſervili, vel etiam liberti, vel propter hoc à Dominis liberati ſive liberandi, & ex vita ruſticana, & ex opificum exercitatione, & plebejo labore tantò utique feliciùs, quantò fortiùs educati, qui ſi non admittantur, grave peccatum eſt. Multi enim ex eo numero verè magni & imitandi exiſterunt. Nam propterea & infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia: & ſtulta mundi elegit, ut confunderet ſapientes.* Et infrà: *Ex illorum numero, qui vitam labore corporis tranſigebant, plures ad Monaſteria veniunt, quia & in ipſo humano genere plures ſunt.* Et in ſuorum Monachorum Regula ſcribit ſanctus Iſidorus Archi-Epiſcopus Hiſpalenſis: *Illi qui de pauperiate in Monaſterio converſuntur, non ſunt deſpiciendi ab eis, qui ſæculi divitias reliquerunt, quia apud Deum unus ordinis habentur omnes, qui converſuntur ad Chriſtum. Neque enim differt, utrùm ex inopi vel ſervili conditione ad ſervitium Dei quiſque venerit, an ex generoſa & locuplete vita. Multi enim ex plebejo cenſu documentis virtutum eximiis enitentes, prælatiores nobilibus facti ſunt, eoſque virtutum excellentia præverunt, & qui erant conditione infimi, virtutis merito facti ſunt primi. Nam propterea infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortes.* Ex infima plebis fæce pauperum, qui in Monaſterio ad eximias virtutes ac ſupremas Eccleſiæ dignitates profecerunt, ſunt innumera exempla. Etenim & ipſi ſancti Apoſtoli fuerunt pauperculi piſcatores.

Cap. 22.

Cap. 25.

Cap. 4.

Hinc antiqua magni Imperatoris Conſtantini Lex habet: *Nullum decimces Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam inſtructum idoneis Facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum ad Clericorum nomen obſequutumque confugere, ſed eos de cætero in defunctorum dumtaxat Clericorum loca ſubrogari, qui fortuna tenuer, neque muneribus civilibus ſunt obſtricti.* Hanc Legem optimus Princeps confirmat in alia ad Baſſum Prætorio Præfectum, ac in Lege ſcripta ad ejuſdem dignitatis Ablavium, & adjungit cauſam: *Opulentos ſæculi ſubire neceſſitates oportet, pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari.* Exiant hæc in ſexto-decimo libro Theodoſiani Codicis ad ſecundum titulum. Et hinc lucet plurimos primorum ſæculorum Epiſcopos & Clericos fuiſſe ex pauperibus, Et fuerunt ſanctiſſimi atque doctiſſimi. Attamen iſta Lex non diu plenè vixit, ſucceſſit alia, ex cujus imitatione Imperator Julianus Apoſtata ſcripſit ad Gentilium Pontifices: *Placet Sacerdotes ex omnibus conſtitui, qui in Civitatibus optimi ſunt, & imprimis quidem Dei, deindè verò hominum amantiſſimos quoſque, ſive pauperes ſint, ſive divites. Nec enim ullum, quod ad eam rem attinet, inter obſcuros & illuſtres debet eſſe diſcrimen. Nam qui propter animi manſuetudinem latet, nequaquam propter obſcuritatem & ignobilitatem arcendus eſt. Igitur etſi pauper ſit aliquis aut plebejus, ſi duobus hiſce præditus ſit ornamentis, religione erga Deum, & in homines benignitate,*

L. 3. l. 3.

tate, Sacerdos nihilominus eligatur. Porrò religionis quidem in Deum argumentum est, ut propinquos omnes ad pietatem erga Deum capessendam alliciat. Hæc postrema verba respiciunt antiquum Ecclesiæ Canonem, quem de Gentilium conversione sanctum tertia Carthaginensis Synodus extendit ad
Can. 18. conversionem hæreticorum: *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui sunt in domo eorum, Christianos Catholicos fecerint.* Est Apostolicus Canon, mandans neminem promoveri in Episcopum, Presbyterum aut Diaconum, nisi qui habuerit filios subditos in omni castitate. Versipellis Julianus Ecclesiasticam, cujus splendor plurimos Gentiles cogebat ad Evangelium, disciplinam tentavit in gentilem vitam traducere, atque ita Evangelium isto adjutorio spoliare. Etiam Canonem, qui non solos nobiles aut opulentos, sed etiam plebejos ac pauperes jubebat admitti in Clerum. Ex eodem Canone sanctus Joannes Chrysostomus in libris de Sacerdotio affirmat sui, utpotè viri opulenti ac nobilis, consecrationem
Lib. 2. cap. 7. fuisse expositam obloquiis: *Tum si minus omnes, certè qui maledicentia delectantur, potuissent plerasque tum suspicari, tum eloqui, partim de me qui ordinatus sum, partim de illis qui me elegerunt. Verbi gratia, quòd solas illi divitias spectent, quòd generis splendorem admirentur, quòd à nobis adulatione victi eum nobis honorem mandassent. Nam quod & pecunia abducti & corrupti, dicere non habeo, si quis & ipsum hoc suspicetur.* Et prosequitur: *Præterea Christus quidem piscatores, ac tabernaculorum texendorum artifices, itemque publicanos ad ejusmodi Magistratum advocavit; Hi autem eos respuunt ac despiciunt, qui sibi quotidiano operi victum parant.* In istud vitium durè invehitur. Et in litteris ad Theodosium Episcopum sanctus Isidorus Peluseotes fordidam ac variam Eusebii Pelusiensis Metropolitæ avaritiam acri-
Lib. 3. Ep. 17. ter increpat, atque adjungit: *Quòd nunc abs te indicatum est, ac multorum fide dignorum virorum testimonio confirmatur, atque incredibile posteris fortasse videbitur, ejusmodi est, ut nihil atrocius fingi possit. Quis enim adduci facilè queat, ut credat Eusebium illos quidem, qui paupertatem colunt, atque omni alio Philosophiæ genere fulgent, ut qui ad quæstum faciendum baudquaquam ipsi sint utiles, velut nullius usus homines adspernari, ac Sacerdotio indignos judicare; divites contra, quod eorum opes dedecorat, quamvis omni scelere coopertos, ad Sacerdotium proferre? Perindè atque non virtuti, sed divitiis Sacerdotium deberi existimet.* Adjungit omnes Episcopos non esse Eusebio similes, & gratulatur Theodosio, quòd illum ac ejus Congerrones non dumtaxat non imiterur, sed etiam oderit. Ipsum appellat *Delubrum odii improborum.* Quæ omnia locum habent etiam in admissione ad Monasteria.

Excipe tamen ista Monasteria, quorum fundatio non admittit nisi solos nobiles. Talis apud nos Lovanii est illustris Abbatia Sanctæ Gertrudis. De simili Benedictini Ordinis apud Lunenburgenses Cœnobio scribit in Zitizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Lanzius: *Wenceslaus*
An. 1370. *& Albertus, Duces Lunenburgenses, Sancti Michaelis Archangeli in monte propè Lunenburgum insigne Monasterium erexerunt. Ejus Monachi omnes existunt nobiles secundùm carnem: nec in eo nisi ingenui suscipiuntur. Vivunt sine proprio sub bona & competenti Regularis vitæ disciplina: viri reverè perbumani, & multùm Hospitales.* Apud Germanos sunt plura similis fundationis Monasteria. Res videtur antiqua, usitata etiam apud Græcos, idque in medio flore Romani Imperii. Etenim in litteris ac precibus ad Ephelinum Latrocinium directis, & in Chalcedonensi Synodo relectis, Constantinopolitani sub Eutychete Abbate Monachi ita præfantur: *Promissa à misericorde Deo in cum credentibus dona, ex Divinis edocti litteris, & cognationes, & pecunias, & quibus unusquisque nostrum decorabatur dignitates, & diversas militias, & semel omnia, quæ videntur, bona humana despicientes, quibus fruebamur, fruique adhuc sperabamus, in unam omnes Monachorum conversionem & continentiam concurrimus, trecentorum numerum jam complentes.* Omne Monasterium fuit ex solis nobilibus. Et possit esse, ut sic oporterit. Attamen istiusmodi etiam Monasteria non possint pauperes excludere. Quin imò videntur fundata in solatium Nobilium, ac pauperum familiarum. E contrario quicumque pauperes nec admitti debent, nec possunt. Non minùs in hac admissione, quàm in adscriptione ad Ecclesiasticum cardinem, attendenda est personæ ad Monasterii Officia & onera capacitas. Quod præsertim obtinet in Monasteriis mendicantium. Et singularissimè in Ordine Sancti Francisci. Ibi enim plenè vivunt ex fidelium eleemosynis, ideoque non ad solum admittuntur Monasterium, sed insuper ad onus populi. Hinc curandum, ne ad ejusdem populi sacrum ministerium inutiles nimium multiplicentur.

Secunda quæstio est, An Monasteria, quæ solos opulentos, idque cum stipulata dote, admittunt, sint Simoniaca, ac in singulis admissionibus patrent Simoniam? Respondeo in quibusdam casibus patrare. Etenim quandoque contingit, ut Monasterium sollicitans nulla habeat bona, nec in re, nec in certæ successionis Spe: & tunc si admitti velit, fixam dotem compellitur ab opulentis amicis quærere & obtinere. Et in simili casu certum est committi plenam Simoniam. Etenim hujus exactionis, nullus præter Monasterii ingressum est titulus, ideòque manifesta est ejus lepra. Loquor de fixa dote. De primis vestimentis, ac novitiatus impensis est alia ratio. Interim ista Monasteria, quæ capaces, licèt pauperrimas, personas etiam primis vestimentis donant, sunt omni laude dignissima. Et compleri consueverunt omni Divina benedictione. E contrario etiam non expedit, ut admittantur soli plebeii, solique pauperes. Etenim in suis Capitularibus optimè statuit Magnus Imperator Lib. 7
Carolus: *Monachi Propositum consecrationis observent. Observamus ut bonam & probabilem vitam & conversationem habeant, ut eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei, & non solùm servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient.* Omnimodà, aut nimia vilium personarum copia fa-

cit non dumtaxat vilescere Monasteria, sed insuper corrumpit disciplinam.

Servanda est & hæc optima Regula, quam in præfatione ad antiquiores Cluniacensis Monasterii consuetudines, scripta ad Guilielmum Abbatem Hirgaugiensem, præfixit Udalricus Monachus: *Accedit admodum grata & jucunda memoria pollicitationis tuæ de cavendo ingenio quorumdam hominum sæcularium, qui nimirum non magnoperè curantes de alio, quàm de hac sola temporali vita, posquam domum habuerint, ut ita dicam, plenam filiorum & filiarum, aut siquis eorundem claudus jerit aut mancus, surdaster aut cæcus, gibbosus aut leprosus, vel aliud quid hujusmodi, quod eum aliquo modo facit sæculo minus acceptum, hunc quidem impensissimo voto, ut Monachus fiat, offerunt Deo, quanquam planè non propter Deum, sed propter hoc tantum, ut se ipsos expediant ab eis educandis & pascendis, vel aliis suis liberis possit esse magis consultum.* Addit per hanc pessimam radicem esse corrupta plurima Monasteria, atque concludit: *Ad cautelam & meram religionis soliditatem, hanc Monasterii tui Legem promulgasti, ut opus sit præfatis sæcularibus alium sibi nidum providere, ubi reponant pullos suos abortivos, velut exhæredatos.* Eadem supra audivimus à sancto Hieronymo. Et locum habent etiam in pauperibus. Sunt matutissimè discutiendi de scopo suæ vocationis: utpote obnoxii suspicionibus, ne Monasterium petant ob sola vitæ necessaria. Et tales, ubi divites humiliantur & parcè vivunt, non raro inflantur, fiuntque enerves ac delicati.

Præsens ergo quæstio est, An solos opulentos, idque stipulata dote admittere, sit continua Simonia? Respondeo esse turpissimam avaritiam, fœdissimumque quæstum. Ita jam audivimus à Sancto Joanne Chrysostomo, sanctoque Isidoro Peluliota. Et hic rectè adjungit, quod istiusmodi Episcopi, adeoque & Monasteriorum præfecti, passim virtutes negligant, admittantque etiam criminosos ac ineptos, dummodò opulentos. Etenim fundos venantur aut nummos. Hinc Petrus, Sancti Stephani in monte Cœlio Presbyter Cardinalis, ac Innocentii tertii per Galliam Legatus, in sua apud montem Pessulum Synodo est questus: *Adeo invaluit quorumdam Religiosorum cupiditas, ut usuarios reciplant ad Religionem.* Cant. 25. Et palam est mentalis simonia. Etenim admittentis Prælati oculi diriguntur in quæstum, adeoque in scopum Simonis. Attamen existimo non esse lepram realem. Etenim locum hic habet Gregorii IX. finale sub titulo de Simonia Decretum, asserens simoniam illam, quæ solo animi patratur affectu, esse dumtaxat mentalem. Dum nempè externum opus est istiusmodi, quod perfici possit recto animo. Nihilominus tanta continuorum Actuum, præsertim per Statutum, consuetudo pessimè olet. Proscribenda est atque damnanda. Hinc patet nova Monialium, quæ sine dote eriguntur, & ex solis Professurarum collationibus sperant subsistere, Monasteria nullatenus esse admittenda. Istiusmodi Moniales passim volunt solas opulentas admittere, atque ita omnis earum cogitatio propendet in terram. Et sanè sacri canones nullum sine competenti ac plena dote fundari permittunt novum Monasterium. Excipe tamen Mendicantium Moniales, quæ partim ex eleemosynis, partim ex suis laboribus possunt vivere. Et certè manuum opus est cunctis Monialibus sanctissimum ac utilissimum.

Quæstio tertia est, An omnia generatim Monasteria citra Simoniam possint hæc circa hæreditatis renunciationem pacta inire? Respondeo quædam non posse. Etenim Sanctissima Sancti Francisci familia, quoniam nulla etiam in communi potest immobilia possidere, ista attentare nequit sine manifesto lapsu in lepram. Per sanctissimam sui Patris Regulam est manus mortua, ideoque ad profitentium Fratrum successiones nihil habet juris. Hinc pro ipsarum cessione nihil possit exigere, stipulari, transigere. Eadem est ratio Monasteriorum, quæ pii Principes aut alii Fideles fundarunt ac dotarunt cum isto onere, ut nihil ab ingredientibus prætendant, sed cunctis eorum, quos ad fixum à fundatore numerum admiserint, successionibus cedant atque renuntient: & tales fundationes sunt pissimæ ac fundatissimæ. Est singulare onus: hinc præsumi non possit, nisi demonstretur. Et per ipsum Monasteria non adstringuntur ad se cohibenda intra illum numerum. Admittere possint super-numerarios, & cum illis procedere juxta Leges & Canones. Inter antiquos quorumdam Episcoporum in Monasteria excessus, Gregorius IX. Pontifex ponit & hunc: *Volunt*, utique quidam Episcopi, *in domibus eorum*, Regularium, præsertim Mendicantium, *certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum pro sua voluntate taxare.* Episcopi ne quidem in taliter fundata Monasteria habent istam potestatem. Attamen opiandum foret, ut omnia Monasteria servarent supra-laudatam normam Sancti Pachomii. Et certè opulenta ad illam obligantur. Nec sponte oblata deberent admittere. Interim dum præfato modo exigunt, solam avaritiam patrant, non Simoniam. Cap. 16.

CAPUT XVIII.

Quædam supplementa ad dissertationem de Simonia.

QUæ in prævia ad Sancti Leonis IX. Pontificis Acta Dissertatione de Simonia docui, sunt valida & firma. Nihil retractandum est, quædam sunt addenda. Dixi in Sacramentorum aut Sacramentalium administratione nihil posse exigi: omnem exactionem esse à natura ac Ecclesia damnatam Simoniam. Quidam censent me impegisse in jura eorum, qui possunt ex Altari vivere. Quibus passim adscribuntur jura Stolæ, ex quibus, licet non pro, tamen in Sacrorum administratione possint ordinariam consuetudinem exigere. Inter articulos, quos Galliæ Rex Carolus IX. Trident. Concilio proposuit, & pro reformanda Ecclesiæ disciplina stabi-

ſtabiliri poſtulavit, hic fuit decimus ſextus : *Ut à Sacerdotali Ordine ſordes omnes, & omnis avaritiæ labes procul expellantur, nec ullo prætextu pro rebus Divinis quidquam exigatur, curet Epiſcopus, aut per unionem Beneficiorum, aut Decimarum aſſignationem, & ſi hoc fieri non poterit commodè, Principes provideant, ut per Parochianorum Symbola & Collectas Plebanus, & cum eo duo aut plures Clerici habeant undè vitam congruè traducant, & Hoſpitalitatem præbeant.* Sacra Tridentina Synodus omnibus & ſingulis non potuit providere. Etenim in variis regionibus Eccleſiæ temporalia habent varium ſtatum, ideoque multa fieri non poſſint niſi per Principes & Epiſcopos. Hinc è Sacro-Sancto Concilio domum redux Venerabilis Dominus Carolus à Lotharingia, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Rhemenſium Archi-Epiſcopus, celebravit ſuæ Provinciæ Synodum, & de ipſo ſcribunt hujus Synodalia Acta : *Retulit Illuſtriſſimus Cardinalis Metropolita ad Sanctam Synodum de Parœcorum querelis, qui propter Edictum Comitiorum Aurelianenſium nihil poſſint percipere ex rerum Sacrarum adminiſtratione.* Carolus Rex Edictum ſuum quoad priorem partem ſtatim miſit in plenam executionem: in Sacramentorum adminiſtratione nihil deineceps permiſit exigi. At verò alteram partem, nempè Beneficiorum unionem, Decimarum aſſignationem, aut populi collationem, poſtulavit decerni ac ordinari à Tridentino Concilio. Hinc poſt hoc, quoniam non providerat, Parochiales Presbyteri adversùs dictam executionem interceſſerunt: allegarunt ſecundam Regii Edicti partem, ſibi favorabilem, eſſe Tridenti negle-ctam, ideoque novum à Rege injectum de non exigendo onus jam eſſe circumductum. Poſtulârunt juxtà priſcum morem exigere. Interceſſio non carebat fundamentis. Hinc ipſam Optimus Cardinalis Metropolita retulit ad ſuam Synodum.

Et varii varia ſenſerunt. *Nicolaus Grivellus, Decanus Ambianenſis, Procurator Reverendiſſimi Ambianenſis Epiſcopi, dixit manendum eſſe in ſinibus, quos conſtituerunt nobis Patres noſtri. Per Edicta Comitiorum Aurelianenſium ablatum eſſe Sacerdotibus id, quod debebant percipere. Huic rei adferendum eſſe remedium, & principiis obſiſtendum. Quod ad victum attinet parœcorum, eſſe ſequendum Concilium Colonienſe..* Stabilivit Parochorum interceſſionem. *Richardus à Prato, Theologus, Procurator Capituli Rhemenſis, cenſuit debere Curiones omnia gratis adminiſtrare; Eis autem eſſe providendum à Canonicis. Interèà autem abolenda eſſe quæ fuerant conſtituta in Comitiis Aurelianenſibus, & permittendum Curionibus, ut percipiant quæ antè percipiebant. Joannes Spalardus, Procurator Capituli Sueſſionenſis, cenſuit pro Sacramentis quidem nihil eſſe accipiendum, ſed pro ſepulturis mortuorum, & cæteris hujuſmodi. Providendum Eccleſiis Cathedralibus: & paucos eſſe proventus Eccleſiarum Parœcialium. Conſultius eſſe ut fiant uniones Eccleſiarum. Et ſi quid à populo Curioni ſponte ex pietate offeratur, id ab eo non recuſandum, nec ei hoc eſſe auferendum. Cagnetus, Procurator Capituli Ambianenſis, cenſuit ita eſſe providendum Curionibus, ut non deſtruantur Canonicatus. Furnius, alter ex Procuratoribus Reverendiſſimi Ambianenſis, cenſuit perſonales decimas eſſe ſolvendas Curionibus. Reverendus Abbas ſancti Joannis Sueſſionenſis dixit Curionibus eſſe providendum prudenti arbitrio Epiſcoporum. Reverendus Abbas Vallis Claræ cenſuit eſſe permittendum Curionibus, ut accipiant non pro Sacramentis, ſed pro labore. Sed & ſi quid eis offeratur, non recuſent. Reverendus Abbas Victoriæ cenſuit Curiones non eſſe fruſtrando jis, quæ dari conſueverunt pro ſepulturis & anniverſariis. Reverendus Prior ſancti Remigii cenſuit eſſe ſervandas laudabiles conſuetudines.* Nihil fuit definitum. Certè Regis Caroli prohibitio fuit fundatiſſima ac ſanctiſſima. Etenim in Sacramentorum adminiſtratione nihil poſſe, niſi per Simoniam, exigi à Clero, una voce clamant omnes antiqui Canones. Etiam clamant quartam Decimarum partem deberi Parochialibus Clericis. Verùm Epiſcopi, Abbates, Capitula nolunt incorporatas ſibi Decimas dimittere aut diminuere. Exiſtimant fore ſui deſtructionem. Hinc iſta Synodus nihil potuit definire.

Mota fuit & alia ſingularis difficultas de exactionibus in Sacramento Ordinis. Sacroſancta Tridentina Synodus hæc ſtatuit : *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumvis Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, aut alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Miniſtri, quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus decimam tantùm unius Aurei partem accipere poſſint, duumodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro exercendo officio. Nec Epiſcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex iiſdem Ordinum collationibus, directè vel indirectè provenire poſſit.* Sess. 21. cap. 1.

Omnem aliam formam damnat de Simonia. Eſt ſanctiſſimum Decretum, deſumptum ex primitiva diſciplina Eccleſiæ. Etenim quòd prima Eccleſiæ ſanctitas etiam ſponte oblata proſcripſerit à noſtrorum Sacramentorum adminiſtratione, iſtorumque admiſſionem damnaverit de Simonia, abundè demonſtravit præfata Diſſertatio. Hanc ſanctitatem Tridentini Patres reduxerunt ad Sacramentum Ordinis, & ad cùncta ipſi annexa. Etiam ad Examen. Hæc Decreta laudatus Cardinalis Metropolita voluit publicare, ac in executionem mittere, verùm quidam interceſſerunt. Etenim *Nicolaus Grivellus, Ambianenſium Decanus, exiſtimavit eſſe durum in eo Decreto, quo ſtatuitur Ordines Sacros gratis eſſe conferendos, pro Ordinibus Sacris nihil accipi. Cenſuit itaque eſſe relinquendum judicio Epiſcoporum, quidnam ſint accepturi pro Ordinibus Sacris. Richardus à Prato Theologus, Procurator Capituli Rhemenſis, dixit Examinatores, ſi ab examinandis aliquid acceperint, debere quidem ſubiti pœnæ Simoniacorum, ſed non poſſe dici Simoniacos.* Etiam circa hæc nihil fuit decitum Sess. 16.

Hinc quæritur, An quorumdam ſententia, aſſerens à Parochialibus Presbyteris, qui aliundè plenam ac honeſtam non habent ſuſtentationem, poſſe hic aliquid exigi, ſit tolerabilis? Reſpondeo non eſſe. Eſt certò Simoniaca. Etenim venerabilis Alexander Canigianus, Archi-Epiſcopus Aquenſis, ad octogeſimum-quintum elapſi ſæculi annum optimè ſanxit in ſuæ Provinciæ Synodo: *Illud præterea Parochi diligenter cavеant, ne pro Sacramentis adminiſtrandis ab ullo, vel omnium rerum inope Sacerdote, verbis aut etiam ſignis quidquam prorſùs vel minimum quovis modo petatur aut exigatur. Quod ſi quis contra fecerit, is graviter ab Epiſcopo pro culpæ ratione puniatur, non avaritiæ tantùm labe notatus, ſed etiam Simoniacæ pravitatis reus. Quod ſi laici homines, eleemoſynas dare conſuetas, impendereque renuant, eos Epiſcopus ex Canonum Jure ad piè introductam conſuetudinem perpetuò retinendam cogat atque compellat.* Sanctum eſt iſtud Decretum. Sanctiùs edidit ad ejuſdem ſæculi annum nonageſimum Venerabilis Franciſcus de Jojoſa, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Tholoſanus: *Nec verò quiſpiam aliquid, vel directè, vel indirectè, in confeſſionis, ſed nec in aliorum Sacramentorum adminiſtratione mercedem exigat. Pro Communione aliquid accipiens, juxta Sacros Canones graviter puniatur. Si tamen poſt præſtitum liberè Sacramentum aliquid pro eleemoſyna à Chriſti fidelibus ſpontè oblatum fuerit, tunc accipere liceat.* Et ad præſentis ſæculi annum nonum Venerabilis Ludovicus Vervinus, Archi Epiſcopus Narbo-
Cap 105. nenſis: *Ad hæc noverint Rectores animarum, cùm Sacramenta ſint dona Dei, liberaliter & gratis conceſſa, non ſolùm ſine Simoniæ labe, verùm etiam ſine Simoniæ ſuſpicione eſſe exhibenda, ac propterea*
Cap. 108. *maximè caveant, ne in eorum adminiſtratione quidquam prorſùs verbis, aut etiam ſignis, vel minimum quovis modo petatur aut exigatur. Sub pœna Excommunicationis prohibemus Sacerdotibus Sacram Euchariſtiam adminiſtrantibus, quoquomodo à ſuſcipientibus Sacramentum aliquid quæritare.* Eſt avita ac neceſſaria cunctæ ſub cælo, Gallicanæ præſertim, Eccleſiæ Diſciplina. Cui & hæc ſunt addenda. Quintus Capitularium liber habet: *Nemo Presbyterorum pro Baptiſmo pretium accipere præſumat. Quod ſi fecerit, ſciat ſe Canonica regula eſſe damnandum.* Et ſextus liber: *Nulla pretia de baptizandis, confingnandiſque fidelibus exigantur. Quòd qui perpetraverint, honoris ſui periculum ſunt ſubituri.* Prumienſium Abbas Regino ſuo Capitulari inſeruit hanc Epiſcopalis viſitationis formam, & inquiſitio habet hunc Articulum: *Si Presbyter pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, vel mortuis ſepeliendis præmium, vel munus exigat.* Inſeruit & hunc Canonem Triburienſem: *Dictum eſt in quibuſdam locis pro perceptione Chriſmatis nummos dari ſolere, pro Baptiſmo, pro Communione. Hoc Simoniacæ hæreſis ſemen deteſtata eſt ſancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero nec pro Chriſmate, vel Baptiſmo, nec pro ſepultura, vel Communione quidquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſentur.* Stephanus Baluzius adjecit Epiſcopale ad Parochiales Presbyteros Edictum, in quo eſt & hic Articulus. *Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis præmium vel munus exigat.* Plura ſunt ſimilia antiquorum Epiſcoporum Edicta.

Ad decimi-tertii ſæculi annum nonageſimum Guilielmus Major eſt promotus in Epiſcopum Andegavenſem. Vir per omnia eximius. Inter ejus prima Acta habemus hæc: *Loquendum eſt cum Magiſtro Guilielmo Baril, Rectore Eccleſiæ de Bagoſis ſuper hoc quod ejus Capellanus de novo exigit, & extorquere nititur linteamina à Parochianis, quando recipiunt Extremam Unctionem. Necnon & cum aliis Rectoribus ſuper ſimili facto eſt loquendum.* Videlicet ad eliminandum abuſum. Extant hæc apud Eruditum Lucam Dacherium in decimo tomo Spicilegii. Undecimus Tomus habet Nicolai Gellentii, qui Guilielmo in Epiſcopatu proximè præceſſit, hæc Synodalia Decreta: *Sunt plures Rectores Eccleſiarum & Sacerdotes, qui prævitatem Simoniacam non timentes, benedictiones nuptiales, defunctorum ſepulturas, mulierum purificationes celebrare non volunt, niſi priùs certa pecuniæ quantitas, vel aliud quòd jiſdem placeat, ſolvatur vel firmiter promittatur. Quod etiam circa Sacramentorum exhibitionem committere non formidant. Circa quæ inquirendum, Archi Diaconos, Archi-Presbyteros, & Decanos præcipimus diligenter vigilare: & quos in iſtis reos invenerint, ab Officio & beneficio ſuſpendant, & denuntient eſſe ſuſpenſos, eiſdem coram nobis certos dies aſſignantes, ut ſi Rectores ſint vel Curati, eos beneficiis ſuis privemus; ſi verò Sacerdotes non curati, ab Andegavis perpetuò excludamus. Alia eiſdem nihilominùs pœna injungenda ſecundùm Canonicam Sanctionem.* Nicolaus hæc ſanxit in ſita octava Synodo. Et adjecit in nona: *Sacris Canonibus eſt ſtatutum, & à nobis diu eſt in Sancta Synodo innovatum, ne pro Sacramentis miniſtrandis ſeu impendendis aliquid exigatur, verùm intelleximus novum genus exactionis exortum. Quia ſi aliquis Parochianus in aliena Parochia matrimonium contrahat in noſtra Diœceſi, vel etiam aliena, & à Sacerdote ſuo poſtulet, qui ſtatus ipſius habet notitiam, litteras ſibi concedi, quibus perſona ſua ſit libera ad contrahendum, nunquam Sacerdotes concedere volunt, niſi priùs pro data littera concedenda, eis à poſtulante aliquid conferatur, vel certiſſimè promittatur. Inſuper dum contrahentes matrimonium à ſuis Sacerdotibus priùs petunt certum diem præfigi ad ſuas benedictiones nuptiales celebrandas, numquam diem poſſunt certum à ſuis Sacerdotibus obtinere, niſi prius certum jus aliquid promittatur vel donetur. Quæ manifeſtè ex avaritiæ radice procedunt. Propter quod prohibemus, nec ob dictas cauſas aliquid ab aliquo de cætero exigatur vel petatur, ſed liberè prædictæ litteræ concedantur: & dies purè & ſimpliciter aſſignetur. Si quem verò contra hæc venire noverimus, ipſum tanquam inobedientem animadverſione debita puniemus.* Proindè circa hæc omnia Presbyteri aut ipſorum Clerici nulla habent jura. Eis non eſt, niſi ſpontanea oblatio.

Diſſertatio laudavit Edictum Venerabilis Gualonis, ſub Paſchale II. Pariſienſis Epiſcopi, & apud Romanam Eccleſiam Cardinalis: *Prohibemus ſub Excommunicatione, ne Sacerdotes, vel Cleri-*

Clerici occaſione alicujus conſuetudinis, pro Baptiſmo, Sepultura, Benedictione, aliiſque Sacramentis Eccleſiaſticis aliquid exigere vel extorquere præſumant, ſed ea liberaliter & ſine difficultate ſtudeant canonicè miniſtrare; monentur tamen Laici diligenter, ne quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliqualiter revocare. Hæc eſt antiqua, ſecundi tamen ordinis & temporis Diſciplina. Ipſam quippè, uti ſuo tempore uſitatam, laudat S. Gregorius Nazianzenus, declamans ad populum Conſtanti-
Orat. 28. nopolitanum: *Quoſdam ex his, qui Altari miniſtrant, & pulchrè inopes ſunt, pro viribus recreaſtis, ut animis minùs diſtractis Altari magis adſideant, ac bonorum veſtrorum participes facti ſua quoque viciſſim vobis conferant. Turpe ſanè eſt hæc & nos expoſcere, & vos non elargiri. Nec verò ideò hanc admonitionem habui, ut ita in me fiat; verùm eò hæc oratio ſpectat, ut de Chriſto benè mereri diſcatis.* Cur ſemet-ipſum non commendaverit Gregorius adjungit: *Melius eſt mihi mori, quàm ut gloriatio mea evacuetur, ac mihi prædicati Evangelii merces pereat, ſi hic laborum meſſem fecero. Evangelii enim prædicatio neceſſitatis eſt; munificentia autem & laus in eo ſita eſt, ut gratis hoc munus obeamus.* Gregorius Conſtantinopoli uſque ad Theodoſii imperium non fuit Cardinalis, ſed miſſionarius Epiſcopus: & maluit in conducto cubiculo pauperculus ad omnium Miſſionariorum exemplum vivere, quàm ſemet-ipſum populo commendare. Quod pauper Parochus ad ſervandam in Sacramentorum perceptione conſuetudinem horterur ſuum populum, atque ita ſemet-ipſum commendet, nullatenùs eſt reprehendendum: attamen longè magis convenit id fieri per Epiſcopum. Sic fiet cum majori authoritate. Et ſuprà audivimus ita factum à venerabili Alexandro Canigiano, Archi-Epiſcopo Aquenſi: *Quod ſi laici homines eleemoſynas dare conſuetas, impendereque renuerint, eos Epiſcopus ex Canonum jure ad piè introductam conſuetudinem perpetuò retinendam, cogat atque compellat.* Loquitur ex Lateranenſi Canone Innocentii III. qui cunctas hujuſmodi, præſertim in funeribus & nuptiis, exactiones rigidiſſimè damnat, atque adjungit: *E contrà quidam Laici laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam, pia fidelium devotione introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu Canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes ut liberè conſerantur Eccleſiaſticæ Sacramenta, ſed per Epiſcopum loci, veritate cognita, compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.* Innocentii III. tempora fuerunt infelicia: fœdata per Petrum Bruſſium, Albigenſes, alioſque Calviniſtarum Præcurſores. Hi, quò Clerum populo inviſum redderent, atque ita everterent per pauperratem, non ſolas in Sacrorum adminiſtratione exactiones, ſed etiam liberas oblationes damnarunt de Simonia. Et multis, licèt non plenum errorem, ipſius tamen maculoſum fermentum adfricuerunt. Et hi ſub pietatis prætextu conſuetas ob'ationes ſtudebant infringere: laudabilem conſuetudinem nequiter immutare. Hos compeſci mandat laudatus Canon, & avitam fidelium conſuetudinem declarat eſſe piam, mandatque perpetuari. Faciendam oblationem permittit cujuſque arbitrio, neminem in ſingulari vult compelli. Quare laudatus Alexander, ne videatur exceſſiſſe limites, eſt hoc etiam modo intelligendus.

Diſſertatio dixit etiam pro Miſſæ Sacrificio nihil poſſe exigi: omnem ſordis ſpeciem hic ſingulariſſimè vitandam. Oportere nos eſſe contentos ſpontanea poſtulantis eleemoſyna. Antiquam Eccleſiæ caſtitatem ac pietatem abundè expoſui. Fœdum abuſum refert ac damnat in quarta-decima ſua Synodo Guilielmus Major Epiſcopus Andegavenſis: *Uſus quidam in noſtra Diœceſi inolevit, quod ſinguli Sacerdotes, Miſſam in exequiis diſcedentium celebrantes, quatuordecim denarios exigunt ab hæredibus vel executoribus defunctorum. Undè nonnulli Capellani, & etiam Eccleſiarum Rectores noſtræ Diœceſis, intelligentes ipſum uſum, ſi uſus dici debet nimis largè, dimiſſis ſine cuſtode Eccleſiis, non ſine gravi periculo animarum, ſicut corvi vel vultures de longè cadavera ſentientes, de quinque vel ſex leucis catervatim adfluunt ad funera mortuorum, & quandoque cum gravi ſcandalo populi, quæſtus prædicti gratia verbis contendunt quis celebrabit, & interdum unus alteri excutit ornamenta. Nos autem præſentis authoritate Statuti, uſum ipſum declaramus tantummodò debere intelligi, quoties Presbyteri in talibus exequiis celebrantes, ad hoc ex parte hæredum vel Executorum invitati fuerint, vel rogati. Ad pericula animarum, cupiditatique effrenatæ talium Sacerdotum, qui ſe contra ſuæ dignitatis honorem venales exponunt, obviare volentes, prohibemus omnibus & ſinguli Eccleſiarum Rectoribus & Capellanis noſtræ Diœceſis, ne de cætero Eccleſias, quarum Cuſtodes exiſtunt, dimittant ſine Presbytero, talium exequiarum obtentu, nec pro Miſſis celebratis ab eis in hujuſmodi funeribus præter voluntatem & requiſitionem expreſſam defunctorum, aut hæredum & Executorum ipſorum, aliquid petant, exigant vel retipiant ab invitis.* Permittit admitti ac exigi ſolam voluntariè deſtinatam oblationem.

Hujuſmodi exceſſus ante Tridentinam Synodum, dum Presbyteri ſine titulo ordinabantur, fuerunt plures. Pauperies ad illos adigebat. Hinc ad ſuam Synodum dixit Dominus Cardinalis Carolus à Lotharingia Archi-Epiſcopus Rhemenſis: *Fuerunt quidem in illis Comitiis Aurelianenſibus ſpecioſæ factæ Leges, cujuſmodi eſt qua cavetur, ne pro celebranda re Divina dentur Sacerdoti pluſquam duo ſolidi & dimidius.* Verùm ipſe circa hæc nihil ſanxit, nihil definivit. Gallicani Cleri apud Melodunum Conventus elapſi ſæculi anno nonageſimo ſeptimo hæc compendio edixit: *Omnis turpis ex Miſſarum celebratione abarceatur quæſtus.* Et laudati Caroli in Epiſcopatum ſucceſſor, Dominus Cardinalis Ludovicus à Guiſia ſtatuit in ſua Synodo: *Sacerdotes, qui de pretio paciſcuntur ut Miſſas celebrent, habeantur Simoniaci.* Non autem ſi ſponte oblata recipiant. Et in ſua Synodo Dominus Ludo-

Ludovicus Vervinus Archi-Episcopus Narbonenſis: *Pacta & conditiones ſordidas, quæ Simoniam ſapiunt, pro Miſſarum celebratione vitabunt.* Utique Presbyteri. Et iterùm: *Quod ex devotione pro Miſſarum celebratione per fideles Sacerdoti in eleemoſynam erogatur, ipſe recipiat, à pluribus idem non petiturus ſub pœna Excommunicationis.* Quòd Epiſcopus eleemoſynam taxare poſſit, demonſtrat hodierna Eccleſiarum praxis, confirmata per varias declarationes Dominorum Cardinalium. Notanda eſt hæc apud Auguſtinum Barboſa: *Miſſarum ſtipendium intus congruum accipientes, quàm illud quòd præſcripſerit Ordinarius juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, nihilominùs tenentur eas Miſſas illis ab Offerente præſcriptas celebrare.* Omnes ſtudeamus in hac ſumma re eſſe immaculati. Recordemur filiorum Heli, qui Dei populum retrahebant à Sacrificio Domini, & ipſius Sacroſanctam Arcam per ſua demerita præcipitarunt in Gentilem captivitatem.

Eadem eſt ratio exactionum funeralium. Quare Spalardus, Sueſſionenſis Capituli Procurator, in Rhemenſi Synodo dicens pro Sacramentis quidem nihil eſſe accipiendum, ſed pro ſepulturis mortuorum & hujuſmodi poſſe exigi & accipi, nullo modo eſt probandus. Rectiùs cenſuit Rhemenſis Synodus Ludovici à Guiſia: *Parœci, qui pro Sacramentorum adminiſtratione, vel funere, vel ſepulturis aliquid exigunt præter ea, quæ de jure, lege, vel conſuetudine laudabili conferuntur, habeantur Simoniaci, non autem ſi ſponte oblata recipiant.* Idem in laudati Caroli Synodo cenſuerunt Reverendus Abbas Victoræ, ac Reverendus Prior Sancti Remigii: *Curiones non fruſtrentur jis, quæ dari conſueverunt pro ſepulturis & Anniverſariis. Serventur laudabiles conſuetudines.* Domini Ludovici Synodus repetit, ut ſint *contenti conſueta & honeſta mercede*, atque adjungit: *Pauperes, quibus adeò tenues fuere facultates, ut pro priis impenſis humari nequeant, gratis, & honeſtè tamen, ſepeliant, alioquin pœnas arbitrarias exſoluturi.* Conſonat Melodunenſis Gallicani Cleri Conventus: *Pauperibus, quibus hac pera-Eta vita aut parum aut nihil eſt unde ſepeliri poſſint, Eccleſiæ ſumptibus, pro illius facultatibus, miſericorditer ſepultura largiatur.* Hoc Domini Cardinalis de Joioſa, Archi-Epiſcopi Tholoſani, Decretum eſt longè ſanctiſſimum: *Funus ab hæredibus, vel à liberis, cognatiſque mortui ducatur. Qui ſi in ea vel familiaris te nuitate deceſſerit, quæ exequiis ſatis eſſe non poſſit, et vel amicorum liberalitate, vel denique Eccleſiæ ſumptibus juſta funerum perſolvantur. Pecuniarias ſuper funere exequiſque defunctorum pactiones fieri non permittant. Et ſi quæ factæ fuerint, irritas declarent Epiſcopi: & ſi opus fuerit, mandatoque minùs parentes Presbyteros nacti fuerint, eos qua decet ſeveritate puniant.* Quod ipſum in ſua Synodo ſanxit Ludovicus Vervinus Archi-Epiſcopus Narbonenſis.

Eſt antiqua omnium Eccleſiarum Diſciplina. Etenim Epiſcopalis, quam in ſuorum Canonum capite poſuit Abbas Regino, viſitationis methodus habet hunc circa Parochiales Presbyteros inquirendum articulum: *An pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis præmium vel munus exigat.* Non diſcernit inter Sepulturam & Sacramenta. Etiam duo, per Stephanum Baluzium ad Reginonis appendicem vulgata, Epiſcoporum ad Presbyteros antiqua Capitularia habent: *Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis præmium vel munus exigat.* Idem Stephanus vulgavit ſinſignem Paſchalis II. Pontificis epiſtolam ad Norigandum Auguſtodunenſem Epiſcopum, quæ habet inter cætera: *Statutimus ut pro ſepulturæ quidem loco, vel ſpatio nullum penitùs ab aliquo pretium exigatur. Pro redemptione verò peccatorum, morientes in Eccleſia, in qua fidei Sacramenta acceperunt, eleemoſynam dare juxta Apoſtolica Decreta, ſtatuimus omninò & confirmamus.* Certè quorumdam mores, qui in Choro Eccleſiæ, navi, aut cœmiterio ſepulturam diverſo pretio taxant, qui pro Altaris ac Miniſtrorum in Sacrificio ornamentis, pro argentea vel ærea cruce, pro feretro, ac iſtiuſmodi aliis variè exigunt, ego non poſſim purgare. Non alligo os bovi trituranti. Nihil me magis affligit, quàm nimia quorumdam pagenſium Presbyterorum inopia, ex qua etiam inviti coguntur ad fordes. Et ex his ipſorum inops quoque plebs cogitur ad murmura, aliaque non bona.

Antiqua Eccleſiæ Diſciplina non fuit his obnoxia. Etenim Decimæ habebant rectum uſum & regimen. Majores noſtri adeò dilexerunt Eccleſiam, Clerum & pauperes, ut illis dederint decimam partem totius Mundi. Admiranda certè liberalitas. Dividebatur in quatuor portiones: Epiſcopis, Clero, fabricæ, pauperibus. Omnibus quatuor nulla exactio erat neceſſaria. Et ita fuit uſque ad Carolum Martellum, qui decimas invadere cæpit, ac diſtribuere in ſuos milites. Divinitùs tacta Poſterorum conſcientia ipſas reddidit. Verùm non originalibus poſſeſſoribus, ſed tranſtulit in regularia Clericorum Collegia, ac item in Monaſteria. Eis donavit Altaria. Hinc Altaris Cuſtos & Rector amiſit avita alimenta, & ex ipſis nihil nanciſci potuit, niſi modicum penſionis, aut Canonicæ portionis. Et quaſi per gratiam. Quæ qui conſiderat, certè non miratur iſtum Carolum cum corpore & anima eſſe projectum ad Inferos. Dicti Presbyteri ſuum in Decimas jus nec potuerunt, nec poſſunt perdere. Epiſcopi, Capitula, Monaſteria, quotquot Decimas poſſident, iſtos obligantur alere. Ex nullo titulo poſſint excutere iſtud vinculum. Ut Decimæ reponantur in antiquam formam, ſcio vix poſſe fieri. Interim juſtitia rigidiſſimè mandat, ut in ipſis non patretur crimen, de quo Apoſtolus: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Presbyteris præſtari debet plena alimonia, qua ſuas plebes gravare non teneantur, nec cogi ad pravas exactiones, ſordeſque alias. Ex jiſdem Decimis provideri debet proprii pagi pauperibus: niſi

forſan

forſan ſufficiat menſa Sancti Spiritus. Hic eſt unicus, & profectò neceſſarius, modus nos plenè caſtificandi. Certè fidelis Populus, qui Eccleſiæ decimam mundi partem dedit, ſine fundamento gravatur exactionibus. Largiùs hæc deduxi in Scholiis ad Acta Sancti Gregorii VII. Et paro adhuc latiùs deducere. Divina Clementia Matri noſtræ Catholicæ cuſtodiat tres ſuas avitas dotes, de quibus in ſexto Opuſculo Venerabilis Goſſredus Abbas Vindocinenſis: *Eccleſia ſemper Catholica, libera, & caſta eſſe debet. Catholica, quia nec vendi debet nec emi. Libera, quia ſæculari Poteſtati non debet ſubdi. Caſta, quia nullatenùs debet muneribus corrumpi. Tunc Eccleſiæ caſtitas omninò periclitatur, cùm corrumpitur ipſa muneribus: & ex caſta & virgine ſponſa Domini, quaſi mulier publica veraciter facta dignoſcitur. Hoc enim eſt proprium meretricis, ut ſemper ſub pretio redigatur.* Hanc caſtitatem commendavit & Timotheo Beatus Paulus: *Te-ipſum caſtum cuſtodi.* Eaſdem dotes Goſſredus laudat in ſecundo Opuſculo, ac in litteris ad Raynaldum Andegavenſem Epiſcopum, & concludit: *Hæc tria ſemper Eccleſia habere debet. Quorum ſi vel unum defuerit, velut paralytica jacet.* Lib. 3. Ep. 11.

FINIS.

DIS-

DISSERTATIO DE ANTIQUA DISCIPLINA CHRISTIANÆ MILITIÆ.

QUIDAM Hodiè censent jure belli licere omnia: gerentibus bella Principibus esse plenam potestatem in fortunas & Hostium & Subditorum. Est devia, crudelis, à Majorum nostrorum pietate, ac à Christianis Legibus penitùs aliena doctrina. Hinc avitam Christianorum Principum ac Militum sensa ac Disciplinam volo paucis exponere. Lamentandis, ac nimiùm diuturnis nostris calamitatibus forsitan adferam aliquid medicinæ.

CAPUT I.

Exponitur prima bellorum Origo.

NEophytis Bulgaris, quasdam circa bellum quæstiones referentibus, rectè respondit Sanctissimus Pontifex Nicolaus Primus: *Bellorum ac prœliorum certamina, necnon omnium jurgiorum initia, diabolicæ fraudis arte sunt profectâ repertæ, & dilatandi Regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alia, cujuspiam viti dilector tantùm bis intenditur, seu delectari convincitur.* Quàm hæc sint horrenda primi peccati pœna, in libris de Dei Civitate insigniter demonstrat Sanctus Augustinus: *Eò progressi sunt peccandi immanitate Mortales, ut tutius atque pacatius inter se rationalis voluntatis expertes bestiæ sui generis viverent, quarum ex aquis & terris plurium pullulavit exordium, quàm homines, quorum genus ex uno est ad commendandam concordiam propagatum. Neque enim unquam inter se Leones, aut inter se Dracones, qualia homines inter se bella gesserunt.* Largius hæc exponit in præcedenti capite: *Non est arduum videre multò fuisse melius quod factum est, ut ex uno homine, quem primum condidit, Deus multiplicaret genus humanum, quàm si inchoasset à pluribus. Nam cum animantes alias solitarias, & quodammodo soli vagas, alias congreges instituerit, quæ congregatæ atque in gregibus malunt vivere: utrumque tamen genus non ex singulis congregavit, sed plura simul justit existere. Hominem verò unum ac singulum creavit, non utique solum sine humana societate deferendum, sed ut eo modo vehementius commendaretur ipsius Societatis unitas, vinculumque concordiæ, si non tantùm inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur, quando nec ipsam quidem fœminam, copulandam viro, sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, ut omnes ex uno diffunderetur genus humanum.* Eandem Divinam providentiam laudant, ac in jisdem rationibus fundant S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, ac alii Patres. Etiam in habita apud Athenienses concione Sanctus Paulus Apostolus. Et hinc firmavit varios variarum gentium Deos adversari naturæ. Uti enim cunctis non dumtaxat ab uno Domino Deo, sed insuper ex uno Patre Adamo prodiimus; ita omnes adstringimur colere & adorare eandem divinam Majestatem. Ad istud cognationis & unitatis vinculum stabiliendum Dominus Deus extinctum diluvio genus denuò reparavit ex uno Noe. Hinc bella palàm evincunt, & altissimè clamant, homines per primum peccatum esse non solùmmodò comparatos jumentis, sed etiam leonibus, tigridibus, ac draconibus factos pejores. Leo in leonem, tigris in tigridem, draco in draconem duella quidem tentat; verùm Exercitus aggregare, & ita invicem destruere, est scelerata iniquitas solorum hominum. Theodoretus in septima-decima super Genesim quæstione adjungit de animantibus: *Bruta animalia Deus bina creavit. Undè meritò benedictionem eis largitus est, ut per multiplicationem quædam replerent maria, lacus, & fluvios, quædam aerem, nonnulla verò terram.* Videtur deviare. Sancti Augustini doctrina lucidè supponit in quavis specie fuisse plura paria. Nam & diluvio Dominus Deus è mundis servavit septena & septena. Sex ad generandum, septimum ad immolandum.

Fp. 71. cap. 46.

Lib. 12. cap. 22.

Act. 17.

Quod ante diluvium fuerint patrata homicidia, omnes novimus. Bella videntur non fuisse. Certè Cain & Abel erant summi Principes. Discordiæ inter ipsos originem exponit S. Irenæus: *Cain, cum accepisset consilium à Domino, ut quiesceret in eo, quod non rectè divisisset eam, quæ erga Fratrem erat, communicationem, sed cum zelo & malitia suspicatus est posse dominari ei, non solùm non acquievit, sed & adjecit peccatum super peccatum, manifestans sententiam suam per operationem suam. Quod enim cogitavit, hoc & operatus est: dominatus est, & interfecit eum, subjiciente Deo justum injusto.* Et infra: *Ab initio respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate & justitia offerebat; super Sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat adversùs Fratrem, divisionem habebat in corde, quemadmodum occulta ejus arguens Deus ait, Nonne si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti? quiesce, quoniam non sacrificio placatur Deus. Illi ait, Quiesce, & non assensit. Quiescere autem quid est aliud, quàm desinere à proposito impetus? dum*

Lib. 3. cap. 36.

Lib. 4. cap. 34.

dum Fratris sacrificia placere vidit Cain, iratus est vehementer, & concidit vultus ejus. Judicavit Primogeniti jura esse translata in juniorem. Hinc Dominus: *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? Si in autem male, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Non peccati, sed Fratris appetitus: permanebis illius Princeps & Dominus. Hucusque non te privavi Primatu, nec privabo nisi ob peccatum, quod jam incipit ad fores accedere. Istum Genesis locum eodem modo constanter exponit Sanctus Joannes Chrysostomus. Quare Sanctus Philastrius istam expositionem sine fundamento proscribit ad hæreses. Divinæ assertioni Cain non credidit, sed solus solum Fratrem seduxit in agrum, & istic trucidavit. Omninò habebat sibi subditas turmas. Etenim à Divina justitia proscriptus abiit cum illis in regionem aliam, & ipsis atque cum ipsis ædificavit civitatem, è filii Enoch nomine appellatam Enochiam. Item adversùm Fratris successores nec collegit, nec duxit exercitum, nec movit bellum. Certè superbo ac iniquo animo occasio non deerat, & aderant vires. Apud istos primitivos generis nostri Principes nulla est memoria ullius belli. Ne quidem à Gigantibus.

Etiam diu post diluvium ignorata mansit ista iniquitas, ista calamitas. In laudatis de Dei Civitate libris rectè scribit sanctus Augustinus: *Justinus, qui Græcam, vel potiùs peregrinam, Trogum Pompejum secutus, non Latinè tantùm, sicut ille, verùm etiam breviter scripsit historiam, Opus librorum suorum sic incipit. Principio rerum, Gentium Nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populi nullis legibus tenebantur: arbitria Principum pro Legibus erant. Fines Imperii tueri magis, quàm proferre mos erat. Intra suam cuique patriam Regna finiebantur. Primus omnium Ninus, Rex Assyriorum, veterem & quasi avitum Gentibus morem nova imperandi cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque Libyæ perdomuit.* Et paulò post, inquit: *Ninus magnitudinem quæsitæ Dominationis continua possessione firmavit. Domitis igitur proximis, cum accessione virtum fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Qualibet autem fide vel ipse, vel Trogus scripserit (nam quædam il los fuisse mentitos aliæ fideliores litteræ ostenduntˢ) constat tamen & inter alios Scriptores, Regnum Assyriorum à Nino Rege fuisse longè latèque porrectum.* Et in alio ejusdem operis libro: *Ninus Rex, Beli filius, universam Asiam, quæ totius Orbis ad numerum partium tertia, ad magnitudinem verò dimidia reperitur, usque ad Libyæ fines subjugavit: solis quippè Indis in partibus Orientis non dominabatur, quos tamen eo defuncto Semiramis uxor ejus aggressa est.* Idem scribit in Chronico Sanctus Isidorus Archi-Episcopus Hispalensis: *Thare annorum septuaginta genuit Abrahamum. Per idem tempus Ninus Rex Assyriorum regnavit, qui primus bella instituit, & armorum instrumenta invenit.* Eadem repetit in decimo octavo libro Originum. Theodoricus Gothorum in Italia Rex in litteris ad Senatum adjungit: *Inter ipsos quoque adversarios, ut scitis, non erant priùs armata certamina, sed pugnis se, quamvis fervida, lacessebat intentio. Undè & pugna nomen accepit. Posteà Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & bellum placuit nominari. Consilium atrox, crudele præsidium, Ferina contentio.* Quod usque tunc per solos pugnos luctarum fuerit, in laudato Originum libro scribit etiam sanctus Isidorus. Proindè Belus arma invenit: utique ad finium defensionem. Quod aliqui illos jam cœpissent tentare. Successor & filius Ninus illis uti cœpit ad vicinos turbatores compescendos, & quoniam forsan compesci nolebant, insuper invadendos ac supprimendos, tandemque ad dilatandum Imperium. Ita victoria fuit incitamentum ac instrumentum novi ausus & belli.

Lib. 4. cap. 6.

Lib. 18. cap. 2.

Lib. 1. Ep. 30.

Fol. 306. & 307.

Orat. 3.

An tamen Belus ferrea arma invenerit, non caret scrupulo. Etenim in primo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus scribit non solam Philosophiam, sed & omnes ferè artes esse inventas à Barbaris, atque adjungit: *Celmis & Damnaneus, Idæis Dactylis, ferrum primi invenerunt in Cypro. Alius autem Idæus ferri invenit temperaturam, ut ait Hesiodus Scytha. Ac Thraces quidem primi eam, quæ Arpe vocatur, invenerunt. Est autem incurvus gladius.* Et Eusebius Cæsariensis scribit in Chronico: *Glaucus Chius primus ferri inter se temperaturam excogitavit & junxit.* Convixit is Manassæ Regi Juda. Et Georgius Cedrenus scribit: *A morte Mercurii Vulcanus regnum Ægypti per annos quatuor cum semisse tenuit. Ferunt hunc bellatorem fuisse, & cum equo currentem fregisse pedem, undè ad mortem usque claudus permanserit. Eum Ægyptii in Deorum numerum retulerunt, quod eis, ut Plato vult, bellicorum & rusticorum instrumentorum ex ferro fabricationem demonstrasset. Ante ipsum enim lapidibus & fustibus præliabantur. Hunc mystica quadam precatione ex aere forcipem impetrasse, atque ita Ægyptiis æris fabricandi artem tradidisse.* Et in prima adversus Imperatorem Julianum invectiva Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Aciei instructio, & res militaris, cujus sunt? Nonne Eubejorum? Si modò Eubejus erat ille multarum rerum inventor Palamedes.* Hic vixit diu post Ninum: tempore belli Trojani. Etiam alii omnes sunt Nino longè juniores. Respondeo hæc omnia non obesse. Etenim ferri conflationem, & varia ex ipso opera esse diluvio longè antiquiora, diserte affirmat Sacra Genesis, scribens de Tubalcain, Lamech ex Sella filio: *Fuit Malleator, & Faber in cuncta opera æris & ferri.* Hanc artem etiam Noe ac ejus filii noverant, ideoque & traduxerunt in suos Posteros. Adducta exempla sunt partim Gentilium figmenta, partim laudant inventionem novarum specierum artificialium, quæ non desinent usque ad finem sæculi. Ista singula elucidare non est præsentis loci.

Assertionem nostram tradit etiam Paulus Orosius: *Ante annos Urbis conditæ mille trecentos Ninus Rex Assyriorum, primus, ut ipsi volunt, pro-*

pagan-

pagandæ Dominationis libidine, arma foras extulit, cruentamque vitam quinquaginta annis per totam Asiam belli egit. A meridie atque è rubro mari surgens, sub ultimo Septentrione Euxinum Pontum vastando perdomuit: Scythicamque barbariem, adhuc tunc & imbellem, & innocentem, torpentemque excitare, sævitiæ suæ vires nosse, & non lac jam pecudum, sed sanguinem hominum bibere, ad postremum vincere, dum vincitur, edocuit. Novissimè Zoroastrem Bactrianorum Regem, eminentque magicæ artis, ut fertur, repertorem, pugna oppressum, interfecit. Post ipse, dum difficultem à se oppugnat urbem, sagittæ ictu interiit. Huic mortuo Semiramis uxor successit, virum animo, & habitu filium gerens: avidoque jam usu sanguinis populos per quadraginta annos cædibus Gentium exercuit. Non contenta terminis mulier, quos à viro suo, tunc solo bellatore, quinquaginta annis acquisitos susceperat; Æthiopiam bello oppressam, sanguine inter litam, Imperio adjecit. Indis quoque bellum intulit, quos præter illam & Alexandrum Magnum nemo intravit. Consonat Fabius Pictor: *Primus omnium Ninus, Rex Assyriorum hos* prioris pacis *aureos mores nova regnandi cupiditate mutavit, & primus limites transgressus, bella finitimis movit, & totius Asiæ populos perdomuit.* Diodorus Siculus ex Ctesia affirmat ipsi fuisse decies septies centena millia peditum, equitum ducenta millia, falcatorum currum ferè decem millia & sexcentos. Adjungit devicto per ipsum Zoroastri fuisse quadrigenta millium millia.

His adversari videtur in quinto Divinarum Institutionum libro Lactantius Firmianus. Laudat aurea fub Saturni Regno fæcula, atque adjungit: *Quod quidem non pro Poetica fictione, sed pro vero habendum est. Saturno enim regnante, nondum Deorum cultibus institutis, nec adhuc ulla gente ad divinitatis opinionem conscerata, Deus utique colebatur. Et ideò non erant neque dissensiones, neque inimicitiæ, neque bella.* Per Saturni filium Jovem affirmat, cœpisse idololatriam, avaritiam, dolum, invidiam, aliaque vitia, & concludit ex Virgilio: *Tum belli rabies, & amor successi habendi.* Et exponit: *Neque immeritò. Sublata enim Dei Religione, boni quoque ac mali scientiam homines perdidetunt. Sic illis intercidit communitas vitæ, & diremptum est fœdus societatis humanæ. Tunc inter se manus conferre cœperunt, & insidiari, & gloriam sibi ex humano sanguine comparare.* Quæ omnia frequenter repetit & confirmat. Et adjungit: *Jupiter ante annos mille septingentos natus est.* At verò in primo primi libri capite affirmat illud opus esse scriptum à se jam fere. Et in illustrium Virorum catalogo scribit Sanctus Hieronymus: *Lactantius extremæ senectute Magister Cæsaris Crispi in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est.* Nempè anno vigesimo quarto quarti Christiani fæculi. Quare circa idem tempus prodiit hoc opus. Igitur Lactantius affirmat Jovem non nisi mille quadringentis annis præcessisse sacrosanctum patrum Deiparæ Virginis, ideoque fuisse coævum Judicibus electi populi. Hinc etiam scribit de ejus patre Saturno: *Ex hac temporum ratione manifestum est, ante annos non amplius quàm mille octingentos natum esse Saturnum, qui & Sator omnium Deorum fuit.* Respondeo Lactantium à nobis non discordare quo-ad substantiam. Etenim in posteriori loco adjungit: *Nunc quoniam variarum superstitionum originem deprehendimus, superest, ut etiam tempora colligamus per quæ fuerunt illi, quorum memoria colitur. Theophilus in libro de temporibus ad Autolycum scripto, ait in historia sua Thalum dicere, quod Belus, quem Assyrii & Babylonii colunt, antiquior Trojano bello fuisse inveniatur trecentis viginti duobus annis. Belum autem Saturno æqualem fuisse, & utrumque eodem tempore adolevisse. Quod adeò verum est, ut ratione ipsa colligi possit.* Proindè uti Belus & Saturnus, ita Ninus & Jupiter fuerunt coætanei, atque ita quoad nati belli tempus Lactantius nobiscum sentit. Dumtaxat dissentit de Auctoris persona. Verùm ejus computus non subsistit. Etenim Thalum, ac ex ipso sanctum Theophilum labi, multis demonstrat Benedictus Pererius in Commentariis Danielis Prophetæ. Gravissimi Scriptores Belum confundunt cum Saturno. Nec tamen Jovem cum Nino. Nempè plures fuere Saturni. Jovis patrem constat à Belo distingui persona, loco, tempore. Et hunc esse juniorem. Hæc sunt alterius loci. Proindè primus belli auctor videtur fuisse Ninus. Interim in libro de Pallio Tertullianus adjungit: *Si tamen Ninus regnare primus cœperit, ut autumat Superiorum prophanitas. Fermè apud vos ultra ſyllus non solet. Ab Assyriis, ſi fortè, ævi historiæ patescunt.* Cap. 2.

De Nini ætate scribit in laudatis de Dei civitate libris S. Augustinus: *Ninus jam secundus Rex erat Assyriorum, qui patri suo Belo successerat, regni illius primo Regi, quando in terra Chaldæorum natus est Abraham.* Et infrà: *Abraham in eo Regno apud Chaldæos Nini tempore natus est.* Belum sacra Genesis appellat Memrod. Ejus filius Ninus regnare cœpit anno Mundi millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, trecentesimo quadragesimo post diluvium. Ille populis imperare, hic ipsos cœpit subjugare armis, atque ita augere Imperium. Et hoc est Assyriorum Imperium, primum totius mundi. De ipsius auctore sacra Genesis addit: *Chus genuit Memrod, ipse cœpit esse potens in terra. Et erat robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, in terra Senaar.* Fuit robustus venator, non feràrum, sed hominum. Et per istam venationem cœpit esse potens in terra. Primus sibi Fratres fuos subegit in regnum. Fuit non dolosus aut astutus venator, sed robustus. Quare videtur non sola arte, sed & armis sibi efformasse regnum. Interim à communi, quæ Ninum facit primum belli auctorem, sententia non est facilè recedendum. Lib. 18. Cap. 2. Cap. 10.

Justinus adjungit: *Fuere quidam temporibus antiquiores, Sesostris Rex Ægypti, & Scythiæ Rex Tanais, quorum alter in Pontum, alter usque Ægyptum excessit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant. Nec Imperium sibi sed populis suis gloriam quærebant, contentique victoria, Imperio abstinebant.* Hoc ipsum refert latius in secundo libro. Est gentilis fabula. Etenim omnis post diluvium populus erat labii unius ac sermonum eorum-

Cap. 5. Lib. 2. Cap. 5. Lib. 1. Cap. 23.

eorumdem. Etiam aurea Saturni sæcula sunt figmenta gentilis cœcitatis. Etenim à primis nascentium vagitibus usque ad extremos morientium gemitus statim à primo peccato fuit grave multæ calamitatis jugum super filios Adæ. Attamen primæva post diluvium sæcula fuerunt posterioribus mitiora. Uti unum tunc omnibus labium, ita unus fuit utcumque animus, major communio, charitas, justitia. Nulla tunc fuere Regna, sed sola paterna Potestas in filios ac nepotes. Linguarum divisio putatur facta anno post Cataclysmum ducentesimo septuagesimo quinto: tunc genus nostrum est juxta suas linguas dispersum in varias mundi regiones, in varias gentes, ac pedetentim in varia regna. Nemrod seu Belus mansit in terra Sennaar apud Babylonem, & statim illic proximo anno venari cœpit, ac esse potens in terra. Per robur ac violentiam erexit se in Regem. Primus inter omnes. An Sesostris apud Ægyptios, & Tanais apud Scythas regnaverint primi, est res incerta. Si regnaverint, in Sacro Textu habuerunt alia nomina. Quod ante Ninum aut Belum bella gesserint, est gentilis fabula. Similis fabula videtur, quod Ninus omnem subegerit Asiam. Etenim dum Patriarcha Abraham è Mesopotamia venit in Syriam, plures illic invenit Reges, quorum nullus dependebat ab Assyrio. Et tunc post Ninum ac Semiramim regnabat Ninyas. Etiam ejus successores numquam arguerunt Judæos, quod ex Ægypto reduces invasissent ipsorum provincias. Proindè Ninus istas vicinas provincias aut nunquam invasit, aut ejus successor, quod non videtur, amisit.

CAPUT II.

Exponuntur bellorum commoda & incommoda.

BEllorum incommoda & calamitates describere quid juverit? Omnes, pro dolor! illa nimiùm novimus. Utinam ignoraremus. Magnus Papa Nicolaus rectè scripsit neminem bellis studere posse aut delectari, nisi qui dilatandi Regni cupidus, aut iræ vel invidiæ, similisque libidinis fuerit dilector. Ita de Parthis scribit Ammianus Marcellinus: *Feroces sunt illæ habitatores pagorum omnium, atque pugnaces, eòque ita certamina juvant & bella, ut judicetur inter alios omnes beatus, qui in prælio fuderit animam. Excedentes enim è vita morte fortuitâ, convitiis insectantur ut degeneres & ignavos.* Lib. 23. cap. 24. Idem scribit de Alanis: *ut hominibus quietis & placidis otium est voluptabile, ita Alanos pericula juvant & bella, judicatur ibi beatus, qui in prælio profudit vit animam. Senescentes enim, & fortuitis mortibus mundo digressos, ut degeneres & ignavos, convitiis insectantur. Nec quidquam est quod elatùs jactant quàm hominem quemlibet occisum. Proque exuviis gloriosis, interfectorum avulsis capitibus detractas pelles pro phaleris jumentis accommodant bellatoris.* Lib. 31. cap. 7. Et de Gallis: *Galli sunt omnes penè rutili, luminumque torvitate terribiles, avidi jurgiorum, & sublatilis insolescentes. Ad militandum omnis ætas aptissima. Et pari pectoris robore senex ad proximum ducitur & adultus, gelu duratis artubus & labore assiduo multa contemplurus & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos jocaliter Murcos appellant* Barbaro vocabulo nos hodie appellamus Poltronos. Hoc est pollice truncos. Quos Sacri etiam Canones ad Clericatum, spiritualem militiam, fecerunt irregulares. Ammianum forsitan respexit in libro adversùs Vigilantium sanctus Hieronymus, scribens Galliam semper abundasse viris fortissimis. Et in prima Decade habet Titus Livius: *Galli sunt inter ferrum & arma nati, feroces suoptè ingenio.* Et in tertia Decade: *Gallicæ Gentes sunt semper armorum avidæ.* Utique ad rapiendum & invadendum. Gallicana belLib. 10. cap. 16. Lib. 1. cap. 16.

landi libido etiam ipsas, quas Divina Providentia clauserat impervias, pervasit Alpes, nec solam Italiam, ipsamque Romam, sed insuper ipsam penetravit Asiam, & illic condidit Gallo-Græciam, seu Græco-Galliam. Alani una cum Hunnis, Francis, Wandalis, aliisque Romanum lacerarunt Imperium, & viam pararunt Nortmannis, Sarracenis, ac Turcis, pessimis totius mundi destructoribus, ac præcursoribus Anti Christi, nec non & Gog & Magog, quos in sæculorum fine solutus diabolus ducet super latitudinem terræ, per ipsos cinget castra Sanctorum, & novissimam JESU-CHRISTI Ecclesiam studebit seducere.

Quòd omnes injustorum bellorum auctores atque gestores agantur à diabolo, non est dubitandum. Spectant ad abyssum, in quam Angelus ligatum diabolum misit, & clausit, & signavit super illum. Etenim hæc abyssus sunt scelerata impiorum & iniquorum hominum corda: omni mari turbulentiora ac salliora. Dæmones, dum se cœcæ gentilitati persuaserunt Deos, non dumtaxat incitarunt ad bella, sed & ipsa à se ac inter se geri finxerunt. Exempla habemus apud sanctum Augustinum in libris de Civitate Dei. Hinc in literis ad Alphium Monachum scribit sanctus Hilarius Pictaviensis: *Bella ferè ob alienas conflantur possessiones & bona. Ac ne omnes quidem bella gerentes sunt accusandi, sed qui injuriæ ac rapiendi causa, hi pernicioso velut dæmones habendi.* Et de Bohemis in Francos olim belligerantibus scribit Sigebertus Gemblacensis: *Franci à Bohemanis gravi prælio vincuntur. Cui Bello spiritus malignus se præfuisse per os Arreptitii publicè professus est. Et per se & per suos socios. Spiritus scilicet superbiæ & discordiæ egisse, ut Franci terga verterent.* Nempè diabolus, quoniam humanum genus non permittitur per semet-ipsum turbare atque extinguere, sceleratos homines ad bella concitat, atque ita suæ invidiæ consequitur effectum. Etiam de Clotharii ac Theodorici, Francorum Regum bello scribit idem Sigebertus: *Clotharius & Theodoricus prælio inter se colliduntur, in quo plusquam triginta millia cæsa referuntur. Theodoricus tamen victoria potitur. Hoc in prælio Angelus Domini, evaginatum gladium super populum tenens, visus est.* Ita prædicavit istud bellum fuisse divinam vindictam. Etiam Ottonis IV. Imperatoris & Lotharii Francorum Regis bella exponit idem Scriptor, atque adjungit: *De his quidam* Lib. 5. Ep. 386. An. 850. An. 605. An. 978.

Recluſus prædixit, quòd omnes hujus mali incentores ante ſeptennium morerentur. Et infrà: *Theodoricus Metenſium Epiſcopus obiit, & ſecundùm Prophetam viri Dei vix aliquis Principum, qui in Calabrico bello evaſit, diu ſupervixit.* Scelerati bellorum incentores, utpotè divinæ vindictæ carnifices, ſunt virga Aſſur: ipſam expleto officio eadem tremenda Juſtitia projicit, utinam non in ſempiternas gehennas. Hæc à Regum Conſiliariis ſunt maturè conſideranda.

Omnium neſandiſſima ſunt bella civilia, cum deteſtatione & lacrymis per ipſos etiam Paganos damnata. In ſecundo hiſtoriarum libro Cornelius Tacitus deſcribit Imperatoris Vitellii adverſùs Ottonem prælia, concluſamque victoriam, & adjungit: *Mox remiſſa legatione patuit vallum. Cap. 45. Tum victi victoreſque in lacrymas effuſi, ſortem civilium armorum miſera lætitia deteſtantes. Eiſdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera ſovebant. Spes & præmia in ambiguo; certa funera & luctus. Nec quiſquam adeò mali expers, qui non aliquam mortem mereret.* In ſequenti libro deſcribit Galbæ adverſùs Vitellium bella & victoriam atque adjungit: *Eò notabilior cædes fuit, Cap. 25. quia filius patrem interfecit. Rem nominaque, auctore Vipſanio Meſſalla, tradam. Julius Manſuetus, ex Hiſpania, Rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus inter Septimanos à Galba conſcriptus, oblatum fortè patrem, & vulnere ſtratum, dum Semianimem ſcrutatur, agnitus agnoſcenſque, & exanguem amplexus, voce flebili precabatur manes patris manes, neve ſe ut parricidam averſaretur. Publicum id facinus. Et unum militem, quotam civilium armorum partem? ſimul attollere corpus, aperire humum, ſupremo ergà parentem officio fungi; ad vertere proximi, deindè plures. Hinc per omnem actem miraculum, & queſtus & ſæviſſimi belli execratio. Nec eò ſegnius propinquos, affines, fratres trucidatos ſpoliant. Factum eſſe ſcelus loquuntur, faciunique.* Etiam inſrà ſcribit de civili in Galbam bello: *Celeberrimos auctores habeo, tan-Cap. 51. tam victoribus adverſus fas nefasque irreverentiam fuiſſe, ut gregarius eques, occiſum à ſe proximo acie fratrem profeſſus, præmium à Ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem jus hominum, aut ulciſci ratio belli permittebat. Diſſulerunt tamquam majora meritum, quàm quæ ſtatim exolverentur. Nec quidquam ultrà traditur.* B-llicus furor, ac ejus auctor diabolus adeò excœcant humanos animos. Quid dicam de fraternis bellis? Nihil poſſit eſſe ſceleratius. Etenim inter facinora, quæ ab Euſebiana Arianorum factione ſeductus Imperator Conſtantius impoſuit magno Athanaſio, præcipuum fuit, quod ille inter ipſum & fratrem Conſtantem bella concitaſſet. Ira arguebatur arietaſſe totum Romanum Imperium. Et certè ſi vera fuiſſet, erat horrenda acceuſatio. Chriſtiani per Europam Reges conſtituunt eamdem Rempublicam. Sunt partes Romani Imperii, ſignificati per digitos pedum in Statua oſtenſa Regi Nabuchodonoſor. Etiam conſtituunt eamdem Eccleſiam, eamdem Dei civitatem. Summum profectò vinculum. Ipſorum inſuper quidam per variam affinitatem ſunt multifariàm fratres. Quare hodierna inter ipſos bella ſunt deſlenda ſanguineis lacrymis.

Divina bonitas, uti nullius mali poteſt eſſe auctor, ita omnibus malis bene utitur. Maluit de malis benefacere, quàm nulla mala permittere. Nullum permittit, nili ad majus bonum. Hinc etiam ex bellis, licet ſceleratiſſimis, trahir nobis utilitates. Primam utilitatem exponit in libro de Anima Tertullianus: *Jam nec inſulæ horrent, nec ſcopuli terrent, ubique domus, ubique populus, ubique Reſpublica, Cap. 30. ubique vita. Summum teſtimonium frequentiæ humanæ. Oneroſi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt. Et neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Reverà lues, & fames & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonſura inſoleſcentis generis humani.* Horrenda tonſura. Etenim peſtilentia quandoque omnem terræ orbem pervagata eſt, & è decem hominibus abſtulit novem. Et non raro eſt fructus ac ſequela belli. Et ipſum bellum facit non minores ſtrages. Et tamen mundus perſeverar plenus hominibus. Eſt admiranda & adoranda Divinæ Majeſtatis providentia. Hue in libris contra Fauſtum reſpicit etiam ſanctus Auguſtinus: *Bellum, quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi* Lib. 22. *dubitare fas non eſt, vel ad terendam, vel ad obte-* cap. 75. *rendam, vel ad ſubjugandam mortalium ſuperbiam, quando nec illud quidem quod humana cupiditate geritur, non ſolim incorruptibili Deo, ſed nec Sanctis ejus obeſſe aliquid poteſt, quibus potiùs ad exercendam patientiam, & ad humillandam animam, ſerendamque paternam diſciplinam etiam prodeſſe inveniturr.* Verùm Divina Providentia eſt longè ſecretiſſima. Hinc Auguſtinus pergit: *Quis hominum novit, cui proſit, aut obſit in pace regnare, vel ſervire, vel vacare, vel mori; in bello autem vel ſuperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? Cùm hoc tamen conſtet, & cui prodeſt, non niſi per divinum prodeſſe beneficium, & cui obeſt, non niſi per divinum obeſſe judicium.* Eodem bello divina providentia probos exercet, malos caſtigat. Etiam per victoriam. Hæc enim, dum improbis conceditur, eſt horrenda pœna divinæ juſtitiæ.

Aliam ex bellis utilitatem exponit in libris de vocatione Gentium Sanctus Proſper: *Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie Millia ſenum, millia juvenum, millia parvulorum. Et effectibus gratiæ Chriſtianæ etiam ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quàm multos enim, qui in tranquillitate pacis Sacramentum Baptiſmatis ſuſcipere differebant, ad aquam Regenerationis confugere inſtantis periculi metus impulit, & lentis tepidiſque animis, quod diu cohortatio quieta non ſuaſit, vivax ſubitò terror extorſit. Quidam Eccleſiæ filii ab hoſtibus capti Dominos ſuos* CHRISTI *Evangelio manciparunt, & quibus conditione bellica ſerviebant, eiſdem fidei magiſterio præfuerunt. At alii Barbari, dum Romanis auxiliantur, quod ſuis locis noſſe non poterant, in noſtris didicere regionibus, & ad Sedes ſuas cum Chriſtianæ Religionis inſtitutione redierunt. Ita nihil obſiſtere divinæ gratiæ poteſt, quo minus id quod voluerit impleatur, dum etiam diſcordiæ ad*

unitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, ut Ecclesia, undè metuit periculum, inde sumat augmentum. Consonat Hermias Zozomenus:
Lib. 2. cap. 5. *Cum ad hunc modum*, utique per magni Constantini pietatem, *per universum Imperium Romanum se dilataret Ecclesia, Christiana Religio ad ipsos etiam Barbaros pervasit. Nam Gentes circa Rhenum accolentes, fidei Christianæ se dediderunt. Celtæ item, & populi Gallicæ ultimi, qui proximè ad Oceanum habitant.* Utique Morini & Flandri. *Gothi etiam ac gentes illis finitimæ, quæ ante ad ripas Istri habitaverant, jam pridem Fide in* CHRISTUM *recepta, se ad cultum & humanitatem civiliorem converterant. Causa autem, cur omnes ferè Barbari Christianam Religionem amplecti voluerint, fuerunt bella, variis temporibus, utpotè regnante Gallieno, & Imperatoribus, à quibus ei successum est, à Romanis & exteris hominibus administrata. Nam cum infinita ferè, & promiscua Gentium multitudo ex Thracia in Asiam trajecisset, eamque incursionibus factis occupasset, aliique Barbari in aliis locis idem Romanis sibi finitimis præstitissent, multi Sacerdotes Christi pariter captivi à Barbaris abducebantur. Qui quidem cùm homines in illis locis afflictatos morbis sanarent, & dæmonibus occupatos solo nomine Christi Filii Dei invocato liberarent, & sincerum præterea ac pium vitæ genus colere, & virtutum præstantia obtrectatorum ora penitùs obturare viderentur, Barbari eos, tum vitæ, tum factorum admirabilium causa magnopere admirati, & ipsos valdè prudentes esse, & se, si tam præstabiles hominum mores imitarentur, numenque divinum ad eorum exemplum colerent, Deum sibi propitium habituros. Itaque ab illis, quid sibi agendum sit, doceri constituunt: discunt fidei præcepta, Baptismum accipiunt, & Christianorum more conventus celebrant.* Sunt plura hujusmodi exempla. Quin imo liberi non à captivo Sacerdote, sed à captiva ancilla Christianam fidem didicerunt.

Hinc oritur quæstio, An liceat fidem plantare & propagare per arma? An liceat Gentilibus, ex sola istius plantationis & propagationis causa, inferre bellum? Partem affirmativam videtur tradere in Apologetico pro Imperatoris Ludovici Pii filiis adversus Patrem libro, Sanctus Agobardus Lugdunensis Archi Episcopus: *Cum deberent exercitus mitti adversùm exteras gentes, & ipse Imperator adversùm Barbaras nationes dimicaret, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum Regni fidelium (sic namque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Dominicæ Passionis, pro Imperatoribus, ut Deus illis subditas faciat omnes Barbaras nationes) nunc è contrario omne Regnum cum extremitatibus suis conglobatur in medio sui, &c.* Suos Francos hortatur, non ut Sarracenos, quos omninò justissimè poterant, sed ut invadant conterminos Borealium regionum Barbaros, in quos nihil habebant juris. Uti hodiè nos optamus, & Dominum Deum oramus, ut Christianos Reges dignetur à mutuis bellis in sceleratos Turcos convertere, ita Agobardus suos Francos hortatus est à fraternis bellis transferri in Septentrionis gentiles Barbaros, idque ad Christianam Fidem, & Orthodoxum Imperium propaganda. Ejusdem mentis viderur fuisse Eugenius tertius Pontifex, de quo sacrum bellum restaurante scribit Saxo Grammaticus: *Per eadem tempora Romanus Antistes Barbaricæ tempestatis procellis rem divinam penè obrutam, eversamque conspiciens, duces per Europam epistolis universos Christianæ credulitatis Hostes ab ejus cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem Catholicorum Provinciæ confinem sibi Barbariem incessere jubebantur.* Edicti radicem tradit Otto Frisingenlis Episcopus: *Saxones, quia quasdam gentes, spurcitiis idolorum deditas, vicinas habent, ad Orientem proficiscì abnuentes, cruces itidem, easdem gentes bello attentaturi, assumpserunt, à nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus adsuæ, sed à rota subter posita in altum protrudebantur.* Proindè & ista militia est non dumtaxat judicata licita, sed & sacra, ideoque & Sacrosancto Crucis signaculo exornata. Lib. 14.

Refpondeo tamen istam belli causam non esse legitimam: istud bellum non licere. Etenim in Sancti Babylæ, Patriarchæ & Martyris Antiocheni, vita declamat ad Gentiles Sanctus Joannes Chrysostomus: *Adversùm vos nullus unquam bellum gessit. Neque enim Christianis fas est necessitate ac violentia illata errorem subvertere, sed tum suadela, tum ratione, tum mansuetudine hominum salus est concilianda. Quo nomine nullus omnino Rex ex eis, qui à* CHRISTO *fleterunt, talia contra Vos Edicta sanxit, qualia adversùm nos excogitarunt, qui dæmonum cultum sunt secuti.* Videtur non de offensivo dumtaxat, sed etiam agere de defensivo bello. Videtur loqui cum Apologetico Septimii Tertulliani libro, declamante ad Romanum Imperium ac Senatum: *Quoties enim in Christianos desæviis, partim animis proprijs, partim Legibus obsequentes?* Hasce persecutiones exaggerat, & prosequitur: *Quid tamen umquam denotastis de tam conspiratis de tam animatis ad mortem usque, pro injuria repensatum? Quando vel una nox pauculis saculis largitatem ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret Sed absit ut igni humano vindicetur Divina fecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis Numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, Marco-manni, ipsique Parthi, vel quantæcumque, unius tamen loci & suorum finium, gentes, quam totius orbis. Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus; Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Concilabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam Disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere?* Contextus est integrè legendus. Fideles subditos, licèt persecutionibus vexentur usque ad mortem, docet non posse legitimo Principi rebellare. Quod omninò verum est etiam in hæreticis. Fideles Orthodoxi qui in Oriente sub Turcis aut Saracenis, & qui in Occidente aut Septentrione degunt sub hæreticis Principibus aut Magistratibus, omnem illis debent reverentiam ac obedientiam. Juxta Jeremiæ Prophetæ ac Sancti Pauli Apostoli Edicta obstringimur pro ipsis clamare ad Dominum, Cap. 37.

ut aut illuminentur, aut certè nos permittant quietos vivere, ac non soli communi Domino, sed & ipsis fideliter famulari. Adversùm extraneos infideles, dum nos bello lacessunt, quid ni possimus defensiva arma sumere? Sanctus Joannes Chrysostomus omninò loquitur de bello offensivo.

Illud ipsum docet in libro adversùs Auxentium Mediolanensem, ac alios Arianorum Episcopos, suam hæresim per Imperatoris Constantii Edicta & arma tueri ac propagare satagentes, Sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis: *Primum miserari licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari humana Deo creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laborratur. Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sint? Quibus adjuti Potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque ferè omnes ex Idolis ad Deum transtulerunt? An nè aliquam sibi assumebant è Palatio Dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & post flagella cantantes? Edictisne Regis Paulus, cum in Theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Neronе se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio Divinæ prædicationis effloruit.* De Christo Domino Sanctus Augustinus frequenter scribit: *Domuit mundum, non ferro, sed ligno.* Et ad Oldericum Firmanum Episcopum, Ecclesiæ suæ possessiones per privati belli arma defendere parantem, multa de-hortamenta scripsit Sanctus Petrus Damiani ac tandem concluſit: *Per Charitatem Dei Filius de Cœlo defendit, per patientiam verò diabolum superavit. His muniti virtutibus & fundatores Apostoli Sanctam Ecclesiam condiderunt, & propugnatores ejus Sancti Martyres diversa mortium supplicia triumphaliter pertulerunt. Si ergo pro fide, qua universalis vivit Ecclesia, nusquam ferrea arma corripi conceditur, quomodo pro terrenis ac transitoriis Ecclesiæ facultatibus loricatæ acies in gladios debacchantur? Porrò Sancti Viri, cum prævalent, hæreticos ac Idolorum cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis profide Catholica perimi non refugiunt.* Est constans doctrina Sanctorum Patrum. Proindè talis Infidelium conversio nec inter legitimas belli causas numerari potest, nec inter utilitates. Per Infideles intelligo Gentiles. Etenim alia est ratio illorum qui subsunt Ecclesiæ, ideoque per legitimam, Romani præsertim Episcopi potestatem ac justionem possunt armata manu compelli ad reditum. Alia item est ratio Turcorum & Sarracenorum, Hi enim Christianorum terras per injustam violentiam detinent, ideoque possunt expelli per arma.

Justa tamen adversùm Gentiles atque Paganos bella habent magnam utilitatem, quam laudat in libro ad Palatii Proceres de Judaicorum mancipiorum Baptismo Sanctus Agobardus: *Sed & illud putamus esse considerandum, quia si religiosus Imperator adversùm Gentes, quæ à Christi nomine alienæ sunt, arma movet, & victor effectus subjicit eos Christo, & sociat religioni, opus est pietatis, & laude dignum.* Alludit ad magnum Imperatorem Carolum, de quo in Annalibus scribit Abbas Eginhardus: *Cùm Rex in Villa Carcisiaco hyemaret, consilium iniit ut Saxonum gentem bello aggrederetur, & eò usque perseveraret, dum aut victi Christianæ Religioni subjicerentur, aut omninò tollerentur.* Et in præcepto, quo cunctos sibi subditos gentiles jussit ad fidem accedere, habet Ludovicus Pius: *Genitor noster gloriosæ memoriæ Carolus omnem Saxoniam Ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi usque ad terminos Danorum atque Sclavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit.* Caroli in subjugatos Saxones Edictum vulgavit Illustrissimus Lucas Holstenius: *Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad Baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.* Magnus Imperator Constantinus Idolorum templa clausit, Magnus Theodosius evertit: ambo capitale supplicium sanxerunt in Idololatriæ adstitatores, neuter in recusantes venire ad CHRISTUM Dominum. Magni Caroli Edictum habuit rationes: An firmas, permitto sapientioribus judicandum. Quidquid sit, è taliter subjugatis Barbaris plurimi fuerunt etiam spontè conversi. Item Barbati victores. Ita contigit Normannis in Gallia. Sunt & plura exempla.

An. 790.

Cap. 7.

CAPUT III.

An bellum in Novo Testamento sit licitum?

LOquor de bello offensivo. Quin defensivum liceat, non est locus dubitandi. Dico, *In Novo Testamento.* Etenim offensiva, utpotè per Divinam Majestatem probata, imò & justa, Hebraici populi bella nemo, nisi Marcionita aut quis similis, multifariæ Divinitatis fabulo possit damnare. Nostræ quæstionis partem negativam docet in Sexto Divinarum Institutionum libro Lactantius Firmianus: *Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per publicas quidem leges licet, sed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare justo licebit, cujus militia est in ipsa justitia: Neque verò accusare quemquam crimine capitali: quia nihil distat, utrumne ferro an verbo potius occidas: quoniam occiso ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.* Etiam in quinto libro scribit: *Cur justus belligeret, aut se alienis furoribus misceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versatur?* Notanda sunt verba: *Neque accusare quenquam crimine capitali.* Ex eodem principio censuit Capitalia judicia Christianis non licere: *Quæro, an possint pii ac justi homines, qui constitutos sub istu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, sed effligantur, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti.* Et certè ad mortem damnare est amplius, quàm de capitali crimine accusare. Ejusdem circa hoc sententiæ fuit Tertullianus, & quidam alii. Lactantius adjungit: *Qui hominem, quamvis ob merita damnatum, incon-*

Lib. 4. Ep. 9.

Cap. 20.

Cap. 18.

in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet quàm ſi homicidii, quod ſit occultè, ſpectator & particeps fiat. Affirmat extrema ſupplicia à Chriſtianis nec poſſe ſpectari. Adeò ipſos eſſe alienos ab omni penitùs homicidio. Quod ipſum tradunt Tertullianus, ac Sanctus Athenagoras. Hinc igitur Lactantius concludit armatam militiam Chriſtianis penitùs non licere.

Tertullianus ipſam Chriſtianis non plenè interdicit. Erenim Gentilibus nos humano generi infructuoſos clamantibus reſpondet in libro Apologetico: *Navigamus & nos vobiſcum, & vobiſcum militamus, & ruſticamus, & mercamur.* Cap. 42. Senſum ſuum exponit in libro de Idololatria: *Poſſet in iſto Capitulo etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem & poteſtatem eſt. At nunc de iſto quæritur an fidelis ad militiam converti poſſit, & an militia ad fidem admitti: etiam caligata, vel inferior quoque, cui non ſit neceſſitas immolationum, vel Capitalium Judiciorum. Non convenit Sacramento Divino & humano; ſigno Chriſti & ſigno diaboli; Caſtris lucis & Caſtris tenebrarum: non poteſt una anima duobus deberi: Deo & Cæſari. Et virgam portavit Moyſes, fibulam & Aaron; cingitur loro & Joannes; agmen agit & Jeſus Nave, bellavit & populus: ſi placet ludere. Quomodo autem bellabit, imò quomodò etiam in pace militabit ſine gladio, quem Dominus abſtulit? Nam etſi adſerant milites ad Joannem, & formam obſervationis acceperant, ſi etiam Centurio crediderat; omnem poſteà militem Dominus in Petro exarmando diſcinxit. Nullus habitus licitus eſt apud nos illicito actui adſcriptus.* Cap. 9. Præcedenti in capite Septimius docuerat nullam Romani Imperii Dignitatem, Præfecturam, aut Magiſtratum, adeoque nec ipſum Imperium poſſe à Chriſtianis admitti aut retineri. Ob duas præſertim cauſas. Quod nempè iſta munia haberent adnexam obligationem Præliorum & Capitalium judiciorum, ac inſuper Idololatricarum Immolarionum. Etenim & Imperator, & Conſules, & Provinciarum Rectores, alixque ſublimes Romanorum Poteſtates ſuis temporibus & vicibus obſtringebantur ad Munera, habentia adnexam ſcabiem variæ Idololatriæ. Hinc Septimius pergit ad militiam. Et duo præmittit. Primò, aliud eſſe bellare ſeu præliari, aliud in pace militare. Deindè diſtinguit Caligatam, ac aliam inferiorem, cui nulla ſit immolationum aut Capitalium Judiciorum obligatio, à Superiori militia, ſeu à ſuperioribus inter milites gradibus, quibus utraque iſta aut altera adſit obligatio. Quid ſit caligata militia, diſcere poſſis ex Svetonio Tranquillo, exponente artes, quibus ſe Vitellius intrulit, aut certè firmavit in Imperio: *Veterem*, utique optimam, *de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam de ſe experimentis auxerat, tota via caligatorum quoſque militum obvios exoſculans, perque ſtabula ad diverſoria mulionibus ac viatoribus præter modum comis, ut manè ſingulos, jamne tentaſſent ſciſcitaretur.* Caligara militia erat mulionibus ac viatoribus proxima: infimus militum gradus. Habebat nomen à Caliga: militari calceamento, ſuffixo & firmato clavis. Ita calceari ſolent curſores & pauperes. Ita calceati, utpotè pauperes Galilæi, fuerunt & ſancti Apoſtoli, ad quorum Principem dixit ſanctus Angelus: *Calceta te caligas tuas.* Omnem militarem præfecturam, imò omnem ſuperiorem, cui erat vel altera jam dicta neceſſitas, militiam Tertullianus ſupponit nobis non licere, ideoque quærit de ſola caligata, aut quavis alia ad iſtas functiones non adſtricta. Quærit tria. Primò, An fidelis poſſit converti, ſeu nomen dare in iſtam militiam? Deindè, An iſtiuſmodi milites poſſint admitti ad Baptiſmum? Tertiò, An nobis, quamvis non bellare, liceat tamen in pace militare? Nempè in præfidiis, in ſtationibus, in limitibus, in palatio. Et quidam tunc Epiſcopi conſtanter hæc affirmabant. Ex vario fundamento. Primò, quod etiam Moyſes ac Joſuè non militaſſent ſolummodò, ſed inſuper bellaſſent. Deindè, quod Chriſtus Dominus Romani Centurionis laudaſſet fidem ac vitam, & ipſam miraculo honoraſſet. Tertiò, quòd ſanctus Joannes Baptiſta militibus præceptiſſet vivendi formam, ideoque ipſorum profeſſionem probaſſet.

Attamen Tertullianus ad omnes has quæſtiones reſpondet negativè. Ex vario etiam fundamento. Primò, quia non convenit Sacramento divino & humano. Secundò, quia Chriſti ſignum non eſt compatibile cum ſigno diaboli. Tertiò, quia nemo poteſt eſſe ſimul miles in Caſtris lucis, & in caſtris tenebrarum. Quartò, quia eadem anima nequit Deo deberi & Cæſari. Quintò, quia Chriſtianus geſtare nequit veſtem adſcriptam illicito actui. Militarem veſtem cenſet eſſe iſtiuſmodi. Et ad contraria argumenta reſpondet: *Omnem poſtea militem Dominus in Petro exarmando diſcinxit.* Nempè dum Petro dixit: *Mitte gladium in vaginam: omnis qui gladio percuſſerit, gladio peribit.* Septimius cenſet militiam tunc à Chriſto Domino fuiſſe damnatam. Antiqui teſtamenti militiam tranſcripſit ad Divinas, Judaicæ duritiæ factas, permiſſiones. Hæc videtur hic eſſe ejus ſententia. Eamdem largiùs docet, ac elucidar in libro de Corona Militis: *Conquirendum eſt, an in totum Chriſtianis militia conveniat. Credimus nè humanum Sacramentum Divino ſuperduci licere, & in altum Dominum reſpondere poſſ Chriſtum? Et ejerare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari, & poſt Deum diligi præcipit, quos & Evangelium ſolo Chriſto pluris non facient, ſic quoque honoravit? Licebit in gladio converſari, Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit uſus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare convenias? & vincula, & carcerem, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum? Jam ſtationes, aut aliis magis faciet quàm Chriſto? Aut & in Dominico die, quando nec Chriſto? Et excubabit pro templis, quibus renuntiavit? Et cænabit illic, ubi Apoſtolo non placet? Et quos interdius exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit, incumbens & requieſcens ſuper pilum, quo perfoſſum eſt latus Chriſti? Vexillum quoque portabit æmulum Chriſti? Et ſignum poſtulabit à Principe, qui jam à Deo accepit? Mortuus etiam* Cap. 11.

tuba inquietabitur Encaeniorum, qui excitari à tuba Angeli expectant? Et cremabitur ex disciplina Castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt Castrensium munium, trangressionum interpretanda? Ipsum de Castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est.

Singulæ rationes sunt compendio illustrandæ. Prima est, quòd humanum Sacramentum non liceat superduci Divino, nec post Christum posse responderi in alium Dominum. Laudat Baptismale Sacramentum, quo nos Christo Domino obstrinximus, quo professi sumus nos credere in Sacrosanctam Divinæ Majestatis unitatem ac Trinitatem, quo spopondimus sobriè, justè, ac piè vivere in hoc sæculo. Huic Sacramento Tertullianus censet non posse superduci aliud humanum. In libro de Idololatria dixit divino ac humano Sacramento non convenire, hic contractiùs dicit hoc isti non posse superduci. Nempè hic solummodò docet militiam Baptismo superduci non posse, istic verò videtur docere, quòd militia Christianæ professioni per omnia repugnet. Secunda ratio affirmat patrem, matrem, aliosque consanguineos ejerari non posse, nisi propter Dominum Deum. Et ita est, Etenim Dominus dixit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Præferri justit solum semet ipsum. Ita Evangelium ipsos jubet mirificè honorari. Hinc Tertullianus infert Christianum non posse adscribi in militiam. Quod nempè militare apud Romanos Sacramentum juberet non dumtaxat Rempublicam, sed & Imperatorem diligi supra patrem & matrem: etiam hos, dum Reipublicæ aut Principi expediret, relinqui atque invadi. Tertia ratio est, quòd Christianus nequeat versari in gladio. Utique ob jam adducta Domini verba ad gladiatum Petrum. Quarta ratio est, quòd pacis filium, nec litigare conveniat, ideoque oporteat non præliari. Quinta ratio est, quòd Christianus, cui nec proprias licet vindicare injurias, longe minùs possit vindicare alienas, ideoque nec administrare carcerem, vincula, tormenta, supplicia, præsertim extrema. Sexta ratio est, quòd Christianus nulli possit debere stationes, seu stata jejunia, nisi Christo Domino. Ex quo discimus Romanos milites, dum stationes agerent, debuisse esse sobrios ac jejunos. Et sanè sic expedit. Septima ratio est, quòd Christianus ad ista jejunia obstringi non possit diebus Dominicis: quia Apostolicus Canon tunc vetat jejunari. Octava ratio est, quòd Christianus Gentilium Deorum simulacra aut fana, quæ solemnissimè ejuravit in Baptismo, defendere nequeat aut custodire. Et certè dum idololatriam ejuravimus, ejuravimus etiam simulachra & fana. Nona ratio est, quòd Christianus in istis fanis non possit cœnare. Etenim in prima ad Corinthios epistola scribit Sanctus Paulus: *Si quis videritCap. 8. eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Et hinc denùò discimus, quod Stationarii Romanorum milites quandoque usque ad vesperam debuerint jejunare. Deinde, quòd Stationarii fanorum custodes cœnaverint aut in fano, aut ejus vestibulo. Decima ratio est, quòd Christianus longè minùs possit ipsos Gentilium Deos noctu defendere aut custodire. Ita enim Romani solebant contra nocturnos fanorum fures. Audi causam: *Quos interdiu exorcismis fugavit.* Ipse miles. Nempè apud primitivam Christianitatem nullus fuit Exorcistarum ordo: Quisque tunc fidelis, laicus etiam ac miles, dæmones exorcizabat atque fugabat. Pluribus hoc monstravi in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Undecima ratio est, quòd Christianus nequeat super pilum incumbere, atque ita diuturnæ stationis fatigationem sustentare: quia pilo fuit percussum latus Domini. Exponit hæc Titus Livius: *Milites scuto præse erecto stant galeati: Deindè ubi fessi sunt, innixi pilo, capite super marginem scuti posito, sopiti stant.* Romanorum pila erant hastæ genus, habentia latum mucronem. Hinc Virgilius scribit de Turno: *Bina manu lato crispans hastilia ferro.* Hoc ipso Domini latus rectè dicitur fuisse perfossum. Erat fossura adeò larga, ut Thomas Apostolus integram manum in ipsam miserit. Duodecima ratio est, quòd Christianus portare nequeat vexillum Christo æmulum. Nempè Romanorum vexilla erant insignita imaginibus idolorum. Decima-tertia ratio est, quòd Christianus militare signum jam à Christo acceperit, ideoque aliud nequeat à gentili Principe postulare. Per acceptum à Christo Domino signum existimo intelligi Christianam confirmationem. Hanc antiquissimi Patres passim appellant *Christi signum*. Hinc & sancta Agnes dixit de Christo Domino: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum, amatorem admittam*. Decima. quarta ratio est, quòd Christianus defunctus, ab Angeli tuba excitandus ad extremum judicium, nequeat ad militarem tubam cremari. Etiam hodie militer ad tubam sepeliuntur. Decima-quinta ratio est, quòd defunctus Christianus, qui ne quidem thus cremare potuit, utique idolis, nequeat cremari. Cadaverum crematio est Gentilium desperatio. Nos sepelimus defunctos, ob spem resurrectionis. Postrema ratio est, quòd Christianus à castris lucis transire nequeat ad castra tenebrarum. Harum rationum quædam sunt firmæ, quædam parùm aut nihil habent ponderis.

Hinc Tertullianus suam assertionem mitigat & moderatur: *Planè si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum, quos Joannes admittebat ad Lavacrum; ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat. Dum tamen suscepta fide atque signata aut deferendum statim sit, ut à multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversùs Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur, aut novissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittit. Nuſquam Christianus aliud est, Unum Evangelium, & unus* JESUS: *negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem Confessorem Dei, & salvam facturus animam pro nomine ejus amissam, perditurus autem de contrario adversùs nomen ejus lucri habitam. Apud hunc tam miles est pa-*

est paganus fidelis, quàm paganus est miles infidelis. Quædam verba sunt elucidanda. Primò hæc : *Susceptа fide atque signata*. Est phrasis Septimio familiarissima. In libro de Pœnitentia : *Lavacrum illud*, utique Baptismale, *obsignatio est fidei*. Et in libro de Baptismo : *Fides obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto*. Et in libro de Idololatria : *Post fidem obsignatam*. Palàm intelligit Baptismum. Exponenda sunt hæc verba : *Fides pagana condixit. Tam miles est paganus fidelis, quàm paganus est miles infidelis*. Exponit Tertullianus in libro de Pallio : *Libertinos in equestribus, sub-verbullos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus : vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur*. Sunt exempla hominum gestantium sibi non competentia vestimenta. Proindè paganus opponitur militari. Est homo non miles. Ita in Oratione pro sua Domo Tullius : *Nulli in hac urbe pagani*. Et de Octaviano Augusto scribit Svetonius Tranquillus : *Pinianum Equitem Romanum, cum concionante se, admissa turba paganorum, apud milites subscribere quædam animadvertisset, curiosum & speculatorem ratus, coram se confodi imperavit*. Et in Galba scribit : *Equites per publicum, dimota paganorum turba, equos adigebant*. Et in primo Historiarum libro Cornelius Tacitus : *Inter paganos corruptior miles*. Et in secundo libro : *Cùm simul à latere Saxis urgeret apta ad faciendum etiam paganorum manus, qui sparsi inter milites, strenui ignavique id victoriæ audebant*. Plura sunt istiusmodi testimonia. Et secundùm ipsa Tertullianus omninò loquitur.

His obstat Jornandes in Chronico. Etenim Eucherium, Stiliconis Consulis filium, & omninò militem appellat, *Paganum, & Christianis molientem insidias*. Et in libro de Monachorum opere scribit sanctus Augustinus : *Gentiles, quos paganos dicimus*. Et infrà : *Græcos, quos Paganos dicimus*. Cuncti istius sæculi Patres gentilem passim appellant Græcum & Paganum. Et apud sanctum Optatum Episcopum Milevitanum Donatistarum Episcopi dicunt ad nostrum fidelem populum : *Caj, Lej, aut Caja, Leja, adhuc es paganus, aut pagana?* Et laudatus Episcopus respondet : *Eum qui ad Deum esse se convèrsum professus est, paganum vocas?* Hoc est, gentilem. Ex quibus lucet sanctum Optatum non esse istius significationis authorem, aut primum usurpatorem. Etenim ante ipsum Donatistæ fuerunt ita locuti. Forsan ab exordio sui schismatis. Et in Theodosiano Codice extat integer titulus de paganis sacrificiis, ac templis. Attamen primus istic istius significationis assumptor est Imperator Arcadius. Ejus filius Theodosius vocem exposuit : *Qui prophano pagani ritus errore seu crimine polluuntur, hoc est, gentiles*. Respondeo vocem istam diverso tempore diversum apud Romanos significasse. Gentiles acceperunt ipsam pro homine non militari. Qua significatione usus est etiam Christianus Imperator Constantius in lege ad nescio quem Prætorio-præfectum : *Si quis de Paganis vel Decurionibus ambierit ad honores præfectoriæ dignitatis*. Jacobus Gothofredus rectè commentatur : *De paganis, id est, non militibus. Quo sensu passim in jure, pagani*. Utique in Legibus gentilium Principum. Imperator Constantinus omnia fana clausit, & omnia sacrilega sacrificia interdixit sub pœna capitis. Ejus filius Constans addidit hanc moderationem : *Quanquam omnis superstitio penitùs eruenda sit, tamen volumus, ut ædes templorum, quæ extra muros sunt positæ, intactæ incorruptæque conserventur*. Hinc pagensia præfertim fana permanserunt. Hinc ipsa Idololatræ cœperunt frequentare. Ita enim solent damnatæ superstitionis, ac etiam prohibitæ Religionis cultores. Hinc fidelis populus cœpit istos appellare paganos. Haud dubiè id cœpit sub Magno Constantino. Et pedetentim crevit. Hinc sub Constantio utraque significatio viguit : & antiqua gentilis, & ista nova Christiana. Et hæc illam plenè tandem absorbuit. Ita patet ex adductis testimoniis sancti Augustini, & laudata lege secundi Theodosii. Hinc probandus non est in octavo Originum libro sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis : *Pagani ex pagis Athenienium dicti, ubi exorti sunt. Ibi enim in locis agrestibus & pagis gentiles lucos idolaque statuerunt, & à tali initio vocabulum Pagani fortiti sunt*. Labitur item sanctus Philastrius, affirmans Paganum fuisse Deucalionis & Pyrrhæ filium, & ab ipso in Deum consecrato dictos esse paganos. Nostram assertionem confirmat in hymno de sancto Romano Martyre Aurelius Prudentius, canens in gentiles : *Non erubescis stulte, pago dedite*. Rectè marginale Scholion : *Pagani quod in pago idolis sacrificarent*. Consonat in primo Historiarum libro Paulus Orosius : *Alieni à Civitate Dei, ex locorum agrestium compitis & pagis pagani vocantur, sive gentiles*.

Tertullianus ergo affirmat varia. Primò, quòd militia admitti possit ad Baptismum. Hinc palàm profiteur ipsam non esse peccatum. Secundò docet, quòd post Baptisma debeat statim dimitti. Et ita esse factum à multis. Quod posteriùs verum est etiam post Tertulliani tempora. Etenim sub Diocletiano ita fecisse sanctum Thiracium, testantur ejus Acta apud Dominum Cardinalem Cæsarem Baronium. Et de sancto Ursatio, qui sub Licinio militavit, scribit in Martyrologio sanctus Ado Episcopus Viennensis : *Ursatius, derelicta militia, solitariam vitam in quadam turre egit*. Et de sancto Victricio Romanum Martyro ogium : *Victricius adhuc miles sub Juliano, pro Christo abjectus cingulum, à Tribuno militis suppliciis afficitur, & capitis damnatur; sed carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutis, liber evasit*. Postmodò factus est Episcopus Nerviorum & Moriorum; Rothomagensis. Depositus in pace cingulum. Rem largè narrat in scriptis ad ipsum litteris sanctus Paulinus. Et in Sancti Martini vita scribit Sanctus Sulpitius Severus : *Martinus, cùm esset annorum duo-de viginti, ad Baptismum convolavit. Nec tamen statim militiæ renuntiavit, Tribuni sui precibus evictus, cui contubernium familiare præstabat. Etenim transacto Tribunatus sui tempore renuntiaturus se sæculo polliceba tur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè, postquam est Baptismum consecutus,*

Cap. 6. Lib. 16. tit. 10. Cap. 16. Cap. 21. Lib. 7. tit. 21. cap. 2. Cap. 12. Cap. 4. Cap. 27. Cap. 19. Cap. 53. Cap. 14. Cap. 11. Cap. 3. Cap. 3. Cap. 10. verſ. 509 Cap. 1. An. 290. Aug. 16. Aug. 7. Ep. 28.

cutus, *solo scilicet nomine*, militavit. Quæ verba altissimè clamant Martinum hæc dispensatoriè egisse præter consuetum morem Christianorum. Neque impegit in tertium primæ Arelatensis Synodi Canonem: *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abstineri eos à Communione*. Etenim Canon in Magni Constantini, qui tunc licèt non baptizatus, tamen cathecumenus, aut in proxima erat via, gratiam est editus, ideoque nulli gentili, licèt non persequeretur nos, Principi favit. Præterea aliud est arma projicere, aliud deponere cingulum, & militiæ renuntiare. Discrimen suo loco exponetur. Sub gentilibus mereri est obnoxium plurimis labendi & prævaricandi periculis: hinc istiusmodi militia baptizatis meritò suadetur deserenda.

Tertullianus adjungit moderamen: *Aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversùs Deum committatur*. Baptizatos non compellit ad vale dicendum militiæ, sed dumtaxat aut ad valedicendum, aut ad isto modo cavillandum. Et dat duas præfertim causas. Primò, quòd adversùs Deum, ac Divinam naturæ aut Evangelii legem, nec militia permittat aliquid committere. Quòd militare Sacramentum non sit licentia quidlibet patrandi. Ex quo vides hodiernum quorumdam sceleratissimum errorem etiam tunc fuisse grassatum inter Romanos milites. Secunda causa est, quod apud Dominum Deum, uti inter Judæum & Græcum, ita inter militem & paganum, hoc est, inter militem & civem nulla sit distinctio, ideoque ambo jisdem legibus obstringantur. Etenim per militiæ professionem nemo definit esse Christianus.

De casu, quo Christianus miles cavillari, seu sacrilega Principis jussa per cavillationem evadere non possit, Tertullianus profequitur: *Aut novissimè perpetiendum pro Deo*. Tunc arma sunt omninò projicienda. Ita fecit sanctus Martyr & Centurio Gordius. Ejus in encomio Licinii jurioris persecutionem describit Magnus Basilius, atque adjungit: *Hæc exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, judiciorum necessitatem anteverteret, abjecto militiæ cingulo, sponte sua exilium delegit*. Projecit arma, & semet-ipsum creavit Martyrii, certè illustrissimi, candidatum. Et ad quintam Septembris diem scribit Romanum Martyrologium: *Melitinæ in Armenia Sancti Milites, Eudoxius, Zeno, Macarius, & Socii mille centum & quatuor, objicientes militiæ cingulum in persecutione Diocletiani, pro confessione Christi necati sunt*. Et ad decimam octavam diem Novembris: *Antiochiæ sanctus Hesychius Martyr, cùm esset miles, & præceptum audisset, ut quisquis non sacrificaret Idolis, cingulum militiæ deponeret, reprensè cingulum solvit. Ob quam causam ligato in dextera ejus ingenti saxo, in fluvium præcipitari jussus est*. Plurima sunt istiusmodi exempla. Et certè dum cœpit persecutio, Romani milites debuerunt ad variam iniquitatem cooperari. Hinc qui non poterant cavillari, debuerunt arma projicere. Et hanc fuam doctrinam Tertullianus in præfato libro de Corona Militis extendit etiam ad Palatinam militiam: *Est & alia militia Regiarum familiarum. Nam & Castrenses appellantur. Manifice & ipsa solemnium Cæsarianorum. Sed & tu proindè miles ac servus alterius es: & si duorum, Dei & Cæsaris, certè tunc non Cæsaris, cum te Deo debes, etiam in omnibus, credo, potiori*. Hos Castrenses Romani passim appellarunt domesticos Protectores. Etiam ipsi ad persecutiones non potuerunt non cooperari. Hinc Arelatensis Canon agere possit etiam de gentili militia. Possit præcipere, ut Christianus miles extra persecutionem non projiciat arma, atque ita sine causa offendat Imperium, & excitet ad nos persequendos. Et hinc docemur, quomodò Catholicus possit militare hæreticis. Nequit se dare in talem militiam. Præfertim si ejus Principi non sit subditus. Etenim hic locum habet per sanctum Augustinum fixa in simili casu regula: *Quid opus est in tantum discrimen ambigultatis caput mittere?* fide & Jam inscriptus permanere potest, usque dum opportuna deponendi cinguli capiatur occasio: & cap. 19. interim, dum vel minima adversùs Catholicam professionem agendi occurrit necessitas, debet cavillari. Quod si non possit, rigidè obstringitur projicere arma, ac etiam in infami ligno tubire martyrium. Hæc est certissima doctrina.

Tertulliani sententiam firmat atque illustrat Origenes in octavo libro contra Celsum, Epicuri sectatorem. Suum opus Celsus concluſit hortando, ut opem ferat mus Imperatori totis viribus, & ejus auspiciis geramus justa ac pia bella, nevè detrectemus militiam, si res ità postulet. Et Origenes respondit: *Respondemus ferre nos Imperatori auxilia sue tempore, sed Divina, ut ita loquar, nimirum armatura fretos, non humana. Idque facimus Apostoli monitis obedientes, cujus hæc verba sunt*: „ Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro Regibus, & omnibus qui in „ Sublimitate sunt. *Et quò cujusque ingenior est pietas, eò majorem opem Imperatori fert, magis quàm flantes in procinctu milites, & occidentes quotquot possunt ex hostibus. Possumus etiam fic respondere altenis à nostra fide, & ad militiam pro Republica, cædesque hominum nos urgentibus. Ecce vestrorum quoque Numinum Sacerdotes, & delubrorum custodes dexteras fervant puras à sanguine, causa Sacrorum, ut incruentis ac impollutis cæde manibus victimas offerant solemnes jis, quos habetis pro Diis, nec ullo bello delectus habetis è Sacrificiorum ordine. Hujus moris si vobis conflat ratio, quantò magis, cæteris militantibus, non contemnenda est nostrorum hominum militia, manus quidem puras servantium, decertantium autem fusis ad Deum precibus pro legitimo Imperatore, & pium justumque bellum gerente milite, ut destruatur quidquid est justè facientibus adversarium. Itaque precibus nostris profligantes omnes bellorum excitatores dæmonas, & perturbatores pacis ac fœderum, plus conferimus Regibus, quàm qui arma gestant pro Republica*. Et in quarto libro exponit variam apum industriam, & adjungit: *Fortassis etiam earum bella docent nos justè bellum gerere, si res ita postulet*. Docet varia. Primò, quod Christiani detrectaverint militiam. Secundò, quod gentiles ea de causa nos odissent, tanquam inimicos, aut certè inutiles Romano Imperio. Eamdem calumniam suprà audivimus à Tertulliano.

Tertiò

Tertiò docet bellum posse esse justum ac licitum. Ex justis & piis causis. Quartò, quod Christianis non liceat, propter annexam necessitatem effundendi sanguinis. Quintò, quod Christiani Imperio nec adversarii sint, nec inutiles, sed fructuosissimi: per arma suarum precum. Sextò, quòd gentiles suos Sacerdotes non cogerent ad militiam. Sacerdotii reverentia est naturæ humanæ adeò quasi ingenita. Palàm docet Christianum non posse accedere ad militiam. Quin docuerit milites posse ad Baptisma admitti, non est dubitandum. Proindè docuit cum Tertulliano.

Eamdem sententiam omninò docet in litteris ad Donatum Sanctus Cyprianus: *Cerne itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore Cafforum bella ubique divisa. Madet orbis mutuo sanguine. Et homicidium, cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publicè geritur. Impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.* Jacobus Pamelius censet Cyprianum loqui de solis injustis bellis. At manifestum est ipsum loqui generatim de cunctis. Etenim bella numerat inter crimina hujus mundi. Affirmat ipsa esse unum istorum, ex quorum horrore vale dixerit gentilitati, & se subjecerit Christo Domino. Eidem doctrinæ innituntur gesta Sancti Theognis Martyris, de quo ad Imperatori Licinio in litandum comprehenso, & ad Zilicentium Tribunum perducto, habent apud Joannem Bolandum & Godefridum Henschenium authentica

3. Januarii. Acta: *Ille si fidelissimus miles veri Dei, plenus Spiritu Sancto, constanter in medio legionis dixit; Ego Christianus sum, & milito meo Regi, qui est Rex Regum. Ille militans, alii militare non possum. Tribunus Zilicentius dixit: Magis accipe chlamydem & balteum, & omnia arma felicia, & milita Licinio magno Imperatori. Theognes dixit: jam tibi dixi, Milito ego meo Regi, alii militare non possum. Tribunus dixit: non placet tibi Licinius Imperator? Theognes dixit: non novi, ego Christianus sum, & non convenit mihi huic sæculo militare, cui abrenuntiavi. Sed neque possum negare Regem esse æternum, cui milito. Tribunus dixit: ecce & isti omnes, qui adsunt milites, Christiani sunt, & tamen militant. Theognes dixit: unusquisque scit quomodò militet, ego etiam novi, cui militem Regi.* Adducit duas causas, ex quibus non poterat militiam adsumere. Prima & palmaris erat, quod esset Christi miles, ideoque nequiret divino Sacramento humanum superponere. Quæ manifestè est fundamentalis ratio etiam Tertulliani. Altera ratio erat, quod Licinius esset paganus. Christianos ejus milites Theognes damnare noluit: quod nempè non militiam Fidei, sed fidem militiæ superduxissent. Etiam S. Adonis

3. Januarii. Martyrologium habet: *Tres Fratres, Argæus, Narcissus, & Marcellinus puer, sub Licinio inter tyrones comprehensi, cum nollent militare, cæsi ad mortem, & diu in carcere macerati, in mare mersi, martyrium consummarunt.* Ita habet antiqua lectio. Non solam Licinii idololatriam, sed omnem post Baptisma adsumendam militiam fuerunt aversati.

CAPUT IV.

Quid de bellorum justitia senserint Patres, qui Ecclesiam docuerunt sub Christianis Imperatoribus?

INter omnia Christiana sæcula doctissimum fuit quintum sæculum. Et Occidentalis & Orientalis Ecclesia tunc habuit summos & plurimos Doctores. Sanctus Paulinus videtur permansisse in sententia Tertulliani, Origenis, ac S. Cypriani. Etenim nescio quem militem, juvenem Christianum, multis hortatur ad deponendum cingulum, ac suscipiendam vitam Monasticam, & scribit inter cætera: *Nihil est, Benedicte fili, quod possit aut debeat præsterri ei, qui est verus Dominus, & verus Pater, & Imperator æternus. Si in hoc sæculo illi militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur. Quod si magis dilexerimus hoc sæculum, & maluerimus Cæsari militare quàm Christo, posteà non ad Christum, sed ad gehennam transferremur, ubi Principum hujus sæculi vertitur causa. Ideò nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias Deo præferre debemus. Noli ergo diutiùs diligere hunc mundum, neque vilitiam ejus, quia secundùm Scripturæ auctoritatem, inimicus Dei est, quicumque est amicus sæculi. Et qui militat gladio, mortis minister est. Qui autem suum vel alienum sanguinem fundit, hic recipiet fructum stipendiorum. Aut enim exitu mortis tenebitur reus, aut crimine. Quia necesse est, ut miles in bello, in quo samen non tam pro se, quàm pro alio dimicat, aut suam mortem victus inveniat, aut mortis causam sibi per acquirat. Quia victor esse non poterit, si effusor sanguinis ante non fuerit.* Hæc multis exaggerat, affirmat Christum Dominum esse supremum Imperatorem, ac profequitur. *Hunc sequamur, huic militemus, qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorem Regni cœlestis, divitias hæreditatis suæ, & divinæ cognitionis consortium perenne largitur.* Et infra: *Sed te forsitan ætatis tuæ fiducia, & stipes dignitatum, & divitiarum augmenta sollicitant, ut dicas, adhuc juvenis sum, est nunc tempus ut parumper militem, & uxorem ducam, & filios habeam, & postea Deo serviam. Ad hæc tibi respondet, non ego, sed Dominus: ne tardes converti ad Dominum &c.* Affirmat cœleste Regnum esse violenter invadendum, & concludit: *Talis violentia Deo grata est, quæ neminem concutit, nullius damno committitur. Imbanc rapinam manus tuas verte, quæ crimen non habet, & confert salutem. Et quæ tibi militarium stipendiorum curationes cum violentiæ invidia curare, cum forsan pro tua bonestate etiam debitorum moderatior exactor sis?* Palam censet militiam Christianis interdictam. Ob varias rationes. Prima & palmaris est militibus incumbens fundendi humani Sanguinis necessitas, quæ nullo casu sit permissa. Altera est, quod militia passim geratur ex cupiditate consequendi divitias aut honores. Tertia est, quòd sit obnoxia periculo patrandarum concussionum. Quarta ratio est, quòd debeat violenta, & non raro parùm justa à Provincialibus extorquere stipendia. Voces, *Benedicte fili*, dirigi non possunt in paganum.

Ep. 2.

Ep. 391.

num. Evincunt hæc scribi ad juvenem Christianum. Est titulus familiatis etiam Tertulliano.

Longè aliud sensit Sanctus Augustinus. Etenim in Psalmorum commentario demonstrat per Baptisma non solvi priorem sub infideli etiam
Ps. 124 Domino servitutem, atque adjungit: *Quod dixit de Domino & servo, hoc intelligite de Potestatibus & Regibus, & de omnibus Culminibus hujus sæculi. Aliquando enim Potestates bonæ sunt, & timent Deum, aliquando non timent Deum. Julianus extitit infidelis Imperator. Nonnè extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani serviebant Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperebant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali. Tamen propter Dominum æternum erant subditi etiam Domino temporali.* Palam agit non de assumenda, sed dumtaxat de retinenda istiusmodi militia. Christianos milites obligat non ad deponendum cingulum, sed dumtaxat ad cavillandum pro Christo Domino. Porrò militia, quæ retineri potest, possit & assumi. Est modica differentia.

Hoc ipsum Augustinus tradit in pluribus locis. In litteris ad sanctum Comitem & Martyrem Marcellinum scribit adversùm Paganos, garrientes Christianam Religionem esse pernicio-
Epist. 5. sam Romano Imperio, & hoc ab ista perielitari de ruina: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus, consilium salutis potentibus, in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis: neminem concusseritis, nemini calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Qui bus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. Proindè qui doctrinam Christi adversam dicunt esse Reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales Provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales Dominos, tales servos, tales Reges, tales Judices, tales denique debitorum redditores, & exactores ipsius Fisci, quales esse præcepit doctrina Christiana, & audiant eam dicere adversam esse Reipublicæ, imò verò dubitent eam consiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse Reipublicæ.* Etenim tunc etiam *bella misericorditer gerentur. Gerentur à bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis hæc vitia perdantur, quæ justo imperio vel extirpari, vel deprimi debent.* Christiana religio, uti omnem alium mortalis vitæ statum, ita & militarem vitam non damnat, sed regit ac corrigit. Militaris vita, si secundum Christianas leges expleatur, est adeò sancta, ut de semetipso ac Sancto Alipio ad Comitem Bonifacium scribat idem Augustinus: *Omnes actus publicos, quibus*
Ep. 70. *occupatus erat, relinquere cupiebas, & tein otium Sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt. Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantùm prodesset Christi Ecclesiæ, si ea sola intentione ageres, ut defensæ ab infestationibus Barbarorum quietam & tranquillam vitam agerent, sicut dicit Apostolus, in omni pietate & castitate? Tu autem ex hoc mundo nihil quæreres, nisi ea, quæ necessaria essent hujus vitæ sustentandæ, tuæ ac tuorum, accinctus balteo castissimæ continentiæ, & inter arma corporalia spiritualibus armis tutius fortiusque munitus.* Bonifacius erat magnus Romanorum Dux: hinc Augustinus sensit ejus militarem, dummodò promissam castitatem servaret, quàm Monachalem vitam fore & Reipublicæ & Ecclesiæ utiliorem. Ad eundem Bonifacium scribit in alia epistola: *Hoc primùm cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua*, Ep. 205. *etiam corporalis, donum est Dei. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. Patem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur; sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Itaque bostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & frugalitas. Valdè enim turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido; Et obruatur vino, qui non vincitur ferro.* Pergit Augustinus in libris ad Comitem Darium: *Magni quidem sunt, & habent gloriam suam, non solùm fortissimi, sed etiam, quod verioris genus est* Ep. 262. *laudis, fidelissimi bellatores, quorum laboribus atque periculis, Dei protegentis atque opitulantis auxilio, bostis indomitus vincitur, & quies Reipublicæ, pacatisque Provinciis comparatur. Sed majoris est gloriæ, ipsa bella verbo occidere, quàm homines ferro: & acquirere vel obtinere pacem puce, non bello. Nam & bi qui pugnant, si boni sint, procul dubi pacem, sed tamen per sanguinem quærunt.*

Hæc eadem Augustinus elegantissimè docet in libris contra Faustum Manichæum. Per Moysen, & alios antiqui Testamenti justos gesta, ac per ipsum Dominum Deum tunc imperata, bella demonstrat fuisse innoxia, ac pergit ad justitiam novi Testamenti: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis* Lib. 22. *animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & cap. 74. si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adversùs violentiam resistentium, sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire justè ordo ipse constringit. Alioquin Joannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes,* „ Et nos quid faciemus, re- „ sponderet eis, Arma abjicite, militiam istam „ deserite, neminem percutite, vulnerate, „ prosternite. *Sed quia scibat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis:* „ Neminem „ concusseritis, nulli calumniam feceritis, „ sufficiat vobis stipendium vestrum. *Sed quia Manichæi Joannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum* JESUM CHRISTUM

audiant

audiant hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dixit debere sufficere militi. „ Reddite, „ *inquit*, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ „ Dei sunt. *Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis*, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, *fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit.* Et Fausto, Domini verbum, *Non resistere malo*, objicienti respondit : *Intelligant hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde. Ibi est enim Sanctum cubile virtutis.* Vicina istius libri capita sunt integrè legenda. Demonstrant bella, si juxta Christianas leges gerantur, esse Sancta Opera. Omittere non possim verba sancti Augustini ad suum populum lamentantem de militum insolentia : *Sed tanta mibi fecit miles iste.* His querimoniis Augustinus respondet : *Vellem nosse, si militares, utrùm similia non faceres. Nec volumus talia fieri à militibus, quibus pauperes opprimuntur. Volumus & ipsos audire Evangelium. Non enim benefacere prohibet à militia, sed à malitia. Venientes autem ad Baptismum Joannis milites dixerunt :* & quid nos faciemus? *Ah illis Joannes :* neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis. Sufficiat vobis stipendium vestrum. *Et verè si tales essent milites, felix esset Respublica.* Officia, quæ tales faciunt milites, conabor exponere.

Cap. 76.

Serm. III. de diversis. cap. 14.

Sanctus tamen Augustinus adjungit militiam esse professionem miré periculosam. Ejus pericula infigniter deferibit in priori epistola ad Bonifacium, Domesticorum & Africæ Comitem :

Ep. 70. *De quibus, ut unum aliquid dicam, quis non videat, quòd multi homines tibi cohæreant ad tuendam tuam potentiam vel salutem, qui ettamsi omnes tibi fideles sint, nec ab eorum aliquo ullæ timeantur insidiæ, nempè tamen ad ea bona, quæ ipsi quoque non secundùm Deum, sed secundùm sæculum diligunt; per se cupiunt pervenire, ac per hoc qui refrænare & compescere debuisti cupiditates tuas, expicere cogeris alienas. Quod ut fiat, necesse est ut multa, quæ Deo displicent, fiant. Nec sic tamen explentur tales cupiditates. Nam facilius rescantur in eis, qui Deum diligunt, quàm in eis, qui mundum diligunt, aliquando satientur. Quando ergò poteris toi hominum armatorum, quorum fovenda est cupiditas, timetur auctoritas; quando, inquam, poteris eorum concupiscentiam, qui diligunt mundum, non dico satiare, quod fieri nullo modo potest, sed aliqua ex parte pascere, ne universa plus pereant, nisi tu facias quæ Deus prohibet, & factientibus comminatur?* Omnes militum Duces, præsertim Reges, sunt obnoxii his periculis. Etenim collectitius militum grex rarò confuevit non diligere mundum. Hinc Sacri Canones pœnitentibus meritò interdicunt militiam. Attamen & inter milites habemus ac venetamur multos sanctissimos Martyres, castissimosque ac justissimos Confessores. Ex eodem principio Augustinus docet aliis agriculturam, aliis Advocati officium, aliis placere militiam, atque prosequitur : *Alius dixit, magna res est militare. Omnes agricolæ formidant eos qui militant. Obsequuntur eis. Timent eos. Si fuero agricola, timebo militarem; si fuero militaris, timebor ab agricola. O insane, in alium te Babylonis fluvium præcipitasti, turbulentiorem & rapaciorem.* Babylonis fluvios affirmat esse omnia, quæ in hoc sæculo amantur & transeunt. Et horum fluviorum nullum esse turbulentiorem, ac animarum nostrarum in sempiternas gehennas rapaciorem, quàm vitam militarem. Hanc ejus doctrinam respicit sanctus Possidius : *Augustinus servandum in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in Institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut militare volentem numquam ad hoc commendaret.* Nempè propter multa istius professionis pericula.

cap. 27.

Hanc veram doctrinam infigniter elucidat sanctus Isidorus Pelusiotes. Etenim ad Ædesium militiæ Rectorem hæc scribit : *Numquam te molestæ immittas pugnæ, præsertim cum pietatis ac virtutis non agitur negotium. In his etenim ad sanguinem usque pugnandum est, ne hæc aut illa prodatur.* Et in litteris ad Alphium Monachum : *Bella ferè ob alienas conflantur possessiones & bona. Ac ne omnes quidem bella gerentes sunt accusandi, sed qui suscipiunt vel injuriæ, vel rapiendi causa, bi pernicioſi, velut dæmones, sunt habendi. At qui modestè vindicant, ac moderatè ulciscuntur injurias illatas, non sunt, ut injusti, reprehendendi. Ex Legum enim Præscripto rem gerunt. Neque eos veluti Philosophos admirari oportet, nec deprædicare quasi vitam cœlo dignam ducentes : non in rependendis injuriis, quas perpessi sunt, sed quòd viriliter & constanter illas perferant, inertiam culpantes. Qui verò justè quidem se vindicant, modum tamen excedunt; ji ut injusti sunt accusandi. Qui enim immoderatè ulciscuntur, secundam & novam ordinantur injuriam. Pœnas enim delictis esse pares oportet, non majores : ne justum & æquum transgressi, & justitiæ fines excedendo gloriam debonestantes, inter Alastores referantur, excedere videaris. Gloriam enim debonestant justitiæ fines excedendo, utque Diris execrandi sunt habendi.*

Lib. 5. Ep. 14.

Ep. 386.

Compendio tradit & magna & multa documenta. Primò, quod offensiva bella non liceant, nisi ad tuitionem pietatis, aut alterius virtutis. Secundò, quod ipsa passim indicantur ac suscipiantur ob temporales possessiones, aut alia istius generis bona. Tertiò, quod talium etiam bellorum auctores ac gestores non sint generatim damnandi. Quartò, quod isti, qui ex rapiendi vel vindicandæ injuriæ animo suscipiunt, sint fratres dæmonum, æqualiter pernicioſi. Quintò, quod illi, qui ipsa ad metam & æqualem illatarum sibi injuriarum compensationem suscipiunt, non sint damnandi de injustitia. Sextò, quod ipsos tamen non oporteat fovere aut laudare. Sunt dumtaxat tolerandi. Satius namque esset constanter & viriliter sufferre injurias, quam armis vindicare. Septimò docet illos, qui justæ vindictæ aut compensationis modum excedunt, esse graviſſime injustos. Excellus hic est nova injuria. Censet bella etiam Christianis Principibus, licèt semper dissuadenda, ex causis tamen licere. Omnis quæstio est de bello offensivo. Et inter istas causas ponit non solam pietatem aut religionem, sed omnem virtutem. Quod ipsum in litteris ad Rusticum Narbonæ Metropolitam supponit magnus Leo : *Contrarium est Ecclesiasticis regulis post*

Con. 22.

pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. *Undè non est liber à diaboli laqueis, qui se militia mundana voluerit implicare*. Agit in solos pœnitentes, ideoque integros Fideles permittit & accingi in milites.

An sanctus Isidorus, sanctusque Leo agant de solo Christianorum in paganos aut hæreticos bello, an insuper de bellis Catholicorum in Catholicos, non constat. Hinc quæstio est, an etiam hæc posteriora ex causis liceant? Loquor de bellis offensivis. Audiamus Georgium Pachymerem. De Imperatore Michaele Palæologo, adversùs Michaelem, Theodori Lascaris ex fratre nepotem, Occidentis Despotam belli-gerante, ac interim à barbaris Tocharis fœdè excepto, ac infeliciter Constantinopolim
Lib. 3. cap. 26. reverso hæc scribit: *Cæterùm priusquam hæc fierent, opportunè occasionem arripuerat Imperatoris objurgandi Patriarcha. Multus is dudum fuerat in debortando Imperatore ab Expeditionibus adversùs Christianos suscipiendis, non successurus feliciter eas ipsi demuntianS: neque enim civili contra ejusdem Religionis professores bello Deum adjutorem fore. Talia frustrà sæpè à se monitum videns tunc, non ut Imperatore dignum fuerat; sed indecora fuga vix salvum sese recipientem Constantinopolim, ubi primùm is à reditu magnum in templum se contulit, Dei adorandi & pro evitato summo discrimine gratias agendi causa, cominùs accedens increpavit palàm verbis haud molitibus, id tantùm intermiscens delinimenti, ut gratulari se simul ipsi salutem insperatò servatam, reddendis Deo pro ea gratiis, significaret. Deo gratias, inquiens, quòd salvus evasisti, & non es traditus manibus Hostium, quærentium animam tuam. Ecquid autem eorum meministi, quæ sæpè apud Te egi, expeditiones istiusmodi dissuadens ut prorsùs noxias? non dixi & scriò denunciavi tibi, ne bella civilia susciperes? Cur ergò Te tuasque copias Michaelis Despotæ, exercituique ejus in aciem progressus objecisti? Nonne & tu nomine Christi signatus es, & ille Christum agnoscit Dominum? Inter tales, ajebam, prælio commisso pro quibus orabimus? utris victoriam, utris cladem imprecari conabimur à Deo, dum Sacris operamur? Neutros Hostium numero habere possumus, utriusque adstricti communi fœdere Religionis, quas pro vobis preces offerimus, eædem pro illis valent: quandoquidem ad unum æquè ambo pertinetis ovile Pastoris Christi. Nunc autem benedictus Dominus qui liberavit te ab Hostibus à Lege Christi alienis, quos immisit in te ut admoneret; non justè à te illos hostiliter impeti quos Hostes tibi quæsisti: exhiberes autem & tuis objiceret oculis veros Hostes, quasi diceret: en in quos fas plumque fit, si pugnare libet, omnem belli vim effundere: quos ipsos tamen frustrà debellare prælio adorsus conaberis, nisi ego volens & propitius adfuero. Ostendit igitur tibi Hostes, & terruisse consentus eorum à Te vim arcuit, è periculis insidiarum in tutum ac incolumem transferens. Sic agere novit Dominus judicia faciens. Hæc loquentem Patriarcham placidè audivit Imperator, reprehensionique acquievit obnixè, ultrò comprobans, & meruisse confitens. Quid enim contra opponeret veris & palam justis, non habebat. Illud tantùm ad quamdam excusationem subjecit: Atqui ad patrem, inquiens, cum Christianis sanciendam ista, quasum periclitatur via, properabam. Hue enim ferebar ut fœdus jam istum cum illis, quos me habere Hostes vetas, etiam affinitatis necessitudine adstringerem, firmitate in posterum certiori.* Proindè non solummodò Arsenius Patriarcha ac Georgius Pachymeres, sed ipse etiam Imperator Michael, ideoque cuncta Orientalis Ecclesia fuerint istius sententiæ.

Ejusdem sententiæ fuit Gregorius decimus Pontifex, haud dubiè ex judicio Romanæ Ecclesiæ. Audiamus denuò laudatum Pachymerem: *Cæterùm Imperator expeditos ac instructos Legatos mittit ad Papam, simul significaturos perpetratum jam negotium, & executioni Conventa mandata*. Utique Conventa pacis definitæ à Synodo Lugdunensi. *Simul etiam scisciturOros, quid rerum moliretur Carolus* Andegavensis Siculorum Rex, *& ecquid adhuc dimisisset animum, sero illo, quo in Græcos anteà incitabatur, impetu vemisso. Appulsi Legati nuntiaverunt consummatam pacem. Et excepti sunt perbenevolè. Invenerunt autem ibi Carolum, minas spirantem, & omni precum contentione incumbentem ad exorandum Papam, ut sibi permitteret expeditionem in urbem Constantinopolim. Videbant igitur quotidie advolventem se Papæ pedibus, & eò subindè furoris inquietissimi prorumpentem, ut quod manibus, more Italicorum Principum, gestabat sceptrum, commoderet rabiosè admotis dentibus, indignans sibi negari, quam instantissimè petebat, facultatem exequendi quod constituerat, paratum scilicet exercitum adversùs Imperatorem educendi, juribus ad id frustrà commemoratis suis, haud persuasoque ut id bellum approbaret, & surdo ad preces omnes tales Papa persistente. Qui vicissim Carolo allegabat Græcorum jura, placidè admonens possessam ab illis dudum Constantinopolim, iterùm ad antiquos dominos relapsam. Eas esse rerum humanarum vices: & Urbes & opes demum cæteras esse præmia belli. Eique legi acquiescendum. Præsertim cùm Græci quoque sint Ecclesiæ filii, & Christiani. Ajebat: non possumus Christianos cum Christianis committere, ne Dei iram in nos provocemus.* Fateor Caroli in Græcos prætensionem non fuisse fundatam: nihilominus præcipua Pontificis ratio fuit, quod citra divinam offensam committi non possent Christiani in Christianos. Utique Orthodoxi in Orthodoxos.
Lib. 5. cap. 26.

Eandem sententiam constanter tenuit Michael, primus Bulgarorum Christianus Rex, ita haud dubiè in Catechismo edoctus à Legatis utriusque Ecclesiæ, & Romanæ & Constantinopolitanæ. Item sic edoctus in Monasterio. Etenim optimus Princeps, ubi gentem suam firmaverat in Christiana doctrina ac vita, semetipsum abdicavit regno, & clausit intra Monasterium.
An. 895. Audiamus hæc à Fuldensibus Francorum Annalibus: *Pacem Græci cum Avaris, qui dicuntur Hungari, fecerunt quod eorum concives Bulgari in pravum vertentes, hostilit expeditione contra eos insurgunt, & omnem regionem illorum usque ad portam Constantinopolitanam devastando insequuntur. Ad quod ulciscendum Græci affatim sua naves illorum contra Avaros mittunt, & eas in regnum Bulgarorum ultra Danubium transponunt. Illi transpositi manu cum valida gentem Bulgarorum ingressi, ma-*

minam partem cædendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bulgari, cum omni festinatione deliberare primùm ab infesto hoste recurrunt, concitoque illicò prælio victi sunt. Item pari tenore recuperare nitentes, secundò caruere victoria. Tandem miseri, inſci quam conſolationis cauſam & remedii potuiſſent invenire, currunt omnes ad veſtigia vetuli illorum Regis Michaelis, qui eos primum ad Chriſtianæ Religionis veritatem convertit, inquirentes quid eis ad ab imminenti periculo evadendum conſuleret. Qui indicto triduano jejunio pœnitentiam de illata Chriſtianis injuria agere, dein auxilium à Deo quærendum eſſe præmonuit. Graviter improbavit, quod Chriſtiani Chriſtianis bellum intuliſſent. Etiam magnus ille, ac verè Chriſtianus Epirotarum Deſpota Alexander numquam apud nos Latinos voluit miſceri noſtris bellis, nec ſumere arma in Chriſtianos. Haud dubiè ita acceperat in Catechiſmo. Et antiqua Waldenſium hæreticorum diſcuſſio habuit & hos articulos: *Poteſt homo occidi ſine peccato mortali? Peccatne Papa mittendo exercitus contra Sarracenos, & dando Crucem contra rebelles alios? Peccantne Imperatores & Reges condendo leges de occiſione? Peccantne Judices & Jurati condemnando impios morte, vel condemnando maleficos morti?* Nempè errones hi cum Lactantio, & Tertulliano, & aliis quibuſdam antiquiſſimis damnabant capitalia judicia & omne bellum, ideoque inquirebatur, An bella non licerent contra infideles? Quod nempè hæc ſola tunc paſſim cenſerentur divinitùs permiſſa. Et reverà Chriſtiani Principes obligantur ſuas quæſtiones Epiſcopali, Papali præſertim, judicio ſubjicere. Hæc eſt antiqua forma. Iſtorum bella ſunt fraterna, ideoque nequiora civilibus.

Eandem ſententiam fortiter ſuadet antiqua, per magnum Belgii Chronicon adducta ac laudata, creandi militis forma, in qua initiandus faciebat hanc ſolemnem profeſſionem: *Pro Fide Catholica corpus audaſter exponere.* Nulla alia militandi cauſa exponitur. Et hodiernus Romanæ Eccleſiæ Pontificalis liber militarem gladium benedicit in hæc verba: *Exaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, & hunc enſem, quo hic famulus tuus circumcingi deſiderat, Majeſtatis tuæ dextera digneris benedicere, quatenùs eſſe poſſit defenſor Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſervientium, contra ſævitiam paganorum atque hæreticorum, aliiſque ſibi inſidiantibus ſit terror & formido.* Et alia ibidem Oratio habet: *Domine Deus, qui ad coercendam malitiam reproborum, & tuendam juſtitiam, uſum gladii in terris hominibus permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla ſupponit, pietate cœleſti vires & audaciam ad fidei & juſtitiæ defenſionem tribuas.* Rogat novum militem impartiri virtute Davidis contra Goliath, & Judæ Machabæi contra feritatem Gentium. Etiam ſolemnis armorum benedictio habet: *Concede famulo tuo, hæc arma geſtare cupienti, ut ad munimen ac defenſionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, pupillorum, ac viduarum, ipſis liberè ac victoriosè utatur.* Et dum benedictum enſem militi porrigit, Epiſcopus fatur: *Accipe enſem, & uteris eo ad defenſionem tuam, ac ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum Crucis Chriſti, ac fidei Chriſtianæ.* Et vexilli benedictio dicit ad Dominum Deum: *Hoc vexillum cœleſti benedictione ſanctifica, ut contra adverſarias & rebelles nationes ſit validum, ſitque inimicis Chriſtiani populi terribile, atque in te confidentibus ſolidamentum, & certa fiducia victoriæ.* Et ipſum porrigens Epiſcopus dicit ad militem: *Sit inimicis populi Chriſtiani terribile.* Quæ omnia altè clamant ſola, licèt reliqua omnia forſan non damnentur, pro Catholica fide aſſumpta bella probari ac benedici à Romana Eccleſia. Deſumpta hæc ſunt ex antiquo iſtius Eccleſiæ Ordine, quo olim uſa fuit omnis etiam Gallicana Eccleſia.

Iterùm repeto hæc omnia eſſe intelligenda de bello offenſivo. Etenim Chriſtiani adversùm quoſcumque, licèt Catholicos, iniquos invaſores poſſunt, imò debent arma ſumere, ac patriam Regionem defendere. Iſta mors eſt non dumtaxat glorioſa, ſed & pia. Inſigniter hoc in oratione, qua ſuos ac Regis Stephani ſubditos ad generosè contra invaſores Scotos in Standardico bello pugnandum fuit exhortatus, demonſtravit Venerabilis Turſtinus Archi-Epiſcopus Eboracenſis. Audiamus rem à Venerabili Richardo, Haguſtaldenſis Cœnobii Priore, in libro de Geſtis Stephani Regis ac bello Standardico. Affirmat Anglorum paucos fuiſſe armis inſtructos, plures de proditione ſuſpectos, & Regem alibi occupatum, ideoque omnem ſpem fuiſſe in Turſtino Archi-Epiſcopo magnæ probitatis & conſtantiæ viro, atque proſequitur: *Turſtinus, cùm eſſet Paſtor animarum illorum, non more mercenarii, infeſtante lupo de fuga ſibi præſidium ſperabat, ſed potiùs ſuper gregis ſui diſperſione ac pernicie, atque patriæ ſuæ deſtructione, graviſſimo compaſſionis vulnere lanciatus, omni ſtudio & conatu tantis malis remedium quærebat. Undè & divina auctoritate, quæ ei commiſſa fuerat, & ex Regia poteſtate, quæ illi tunc in hoc negotio tradita erat, & de illorum fidelitate ac probitate illos fideliter admonuit, ne à peſſima barbarie perignaviam ſe omnes una die proſterni ſinerent, ſed potiùs cuncti pariter cùm ſuis per veram pœnitentiam Deo reconciliati, & ad eum toto corde converſi, cujus iram ſe promeruiſſe tot ac tanta mala teſtabantur, fiduciali ter ac viriliter pro tanta neceſſitate agerent. Quod ſi devotè facerent, de miſericordia Dei præſumens, eos victores fore præmuntiabat. Namque illa peſſima gens potiùs Deo & ſanctæ Eccleſiæ, quàm ipſis, quantum poterat, adverſabatur: & idcò injuſtam, imò ſceleratam pugnandi cauſam habebat. Ipſorum verò cauſa erat juſta ac piiſſima. Quippè pro ſanctæ Eccleſiæ & ſuæ patriæ defenſione ſe periculo abjiciebant. Et ſi fortè Deo placuit ſine aliquorum illorum occaſu hoc diſcrimen non poſſe peragi, tali intentione pugnantibus non vnors formidanda, ſed potiùs optanda erat. Promiſit etiam eis, quòd ſuæ Diœceſis Presbyteros ſingulos cum Crucibus & Parochianis ſuis pariter cum illis in bellum procedere faciet, & quod ipſe cum ſuis bello intereſſe Deo diſponente cogitabat.* Et poſt quædam Richardus proſequitur: *Poſt modicum unuſquiſque cum ſuis munitis & bellicis armis inſtructis iterùm Eboracum convenimus. Itaque poſt acceptam priva-*

privatam pœnitentiam, illis pariter & omni populo Archi-Præſul triduanum cum eleemoſynis indixit jejunium, ac deindè abſolutionem ac benedictionem Dei & ſuam eis ſolemniter tribuit: & quamvis præ nimia infirmitatis & ætatis debilitate, ubi neceſſe erat, in lecto geſtaretur geſtatorio, ipſe tamen ad animos eorum accendendos, in prælium cum illis ire voluit. At ipſum remanere fecerunt, obſecrantes, ut in orationibus & eleemoſynis, vigiliis & jejuniis, & cæteris quæ ad Deum pertinet, pro eis intercederet ſat-geret; ipſi verò pro Eccleſia Dei, & illo qui ejus miniſter erat, prout ipſe eos adjuvare dignaretur, & ſicut illorum ordo exigebat, libenter contra hoſtes pugnarent. Tunc crucem ſuam, & ſancti Petri vexillum, & ſuos homines tradidit eis. Quin & Standardo, ſeu militari vexillo imponi juſſit Sacroſanctam Euchariſtiam, atque ita ipſum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe ducem iſtius belli. Etenim illi, qui Chriſtianos injuſto bello vexant, non ſolis fortunæ bonis, ſed etiam Eccleſiæ ac ipſi Divinæ Majeſtati inferunt ſummam injuriam. Eandem rem in ſingulari libro deſcribit Venerabilis Ethelredus Abbas Rie-vallenſis, & de Anglis jam pugnaturis adjungit: *Interea Radulphus Orcadenſis Epiſcopus, quem eò miſerat Archi-Epiſcopus Turſtinus, ſtans in eminentiori loco, cum populo prædicandi neceſſitatem in peccatorum remiſſionem indixiſſet, tundentes pectora, erectis manibus divinum auxilium precabantur. Factaque ſuper eos abſolutione Epiſcopus benedictionem ſolemni voce adjecit, cunctis alta voce reſpondentibus: Amen, Amen.* Hujusmodi armis oportet iniquos invaſores repellere, ac defendere patriam.

CAPUT V.

Qua poteſtate, & quo modo debeat indici bellum?

AGimus non de privato, ſed de generali bello. Quod nemo, niſi qui ſupremam in terris poteſtatem obtinet, poſſit ipſum indicere, eſt conſtans & manifeſta omnium doctrina. Hac de re ſcribit ſanctus Auguſtinus in quæſtionibus ſuper librum Joſue: *Homo juſtus nihil ita præcipuè cogitare debet in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Non enim omnibus fas eſt.* Et in libris contra Fauſtum Manichæum: *Sive Deo, ſive legitimo aliquo imperio jubente gerenda bella ſuſcipiuntur à bonis.* At verò legitimum ad hæc imperium non eſt niſi ſupremum. Proindè Comites, Duces, ipſique etiam Reges. Imperatorem aut Regem habentes ſibi ſuperiorem, uti nequeunt iſta violentia. Debent ſui Superioris ſtare judicio, & per ipſum ſuas quæſtiones terminare. Hinc apud primam Titi Livii Decadem Quintius Cincinnatus Conſul concionatur: *Qui ante Latinos, ne pro ſe quidem ipſi, cum in finibus hoſtem haberent, attingere arma paſſi ſumus, nunc niſi Latini ſua ſponte arma ſumpſiſſent, capti & deleti eramus.* Nempe Latini erant Romanorum clientes, ideoque ſine ipſis nec defenſivum poterant bellum incipere. Quin imò & Supremi Principes iſtam poteſtatem non habent in ſuo arbitrio. Etenim idem Scriptor adjungit de Tarquinii Superbi, ultimi Romanorum Regis, violentia ac tyrannide: *Hic Regum primus tradi-*

Lib. 1. cap 49.

tum à prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſolvit. Domeſticis conſiliis Rempublicam adminiſtravit: Bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe ipſe, cum quibus voluit, injuſſu populi ac Senatus fecit, diremitque. Proindè Romanorum Rex ſine Senatus ac populi conſenſu nequibat bellum indicere. Hinc ejecto Tarquinio aviram ſibi poteſtatem illi ſtatim repararunt. Hinc idem Scriptor pergit in quinta Decade: *Prætor novo, maloque exemplo rem ingreſſus erat, quod ante non conſulto Senatu, non Conſulibus certioribus factis, de ſua unius ſententia rogationem ferret, vellent juberentve Rhodiis bellum indici, cùm anteà ſemperpriùs Senatus de bello conſultus eſſet, deindè latum ad populum.* Et Curius Manlius Conſul quod citra Senatus ac populi conſenſum intuliſſet Galatis bellum, victor ſummas Romæ eſt paſſus difficulrates, & ægrè ſe potuit expurgare. Idem Livius edifferit ſeu ſeriem. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Et ſanè bellum eſt totius populi grayiſſima ac periculoſiſſima concuſſio, ideoque ſine Primatum aſſenſu non debeat inchoari.

Lib. 5. cap 21.

Decad 4. lib 8 cap. 45. 46.

Reges præſertim audire debent ſuos Epiſcopos. Hæc eſt antiqua Francorum Regum pietas ac diſciplina, laudata per ſanctum Gregorium Epiſcopum Turonenſem: *Cùm contentio inter Guntramnum & Sigebertum Reges verteretur, Guntramnus Rex apud Partiſos omnes Epiſcopos Regni ſui congregat, ut inter utroſque quid veritas haberet, ediceret. Sed ut bellum civile in majori pernicitate creſceret, eos audire, peccatis facientibus, diſtulerunt.* Nota voces: *Peccatis facientibus.* Edicunt iſtum Epiſcoporum neglectum fuiſſe pœnalem iniquarum mentium cœcitatem. Quæ forma etiam manſit apud Reges Carolini ſtemmatis. Quis ignoret horrenda bella, quæ tres Ludovici Pii Imperatoris ſucceſſores ac filii, Lotharius, Ludovicus, & Carolus, de paterni teſtamenti inæqualitate litigantes, crudeliſſimè geſſerunt? De ipſis tamen in ſecundo libro ſcribit Nithardus: *Cum alteruter, quæ, quantave, & qualia paſſi à fratre fuerant, referre deſiſſent, univerſi viſum unanimiter, parique conſenſu, tam ex Sacroſancta Ordine Epiſcoporum, quàm & Laicorum viros nobiles, prædivites, benevolos deligunt, per quos, quæ Pater inter illos ſtatuerat, & quæ poſt obitum patris ab illo paſſi ſint, mandant. Inſuper obſecrant, ut memor ſit Dei Omnipotentis, & concedat pacem fratribus ſuis, univerſæque Eccleſiæ Dei: cederet cuique, quod Patris fraternique conſenſu juſtè debebatur. Inſuper etiam ut juſtis precibus acquieſceret, offerunt illi quidquid abſque equis & armis in univerſo exercitu habere videbantur. Et ſi hæc monitis ac obſecrationibus acquieſcere vellet, placere; ſin aliter, ajebant ſe divino ex munere ſuffragium abſque dubio ſperare poſſe, ſi omne quod juſſum eſt vellent, & hoc fratri offerre humiliter ſtuderent, quæ quantam meritò rata videbantur, proinde expleta ſunt.* Hæc fuerunt conſilia & acta Ludovici & Caroli adverſus ſeniorem Lotharium. Qui quia ſpevit hæc omnes novimus rei exitum.

Lib. 4. cap. 42.

Epiſcopalem circa hæc proteſtatem inſigniter exponit Joannes VIII. Pontifex in litteris ad Epiſcopos Germaniæ. Præfatus Ludovicus

Germa-

Germaniæ Rex præfati Caroli, frattis ſui ac Imperatoris, invadebat regnum, aut certè diſponebat invadere. Hinc ejus Epiſcopos laudatus Pontifex arguit ut canes mutos, eis in memoriam revocat Ezechielis Prophetæ verbum, *Non adſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini*, atque proſequitur : *Ex adverſo quippè adſcendere eſt pro defenſione gregis libera voce buſuſmodi Poteſtatibus contraire. Et in die Domini in prælio ſtare, eſt pravis detectantibus ex juſtitiæ amore reſiſtere. Quod rursùs per eumdem Propheta deterret inquiens* : „ Si non annuntiave-„ ris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus „ de manu tua requiram : *Quid ad hæc dicemus, Fratres ? forſitan ideò Vos excuſabiles creditis, quia Regem non arguendum dicitis, ſed monendum. Aut perſecutionem quamlibet præcaviſtis, aut mortem, quæ omnibus ultima pœna eſt, timuiſtis. Sed Redemptor noſter in Evangelio nos hortatus eſt, dicens* : „ Nolite timere eos qui occidunt corpus, „ animam autem non poſſunt occidere. *Verùm quia nihil horum, quia nec inferendum ab aliquo fuerat, timuiſtis, reſtat procul dubio, quia non ſolùm ſecundùm prohibitionem Apoſtolicæ Sedis compatriotas veſtros ab invaſione Regni alterius fuiſſe dotaliter non vetuiſtis, imò cupiditati eorum veſtri favoris conniventiam ſociantes, quaſi pulvillos ſub cubito eorum manuum conſuſtis. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, dum correctionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique indulti favoris adhibetur, ut in errore molliter jaciat, quem nulla contradictionis auctoritas pulſat. Sed hæc Rectores, qui ſemet-ipſos diligunt, his procul dubio juxta quod beatus Prædeceſſor noſter Gregorius meminit, exhibent, à quibus ſe minùs poſſe ſtudio temporalis gloriæ timent.* Affirmat piura. Primò, quod ad Epiſcopale officium omninò ſpectet Reges ſuos ab iniquis bellis, non duntaxat monendo, ſed inſuper arguendo ac minando deterrere. Secundò, quod ab hoc officio per nullum prætextum excuſentur. Tertiò, quòd Regibus, iniqua bella parantibus aut gerentibus, adulari ſit manifeſtum iniquitatis fomentum, atque in Epiſcopo horrendum crimen. Hæc omnia Pontifex pluribus confirmat.

Ep 3.

Ex eadem regula adverſùs eumdem Ludovicum, Pontigonenſi, cui Apoſtolica Joannis VIII. Legatio aderat, Synodo ſupplicavit Remenſis Eccleſia. Non ſolius Eccleſiæ, ſed etiam Reipublicæ majores cauſas affirmat ex Innocentii I. ad ſanctum Victricium Rothomagenſem Epiſcopum Reſcripto ſpectare ad Romanam Eccleſiam, ideoque pergit ad ejus Legatos, ac item ad Imperatorem Carolum : *Quia Imperialem Excellentium veſtram Synodo præeſſe, & Vicarios Sedis Apoſtolicæ preſtò nobis adeſſe gaudemus, calamitates & miſerias Eccleſiæ noſtræ, ac filiorum noſtrorum, quas hoc anno à Ludovico Rege, itemque Ludovico filio ejus, & complicibus eorum, cædes videlicet, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, ſacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus enumerare poteſt, Eccleſia noſtra perpeſſa eſt, veſtræ Serenitati innoteſcimus, obſecrantes ut pro Dei Omnipotentis amore, & pro ingenita vobis benignitate, ac pro miniſterio impoſito, nobis & Eccleſiæ noſtræ, & filiis noſtris, ſecundùm promulgatam omnibus vobis ſapientiam, conſulatis pariter & ſuccurratis, ne de cætero talia ac tanta mala Eccleſia noſtra ac Regnum patiatur, qualia haſtenus paſſum eſt.* Rogant Imperatorem, ut cum ſuis Epiſcopis, Apoſtolicis præſertim Legatis, dignetur hoc bellum terminare. Et certè horrenda, bellis conſueta, facinora & flagitia impedire ac punire ſpectat omninò ad Epiſcopos, ideoque Reges in iſtiuſmodi negotiis obligantur non minùs hos audire, quàm ſuos Proceres.

Eximiè hæc ſervavit Rex Ludovicus Tranſmarinus. Ab Hugone Comite, quem ſibi ſubditum juſtiſſimè poterat armis compeſcere, vexatus, Engelheimenſi Synodo & Apoſtolicis ibidem Legatis porrexit has preces : *Debinc ex ſeſſionis ſuæ loco ſe ſubrigens inclytus Rex Ludovicus, ad præſentiam Sereniſſimi Regis Ottbonis*, primi Imperatoris, *tutuſque ſanctiſſimi Concilii unanimitatem, ſatis lacrymoſi conqueſtus protulit querimoniam. Videlicet quod Regni privaretur poteſtate à quodam Principe Hugone nominato, quondamque ſibi ſubjecto, cujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate Spiritus coadunati ſanctiſſimi Patres, ejuſmodi ſuper hac re ſententiam proiulere. Nullus deinceps Regiam Poteſtatem præſumat populari, ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere. Decrevimus enim, Toleſani Concilii judicium exequendo, Hugonem Regis Ludovici regni invaſorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, niſi fortè tempore ſtatuto ad Synodale Concilium veniat ; & à tam nefaria protervitate ſatisfactionem reſpiſcat.* Quod bellum poſſit eſſe juſtius, quàm domare perduelles, & publicam pacem per ſumpta adverſùm illos arma reparare ? Et tamen Ludovicus Rex Hugonem per Epiſcopos priùs emolliri voluit, & ſpirituali gladio invadi, quàm ad bellum profiliri. Etenim bellum pauciſſimos noxios, innumeros innocentes adigit in extremas calamitates, atque ita ad boni Principis officium ſpectat nonniſi poſt alia omnia tentata compelli ad iſtam terribilem medicinam. Non Populus propter Regem, ſed Rex eſt propter Populum : hinc ille in inchoando bello potiùs hujus quàm ſua debet jura ac injurias attendere. Nec enim exercitum producere, eſt procedere ad venationem.

Inita ſine ſuo judicio bella, licet juſta, Gallicani Epiſcopi olim durè caſtigarunt. Quòd initum inter tres Ludovici Pii ſucceſſores ac filios bellum damnaverint, & omnia in Fontiniaco prælio patrata utrimque homicidia ad ſolemnem pœnitentiam coegerint, diſcere potes ex literis Rabani Mauri Archi-Epiſcopi Moguntini ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem. Carolus Simplex erat manifeſtè legitimus Francorum Rex. Ipſum verò degradarunt Proceres, ac ejus in Thronum intruſerunt Ducem Robertum. Et hunc Herivæus Remenſis Archi-Epiſcopus ſolemniter coronavit. Verùm divina benedictio non adfuit. Etenim Herivæus tertio poſt die extinctus, Robertus intra annum eſt occiſus in prælio. Carolus ſine Epiſcopali judicio bellum

cœperat, & paganos Nortmannos denuò vocaverat in auxilium. Hinc factum eſt quod refert antiquus Codex, extans in Remenſi Monaſterio ſanctiſ Remigii : *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo vigeſimo tertio, Epiſcopatus autem Domini Seulphi ſecundo, convenientes ſancti Patres Seulphus ſcilicet Remorum Archi-Epiſcopus, Abbo Sueſſionicæ Urbis Epiſcopus, Adelelmus Laudunenſis, Stephanus Cameracenſis, item Adelelmus Sylvanectenſis, Ativardus tunc inibi ordinatus Novio-magenſis, cum cæterorum ejuſdem Remenſis Diœceſeos Epiſcoporum Legatis decreverunt hanc pœnitentiam his, qui bello Sueſſione inter Robertum & Carolum actо interfuerant, injungendam.* Pœnitentia exprimitur : Satis dura. Imponitur utriuſque partis militibus. Et quidem Seulphus, non minùs quam Herivæus, favebat Roberto. Etenim ejus ſororem Emmam, quæ fratris Regnum devolvit in maritum Rudolphum, poſtmodò ſolemniter conavit. Nec dubitandum, quin & Carolus inter Epiſcopos habuerit ſuos fautores. Verùm Epiſcopi tunc ſine ſuo judicio nolebant bellis infeſtari Chriſtianum populum, ideoque aliter inchoata bella durè flagellabant.

Hanc reverentiam Francorum olim Reges ſingulariter detulerunt Sedi Apoſtolicæ. Salomon Britonum Dux, Majores ſuos imitatus, vexabat non ſolummodò Turonenſem Metropolim, ſed & rebellabat Galliæ Regibus, negans conſuetos cenſus, aliaque id genus, ex quibus hodiè conſuevit prorumpi ad arma. Verum longè aliter egit Francorum Rex Carolus Calvus. Suas querimonias depoſuit apud tertiam Sueſſionenſem Synodum, hæc ad Nicolaum I. Pontificem legavit Sanctum Arctandum Namnetenſem Epiſcopum cum litteris habentibus & hunc articulum : *Intereà, ut more Prædeceſſorum ſuorum Auctor Britonum fidentiſſimo filio veſtro, Domino & Seniori Carolo, in cunctis obtemperet, eique omni humiliatione debita colla ſubmittat, annuoſque cenſus perſolvat, quia idem veſter ſpecialis filius diverſo undè ſecus Nortmannorum, aliorumve agitatur incommodo, veſtris ſuaſionibus, & ut expedit redargutionibus, quæſumus, decernite. Qui ſi contra hortamenta ſalubria Præcellentiæ veſtræ demum adſpirare nititur, gladio ſancti Apoſtolatus veſtri ſe percellendum debito cognoſcat libramine.* Salomonem, quod ſibi eſſet contumax, Synodus ſupplicavit, priùs moneri à Domino Papa, & non obedientem excommunicari, quòd tunc adverſùs eum procedant, uti adverſùs ethnicum & publicanum. Erant tunc certi de victoria. Etenim ſimiles juſtitiæ & Chriſtianæ diſciplinæ contemptores divina juſtitia paſſim facit imbelles ac enerves. Hanc eſſe unam ex effectibus excommunicationis pluribus demonſtravi in Scholiis ad Acta Sancti Gregorii VII. Et hinc Dux Salomon Apoſtolicis mandatis omninò obedivit. Ita habes apud Annales Francorum Bertinianos,

Defuncto Lothario Lotharingiæ Rege, quòd improlis eſſet, orta eſt de ſucceſſione quæſtio inter fratrem ejus Ludovicum II. Imperatorem, & patruum Carolum Calvum, Francorum Regem. Ludovici jus erat clarum. Ipſum Adrianus II. Pontifex exponit in litteris ad Hincmarum Archi-Epiſcopum Remenſem : *Quis melius Te novit, quòd filii quondam Ludovici Imperatoris, in unum convenientes, regnum inter ſe diviſerint, juremque-jurando ſibi invicem promiſerunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris ſibi uſurparet, aut omninò pervaderet.* Laudat inita & jurata pacta poſt prælium apud Fontiniacum Burgundiæ. Veiùm Hincmarus ad hæc reſcripſit : *Reverentiæ veſtræ debita humilitate reſpondebo, quoniam eſſe ita eſſe, ut ſcribitis, ſciremus, cùm ipſe Rex Carolus ita eſſe non confiteatur, nec vel legali vel regulari judicio indè convictus appareat, multis atteſtantibus fateatur hanc Regni partem ſibi à Patre Ludovico Auguſto, conſenſu tam Epiſcoporum, quàm cæterorum Procerum totius Imperii tradidam, & à fratre Lothario Sacramento publicè confirmatam, &c.* Acceſſit & alia ratio. Gentiles ac Barbari Nortmanni tunc vaſtabant omnem Galliam : & Imperator Ludovicus diſtrahebatur bello contra Sarracenos. Hinc Lotharingi, quò Norima nos evaderent, maluerunt vicinum Carolum, quàm dictantem Ludovicum, atque ita illum ſibi elegerunt in Regem. Certè Carolus ita affirmabat. Quidquid fuerit, ex iſtis rationibus invaſit Lotharingiam, & armis ſubegit. Hinc ad ipſum ſcripſit Adrianus Pontifex : *Quod ſi cunctis Paſtoribus Dominici gregis Dominus pro defidia, væ, generaliter dicit, tantò magis nos illam ſententiam formidare debemus, quantò præ omnibus, & pro omnibus non ſolùm honoris, ſed etiam oneris in humeris noſtris pondera quoque geſtamus. An non pro te, Rex, vationem coram Domino ponere compellemur, ſi, ut illud interim ſileamus, quod Miſſos Apoſtolicæ Sedis more Regali recipere contempſiſti, factum tuum non reprehendimus, & ſpiritali zelo redarguere deſiſtimus, quando contra Divinam, ſanctorumque Patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei ſponſionem, qua jurejurando pollicitus es, ne aliena, & præcipuè fratrum tuorum, Regna concupiſceres aut invaderes, regnum quondam Lotharii Imperatoris, quod ſpirituali filio noſtro, Domino Ludovico Auguſto, filio ejus, juxta divinas & humanas leges debetur, præſumpſiſti invadere, & in reatum perjurii incidere non formidaſti. Numquid a mente excidit, quod veſtra veſtrorumque juramenta Sedi Apoſtolicæ deſtinata diſcuſſimus, roboravimus, & in archivo noſtro bodie illa recondita retinemus? Quod ſi nec iſta tibi ſufficiunt, nunc ad majoris reprehenſionis tuæ cumulum tuis te ſpecialibus ſententiis convenimus, & ut ad cor redeas, ex oris tui profeſſionibus incitamus. Quando igitur Ludovici, fratris tui filii, viribus ſuperatus regnum perdidiſti, numquid non epiſtolam, quam habemus præ manibus, Sedi Apoſtolicæ direxiſti? in qua, inter cætera, confeſſus fuiſti dicens :* Cum fratribus noſtris poſt Fontaniacum bellum in unum convenimus, & inter nos, diviſione Regnorum facta, pacem fecimus, & jurejurando juravimus, quòd nemo noſtrum Regni alterius metas invaderet. Nunc autem regno meo, ſpretis juramentis, invaſo atque ſublato miſereatur veſter Apoſtolatus, & ne nomen Chriſti blaſphemetur in gentibus, ſine vindicante facicinus non relinquatur. *Ecce qualiter aliena concu-*

Ep. 41.

piſcere

piſcere tibi minimè convenit. Ecce tibi oſtenſum eſt, quòd juramenta publicè facta contempta ſint. Poſtremò ad fortioris ſuæ reprehenſionis indicium aliquantiſper monſtratum eſt, quod & te impunitum dimittere non debeamus. Qui quod alii facere precaberis, nunc in ſimili opere tibi facere juſto Nos oportet judicio, & te de tuis actibus increpare. Præcipuè, cùm apertiùs demonſtraris, quòd labilis tantùm, & non corde devotum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ te jactitaris eſſe filium.

Pontifex hæc amplificat, & tandem concludit: *His ſuccinctè prolatis, quoniam ſicut omnium pondera in humeris noſtris geſtamus, ita omnium actus prævidere debemus, ne pro humanis favoribus nos hæc dicere quis exiſtimet, ſi fortè acciderit, ut Principes noſtri, quibus à te pervaſum regnum jure debetur, ſibi illatas injurias non vindicarint, nos uſque ad veram emendationem, quia omnes ſalvare volumus, periuria illa, atque invaſionum tyrannides impunita nullo modo dimitteremus, quia non ambitione regni, ſed juſtitia commovemur, & non terrarum ſpacia quærimus, ſed ex debito virtis ac prævitatibus quibuſcumque reſiſtere vigilamus. Igitur ut interim perpaucis Gloriam veſtram conveniamus, monemus, & auctoritate Apoſtolica, quibus poſſumus modis ſpiritaliter ſuademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertiò monitus ab invaſione Regni ſpiritualis filii noſtri Chriſtianiſſimi Principis te penitùs ſubtrahas & compeſcas, aliena non concupiſcas, & quod tibi non vis fieri, illi non facias. Noli juſtis tuis, competentibuſque tibi rebus injuſtè captas tyrannicè ſociare, ne & juſtè poſſeſſas amittas, & injuſtè pervaſas juſto Dei judicio te ambiſſe pœniteat. Nos etenim, quoniam ſalvum te conſiſtere cupimus, & ut animæ corporiſque fælici ſucceſſu polleas anhelamus, niſi ſaltem nunc noſtris, aliiſve ſalubribus parueris monitis, ut & priùs inobedientiæ noſtræ ſpirituali cenſuræ conſiſteris, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quo minùs, Deo juvante, nosmet ipſi partes illas petamus, & quod noſtri eſt miniſterii penitùs peragamus.* Quid verò Pontifex in Lotharingiam advectus facere diſponeret, exponit in litteris ad Ludovicum Francorum in Germania Regem, Caroli Calvi fratrem: *Si Carolus Rex ab invaſione illa ceſſaverit, & ſuæ tyrannidi ceſſerit, ecce bene: ſin autem, ſcitote quia per nos illuc iter veniendi accelerabimus, & vêlus in contemptorem Dei & Apoſtolicarum monitionum, ultionem debitam inferemus, ne nobis imputetur, ſi ille impunitus remanſerit, & ſi ſe à pravis actibus, perjuriis ſcilicet & concupiſcentiis, aliiſque nefandis ſceleribus non correxerit, venturus Judex eum de manibus noſtris requirat, & pro defidia meritò reprehendat.*

Pontifex docet varia. Primò, quod Apoſtolica Sedes habeat non ſolummodò univerſalis honoris, ſed etiam oneris Primatum: ideoque obligetur bella & inchoanda impedire, & inchoata ſuccidere. Ex variis fundamentis. Etenim ad Apoſtolicam Curam primo loco ſpectant Chriſtiani Reges. Quòd ſint non dumtaxat oves Chriſti, ſed etiam iſtarum ovium Principes. Et Petro dictum eſt inter cætera: *Confirma fratres tuos.* Hinc & ejus Succeſſor obligatur fidelem populum à facinoroſis ac flagitioſis bellorum injuriis cuſtodire. Et ipſorum quoque militum animas in rectas Evangelii vias cogere. Secundò, Pontifex docet, quod injuſto bello vexatus à Chriſtiano Chriſtianus Rex poſſit invocare ſanctum Petrum Apoſtolum, ac injuſtum invaſorem ad ejus Cathedram proclamare. Ita in præſenti caſu fecit Imperator Ludovicus. Et ipſe non ita pridem fecerat Carolus Calvus. Etenim olim cum fratre Ludovico contra fratrem Lotharium, & nuperrimè adverſùs Ludovicum nepotem invocavit non ſolos utriuſque regni Epiſcopos, ſed inſuper ſanctum Petrum. Et laudatus Imperator, licèt contra Sarracenos in Italia diſtentus, omninò potuerat ſuam tueri Lotharingiam; at Patruum, antequam Chriſtianum populum calamitatibus involveret, monendum duxit per Sedem Apoſtolicam, & compeſcendum. Et Adrianus Pontifex Carolum, niſi arma deponeret, minatus eſt percutere ſancti Petri gladio, & infligere excommunicationem. Carolum arguit, quod ſine Papali judicio hæc injuſta bella inchoaſſet.

Etenim quòd ſine Epiſcopali judicio non proceſſerit, demonſtrant Papales litteræ ad Gallicanos Epiſcopos, præſertim ad Hincmarum Metropolitam Remenſem, & intimum Caroli Conſiliarium. Item hæc Hincmari pro Rege ad Pontificem apologetica verba: *Et computant*, utique hujus regni Proceres, *quanta iſte*, Rex Carolus, *ab Epiſcopis & populo Lotharingiæ in regnum, quod Lotharius habuit, invitatus ex-ordinata ordinaverit, & dicunt ſeculares Scripturam dicere, quia omne regnum ſæculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, non Apoſtolici vel Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur.* Hincmarus affirmat præfertim duo. Primò, quod Carolus Rex ad hanc expeditionem non ſola Epiſcoporum conſilia expetierit, ſed inſuper acceperit invitamenta. Secundò docet Regnorum jura eſſe in armis ac victoriis, ideoque nullum hic eſſe locum Epiſcopalibus, aut etiam Papalibus excommunicationibus. Compendio affirmat Regum ac bellorum negotia nec ad Epiſcopos ſpectare, nec ad Papam. Eſt inſigne principium: minimè Chriſtianum .. Adverſùs ipſum dixit ſanctus Auguſtinus: *Tolle juſtitiam, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Hinc Metropolita Hincmarus iſtud principium non aſſeruit, ſed ſcripſit adſeri à Proceribus Francorum. Plura ſunt exempla Chriſtianorum Principum, qui ſine Epiſcopali, imò & ſine Papali judicio non præſumpſerunt in bella prorumpere. Et certè Chriſtianus populus non minùs ad Epiſcopos, quàm ad Reges ſpectat: & ad nullum ſtrictiori jure, quàm ad ſummum Pontificem.

Eſt antiquiſſima Regum pietas & lex, inducta per ipſum Magnum Conſtantinum. Etenim de ipſo in Perſas moturo ſcribit in ejus vita Euſebius Epiſcopus Cæſarænſis: *Conſtantinus, cùm id plenè ſecum ſtatuiſſet, militares Ordines eduxit, & de expeditione cum Epiſcopis, quos ſecum habebat, communicabat, exiſtimans oportere ex his aliquos, ad pietatis officia maximè idoneos, perpetuò ſibi adeſſe.* Et de Homeritarum Rege, coram quo gloriosè diſputarat cum Herbano Lib. 4. cap. 86.

Judæo, ſcribit ſanctus Gregentius Archi-Epiſcopus Tephrenſis: *Rex conſilia de pace & bello, & de quacumque re alia, primùm per ſanctum Gregentium Dominum interrogans capiebat, mandata ſibi prompte & alacriter exequebatur, neque unquam aberrabat ab officio, ut potè qui à Deo imperata aggrederetur.* Diſputatio iſta eſt quidem facta per ſanctum Gregentium, videtur tamen conſcripta per alium. Plures hoc ſuadent rationes.

Secundam belli rectè indicendi conditionem exponit in tertia Decade Titus Livius, agens de Romanorum ad Carthaginenſes Legato, & illius ad horum Senatum Oratione: *Romanus, ſinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum portamus aut pacem. Utrum placet ſumite. Sub hanc vocem haud minùs ferociter, daret utrùm vellet, ſucclamatum eſt. Et cùm is iterùm ſinu effuſo bellum dare dixiſſet, accipere ſe omnes reſponderunt, & quibus acciperent animis, eiſdem ſe geſturos.* Ambo erant gentiles: animalia gloriæ. Certè & Legatus & Senatus debuerant pacem eligere. Ita omninò mandat Lex Chriſtiana. Hinc in litteris ad Comitem Darium ſanctus Auguſtinus poſt prædicatam militaris fortitudinis gloriam adjungit: *Majoris gloriæ eſt ipſa bella verbo occidere, quàm homines ferro, & acquirere vel obtinere pacem pace, non bello. Nam & bi qui pugnant, ſi boni ſint, procul dubio pacem, ſed tamen per ſanguinem quærunt.* Et in litteris ad Comitem Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus à neceſſitate, & conſervet in pace.* Affirmat ante belli indictionem eſſe ad pacem tentanda omnia, & citrà extremam neceſſitatem non poſſe in ipſum prorumpi. Ex hac regula ſcribit in Francorum hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: *Apud pontem Urbienſem civitatis Pariſiacæ Chilpericus Rex cuſtodes poſuerat, ut inſidiatores de regno fratris ſui, ne nocerent aliquid, arcerentur. Quo Aſclepius ex Duce prægnito noctè irruens interfecit omnes, paguinque ponti proximum graviter depopulatus eſt. Cumque hæc Regi Chilperico nuntiata fuiſſent, mittit nuntios Comitibus, Ducibuſque, & reliquis Agentibus, ut collecto exercitu in regnum Germani ſui irruerent. Sed prohibitus eſt conſilio bonorum, ne faceret, dicentium ſibi: illi perverſè egerunt. Tu verò ſapienter age. Mitte fratri tuo nuntios, & ſi injuriam tuam emendare voluerit, nihil mali queras; ſi verò noluerit, tractabis deinceps quid ſequaris. Et ſic ratione accepta, prohibito exercitu, legationem fratri dirigit. Sed ille cuncta emendans, fratris queſtvit integrè charitatem.* Eandem regulam ſecutus eſt Rex Clotarius Primus. Etenim ſuis Ducibus in Saxones, injuriarum ſatisfactionem offerentes, movere volentibus repoſuit: *Benè loquuntur hi homines, non incedamus ſuper eos, ne fortè peccemus in Deum.* Et iterùm: *Deſiſtite, quæſo, deſiſtite ab hac intentione. Verbum enim directum*, hoc eſt, juſtum, *non habemus. Nolite ad bellum ire, quo diſperdamini. Tamen ſi eò ire voluerîtis ſpontanea voluntate, ego non ſequor.* Ita refert idem Gregorius, & adjungit Francos tunc fuiſſe miſercimè cæſos, compulſoſque ad poſtulationem pacis. Rex læſus ante omnia debet ſatisfactionem petere, & ipſa oblata eſſe contentus. Injuriæ enim reparatio eſt unicus finis belli. Hinc & ſanctus Nicolaus primus Pontifex ad Neophytos ac bellicoſiſſimos Bulgaros ſcripſit bella eſſe diaboli inventum, ideoque ab illis, niſi quæ neceſſitas, eſſe penitùs abſtinendum.

Lib. 1. cap. 18.

Ep. 263.

Lib. 6. cap. 19.

Tertia rectè indicendi belli conditio ſunt Fæciales, quos Titus Livius ſcribit inſtitutos ab Anco Martio, Rege Romanorum. Extindè juſtitia vetuit quemquam ex improviſo aggredi: Primò debuit ſolemniter moneri per Fæciales. Cujus conditionis Chriſtiani Principes ſemper fuerunt obſervantiſſimi. Hinc de Richardo, Comite Pictavienſi, Henrici II. Anglorum Regis filio, & Ludovico VII. Francorum Rege, ſcribit Radulphus de Diceto, Decanus Londinenſis: *Rex Francorum tulit indignè, quòd Comes Pictavorum Richardus regnum ſuum hoſtiliter impugnaverat, eo non diffidato, nec certior ato.* Hinc & ipſe leges belli intregit. Et de Ottocaro, Bohemorum Rege, adverſùs Rudolphum Imperatorem inſurgente, ſcribit Auſtralis hiſtoria: *Rex Bohemiæ, collecto exercitu magno, cum machinis & diverſis inſtrumentis, & armis bellicis, manu valida Auſtriam ingreditur, quamvis quod dictu nefas eſt, numquam litteras diffidentiæ Regi Romanorum præmiſiſſet.* Addit fuiſſe punitum Divinitùs, ac à modico Rudolphi milite turpiter ſuperatum. Quæ Lex Regem obligat etiam reſpectu ſuorum feudalium Procerum. Etenim poſt extinctum in Aventonenſi obſidione Ludovicum VIII. Regem, Proceres Francorum poſtularunt reparari varia, intet quæ fuit & hic articulus: *Nec aliquis bello præveniatur, niſi priùs denuntietur per annum, & præmuniatur.* Ita habes apud Matthæum Pariſienſem. Nec dumtaxat ad ſe muniendum datur iſtud tempus, ſed etiam ad deliberandum de juſtitia belli, ad cogitandum de mutua ſatisfactione & pace.

Lib. 4. cap. 14.

Anno 1188.

Anno 1278.

CAPUT VI.

De intentione requiſita ad juſtè bellandum.

INtentio nequit eſſe recta, niſi dirigatur per rectam rationem. Hinc ante omnia videndum eſt, qualis notitia requiratur de belli juſtitia. Ipſam exponit in libris contra Fauſtum Manichæum ſanctus Auguſtinus: *Intereſt quibus cauſis, quibuſque Auctoribus homines gerenda bella ſuſcipiant: Ordo tamen ille naturalis mortalium pacì accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipienda belli auctoritas atque conſilium penes Principem ſit, exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debeant pacì ſalutique communi. Bellum autem, quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi, dubitari fas non eſt, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad ſubjugandam mortalium ſuperbiam, quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non ſolùm incorruptibili Deo, ſed nec Sanctis ejus obeſſe aliquid poteſt, quibus potiùs ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamque paternam diſciplinam etiam prodeſſe invenitur. Neque enim habet in eos quiſquam ullam poteſtatem, niſi cui data fuerit deſuper.*

Lib. 22. cap. 78.

Non

Non est enim potestas nisi à Deo, sive jubente, sive sinente. Cùm ergò vir justus, si sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui quod jubetur vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortassè Regem faciat iniquitas imperandi nocentem, innocentem autem militem offendat ordo serviendi; quantò magis in administratione bellorum innocentissimè diversatur, qui Deo jubente belligerat, quem malè aliquid jubere non posse, nemo, qui ei servit, ignorat.

Docemur hic multa & magna. Primò, quod ad indicendum ac gerendum bellum requiratur legitima causa, ac legitima auctoritas. Secundò, quod ista auctoritas sit solùm penes solum supremum Principem. Tertiò, quod prima hæc auctoritas sit penes Dominum Deum, ideoque de justorum ab ipso bellorum justitia nullatenus sit dubitandum. Quartò, quod in istiusmodi bellis homo justus in nocentissimè versetur, ideoque ipsorum gestores antiqui Patres à Manichæis sine fundamento damnentur aut arguantur. Quintò, quod Dominus Deus sceleratis gentibus mandarit inferri bellum ad earum superbiam terrendam, obterendam, aut subjugandam. Hæc est palmaris istorum bellorum utilitas. Sextò, quod etiam bella ista, quæ per injustitiam, aut certè humanam cupiditatem pravi homines gerunt, non careant suo fructu. Hominibus justis non solummodò non nocent, sed insuper prosunt. Nempè ad exercendam patientiam, humiliandam animam, & ferendam paternam disciplinam. Proindè bella istiusmodi sunt paterna Domini Dei disciplina, ideoque numquam videntur permitti nisi ob grandia multorum peccata. Omne regnum, omnis provincia, omnis civiras sunt mixta ex justis ac injustis habitatoribus: hinc idem bellum alios probat, purgat, ac perficit, alios damnat, facit fordidiores, ac evertit. In varios operatur varia, uti fornax in paleam & aurum. Et nemini nocet ultra suum meritum. Etenim sub justo Deo nemo potest esse miser, nisi mereatur. Et nemo est ultra meritum. Licet injusti bellorum gestores agant injustè omnia, in nullum tamen permittuntur attentare plura, quàm juxta illius merita. Adeò accurata est divinæ Providentiæ justitia. Nemo habet etiam malè faciendi potestatem, nisi à bono Deo. Licèt non omnis voluntas, ab ipso tamen est omnis potestas. Et hanc non dat extra limites nostrorum meritorum. Quam certissimam ac manifestissimam Sancti Augustini doctrinam quisquis intelligit, habet in suis calamitatibus multam consolationem.

Septimò discimus, quòd homo justus militare possit non tantùm sub justo Rege, sed insuper sub injusto, imò & sub sacrilego. Verùm ut hoc liceat, opus est duabus conditionibus. Prima est, ut sit certus de justitia belli, vel certè de injustitia non sit certus. Hoc est, dummodò justitia sit illi probabilis. Quia nempè rem probabilem imperanti Principi, aut cuivis Superiori, est promptè obediendum. Aurea sunt sancti Bernardi verba in libro de Præcepto ac dispensatione: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod tamen non sit certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præceptat Deus.* Quod ipsum sanctus Bernardus firmat, ac latiùs exponit in litteris ad Adam Monachum. Consonat in commentario ad octavum caput primi libri Regum magnus Gregorius: *Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium Majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operetur. Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire. Quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.* Cap. 12. Ep. 7. Lib. 2. cap. 39.

Est doctrina omnium Patrum. Regum ac omnium Præpositorum consilia sunt secretissima mysteria, quæ subditi penetrare non valent, nec possint curiosè rimari: hinc quidquid jusserint, nisi manifesta sit rei justæ iniquitas, est promptè admittendum ac exequendum. Sanctus Augustinus adjungit magnam regulam: *Ita ut fortassè Regem faciat iniquitas imperandi nocentem, innocentem autem militem offendat ordo serviendi.* Ad bellum justè indicendum nullatenùs sufficit probabilis justitia: esse debet certissima. Etenim Christianus populus fine firmissimis fundamentis non possit projici in miserandas animæ & corporis calamitates. Quare Rex, dum ex probabili dumtaxat justitia bellum indicit, peccat gravissimè, & tamen miles obligatur obedire. Duo idem opus faciunt, & unicus est nocens. Altera tali militi necessaria conditio est, *ut pacì & saluti communi serviat, servetque ordinem civicæ pacis.*

Maturè notanda sunt sancti Augustini verba: *Cum ergò vir justus, si fortè sub Rege sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare.* Aliud est militare, aliud bellare, seu præliari. Augustinus agit de illo, qui jam adscriptus est in militiam, & obstrictus Sacramento. Proindè alia est ratio illius, qui se vult dare in militiam. Hic cogi non potest, sed spontaneè eligit, ideoque uti Rex ex probabili dumtaxat causa non potest bellum indicere, ita neque hic Sacramentum adsumere. Erit Sacramentum manifestè herodianum. Probabili sententiæ nullus hic est locus. Etenim bellorum in humanum genus vulnera sunt tanta, ut infligi nequeant, nisi ex manifesta justitia, imò ex manifesta necessitate. Bellum indicere aut militiam assumere, non est inchoare litem, nec procedere venatum. Inconcussa est juris regula: *Actore non probante absolvitur reus.* Locum habet præsertim in capitalibus judiciis. Hinc nequaquam ex probabili, sed ex sola certa ac plenè probata scientia potest quis damnari ad mortem. At verò bellum indicere, aut militiam assumere est semet ipsum ad capitales, & qui quidem plurimorum hominum ac alias terribiles executiones obstringere: quare fieri non possit, nisi ex firmis ac manifestis fundamentis. Porrò quinam sint jam obstricti, & quibus modis quis astringatur militari Sacramento, suo loco exponetur. Attamen & hi, dum ad expeditionem evocantur, evocationis causam obligantur discutere. Etenim hic locum habet Apostolicus Canon: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Et Evangelica Lex: *Estote pru-*

prudentes sicut serpentes. Et si ad injustitiæ fundum penetraverint, obligantur projicere arma, & occidi potiùs quàm prædari. Dum causa dubia est ac probabilis, possunt deponere dubia, ac obedire.

Quin imo ut milites Principis sui causam censeant justam, aut certè probabilem, deponantque omnem cessitationem, non sufficit sola belli indictio, nec sola Principis auctoritas, sed ipse debet armorum suorum justitiam edicere, prædicare, pro viribus demonstrare. Ita Mediolanum expugnaturus Imperator Fredericus I. est ad suum Exercitum hæc solemniter concionatus: *Nemo nos pro libitu nostro bella gerere putaverit, quorum & eventus varius est, & quæ comitum fuorum videlicet fame, siti, vigiliis, denique diversis mortibus horrenda & formidolosa non ignoramus. Non ad prædium nos accendit libido dominandi, sed fœritas rebellandi. Mediolanum est, quod pacti foedus ei laribus excivit, quod charis liberorum & conjugum vos amplexibus abstraxit, quod omnes hos labores sua irreverentia ac temeritate capitibus vestris induxit. Justam vobis belli causam fecerunt, qui legitimo imperio rebelles inveniuntur. Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate vel crudelitate, sed pacis studio, ut malorum audacia coerceatur, & boni disciplinæ suæ debitum fructum inveniant. Ministri ergo justitiæ suffragium vestrum justè postulamus, ut temeritas adversariorum careat effectu, & Imperii flatus ad nostra deductus tempora nostro ministerio debitum sortiatur honorem.* Ita Lib. 1. cap. 27. habes apud Radevicum Presbyterum Frisingensis Ecclesiæ. Causam suam ita declaranti ac asseveranti Principi oportet credi à subditis, & obediri. Aliter indicta bella sunt obnoxia justis suspicionibus, ac sancti Augustini assertio forsan in ipsis non habet locum. Videtur mihi non habere.

De Christiani militis intentione jam nobis dixit idem Augustinus: *Ut pacis & saluti communi* Ep. 70. *serviat, serveturque ordinem civicæ pacis*. Et in litteris ad Comitem Bonifacium scribit: *Christianus miles ea fine intentione debet agere, ut defensæ ab infestationibus Barbarorum Ecclesiæ quietam & tranquillam vitam agat. Et in hoc mundo nihil quærere, nisi ea quæ necessaria sunt huic vitæ sustentandæ*. Et infrà: *Deum diligas, non diligas mundum, in ipsis bellis fidem teneas, pacem quæras, ex mundi bonis factas bona opera, & propter mundi bona non factas opera mala*. Et in alia ad Ep. 205. eumdem Comitem epistola: *Hoc primùm cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas: ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergò etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Itaque hostem pugnantem neces-* Ep. 263. *sitas perimat, non voluntas*. Et in litteris ad Comitem Darium: *Magni quidem sunt, & habent gloriam suam, non solùm fortissimi, sed etiam, quod verioris laudis genus est, fidelissimi bellatores, quorum laboribus atque periculis, Dei protegentis atque opitulantis auxilio, hostis indomitus vincitur, & quies Reipublicæ, pacatisque Provinciis comparatur. Nam & hi qui pugnant, si boni sunt, procul dubio pacem, sed tamen per sanguinem quærunt.*

Et in populari de Diversis sermone: *Volumus & milites audire Evangelium. Venientes autem ad* Serm. 111. cap. 16. *Baptismum Joannis dixerunt: & nos quid facie-mus? Ait illis Joannes: neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*. Proinde miles, dum militare Sacramentum accipit, habere debet firmam voluntatem, qua nihil quærat quàm cooperari ad impetrandam ac procurandam Reipublicæ pacem, neminem concutere aut calumniari, nihil quærere nisi necessaria alimenta, esse contentus suis stipendiis. Credere debet etiam bellicam fortitudinem esse Dei donum, ideoque se in justo precio protegendum à Domino Deo, & roborandum. Omnia nostra opera, ut plenè recta sint, ex Fide, Spe, & Charitate debent procedere: nec enim fructus est bonus, qui de ista radice non surgit. Proindè ista Regula locum præsertim habet in summi momenti negotio, à quo pendet salus animæ tuæ, tuique corporis, item salus & quies tot tuorum proximorum. Quæ omnia longè maximè obtinent in ipsis Regibus. Hinc rebelles Mediolanenses expugnaturus Imperator Fredericus, est concionatus ad exercitum: *Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio, ut malorum audacia coerceatur, & boni disciplinæ suæ debitum fructum inveniant*. Ita habes apud lauda- Lib. 1. tum Radevicum. cap. 26.

Apud sanctum Augustinum in decimi Tomi Appendice extat Sermo, hæc scribens: *Nonnulli qui militiæ cingulo detinentur, cùm peccant gra-* Serm. 3. *viter, hæc solent à peccatis suis prima se voce excusare, quod militent. Et ne benè aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur. Perindè quasi militia, non hominum voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est. Propterea enim providentia quadam sunt militantibus constituta stipendia, ne dum sumptus quæritur, prædæ grassetur*. Lucidè docet assumptam ex prædarum amore militiam esse grave peccatum. In litteris ad Alphium Monachum scribit etiam sanctus Isidorus Pelusiotes: *Bella ferè ob alienas conflantur possessiones*. Lib 5. *Et omnes bella gerentes non sunt accusandi. At qui* Ep. 386. *vel injuriæ vel rapiendi causa suscipiuntur, sunt pernicioso velut dæmonet habendi*. Et in litteris ad Isaiam militem: *Eum qui pugnis gaudet, & tumultibus delectatur, atque id fludet ut omnibus sit odio, quonam ipsum nomine aptius, & commodius quisquam appellet, quàm si illum nequam ac improbum dæmonem vocet, ut qui voluntate ac animi instituto naturam mutaverit? Quoniam igitur Christus, & hic ante tempus dæmones torquet, & in altero ævo sempiternum ipsis ignem una cum ipsorum patre promisit, aut tumultuariam vitam consectari desine, aut illud scito, te & hic flagris obnoxium esse, & illic vindictam minimè à te vitandam*. Lucidissimè docet omnes istos, qui non ex procurandæ publicæ pacis ac reparandæ justitiæ casta charitate, sed ex rapiendi, fe de quovis vindicandi, aut tumultuosam seu libertinam vitam ducen-

ducendi cupiditate prælia aut militiam fuſciſ-piunt, eſſe torquendos cum dæmonibus, imò ipſis eſſe nequiores. Iſtiuſmodi hominum congeries non eſt Chriſtianus exercitus, ſed legio dæmoniorum. Quod ipſum notent Reges, ac ipſorum Conſiliarii. Reges qui non ad reparandam juſtitiam, ſed ad captandam victoriæ & triumphi gloriam, ad dilatandum Imperium, ad diminuendas adverſarii vires, aut ad ſimiles cauſas in bella profiliunt, verſantur in formidoloſis militaris profeſſionis periculis. Scio caſtam tuendæ juſtitiæ intentionem eſſe tamæ hominum turmæ difficilem. Ex variis principiis. Hinc ſuprà dixi militiam eſſe periculoſam profeſſionem.

Quam meam aſſertionem amplè confirmat in litteris ad Quintinianum ſanctus Iſidorus Peluſiotes: *Durus me rumor perturbavit, infauſta quædam ac deteſtanda annuntians. Ajunt nonnulli*
Lib. 1. Ep 390. *ita te inſanire, ac mentis errore adfici, ut puerum illum, quem Deus omnis eruditionis capacem fecit, ad arma, & vilem ac deſpuendam, mortiſque ludum exiſtentem, militiam ducere velis. Quamobrem, niſi bonæ mentis jacturam prorſùs feceris, abſiſte ab hoc præpoſtero conſilio. Ne lucernam, quæ egregiè accendi ſtudet, extinguas, ſed eum, qui ratione utitur, litterarum fluuiis aſſiduam operam dare permitte. Illam autem dignitatem, imò pœnam & cruciatum, aliis quibuſdam circulatoribus, quibus communis vecordia & litterarum inſcitia connexa eſt, concilia.* Affirmat plura. Primò, quòd militia ſit vilis ac deſpuenda profeſſio. Secundò quod ſit mortis ludus. Nec de caligata aut gregaria militia loquitur, ſed etiam de nobili ac Prætoriana. Hinc tertiò affirmat ipſam non eſſe dignitatem, ſed pœnam & cruciatum. Quartò, quod illa non nobilibus, aut aliis bonæ indolis ac talenti juvenibus concilianda ſit, ſed circulatoribus, quibus ineſt vecordia, ac inſcitia litterarum. Cenſet ad bellum non ducendos, niſi tales, quales in tertia oratione deſcribit magnus Baſilius: *Alius quidem eo peccavit, quod à puero perperàm educatus ſit, & ab injuſtis parentibus in lucem editus, ac enutritus in prævis tum verbis, tum factis. Alius verò, quamvis multa illi ſuppeterent, quæ ipſum ad virtutem excitarent, nempè educatio honeſta ac liberalis, exhortatio parentum, perfectio ac præſtantia quædam naturæ, auſcultatio divinorum ſermonum, victus moderatus, & alia quibus animus ad virtutem inſtitui ac informari ſolet, tamen & ipſe peccato ac ſcelere ſe obſtrinxit.* Ex his principiis ſanctus Iſidorus nobilem virum dehortatur, ne filium ſuum, bono talento ornatum ac litteratum ſtudio deditum adoleſcentem, permittat inſcribi militiæ. Nec eſt ſimplex dehortatio. Affirmat delatum ſibi nuntium eſſe infauſtum ac deteſtandum. Quintinianum inſanire, ac mentis errore affici. Feciſſe jacturam bonæ mentis. Quæ omnia Chriſtiani, nobiles præſertim, bene advertant, ac imprimant memoriæ.

Hinc ad Comitem Bonifacium verè ſcripſit S. Auguſtinus: *Quis non videat, quòd multi homines tibi cohæreant ad tuendam tuam potentiam vel*
Ep. 70. *ſalutem, qui etiamſi omnes tibi fideles ſint, nec ab aliquo eorum ullæ timeantur inſidiæ, nempè tamen ad ea bona, quæ ipſi non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm ſæculum diligunt, per te cupiunt pervenire, ac per hoc qui refrænare & compeſcere debuiſti cupiditates tuas, explere cogeris alienas. Quod ut fiat, neceſſè eſt multa, quæ Deo diſpliceat, fiant: nec tamen explentur cupiditates. Nam facilius refecantur in eis, qui Deum diligunt, quàm in eis, qui mundum diligunt, aliquando ſatientur. Quando ergò poteris tot hominum armatorum, quorum fovenda eſt cupiditas, timetur atrocitas: quando, inquam, eorum poteris concupiſcentiam, qui diligunt mundum, non dico ſatiare, quod fieri nullo modo poteſt, ſed aliqua ex parte paſcere, ne univerſa plus pereant, niſi tu facias quæ Deus prohibet, & facientibus comminatur? Propter quod videt tam multa contrita, ut jam vile aliquid, quod raptatur, vix inveniatur.* Tot turbidorum & animalium hominum turmas regere & continere eſt magnum revertà opus. Ut rectè & Chriſtianè fiat, eſt ſingulariſſima gratia Spiritus ſancti. Hinc neceſſè eſt, ut ipſorum Magiſtri ſint magni Chriſtianæ juſtitiæ Gigantes, qualem idem Auguſtinus mandat eſſe eundem Comitem Bonifacium: *Ornet mores tuos pudicitia conjugalis,* Ep. 205. *ornet ſobrietas & frugalitas. Valdè enim turpe eſt, ut quem non vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui non vincitur ferro. Divitiæ ſæculares, ſi deſint, per mala opera non quærantur in mundo; ſi autem adſint, per bona opera ſerventur in cœlo. Animum virilem & Chriſtianum non debent, ſi accedunt, attollere; nec debent frangere, ſi recedunt. Illud potiùs cogitemus quod Dominus ait: ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Militum magiſtri ſunt non ſolius exercitus, ſed & totius Reipublicæ, imò & Eccleſiæ oſſa, firmamenta, antemuralia: hinc non ſolummodo in corporali robore ac humana prudentia, ſed inſuper in omni Chriſtiana juſtitia debent eſſe valida & firma.

Propter hæc & ſimilia ſuos olim, martyrium diſſuadentes, amicos interrogavit ſanctus Gordius, militum Centurio: *Nam militans ordo deſperatam habet ſalutem? Nulluſque Centurio plus? Et reſpondit: recordor primi Centurionis, qui Cruci Salvatoris aſſiſtens, ejus Divinitatem per prodigia facta cognoſcens, non eſt veritus, adhuc Judæis in cæde furentibus, nomen ejus palam fateri. Quod enim animo ſenſit, id ore ſubitò manifeſtavit:* Verè Dei Filius erat iſte: *Alius item Centurio Chriſtum adhuc in carne exiſtentem eſſe Deum, & Regem virtutum agnovit, qui poſſet ſolo verbo opem ſuam per Miniſtros ſpiritus egentibus adferre: Cujus & fidem Dominus Iſraeli univerſo prætulit. Cornelius item Centurio Angelum Domini videre, & per Petrum ſalvus fieri meruit, cujus Dominus preces ſimul ac eleemoſynas reſpexit. Horum igitur Centurionum diſcipulus ac imitator eſſe cupio.* Habes hæc apud Magnum Baſilium in encomio laudati Martyris. Et iſtiuſmodi non dumtaxat Centuriones aut Tribunos, ſed & gregarios milites Eccleſia ſemper habuit plurimos. Quare militum profeſſio, licèt periculoſa, ſi tamen rectè expleatur, ſancta eſt, ac Eccleſiæ per-neceſſaria.

CA-

CAPUT VII.

Rectæ intentionis in milite qualitas ac necessitas demonstrantur ex antiqua forma creandi militis.

SOlemnis ac pomposa militis creatio est res antiquissima. Etenim in libro de Germanorum moribus scribit Cornelius Tacitus: *Arma sumere non ante cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso Concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornat. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos. Ante hoc domus pars videtur, non Reipublicæ. Insignis nobilitas, aut magna Patrum merita Principis dignationem etiam adolescentulis adfignant.* Ut nempè non in juventute, sed in prima statim adolescentia creentur milites. Qui mos viguit etiam apud Romanos. Etenim de Imperatoris Constantii in se actis scribit ad Senatum ac populum Athenienſem Imperator ac Apostata Julianus: *Cùm adversùs Sylvanum bellum fuisset, ingressus mihi in aulam permittitur, & Tribunatus cum necessitate persuasio, quam vocant, inducitur. Nam cum ego ullcam illam consuetudinem constanter repudiarem, isti quasi in consortis officina cocuntes barbam mihi tundent, & injecto amiculo in militem me valdè, ut putabant tunc, ridiculum subornant. Nullus enim istorum sceleratorum cultus mihi congruebat.* Et ad neſcio quem Leontium scribit: *Te semper virum intellexi, ac in agendo pedibus & manibus ita contendere, ut te ipsum superare videaris. Quare armorum usum tibi permittimus, armaque universa mittimus, quibus adhuc pedites utuntur, teque Domesticorum numero adscribimus, qui ex jis delecti sunt, qui arma gestant, ac bellis interfunt.* Ipsum creat militem. Et quidem per codicillum. Creationis morem nec Constantius induxit, nec Magnus Constantinus. Haud dubiè ipsum accepere à suis Antecessoribus.

Cap. 13.

Eadem forma manavit ad omnia Christiana Regna, probata per Ecclesiam, ornata sanctissimis ritibus, ac erecta in Sacramentalem ceremoniam. Etenim in antiquo Romanæ Ecclesiæ Ordine extat hic titulus: *Ordo ad armandum Ecclesiæ defensorem, vel alium militem.* Habes istic solemnem benedictionem vexilli, scuti, gladii, aliorumque armorum. Et in hodierno Romanæ Ecclesiæ Pontificali libro habemus hoscе titulos: *De benedictione novi militis. De creatione militis regularis. De benedictione & impositione Crucis proficiscentibus in subsidium & defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ. De benedictione armorum. De benedictione ensis. De benedictione & traditione vexilli bellici.* Hæc omnia Romanus Ordo olim conjunxit, ex ipso formatus Pontificalis liber distinxit in varia capita, & actus. Nec solum sacrum aut regularem benedixit militem, sed & laicum. Romanus Ordo sacros aut regulares, utpotè tunc necdum natos, milites penitùs ignoravit. Eadem pietas viguit semper apud Græcos. Ipsorum namque Euchologium habet hoscе titulos: *Oratio ad compingendam navem. Officium in Barbarorum adventum, ac Gentilium incursum. Canon supplex ad sanctissimam Deiparam in rumore belli. Oratio in Imperatorem, ac ejus excercitum. Oratio in celocem pro classe ad aliquam Urbem missa. Oratio in promotione Procerum, vel etiam Patriciorum. Oratio in cum qui imisse rum, sive officium aliquod est subiturus.* Est antiquissima apud ipsos pietas. Etenim de Persis Mesopotamiæ Theodosiopolim obsidentibus, & quodam inter ipsos Rege Divinam Majestatem blasphemante, scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus: *Rabiem hanc non ferens divinus ille vir*, Eunomius præfatæ civitatis Episcopus, *basilisam, cui nomen à Thoma Apostolo erat, in muri pinna statui jussit, lapidemque ingentem imponi, atque in ejus, quem blasphemarat, nomine emitti jussit. Qui rectâ in illum impium Regem est directus.* Ex tunc Græci non solos milites, aut ipsorum arma benedicebant, sed & ipsas basilisas, aliaque bellica tormenta. Pietas haud dubiè cœpit cum Magni Constantini Imperio.

Lib. 5. cap. 36.

Latina Ecclesia non statim donavit dignitatem ac benedictionem militis, sed per gradus. Primò creavit Armigeros, deindè ex armigero militem. Armigerorum apud antiquos Scriptores est frequens mentio. Magnum Belgii Chronicon scribit de bellantibus inter se Hollandis ac Frisionibus: *Per recentes armigeros crudele bellum inborruit.* Et infrà de Brabantia agens distinguit: *Nobiles, Milites, Scabinos, Armigeros.* Et de Adriano Hollandiæ Bastardo scribit: *Cum multo satellitio Armigerorum in præsidio viriliter permansit.* Et de Frederico I. scribit in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecensis: *Ex abundanti lætitia, quam Dominus Imperator super tanta excrcitus conceperat multitudine, militiæ ludum gaudens in propria persona ordinavit, & sexaginta juvenes nobiles, qui Armigeri nuncupantur, ad militarem habitum & cultum militiæ transiliit.* Et de Boleslao Bohemorum Duce, ac sancto Henrico Imperatore scribit in sexto sui Chronici libro Ditmarus Episcopus Merseburgensis: *In Pentecostes vigilia Boleslaus cum fecuritate obsidum apud se reliquorum venit Merseburgum, & optimè suscipitur. In die sancto manibus applicatis miles efficitur: & post Sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti Armiger habetur.* Licet esset evectus in militem, non est dedignatus Imperatori exhibere Armigeri officium. De præfato Imperatore Frederico scribit Godefridus, Coloniæ apud sanctum Pantaleonem Monachus: *Filius Imperatoris Henricus, adhuc quingennis, unctus est in Regem à Philippo Colonienſi Archi-Episcopo, die Assumptionis Beatæ Mariæ.* Et infrà: *Imperator Curiam adeò celebrem, & omni Romano orbi famosam in civitate Moguntinensi habuit, ut nulla comparatione Antecessorum ejus Curiæ huic comparari possint. Non solium enim ex Romano Imperio, verùm & ex multis aliis regnis Honorati illic adunati fuerant, liberalissimè eis Imperatore per triduum copiam impartiente; Causa tantæ frequentiæ fuit, quod filius Imperatoris Rex Henricus Ense militiæ accingendus erat.* Nempè per saltum erat promotus in Regem, priusquam in militem: hinc intermissa ante Imperialem promotionem debuerunt suppleri. Ex

Fol. 252. Fol. 360. Fol. 363. Lib. 3. cap. 27. Fol. 81. An. 1169.

eodem principio idem Gofridus infrà ſcribit. *Comes Provinciæ quinquagenarius ideò tunc primum*
An.1235 *ab Imperatore ad gradum militiæ eſt provectus, quod Comites ſuæ parentelæ ſe credunt non diu poſſe vivere, poſquam gradum militiæ ſunt adepti.* Et ad Joannem Archi-Diaconum ſcribit Petrus
Ep. 94. Bleſenſis: *Milites olim ſe juramenti vinculo obligabant, quòd ſtarent pro Reipublicæ ſtatu, quòd in actic non fugerent, quòd vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent. Sed & hodie Tyrones enſes ſuos recipiunt de Altari, ut profiteantur ſe filios Eccleſiæ, atque ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & ad patriæ liberationem gladium accepiſſe.* Per Tyrones omninò intelligit Armigeros. Armiger ac miles ſunt ſubordinati gradus: prior eſt diſpoſitio ac via ad poſteriorem.

Uterque olim dari conſuevit per multam ſolemnitatem. Conſuetas in militis creatione ſolemnitates laudant quædam jam adducta teſtimonia. Eadem de re ſcribit Ludovici Imperatoris Pii Annaliſta ac Aſtrologus: *In hoc conventu Imperator filium Carolum armis viriilibus, id eſt, enſe accinxit, corona Regali caput inſignivit, partemque regni attribuit.* Et præfatus Abbas Arnol-
Lib 3. cap. 9. dus: *Fredericus Imperator indixit Curiam famoſiſſimam, & celeberrimam apud Moguntiam, quæ celebrata eſt in Pentecoſte, anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo, Imperii autem ſui anno trigeſimo ſexto, ut filium ſuum Henricum Regem declararet militem, & gladio militiæ ſuper femur ejus potentiſſimum accingeret. Venit igitur illuc omnis Dignitas Poteſtatis & Principatus, Sublimitas Archi Epiſcoporum, & Epiſcoporum, gloria Regum, jucunditas Principum, & multitudo Nobilium, Imperatori certatim placere volentium.* Quod ipſum
An.1086 jam audivimus à Godefrido Monacho. Et de Guilielmo Anglicani Regni Conqueſtore ſcribit Simeon Monachus Dunelmenſis: *Guilielmus in hebdomada Pentecoſtes filium ſuum Henricum apud Weſt-Monaſterium, ubi Curiam ſuam tenuit, armis militaribus honoravit.* Et iterùm: *Guilielmus Rex Uſſum, Haroldi quondam Anglorum Regis filium, & Duncebaldum Regis Scotorum Macholmi*
An.1087 *filium, à cuſtodia liberatos, & armis militaribus honoratos, abire permiſit.* Carceris tædia per collatam militis dignitatem eſt ſolatus in ipſis, & quaſi abolevit. Et de Ladislao Hungariæ Rege,
An.1438 Alberti II. Imperatoris filio, ſcribit Conradi Abbatis Huſpergenſis Supplementum: *Ladislaus poſthumus naſcitur, qui mox ut in lucem prodiit, apud Albam Regalem & Baptiſmum Chriſtianæ fidei ſignaculum, & militiæ cingulum, & ſacram Hungariæ coronam eadem die accipit.* Plura ſunt iſtiuſmodi exempla.

Omnem creationis ritum inſigniter exponit
Fol.244. magnum Belgii Chronicon. Demonſtrat Guilielmum Hollandiæ Comitem fuiſſe electum in Imperatorem, & proſequitur: *Electus vigeſimum agens annum adhuc fuit imberbis, robore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, ſtatura procerus, ac in corporis diſpoſitione collaudandus. Sed quoniam idem adoleſcens electionis ſuæ tempore fuit Armiger, cum feſtinatione præparata ſunt omnia, quæcumque fuerunt neceſſaria, ut ſecundùm ritum Chriſticolarum Imperatorum miles fieret, antequam Aquiſgrani diadema Regni ſuſciperet. Verùm quia plerique milites moderni temporis, patrimonia intendentes, omiſſis ſumptuoſis ſolemnitatibus, ſaltem per impoſitum colaphum conſequuntur militarem dignitatem, idcoque multi regulam ejuſdem Ordinis ignorantes, debitè militare neſciunt, viſum nobis fuit in præſenti Chronographia paulò fuſiùs annotare, quem in modum hic Wilhelmus ſecundum Chriſtianam inſtitutionem, miles effectus, & regulam Militaris Ordinis cum ſumma feſtivitate profeſſus ſit, ut ex eo diſcant moderni milites, cujuſmodi jugum in Ordine ſuo ſuſceperint, aut certè quale votum in profeſſione ſuæ regulæ emiſerint. Itaque præparatis in Eccleſia Colonienſi omnibus, poſt Evangelium Solemnis Miſſæ, prædictus Wilhelmus Armiger coram Cardinale Legato producitur eſt per Regem Bohemiæ, dicentem in hunc modum: Veſtræ Reverentiæ, Pater Almiſſue, præſentamus hunc electum Armigerum, devotiſſimè ſupplicantes, ut Veſtra Paternitas votivam ejus profeſſionem ſuſcipiat, quo militari noſtro Collegio dignè adſcribi poſſit. Dominus autem Cardinalis, in Pontificalibus aſſiſtens ornamentis, eidem Armigero dixit, ſecundùm etimologiam ejuſdem nominis, quod eſt miles, oportet unumquemque militare volentem eſſe magnanimum, ingenuum, largifluum, egregium, & ſtrenuum. Magnanimum quidem in adverſitate, ingenuum in conſanguinitate, largifluum in honeſtate, egregium in curialitate, & ſtrenuum in virili probitate. Sed antequam votum tuæ profeſſionis factus, cum matura deliberatione jugum Regulæ priùs audias. Iſta itaque Regula eſt militaris Ordinis, in primis cum devota recordatione Dominicæ Paſſionis Miſſam quotidie audire. Pro fide Catholica corpus audaciter exponere. Sanctam Eccleſiam cum Miniſtris ejus à quibuſcumque graſſatoribus liberare. Viduas, pupillos, & orphanos in eorum neceſſitate protegere. Injuſta bella vitare. Iniquas ſtipendia renuere. Pro liberatione cujuslibet innocentis duellum inire. Tyrocinia non niſi cauſa militaris exercetiti frequentare. Romanorum Imperatori, ſeu ejus Patricio reverenter in temporalibus obedire. Rempublicam illibatam in vigore ſuo permittere. Bona feudalia Regni vel Imperii nequaquam alienare. Ac irreprehenſibiliter apud Deum ac homines in hoc mundo vivere. Hæc Statuta militaris Regulæ ſi devotè cuſtodieris, & pro virili diligenter adimpleveris, ſcias temporalem te honorem in terris, & poſt hanc vitam requiem æternam in cœlis mereri. Quibus expietis, Dominus Cardinalis conjunctas manus ejuſdem Tyronis clauſi in Miſſali ſupra lectum Evangelium, ita dicens: Vis ergò militarem Ordinem devotè in Domino ſuſcipere, & regulam tibi verbotenus explicatam, quantùm potes, perficere? Cui reſpondit Armiger: volo. Et tum Dominus Cardinalis ſubſequentem profeſſionem Armigero dedit, quam idem Armiger palam omnibus in hunc modum legit: ego Wilhelmus Comes Hollandiæ, Militiæ Princeps, ſacrique Imperii Vaſallus liber, jurando profiteor militaris regulæ obſervantiam, in præſentia Domini mei Petri, ad Velum Aureum Diaconi Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legati, per hoc ſacroſanctum Evangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis: hæc devota profeſſio peccatorum tuorum ſit vera remiſſio. Amen. Iſtis itaque dictis, Rex Bohemiæ illum impegit in collum*

cellum Tyronis, ita dicens: ad honorem Dei Omnipotentis Te in militem ordino, ac in nostrum Collegium gratanter accipio. Sed memento, quoniam Salvator mundi coram Anno Pontifice pro Te colaphizatus, & illusus coram Pilato Præside, & flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram Herode Rege vestitus chlamide, & derisus, & coram omni populo nudus, & vulneratus in cruce suspensus est, cujus opprobria meminisse Te suadeo, cujus crucem accepture Te consulo, cujus etiam mortem ukisci Te mando. Quibus ita solemniter admiptetis, novus Tyro post dictam Missam cum flividentibus buccinis, perstrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus concurris in hastiludio, & ex inde cum gladiis existentibus dimicationis tyrocinium facit.

Hujus Chronici Auctor fuit apud Novesium Canonicus Regularis. Ei summas debemus gratias, quòd hæc omnia nobis custodierit, & Scripto ad nos transmiserit. Docet varia benè notanda. Primò, quod antiqui Christianorum Armigeri descendant ex antiquis Romanorum Tyronibus. Sunt nostri Tyrones. Secundò docet, quòd quis antequam evehatur in militem, debeat esse promotus in Armigerum. Tertiò, quod militis creatio fuerit functio mixta partim ad Sacerdotium spectans, partim ad Regnum. Quartò, quod fuerit actus multæ solemnitatis. Quintò, quod fuerit evectio in Dignitatem & Statum. Sextò, quòd fuerit professio & votum: & quidem solemne: consuetum acceptari per Ecclesiam. Septimo, quod istius voti materia & obligatio fuerint quotidie audire Missam, pro fide Catholica corpus audacter exponere, & alia superùs memorata. Octavò, quòd militis creatio fuerit sumptuosa solemnitas. Nonò, quod inter ejus ritos fuerit impactus colaphus. Propter adductas per Regem Bohemiæ rationes. Decimò, quod quidam ad evitandos sumptus imperarint creari per solum colaphum. Undecimò, quod ista creatio fuerit obnoxia incommodis. Quocirca hæc creandi militis forma est penitùs diversa ab illa, quam habet Romanum Pontificale & antiquus Ordo Romanus. Etenim in hac forma nullum votum emittitur, nulla acceptatur Professio, nullum imponitur onus audiendæ in dies Missæ, nullus colaphus impingitur. Quare hic fuit singularis & proprius mos inclytæ Nationis Germanicæ: ob eximiam pietatem admodum probandus & laudandus. Ista professio successit antiquo militum Sacramento, de quo Petrus Blesensis in litteris ad Joannem Archidiaconum: *Militaris hodie disciplina prorsùs evanuit, & se in quandam delinquendi libertatem & scurrilitatis speciem deformavit. Olim se juramenti vinculo milites obligabant quòd fiarent pro Reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, & quòd vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent. Sed & bodie Tyrones enses suos recipiunt de Altari ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad patriæ liberationem gladium accepisse.* Loquitur ex Romano Pontificali, atque ita affirmat quod etiam per istud fieri consueta Militis creatio non sit vacua omnis professionis. Epist. 95.

Romanum Pontificale Episcopo post impressum Christianæ Confirmationis Sacramentum hæc mandat: *Deinde leviter eum in maxilla cædit, dicens, pax tecum.* Hodierni Calvinistæ ritum exsibilant, & ipsorum quidam nuperrimè scripsit: *Ridiculum esset, nisi quod in re seriâ ludere nefas, quod de alapa, qua manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur Confirmatus, pugatur Catechismus Romanus: ut meminerit se tamquam fortem Athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invictò animo pro Christi nomine ferenda. Quasi verò ludrica illa actio, si quidquam significaret, non aptior esset ad contrarium repræsentandum, ubi velint Episcopum suum tum personam induere Caiphæ, & aliorum Christi persecutorum, qui propter Christi nomen injurias Christianis inferunt. Quod à veritate non esset prorsùs alienum.* Respondeo, Fideles per sacrosanctum Christianæ Confirmationis Signaculum creari Christi milites, ideoque Latinam Ecclesiam uti istis ritibus, quibus in creandis mundi militibus usum olim fuit Romanum Imperium. Et inter hos fuit inflicta alapa. Non per tortorem aut vilem hominem, sed per ipsum Imperatorem, aut alium Regem, Creatorem novi militis. Usi igitur hic non repræsentavit Caipham, Neronem aut Decium, ita nec nostri Episcopi. Ritus fundamentis nititur, ideoque improbari non possit nisi per cæcos Calvinistas. Et sanè impacti colaphi injuria est Christiano congruentissima. Etenim illi servanda est Apostolica Regula: *Libenter sufferetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis accipit, si quis devorat, si quis in servitutem redigit, si quis in faciem vos cædit.* Porrò militis professio spondebat etiam *pro liberatione cujuslibet Innocentis duellum inire.* Hoc est, ex Judicis mandato Campionem agere, & innocentem Divino judicio defendere. Horum duellorum modus est dignus sciri à Christianis militibus. Absit tamen ut ullatenus faveat hodiernis Duellistis. Suo loco exponetur.

Quæstio prima est, ad quem spectet creare militem? An ad Regem, An ad Episcopum? Respondeo creationem istam quandoque illi, quandoque huic adscribi. Etenim de sancto Lantfranco Cantuariensi Archi-Episcopo scribit Henricus Cnyghtonus: *Guilielmus Rufus coronatus est in Regem ab Archi-Episcopo Lantfranco, qui eum nutriverat, ac militem fecerat.* Consonat Matthæus Parisiensis, affirmans Lantfrancum ad Guilielmi evectionem fuisse strenuè cooperatum, atque adjungens causam: *Eò quod illum nutriverat, & militem fecerat, patre adhuc vivente.* Quod Adelbertus Bremensis Archi-Episcopus Imperatorem Henricum IV. inter Missarum solemnia apud Wormatiam creaverit militem & armorum licentia donarit, testatur Lambertus Schafnaburgensis. Istud ipsum aliis fecisse Henricum Basileensem Episcopum referunt Annales Præmonstratenses Colmarienses. Nempè hæc creatio erat actus mixti fori, debebat ab utraque Potestate fieri: ideò huic aliquando adscribitur, aliquando isti. Hinc Ordo Romanus sic formæ suum titulum: *Ordo ad armandum Ecclesiæ defensorem, vel alium militem.* Et Romanum Pontificale habet: *De Benedictione novi Militis.* Nempè Episcopi milites non creant, sed Lib. 2. cap. 8. An. 1087 An. 1065 An. 1298

sed creatos dumtaxat benedicunt, & benedictos induunt armis. Ex his intelliges Bertholdum Constantiensis Ecclesiæ Presbyterum, qui à sancti Gregorii VII. per Germaniam Legato, dum Henricus IV. degradatus, & Hermannus Imperator erat defunctus, affirmat fuisse creatos milites. Nempè vacantis Imperii Papa est Administrator & Vicarius, ideoque tunc solus, etiam per Legatum potest creare milites. Et hæc Potestas non soli Imperatori quadrat aut Regibus. Etenim de Philippo Alsatio Flandrensium Comite scribit Robertus Abbas Montensis: *Matthæus Comes Bolonie frater Philippi Comitis Flandrensis, ex vulnere mortuus est. Undè Comes Flandrensis doleus accinxit militaribus armis Petrum fratrem suum, qui electus erat ad Episcopatum Cameracensem.* De Florentio V. Hollandiæ Comite scribit magnum Belgii Chronicon: *Fuit miles ordinatus feria tertia post festum Epiphaniæ à Duce Brabantiæ.* Et in Diplomate quo Castrutium creavit Ducem Lucensium Imperator Ludovicus IV. scribit inter cætera: *Milites quoque in dicto Ducatu & extra constituendi, & militari cingulo donandi authoritatem & potestatem plenariam indulgemus.* Et antiqua Lantgraviorum Historia scribit ad annum 1290 *Albertus Lantgravius Thuringiæ in festo Dedicationis Beatæ Mariæ in Monte sancti Petri Herfordiæ, præsente Rudolpho Rege creavit sedecim novos milites, ac singulis singulos gladios & cingulis deauratis precingente.* Videtur non Albertus 2. sed Imperator Rudolphus novos milites fuccinxisse, atque ita præsente Principe plena authoritas non erat penes Lantgravium. Etenim quilibet Comites aut Duces non habent istam potestatem.

An. 1273.

Fol. 252.

Cap. 76.

Secunda quæstio est, quale hominum genus possit elevari in milites? Ottho Frisingensis Episcopus in secundo de Imperatoris Frederici gestis libro describit Mediolanensis civitatis mores, & ponit etiam hunc: *Ut ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis juvenes vel quosliber contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos cæteræ gentes ab honestioribus studiis tanquam pestem propellunt, ad militiæ cingulum vel Dignitatum gradus assumere non dedignantur: ex quo factum est, ut cæteris orbi civitatibus, divitiis & potentia præmineant.* Et infrà de quodam Stratore, Terdonensis Civitatis impugnationem promovente, scribit: *Quidam Strator longæ obsidionis tædio affectus, cum cæteris adsiliendi arcem exemplum dare vellet, gladio tantum & clypeo parvaque securi, qua sellæ ab eis alligatæ portantur, usus, aggerem aggreditur, viamque securi, quâ pedem figeret, faciens, montem ascendit: non illum crebri lapidum ictus deterrere, non eorum jaculorum aut saxorum ab arce, ad modum imbrium, non interpolati jactus revocare poterant. Ad turrim usque jam semi-dirutam processit, ibique utriliter dimicando, militem etiam armatum ad terram ictibus dejecit, atque inter tot periculorum discrimina illæsus ad castra redire potuit. Quem Rex ad se vocatum militari cingulo ob tam præclarum factmus honorandum decrevit. At ille cum se plebeum diceret, in eodemque Ordine velle remanere, sufficere sibi conditionem suam, honestè donatum ad propria vedire permisit conjugia.* Proindè militaris dignitas adeò quadrat solis nobilibus, ut plebeus miles etiam ab Imperatore delatam non præsumpsit admittere. Hinc intellige magnum Belgii Chronicum dicens in Christiano, qui sub Philippo Augusto Francorum ac sub Richardo I. Anglorum Rege processit in terram Sanctam, exercitu fuisse trecenta millia hominum, & triginta millia militum. Per milites intelligit nobiles ac Principes donatos militari dignitate. Ita & Prædicatorum Colmariensium Annales primo Milites, secundo loco ponunt honestiores Cives. Hanc dignitatem tanti olim fecit Germanicum Imperium, ut de Græcorum ad Fredericum I. Legatis scribat Radevicus Presbyter Frisingensis: *Legati indulgentiam & gratiam consecuti Fredericum Sueviæ Ducem, filium Conradi Regis, adhuc adolescentulum in præsentia sua gladio accingi, & militem profiteri postulant & impetrant. Amita siquidem sua Irena, Imperatrix Constantinopolitana, id Legatis in mandatis dedisse traditur.* Nempè hi milites sunt isti quos hodie vulgus appellat *Equites aurati*. Ita rectè affirmat Joannes Cuspinianus. Portò de ipsorum ætate scribit Luitprandus Diaconus Ticinensis: *Saxonum mos est laudandus atque imitandus, quatenus annum post unum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat.* Proindè dignitatem illi dant etiam pueris, sed ante expletum dictum ætatis annum non cogunt ad ejus usum. Aulus Gellius scribit quod Romani non-nisi anno decimo-septimo admitterent ad militiæ tyrocinium.

Fol. 197.

Lib. 1. cap. 6.

Lib. 2.

Lib. 10. cap. 18.

Quæstio tertia est, An etiam Ecclesiastica Militia & Armorum benedictio possint impendi solis Nobilibus? Respondeo affirmativè. Hoc evincunt hæc verba de novo milite: *Sicut ipse de minore gradu ad novum militiæ promovetur honorem.* Et hinc ista benedictio dari nequit, nisi per Episcopum, cui popularium benedictiones non solent reservari. Possint pro gregariis etiam militibus ordinari Presbyterales benedictiones. Etenim Catholica Mater Ecclesia, uti quo-ad Sacramenta, ita quo-ad Sacramentalia non discernit inter personas. Omnes æqualiter habet pro filiis. Et optandum esset, ut omnes milites istis benedictionibus donarentur. Etenim ex ipsis fuse professionis legem ac finem addiceremt: & ad ipsum explendum divinitùs adjuvarentur. Quem finem & qualem intentionem habere debeat Christianus miles, demonstrat benedictio ensis. *Hunc ensem, Domine Deus, benedicere digneris, quatenus hic famulus tuus esse possit defensor Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium contra sævitiam Paganorum atque Hereticorum.* Et hæc Benedictio militis: *Domine Deus, qui militarem ordinem ad populi protectionem instituit voluisti, huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla supponit, pietate cælesti vires & audaciam ad fidei & justitiæ defensionem tribuas; & præsta ei Fidei, Spei & Charitatis augmentum; Et da tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, & patientiam; bona & cuncta in eo rectè disponas, ut nemineni cum gladio iso vel alio injustè lædat, & omnia eo justa & recta defendat. Et sicut ipse de minori gradu*

Cap. 13.

Cap. 18.

ad novum militiæ promovetur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus suis, novum induat hominem, ut te timeat, & rectè colat, perfidorum conferta vitet, & suum in proximum charitatem extendat, & suum in cunctis justè officium exequatur. Et tradi tio gladii habet: *Accipe gladium istum & uturi eo ad defensionem tuam, ac Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac Fidei Christianæ, & cum eo neminem injustè lædas.* Quæ omnia repetuntur in benedictione aliorum armorum. Altè clamant quod Christiani militis intentio esse debeant Fides, Spes & Charitas ad defendendam justitiam, ac neminem injustè lædendum.

Ista benedictio habet & alium effectum, comprehensum his verbis: *Ut hic famulus tuus visibiles inimicos conculcet, victoriaque per omnia potitus semper maneat illæsus.* Et his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus super hunc famulum tuum, qui hoc eminenti mucrone præcingi desiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, & eum dexteræ tuæ virtute fretum fac contra omnia adversantia cœlestibus armari præsidiis, quo nullis in hoc sæculo tempestatibus bellorum turbetur.* Et his verbis: *Accipe vexillum cœlesti benedictione sanctificatum, fitque inimicis Christiani populi terribile, & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen & honorem cum illo hostium cuneos potenter penetres inolumis & securus.* Proindè ista benedictio militem reddebat fortem, audacem, securum, & quasi invulnerabilem. Ejuidem benedictionis causa gladius appellatur *eminens*. Quod Sancti Sergii Martyris Reliquiæ militem reddant invulnerabile authenticis exemplis demonstrat in Francorum historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Adjungit quod Gundebaldus Burgundiæ Rex omni modo studuerit ipsarum aliquid acquirere. Insigne de ipsis exemplum refert Sigebertus Gemblacensis: *Godefridus Lotharingiæ Dux Comitatum Montensem depopulatur, quem Rugnerius Comes cum patruo suo Lamberto Lovaniensi insecutus, apud Florinas pugnam conseruit, ubi plusquam quadringenti viri occisi sunt, & ipse Lambertus occubuit. Ubi res mira contigit. Cum Lambertus spem victoriæ jam haberet (habebat namque Phylacterium à collo usque ad pectus pendens, Sanctorum Reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat) instante ei termino vitæ, phylacterium illud ei à collo exiliens super tumulum campi exilivit, & mox Comes antèà invictus perimitur.* Baldericus Tornacensis Episcopus in Cameracensis Ecclesiæ Chronico affirmat fuisse Reliquias Sancti Sergii & exiliisse per Divinam vindictam in pœnam hesternæ fornicationis. Diabolica phylacteria horreant Christiani milites, & accipiant ista Divina: Reliquias alicujus sancti Martyris, aut certè suorum armorum, suæque personæ Sacerdotalem benedictionem. Et dicant cum sancto Martino adhuc milite: *Ego signo Crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Imò & clypeo protectus & galea: Verùm per Ecclesiam sanctificatis atque munitis. Equites Aurati, id est, Nobiles, ac generosi milites, qui jam dudum creantur per solos codicillos, deberent juxta avitam formam creari ab Episcopo & Principe: aut certè ab hujus Delegato. Nam & hodie ita creantur Sacri Milites, ac etiam Regulares.

Lib. 7. cap. 13.

An. 1015.

CAPUT VIII.

Quinam Principem, dum ex probabili dumtaxat causa indicit bellum, obligantur sequi?

ANtiquis Gallis consuetum colligendi Militis morem edicit in libris de bello Gallico Julius Cæsar: *Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi, omnes pubores armati convenire coguntur. Et qui ex iis novissimus venit, in conspectu multitudini omnibus cruciatibus affectus necatur.* Omnis pubertas etiam invita, compellitur ad bellum. Adversùm morem habuerunt Germani, de quo idem Julius: *Cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, Magistratus qui eo bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur: Ubi quis ex Principibus in Concilio se dixit Ducem fore: & qui sequi velint, profiteantur; consurgunt ji & causam & hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque à multitudine collaudantur. Qui ex iis secuti non sunt, in Desertorum ac Proditorum numero ducuntur, omniumque rerum ji, postèà fides abrogatur.* Eadem de re scribit in libello de Germanorum moribus Coroelius Tacitus: *Germani pedites ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitus est numerus. Centeni ex singulis pagis sunt.* Germani neminem cogebant ad bellum: a quovis pago exigebant centum, eosque spontaneos & delectos. Similem ferè formam servant etiamnum hodiè Hungari, de quibus Ottho Episcopus Frisingensis: *Si quando exercitum Rex ducere voluerit, cunctis sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem-decimum vel etiam septem-octavum, vel infra, si necessè fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, cæteris pro terræ cultura domi relictis. Qui verò de militum Ordine sunt, nulla occasione, nisi gravissima, domi remanere audebunt. At in ipso Regis acie Hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud ipsos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt, nisi quod jam ab Hospitibus, quos jam Solidarios dicimus, educati, vel ab ipsdem etiam genti, quandam non innatam sed quasi extrinsecùs affixam trahentes virtutem, Principes tantum & Hospites nostros in pugnandi peritia, armorumque splendore imitentur.* Eorum exercitus constat tribus membris: militibus, Rusticis, & Hospitibus Solidariis. Rustici mittendos suo modo eligunt.

Lib. 5. cap. 34

Lib. 6. cap. 143.

cap. 6.

Francorum etiam Reges licet & Gallis dominentur, tamen Germani sunt origine, ideoque neminem consueverunt cogere ad bellum: nec unquam habuerunt istam potestatem. Hinc de Rege Chilperico, qui filiam suam Gothorum in Hispania Regi desponderat, scribit in Francorum Historia Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: *Gothorum magna legatio ad Regem Chilpericum accedit. Ipse verò jam regressus Parisios, familias multas de domibus Fiscalibus auferri*

auferri præcepit, & in plaustris componi. Multos quoque flentes & nolentes abire, in custodiam retrudi jussit, ut eos facilius cum sua transmittere posset. Nam ferunt multos sibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorsisse, dum de parentibus propriis auferri metuebant. Separabatur enim filius à patre, & mater à filia, & cum gravi gemitu & maledictionibus discedebant. Tantusque planctus in urbe Parisiaca erat, ut planctui compararetur Ægyptio, multi verò majores natu, qui vi compellebantur abire, testamenta condiderunt, resque suas Ecclesiis deputantes, atque petentes, ut cum puella in Hispanias introiret, statimque testamenta illa, tanquam si jam essent sepulti, referarentur. Quod ipsum scribit Monachus Aimoinus. Propter istam & quasdam alias in populum violentias, ambo Chilpericum appellant secundum Herodem ac novum Neronem. Et hinc difcimus, quod Francorum Reges non dumtaxat homines liberos, sed nec suos Fiscalinos servos possint ad honorificum & pacificum regni exitum cogere, longè minùs ad arma & bellum. At verò hodiè omnis servitus, etiam apud Francos, est dudum exstincta, ideoque nulla superest vel umbra istius potestatis. Etiam Imperator Henricus III. dum ad sibi ac Romanæ Ecclesiæ rebelles in Sicilia Normannos domandos eguit milite, coactos à Dominis armavit servos, ac expeditionem fuisse infelicissimi succes-
An. 1053 sus advertit Hermannus Contractus.

Proindè Rex ad arma cogere non potest, nisi suos milites Armigeros & Feudales. Militum obligatio est manifesta, lucetque ex ipsorum
An. 635. professione ac benedictione. De Armigeris scribit Sigebertus Gemblacensis: *Rex Henricus Anceps Agrarios Milites recensens, ut ocio eorum in agris, nonus verò in urbe moraretur, ut ocio in agris & sibi & nono laboraret; nonus verò in urbe tertiam partem omnium frugum illorum reservaret in ædibus à se adhoc extructis, ut in bello nihil alicui eorum deesset, urbesque vebus & viris essent plenæ.* Et de
An. 1160 Henrico secundo Anglorum Rege scribit Robertus Abbas Montensis: *Rex Henricus iturus in expeditionem, & confiderans longitudinem & difficultatem viæ, nolens vexare Agrarios Milites, nec Burgensium ac Rusticorum multitudinem, sumptis sexaginta soltidis Andegavensibus in Normandia de feudo uniuscujusque loricæ, & de reliquis omnibus, tam in Normandia quàm in Anglia, sive etiam aliis terris suis, secundum hoc quod ei visum fuit, Capitales Barones suos cum paucis secum duxit, Solidarios verò milites innumeros.* Distinguit Burgenses, Rusticos, Agrarios milites, Capitales Barones, & milites Solidarios. Hi sunt stipendiarii, qui solidos accipiunt in stipendia. Etiam
cap. 152. 154. antiqua Lantgraviorum historia distinguit Comites, Barones, Milites, ac Militares. Et ma-
Fol. 409. gnum Belgii Chronicon scribit: *Dux Guelriæ Adolphus præeccupare anticipavit cum Vasallis & Armigeris suis consuetis, & quibusdam Civibus ac*
Fol. 408. *Agrariis territorii sui.* Distinguit Agrarios & Armigeros. Rursum distinguit Vasallos & Armigeros, ac adjungit: *Quidam plebejæ originis Armiger ob animositatem & in armis strenuitatem Nobilibus genere præferebatur.* Et Bruno Merseburgen-
Fol. 103. sis Ecclesiæ Presbyter in libro de bello Saxonico scribit de illustri juvene Conrardo, Henrici quarti Imperatoris Palatino: *Rex jubet ut Conradus ad se citissimè veniat, & nullum præter Armigerum suum, qui se comitetur, adsumat.* Proinde vox, *Armiger*, apud Mediorum æculorum Scriptores habuit varias significationes. Quandoque armatum militis famulum, quandoque illustris militiæ seu militaris dignitatis Candidatum, quandoquè significavit militiæ obstrictum plebejum. Etenim & in nostro Belgio non soli Aurati Equites, sed etiam plures è plebe sunt variis titulis obligati ad militiam. Eos appellamus turmas Ordinantiæ, aut Provinciæ vexillum. Et quidam Urbani sunt, quidam Agrarii.

Regiorum feudalium ad militiam & arma obligationem frequenter laudant ac stabiliunt Francorum Regum Capitularia: *De Armentatura in exercitu sic fervetur. Omnis homo de duodecim mansis Brunlam habeat. Qui verò brunlam habens eam non secum tulerit, omne beneficium cum brunla pariter perdat.* Brunla laurica, mansus seu mansum significat terram duodecim jugerum. Hinc Longobardorum lex habet: *Mansus*, seu mansio aut habitatio, *cum duodecim bonariis de terra arabili.* Capitulum est desumptum ex duodecima formula apud Marculphum: *Ut omnis homo de duodecim mansis brunlam habeat.* Et Caroli Crassi Imperatoris feudalis Constitutio habet: *Qui decem Mansos in beneficio possident, tot brunlas cum duodecim scutariis accipiant.* Capitulum sanxit, ut quisquis ex Regio beneficio duodecim mansos possidet, ipse in bello loricatus compareat. Carolus Crassus contraxit ad decem mansos, & addidit duo: Primò, ut istiusmodi possessor sibi adjungat duos Scutarios: deinde, ut quisquis bis aut ter denos mansos possidet, compareat cum tot loricatis, quorum quisque habeat duos scutarios. Cap. 67.
Aliud capitulum habet: *Quicumque liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum Heribannum, Id est, solidos sexaginta persolvat. Aut si non habuerit unde illum summam persolvat, semet-ipsum pro Wadio in servitio Principis tradat, donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus. Et tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur.* Severa pœna eò tendit, ut quisque fœudalis sit semper paratus ad expeditionem. Lib. 6.
En aliud rigidum capitulum: *Placuit ut omnis* cap. 326. *qui aut in expeditionem exercitus absque gravi necessitate non progreditur, aut de exercitu fugit, testimonio Dignitatis suæ sit irrevocabiliter carens, ita ut in quibusdam villulis seu territoriis, sive vicis pestis hujus infamationis habitatores ipsorum locorum sint degeneres, & testificandi vel accusandi nullam habeant licentiam.* Nempe quidam integri pagi conflabat ex solis feudalibus. Erat tamen ex- Lib. 4.
ceptioni locus: *Ut Vassi nostri, & Vassi Episcopo-* cap. 70. *rum, Abbatum, Abbatissarum & Comitum, qui anno præsenti in hoste non fuerunt, Herribannum rewadient. Exceptis his qui propter necessarias causas domi dimissi fuerunt. Id est, qui à Comite propter pacem conservandam, & propter conjugem ac domum ejus custodiendam, & ab Episcopo, vel Abbate, vel Abbatissa similiter propter pacem conservandam & propter fruges colligendas, & familiam constringendam, & missos recipiendos dimissi fuerunt.*

Hinc discimus non solos Regis, sed insuper Episcoporum, Abbatum, ac Abbatissarum seu

dales obligari ad bellum. Nempe illos, quorum Episcopi, Abbares, aut Abbatissæ erant Vassi Regii. Omnes hi erant Regii Vasalli, id est, mediati fœudales. Exstat antiqua apud Francos notitia de Monasteriis, quæ Regi militiam, vel dona, vel solas orationes debent, & hoc est ejus exordium: *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo septimo Ludovicus Serenissimus Augustus Conventum fecit apud Aquis-Regiam Sedem Episcoporum, Abbatum, seu totius Senatus Francorum, ubi inter cæteras Dispositiones Imperii statuit, atque Constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Regne vel Imperio suo dona & militiam facere possint, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii.* Singula enumerantur atque subtexitur: *His prædictis Monasteriis præfatus Imperator Statutum scribi fecit, & manu sua firmavit, & annulo suo Imperiali sigillare fecit.* Erant Monasteria quæ vel ab ipso Rege, vel ab ejus Vassis aut Vasallis erant fundata ex bonis feudalibus, atque ita iftas res acceperant cum suis oneribus. Attamen optimus Ludovicus non omnia & singula, sed sola opulenta Cœnobia obligavit ad præstandam militiam. Nempe illa, quæ habebant feudales milites. Media ad nummariam Collationem, tenuia obstrinxit ad solas preces. Eadem fuit ratio Cathedralium Ecclesiarum. Pieræque habebant feudalem militiam, ideoque Principi obligabantur ad arma. Et quidem cum hisce armatis ipse debebat adesse ductor Episcopus, ac item Abbas. Hæc largè exposui in Scholiis ad Acta sancti Leonis IX. Omnes hucusque enumerati dominum Regem, licet probabilem dumtaxat haberet belli causam, debebant sequi, & in armis obedire. Etiam illi qui jam liberè nomen dederant. Verùm nullus de novo possit dare nomen, nisi cui manifesta sit Regis justitia. Nemo possit animam suam in tanta pericula conjicere. Quare illi, qui ad omnem belli partem parati sunt, & nunc hanc sequuntur aut illam, sunt palàm sceleratissimi.

Porrò ad colligendam Volonum multitudinem generales etiam Romani fuerunt tardissimi. Non nisi ab extrema necessitate permiserunt se compelli. Et in ipsa ordinanda fuerunt districtissimi. Magnus Constantinus, dum Christianam suscepit Religionem, adjecit hanc ab Alexandro Monacho, in libro de Sacro-sanctæ Crucis Inventione, laudatam legem: *Constantinus legem scripsit, ut Christiani solis militare liceret, ipsique in Gentes ac milites haberent Imperium.* Eandem pietatem in scripta ad Amatium Galliæ prætorio Præfectum lege innovarunt ac stabilierunt magnus Theodosius ac Valentinianus II. *Judæis quoque & paganis militandi licentiam denegamus. Quibus Christianæ Legis nolumus servire personas: ne occasione Domini sectam venerandæ Religionis* immutent: etiam Arcadius & Honorius in scripta ad Theodorum Prætorio Præfectum lege ediunt de degradatis Clericis & Laicis Apostatis: *Omnis hominibus improbissimis ab omnibus officiis militiæ aditus obstruatur.* Ambæ Leges exstant apud Cap. 6. 9. Jacobum Simondum in Appendice Theodosiani Codicis. Videntur solam, qualemcumque, tamen, militiæ præfecturam interdicere. Largiores sunt leges, quas contra Eutychianistas ad Palladium Prætorio-Præfectum scripsit Imperator Martianus. Eutychianitis infligunt cunctas generatim pœnas, quas priores Augusti inflixerant Apollinaristis, & subjungunt: *Eutychianistas ad nullam patimur adspirare militiam, nisi forte ad Cohortalitium, vel Limitaneam. Si quis autem extra prædictam militiam inventus fuerit militare, vel quia ignorabatur ejus in religione perversitas, vel quia post acceptum cingulum ad hunc devenit errorem, solutus militia, infidelitatis suæ fructum hunc habeat, ut optimorum hominum & Palatii communione privetur, nec alibi, quàm in quo natus est vico vel civitate versetur.* Extant leges in tertia parte Cap. 12. 19. Actorum Synodi Chalcedonensis. Illa exceptio est antiqua. Etenim de Montanistis & Manichæis, quos Romana Lex etiam proscribit à militia, Antenio Prætorii Præfecto scripserunt Augusti Honorius & Theodosius Secundus: *Si quos ex his Curialis origo, vel Ordinum nexus aut Cohortalitiæ inligat obsequiis & functionibus, his adstringi præcipimus, ne sub colore damnatæ Religionis elliciant vacationis cupitæ sibi suffragia.* Et ad Asclepiodotum Prætorio Præfectum: *Quòd lex quæ super Eunomianis militare prohibitis, cæteriſque execrabilium Religionum & Professionum vitibus promulgata agnoscitur, nihil ad eos, qui Cohortalini sunt, pertinet. Hi enim sunt apparitionibus obligati, in quibus emensis militiæ stipendiis, Veteram primi pili munus sustinere cogunt.* Leges exstant in Theodosiano Codice ad titulum de Hæreticis.

Proindè omnes olim Hæretici fuerunt per leges Romanas proscripti à militia. Non à sola Præfectura, sed etiam ab ipso Cingulo & Sacramento. Excepta dumtaxat Cohortalina militia. Porrò Cohortalini dicuntur à Cohorte, de qua in Evangelio scribit S. Joannes Apostolus: *Judas ergo cùm accepisset Cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis Ministros, venit illuc cum lanternis & facibus, & armis.* Eadem de re scribit S. Mat- Cap. 26. thæus: *Judas venit & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.* Simili modo loquuntur S. Marcus & S. Lucas. Utuntur generali compendio. At verò S. Joannes ipsum ex Romanæ Monarchiæ forma distinxit. Affirmat Judæ ad faciendam istam terribilem executionem fuisse à Præfide Pilato Cohortem, à Judæorum Præfectis datos esse Ministros: multam turbam. Et hi non solis militaribus armis, sed erant insuper instructi fustibus & aliis lignis. Nempe uti solet ad capiendum latronem. Quare Cohortales seu Cohortalini erant Cohors seu militia Præfecti Provinciæ. Non ejus Apparitura, sed militia. Militia vilis & dura. Utpotè etiam apparitionibus obstricta: insuper criminoforum perveſtigationibus, capturis, & capitalibus executionibus. Item pro emensi sui gradus stipendio habentes transitum ad periculosissimum gradum primi pili. Proindè istiusmodi militia erat mirum onus, infame ministerium, nullus honor. S. Paulinus Nolensis Episcopus in litteris ad Severum legit: *Curtbalini.* Nempe Romana lingua tunc corrumpi cœperat. Et hinc posterior ætas istam cohortem dixit Curtem. Etiamnùm hodie Galli & Itali

Itali Regiorum Præfectorum militiam appellant *la Corte*. Paribus periculis & laboribus obnoxia est Limitanea militia. Hinc Martianus & ipſam excepit. Similes leges habemus & ab aliis Chriſtianis Regibus.

Eadem eſt ratio prarorum Chriſtianorum. Hinc de ſancto Leone Papa IX. tenentibus Siciliam Normannis bellum illaturo, ſcribit
An. 1055 Hermannus Contractus: *Papa ab Imperatore Romam reverſurus digreditur. Secuti ſunt autem eum plurimi Teutonicorum, partim juſſu Dominorum, partim queſtu adducti, multi etiam ſcelerati & protervi diverſaſque ab cauſas patria pulſi. Quos ille omnes tum conſuetæ nimiæ miſericordiæ compaſſione, tum etiam quia eorum opera ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter ſuſcipiebat.* Verùm pugna infeliciſſimè ſucceſſit. *Occulto Dei judicio*. Hermannus adjungit cauſam: *Sive quia tantum Sacerdotem ſpiritualis potius, quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat, ſive quod nefarios homines quàm multos, ad ſe ob impunitatem ſcelerum, vel queſtum avarum confluentes, contra itidem ſcelerator oppugnandos ſecum ducebat, ſive divina Juſtitia alias, quas ipſa novit, ob cauſas noſtros plectenæ*. Habemus plura iſtiuſmodi exempla. Quare Reges dum ad bella procedunt, ſtudere debent, ut habeant probos milites, aut ſanè ut ex improbis probos faciant, atque ita ipſis à divina clementia impetrent Angelicum comitatum & protectionem.

CAPUT IX.

Quænam cauſæ ſufficiant ad indicendum bellum?

CErtum ac manifeſtum eſt hanc, ex qua integrum Regnum aut Regio cogatur ad horrendas calamitates, cauſam debere eſſe longe graviſſimam. Audiamus quid ſancti Eccleſiæ Patres docuerint. Primam belli cauſam adducit in litteris ad Ædeſium ſanctus Iſidorus Pe-
Lib. 5. luſiotes: *Numquam te moleſtæ immittas pugnæ, præſertim cum pietatis & virtutis non agitur negotium. In hoc etenim ad ſanguinem uſque pugnandum eſt, ne hæc aut illa prodatur*. Omne pro virEp. 14. tutis ac pietatis, Chriſtianæ præſertim Religionis, defenſione ſuſceptum bellum affirmat eſſe juſtum. Omne aliud videtur improbare. Iſtud
Cap. 23. ipſum in Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris tradit Magnus Baſilius: *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputaverunt, ut mihi videtur, ignoſcentes jis qui pro pudicitia & pietate decertant*. Affirmat iſtud bellum probari ab omnibus Patribus. Er hunc ejus Canonem probat omnis Eccleſia. Eandem cauſam probat in libris contra Petilianum, Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum, ſanctus Auguſti-
Lib. 2. nus. Etenim homini impreparanti, *Bello quæ-*
cap. 68. *vitis unitatem*, repoſuit: *Si Bello quærimus unitatem, non potuit laudari præclarius Bellum noſtrum*. Agit de Bello quo Schiſma eliminatur, & reparatur Catholica unitas. Et in libris contra Fauſtum Manichæum affirmat antiqui teſtamenti Reges ac Patres in ſuis adverſùm Gentiles bellis fuiſſe à Divina gratia armatos atque
Lib. 22. cap. 76. adjutos, & adjungit: *Chriſtiani quoque Imperatores, plenam gerentes fiduciam pietatis in Chriſto, de inimicis Sacrilegis, qui ſpem ſuam in Sacramen-*

Chriſt. Lupi Opera Tom. XI.

tis Idolorum dæmonumque poſuerant, glorioſiſſimam victoriam perceperunt, cum apertiſſimis notiſſimiſque documentis, de quibus nonnulli jam ſcriptum memoriæ commendarunt, illo fallerent vaticinia Dæmoniorum, bis firmarent Prædicta Sanctorum. Laudat magni Imperatoris Theodoſii contra Gentilem tyrannum Euſenium bella & victorias, quæ omnes ſcimus fuiſſe manifeſta Dei beneficia. Laudat ejuſdem Principis contra ſimilem in Africa tyrannum Gildonem arma, quæ jam defunctus, & vivis apparens direxit ſanctus Ambroſius. Alia ejus bella direxit ſanctus Anachoreta Joannes. Hæc ſunt Prædicta Sanctorum. Eadem bella ſemper adeò probavit Eccleſia, ut ad illa non Cruce-ſignatos dumtaxat, ſed & Regulares creaverit milites, obſtrictos quarto ſolemni voto. Nempe Templarios, Hoſpitularios, Equites Teutonicos, Sancti Jacobi, & plures alios. Et ſacram Crucem non ſolummòdo contra Saracenos & Turcas publicavit, ſed etiam contra Hæreticos atque Schiſmaticos.

Sunt tamen & aliæ juſtæ Bellorum cauſæ. Etenim Propheta David Ammonitis intulit bellum, quod eorum Rex ſuos Legatos contumelioſè tractaſſet. Quæ cauſa etiamnum hodie explet belli juſtitiam. Et ad Alphium Monachum ſcribit ſanctus Iſidorus Peluſiotes: *Bella feré ob*
Lib. 5. *alienas conſtantur poſſeſſiones & bona. Ac ne omnes*
Ep. 386. *quidem bella gerentes ſunt accuſandi, ſed qui ſuſcipiunt vel injuriæ vel rapiendi cauſa, bi pernicioſi velut dæmones habendi. At qui modeſtè vindicant, ac moderatè ulciſcuntur illatas injurias, non ſunt ut injuſtè reprehendendi*. Suprà addùxi integrum contextum Epiſtolæ. Palam affirmat etiam temporalium injuriarum reparationem eſſe juſtam belli cauſam, ideoquè talium armorum geſtores Principes, dummodò reparationis modum non excedant, nec eſſe laudandos ur Philoſophos, nec uti injuſtos reprehendendos. Quod ipſum in variis locis docet ſanctus Auguſtinus. In libris de civitate Dei: *Iniquitas eorum, cum quibus*
Lib. 4. cap. 15. *juſta bella geſta ſunt, regnum adjuvit ut creſceret. Quod utique parvum eſſet, ſi quies & juſtitia fruitiorum contra ſe bellum geri nulla provocaret injuria, ac felicioribus ſe rebus humanis omnia regna parva eſſent concordi vicinitate lætantia. Et ita eſſent in mundo regna plurima gentium, ut ſunt in urbe Domus plurimæ Civium. Proinde belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis neceſſitas. Sed quia pejus eſſet, ut injurioſi juſtioribus dominarentur, ideo non incongruè dicitur etiam iſta felicitas. Sed procul dubio felicitas major eſt, vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum ſubjugare bellantem. Mala vota ſunt, optare habere quem oderis, vel quem timeas, ut poſſit eſſe quem vincas*. Et in alio
Lib. 19. cap. 7. ejuſdem operis libro: *Iniquitas partis adverſæ juſta bella ingerit gerenda Sapienti: quæ iniquitas utique homini eſt dolenda, quia hominum eſt, etſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur*. Et in litteris ad ſanctum Comitem ac Martyrem Marcellinum: *Miſericorditer ſi fieri poſſet, etiam bella ge-*
Ep. 5. *rerentur à bonis, ut licentioſis cupiditatibus domitis hæc vitia perderentur, quæ juſſo imperio vel extirpari vel deprimi debuerunt*. Bella quæ iſtiuſmodi vitia extirpant aut deprimunt, affirmar non

culpari à Christiana disciplina. Et in quæstionibus super librum Josue: *Homo justus nihil præcipuè cogitare debet in his rebus, nisi ut bellum justum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim omnibus fas est. Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Hæc omnia altè clamant etiam temporales hominum injurias esse justam belli causam. Et certè non solius Sancti Augustini, sed etiam Sancti Isidori doctrina est summæ auctoritatis apud omnes Ecclesias. Magnus item Basilius inter istas causas ponit non solius pietatis, sed & lege pudicitiæ tutelam. At quæstio est, quanta & qualis debeat esse injuria? Certum est quod debeat esse publica & magna. Etenim integram gentem aut Provinciam ob levem aut privatam injuriam conjicere in bellicam calamitatem, est manifestè summum crimen. Respublica concuti non potest, nisi ob publicum crimen. Duo hujusmodi crimina edicit sanctus Augustinus. Primum in quæstionibus super librum Numerorum: *Notandum est sanè, quemadmodum ab Hebræis justa bella gerebantur. Innoxius enim tranſitus negabatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.* Hæc de causa Hebræi Sehon Regem Amorrhæorum invaserunt, & tibi appropriarunt ejus Regnum. Et Augustinus affirmat causam fuisse justissimam. Secundum istiusmodi crimen sanctus Augustinus edicit in libris adversùs Faustum: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur. Quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adversùs violentiam resistentium gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis.* Hoc igitur crimen est, Feritas rebellandi. Augustinus addit etiam hæc bella non posse esse crudelia, nec impacata aut implacabilia, nec facta ex animo nocendi. Tertium crimen est superiùs adducta Legatorum violatio. Possint esse & aliæ causæ. Verùm debent esse tales, quæ non nisi per bellum possint reparari. Necesse est ut Reges habeant matura & fana consilia, & non nisi coacti prorumpant in calamitatem Christiani populi.

Quæst. 10.

Quæst. 4.

Lib. 22. cap. 74.

Reges hæc debent non dumtaxat in offensivo sed etiam in defensivo bello attendere. Nam & hæc possunt esse injusta. Quare qui alienas Provincias, Civitates, aut Terras invaserunt aut detinent, obligantur ipsas restituere, prævenire bellum, & propriis finibus esse contenti. Etenim Reges non habent aliud Evangelium, quàm privati fideles. Hinc Carolum Calvum Francorum Regem ad Lotharingiæ Regnum, quod nepoti suo Imperatori Ludovico II. eripuerat, plenè reponendum Adrianus II. Pontifex compulit per minas anathematis. Posterioribus Græcis familiare fuit ejicere Principem, ac invadere Imperium: quod istos invasores ad renunciandum, publicam agendam pœnitentiam, aut etiam se intra Monasterium claudendos Episcopi adstrinxerint, docent plura exempla. Censuerunt illis non esse aliam viam ad vitam æternam. De Michaele Palæologo scribit Michael Glycas: *Michael Imperator delictum ſuum per omnem vitam deplorare non deſinebat, ac Deum bonis operibus, Monaſteriis condendis, benignitate in egentes placebat. Ea verò profuſſemi illi, ſi quidem abjeciſſet Imperium, cujus gratia molitus ea facinora fuerat, & adulterâ repudiatâ, privatus peccatum ſuum deploraſſet. Nunc ille nihil bonum agens, ſed Zaæ conſuetudine utens, Imperium mordiùs retinens de publicis bonis in ſpeciem beneficia quædam præſtans, eoque pacto veniam ſe conſecuturum ſperans, Numen divinum & mentis expers & injuſſum eſſe putabat, quod alienis opibus vedimè pœnitentiam pateretur.* Reges qui alienas Ditiones non timent invadere, & sua ac aliena etiam conjugia confuerunt temerare, hæc benè considerent. Ita Michael Augusti Romani & conjugem rapuit & Imperium. Hinc Synodus ipsum censuit à Christiana spe alienum, nisi utrumque dimittens, ageret perpetuam in Monasterio pœnitentiam. Isaacum Comnenum, qui ex ista familia primus invasit Imperium, in venatu fuisse à Dæmone sub apri specie vexatum scribit idem Glycas atque adjungit: *Inde Iſaacius conjectus in quandam piſcatoriam navicularn ſalvus in Regiam delatus eſt, atque hoc modo graviter afflictus & ante actorum pœnitentia ductus, Imperio quod injuſtè occuparat, ſponte ſua ceſſit, alterum ſibi ſubſtituit, lacernam induit, in Studii Monaſterium ſe contulit.* Et sanctè vixit. Latius hæc scribit Joannes Schyliza Curopalatis. De patre suo Alexio, quod istud ipsum facere voluerit, sed Episcopi suaserint aliud, amplè scribit Anna Comnena. Nempe de erat legitimus Imperii hæres. Interim Synodus & Alexium, & omne Palatium, & omnes istius adjutores coegit ad publicam pœnitentiam. Justior ac divinæ Legis observantior fuit Arsenius Patriarcha Constantinopolitanus. Etenim Michaelem Palæologum, qui ob invasum Joannis Lascaris Imperium posthabat similem pœnitentiam, non exaudivit, sed excommunicatum communioni reddere noluit, nisi Imperium deponeret & arma. Et benè sensit. Rei seriem amplè exponit Georgius Pachymeres. Ita Sanctus Francorum Rex Ludovicus Regnum, quoniam ex ejus Avis Hugo Capetus invaserat, frequenter dixit non ispectare ad se, ideoque dimittendum. Verùm præscriptionis tempora jam dudum erant expleta: & quidam afferebant Hugonem fuisse ex magni Caroli genere. Hinc Episcopi quietarunt Regis conscientiam. Guilielmi Normanni, qui Angliæ acquisivit Regnum, filius Guilielmus nullam unquam habuit pacem, nullam felicitatem. Adducuntur vatiæ causæ. Inter palmares est, quod ille fratrem primogenitum Robertum, Sacro apud Palæstinos bello distentum Regno exclusisset. Et tamen magni Episcopi favebant Guilielmo, & Robertum Divina vindicta persequebatur. Etenim laboriosum quod ipsi in Sabbatho sancto divinitùs accensa candela deuleret, Jerosolymæ Regnum ex Anglicani cupiditate, refutarat, atque ita divina Justitia ipsum privavit utroque. Plurima sunt hujusmodi exempla.

Pacte 4. 315.

Fol. 324.

An. 895.

Eadem est ratio Legitimorum Principum qui alienas Ditiones retinent. De Henrico Lyncien-

gonienſi Epiſcopo ſcribit Thomas Walſinghamenſis: *Henricus cupidus & avarus apud prædium ſuum de Tyngurſt parcum fecerat, & ſuorum terras contiguas ipſis junctis eidem parco adjecerat, & ſepibus ac foſſatis incluſerat, nec ſine duris illorum increpationibus ademerat terras ſuas. Poſt mortem verò ſuam apparuit cuidam ex Armigeris ſuis quondam, cum phareetra & arcu, ſagittis & cornu, indutus brevi tunica, & ipſa viridi, & alt: noſti quod non ſine Dei offenſa, & injuria pauperum clauſerim iſtum Parcum. Datus igitur ſum non ſine pœna ad cuſtodiam hujus Parci, prout vides, quousque terræ ibi incluſæ priſtinis poſſeſſoribus reſtituantur. Vade ergò ad fratres meos Lyncolnienſes Canonicos, & roga eos ex parte mea, ut hæc omnia pauperibus poſſeſſoribus reddantur, à quibus cum injuria ea tuli. Canonici verò hæc audientes, & præmiſſa injuriam non ignorantes, miſerunt unum de Canonicis Wilhelmum Bacheler appellatum ad reſtituendum ſua ſingulis, & ſepes extirpandas, foſſataque complananda. Qui rediens per Abbatem de Sancto Albano Michaelem, ei narravit hæc omnia ſpeciatim.* Quod Auguſta Arcadii Imperatoris uxor Eudoxia ob invaſum viduæ agrum fuerit non dumtaxat à ſancto Joanne Chryſoſtomo, ſed etiam ab omnipotente Deo caſtigata, eſt omnibus notum. Ob unicam Waluthæ vineam Rex Achab regnum amiſit, uxor Jezabel ſuit canibus præcipitata in eſcam. Proindè Reges alienas, quas non niſi effuſo plurimo Chriſtiano ſanguine, & per miſerandas totius populi calamitates invadunt terras, omninò obſtringuntur reſtituere: alioquin nulla illis ſpes vitæ æternæ. Et iſtud terribile onus omninò tranſit in ipſorum filios ac alios ſucceſſores.

Et hinc lucet etiam defenſivum bellum eſſe quandoque injuſtiſſimum. Iſta Regni augmenta defendere eſt latrocinio addere latrocinium. In quarto de Dei civitate libro veriſſimè ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Remota juſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Quia & ipſa latrocinia quid ſunt niſi parva Regna? Manus etenim ipſa hominum eſt, cum Imperio Principis regitur, pacto ſocietatis adſtringitur, placiti lege præda dividitur. Hoc malum ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget; evidentius Regni nomen aſſumit, quod ei jam in manifeſto confert non adempta cupiditas, ſed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehenſus Pirata reſpondit: nam cùm idem Rex hominem interrogaſſet, quid ei videretur, ut mare haberet infeſtum, ille libera contumacia inquit: qui tibi, ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; Quia tu magna claſſe, Imperator.* De Philippo Macedone ac ejus filio hoc Alexandro rectè ſcribit in tertio naturalium quæſtionum libro Seneca: *Qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium quàm inundatio, qua planum omne perfuſum eſt; quàm conflagratio qua magna pars animantium exaruit.* Qua nocte Epheſiæ Dianæ templum conflagravit, natus eſt magnus iſte Alexander. Et ubi lucere cœpiſſet, Epheſiorum Magi clamitarunt iſta nocte natam eſſe totius Aſiæ peſtem ac perniciem. Quare Chriſtiani Principes, qui ſibi iſtum Alexandrum alioſque Gentiles militiæ Duces figunt in imitationis exempla, attendant ad præfatum Senecæ aliorumque judicium.

Cap. 4

Quæſtio eſt, an bellum ex utraque parte poſſit eſſe injuſtum? Reſpondeo poſſe. Etenim de facto inter tres Ludovici Pii Imperatoris filios bello, & commiſſo apud Fontiniacum crudeliſſimo prælio Rabanus Maurus Archi-Epiſcopus Moguntinus ſcripſit ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem: *Quod quidam homicidium quod nuper in ſeditione & prælio Principum noſtrorum perpetratum eſt, excuſent, quaſi non neceſſe ſit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eò quòd juſſu Principum noſtrorum peractum ſit, & Dei judicio ita finitum. Scimus enim quòd Dei judicium ſemper ſit juſtum, & nulla reprehenſione dignum. Sed nemo judicia Dei penetrare poteſt. Undè oportet eos conſiderare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrùm illos coram oculis Dei quaſi innoxios excuſare poſſint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix eſt, atque propter favorem Dominorum ſuorum temporalium æternum Dominum contempſerunt, & mandata illius ſpernentes non caſu, ſed induſtria homicidium perfecerunt.* Pluribus hoc confirmat, & concludit: *Qui ergò malorum, ſine condigna pœnitentia quemquam veniam à Deo percipere dixerit, penitùs errat. Et cùm decepius alios decipere feſtinat, duplici noxa conſtringitur: hoc eſt, proprii erroris & alienæ deceptionis. Sed inter hæc ſciendum eſt, quod magna diſtantia eſt, inter legitimum Principem & ſeditioſum Tyrannum; inter eum qui ſubvertere nititur Chriſtianæ pacis tranquillitatem, & illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem.* Cap. 4

Hujus belli radicem exponit Sigebertus Gemblacenſis: *Carolus & Ludovicus, Filii Imperatoris Pii, dolentes ſe à Fratre Lothario debita regni parte privari, contra eum inſurgere parant. Tribus Fratribus de regni partitione diſcordantibus, conferitur inter eos pugna in Pago Antiſiodorenſi apud Villam Fontanenam, & tanta cædes utrimque facta eſt, ut nulla ætas meminerit tantam hominum ſtragem fuiſſe factam in gente Francorum. Et ita eorum vires ibi attemuatæ ſunt, ut jam nec ſuos terminos ab externis tueri poſſent. Victoria tamen Ludovico & Carolo provenit.* Eadem ſcribunt Abbas Regino, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, ac præſertim Nitaridus. Omnes tres Fratres de Paterno Teſtamento fuerunt queſti, præſertim Ludovicus & Carolus quibus ſenior Lotharius partem invadebat: hinc omnes tres exarſerunt in crudeliſſimum bellum. Quin omnes tres graviſſimè deliquerint, nemo Epiſcopus aut Doctor dubitavit. Omnes enim tres inflammavit avaritia, ideoque erant de numero iſtorum, quos ſanctus Iſidorus Peluſiotes notavit. Fraterna iſta quæſtio debebat pacificè componi per Epiſcopos & Proceres, atque ita bellum, utpotè ex furore & odio natum, erat ex omni parte injuſtum. Etenim populos in bella præcipitare, non eſt venatum procedere. At dubium fuit de Feudalibus, aliiſque Subditis, quos Regia juſſio adegit ad bellum, & patranda tot Fratrum homicidia. Et quidam ipſos per diſtam juſſionem ſtuduerunt purgare. Purgare ſtu-

An. 847.

duerunt

duerunt præſertim Ludovici & Caroli milites. Iſti enim videbantur à Fratre Lothario paſſi injuriam, & ipſis faverat victoria, atque ita videbatur favere & Divinum judicium. Iſto enim ſæculo plures judicabant ex eventu, ideoque non generale dumtaxat prælium, ſed etiam quodcumque victorioſum duellum accipiebant uti Divinum judicium. Ita largè habes apud Nitardum. Verùm Rabanus Maurus, cæterique doctiores Epiſcopi cenſuerunt cunctos eſſe homicidas, & graviſſimè reos, ideoque & compulerunt ad publicam homicidarum pœnitentiam. Et Rabanus dat firmas rationes. Primò, quod iſtud non fuerit bellum, ſed Fraterna Seditio. Secundò, quòd Feudales palàm viderent iſta omnia utrimque agi per invidiam & avaritiam, ideoque iſtis ſuorum Principum mandatis non potuerint obedire. Tertiò, quòd omnes tres Reges in iſto ſuo furore non legitimum egerint Principem, ſed ſeditioſum Tyrannum, cujus ſtudium eſt Chriſtianæ pacis ſtanquillitatem ſubvertere. Hoc enim omninò faciunt quotquot ſine plena neceſſitate prorumpunt in arma. Rabanus rectè addit divina judicia eſſe ſecretiſſima, ideoque victoriam aut alios eventus non eſſe viam ad ipſa penetranda.

Lib. 2. cap. 1.

Ejuſdem ſententiæ fuerunt Epiſcopi in Rhemenſi Synodo Sculphi Archi-Epiſcopi, de quibus ſcribit antiquus Codex, apud Rhemenſes repertus in Monaſterio ſancti Remigii: *Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo vigesimo tertio, Epiſcopatus autem Domini Sculphi ſecundo, convenientes ſancti Patres, Sculphus ſcilicet Rhemorum Archi Epiſcopus, Abbo Sueſſonicæ Urbis Epiſcopus, Adelmus Laudunenſis, Stephanus Cameracenſis; Item Adelmus Sylvanectenſis, Airardus tunc inibi Ordinatus Noviomagenſis cum cæterorum ejuſdem Rhemenſis Diœceſis Epiſcoporum Legatis, decreverunt hanc pœnitentiam his, qui bello Sueſſonis inter Robertum & Carolum acto interfuerant, injungendam; videlicet ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant pœnitentiam: ita ut prima Quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus verò his tribus Quadrageſimis, ſecunda, quarta & ſexta feria in pane, ſale, & aqua abſtineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante nativitatem Domini Salvatoris. Omni quoque feria ſexta per annum, niſi redemerit, aut feſtivitas celebris ipſa die occiderit, vel eum infirmitate ſive militia detentum eſſe contigerit.* Ad Decimi ſæculi annum viceſimum ſecundum Francorum proceres Carolum Simplicem, ſuum Regem ejecerunt, & in ejus thronum levarunt Comitem Robertum, unctum & coronatum ab Herinæo Archi-Epiſcopo Rhemenſi. Et ad pacandum Regnum inter Carolum & Robertum fuerant ſtabilita quædam Induciarum Pacta. At eccè ſequenti anno Carolus reſumpſit animos, collegit militem, ex improviſo aggreſſus eſt Robertum, & occidit in prælio. Et certè invaſit ſibi perduellem tyrannum. Nihilominus præfata Synodus iſtud bellum judicavit utrimque injuſtum, & factas hinc inde cædes punivit ut homicidia. Et rectè. Etenim Carolus ſuam fidem prævaricatus fuerat, Robertus verò ſuam tyrannidem ſtuduerat ſtabilire, ideoque uterque ſine legitimo titulo turbarat & affixerat Chriſtianum populum.

Quæſtio ſecunda eſt, an bellum poſſit etiam utraque ex parte eſſe juſtum? Quidam affirmant: etenim Lis poteſt utrimque eſſe juſta: utriuſque partis fundamenta poſſint eſſe probabilia. Reſpondeo aliud eſſe bellum, aliud judicialem litem. Ad iſtud inchoandum, aut etiam continuandum non ſufficit probabilis, ſed omnimodò requiritur certa & manifeſta cauſæ juſtitia atque neceſſitas: ſine his Chriſtianus populus nequit à Regum affectibus aut cupiditatibus præcipitari in iſtas calamitates. Etenim non populus propter Regem, ſed Rex eſt propter populum. Hinc ille ante omnia debet hunc tueri & cuſtodire. Quare manifeſtum eſt, quod bellum, quoad ipſos ſaltem Principes, nullatenus poſſit utrimque eſſe juſtum. Alia poſſit eſſe ratio ſubditorum militum. Etenim Regi ex probabili dumtaxat, ideoq; & falſa cauſa indicenti bellum, ſubditi obedire debent, ideoque juſtè bellant adverſùm illos qui juſtè ſe tuentur. Locum tunc habet, quod in libris contra Fauſtum ſcribit S. Auguſtinus: *Regem reum facit iniquitas imperandi, innocentem autem militem offendit ordo ſerviendi.* Dico. *Alia poſſit eſſe ratio ſubditorum militum.* Etenim Rabanus Maurus & ei conſentientes plures Epiſcopi, ac præfata Rhemenſis Synodus omninò videntur damnare etiam milites, qui Regi ob probabilem dumtaxat cauſam obediunt. Certè Ludovicus & Carolus Reges adversùs fratrem Lotharium habuerunt cauſam, licet non neceſſariam, tamen manifeſtè probabi'em. Etiam Carolus Simplex adversùs Robertum Comitem. Nam perduellem Dominus etiam inopinatum poteſt invadere, nec opus eſt ipſum difficiliare per Fœciales. Epiſcopi igitur illi ad legitimum bellum cenſuerunt etiam in ſubditis requiri, non probabilem dumtaxat, ſed inſuper manifeſtam ac neceſſariam juſtitiam. Et ſanè ſubditi videntur ad bella, quorum juſtitiam non habent manifeſtam, non poſſe conſentire. Etenim bella gerere non eſt ludere aut venari. Sancti Auguſtini authoritas eſt ſumma, neſcio tamen, an hac in parte ſit irrefragabilis.

Lib. 22. cap. 75.

Quidam cum ſancto Auguſtino ſenſiſſe putant etiam ſanctum Joannem Baptiſtam, de quo ſcribit in Evangelio ſanctus Lucas: *Interrogabant eum & milites, dicentes: quid faciemus & nos? Et ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Non juſſit ut militiæ valedicerent. At verò illi erant Romani Imperii milites, cui nullum erat jus in Judaicam terram, niſi libido dilatandi Imperii. Eorum iſtic arma nullum poterant habere titulum, niſi aliquot annorum poſſeſſionem: Titulum vix probabilem. Reſpondeo iſtos milites palàm fuiſſe non gentiles, ſed Judæos. An Romanis militaverint, non plenè conſtat: poſſint fuiſſe Herodiani, militantes Herodi Tetrarchæ. Interim res cadit in idem. Etenim & Herodes iſte, utpote Herodis magni filius, nullum habebat jus ad Judaicum Regnum. Hinc quæſtio eſt, quomodo ſanctus Joannes iſtos milites non juſſerit deponere iniquum Cingulum & Arma? Reſpondeo arma iſta, licet per iniquos Princi-

Cap. 3.

pes ge-

pes gererentur fuisse justissima. Etenim Dei Electus, humani generis Redemptor, jam advenerat, ideoque Judaicum Regnum tunc debebat disponi ad ruinam, & administrari per Alienigenas. Erat Divina dispensatio prædicta per Prophetas, notissima sancto Joanni. Hinc ille milites permisit sub simplici fide permanere in istis armis. In illius Evangelii commentario Theophylactus hæc scribit: *Joannes admonet & adhortatur tres ordines, Turbas, Publicanos, & Milites. Et turbas quidem admonet, ut eleemosynæ vacent, præcipiens habenti duas vestes, communicare ei qui non habet. Publicanos verò, non plus quam constitutum est ipsis, extorquere. Milites autem, non rapere, sed contentos esse obsoniis, hoc est bis, quæ à Rege juxta consuetam liberalitatem erogantur. Vide autem quomodo Turbis, velut innocentibus dicit, exhortans ut bonum faciant, hoc est, ut communicent: Publicanis verò ac Militibus, ut abstineant à malo. Neque enim capaces ipsi erant, neque bonum quippiam facere poterant, sed sufficiebat eis non facere malum.* Publicanis & Militibus non omnia salutis media, sed sola edixit justitiæ exordia: cavere à gravioribus peccatis. Eos non introduxit, sed solummodò disposuit ad rectas vias. Hinc de bellijustitia non meminit. Et non expediebat ut Joannes notaret Romanum Imperium, aut milites ab ipso diverteret.

CAPUT X.

Expenitur necessitas militaris disciplinæ.

QUod non dumtaxat injusta, sed etiam citra necessitatem edicta bella non sit aliud, quàm magna latrocinia, est abundè demonstratum. Hinc inter articulos, ob quos Gallicani olim Episcopi Imperatorem Ludovicum Pium degradarunt, fuit & hic: *De diversis expeditionibus, quas in Regno fiòi commisso non solùm inutiliter, sed etiam noxiè sine consilio ac utilitate fecit. In quibus nimirum multa & innumerabilia sunt in populo Christiano flagitia perpetrata, in homicidiis, & perjuriis, in adulteriis, in rapinis, in incendiis, sive in Ecclesiis Dei, sive in aliis diversis locis factis, in direptionibus & oppressionibus pauperum, in miserabili & penè apud Christianos inaudito patratu. Quæ omnia ad authorem reflectuntur.* Hæc cuncta sunt omninò delicta Principis. Hinc fine extrema necessitate non possit procedi ad bellum. Quod ipsum etiam gentiles agnoverunt. Etenim in Augustæ Historiæ Epitome scribit de Augusto Cæsare Aurelius Victor: *Augustus adeò turbas, bella, simultates aversatus est, ut nisi justis de causis numquam Genti cuiquam bellum intulerit. Jactantis esse ingenii & levissimi dicebat, ardore triumphandi & ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum, securitatem civium præcipitare. Neque Imperatori bono quidquam minùs, quàm temeritatem congruere. Satis celeriter fieri, quidquid commodè geritur. Arma, nisi majoris emolumenti causa, nequaquam movenda esse: ne compendio tenui, jactura gravi petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus: cujus abrupti amissique detrimentum nullo capturæ lucro pensari possit.* Et de Romanorum Duce Pompejo scribit Eutropius. *Tigrani Pompejus bellum intulit, ille se ei dedidit, ac diadema, cum procubuisset ad genua Pompei, in manus ejus collocavit, quod ei Pompejus reposuit. Regni tamen parte multavit & grandi pecunia. Quia bellum sine causa Romanis commovisset.* Lib. 6.

Etiam sine Disciplina Exercitus non est aliud quàm turba Latronum. Hinc & Gentiles summo studio curarunt disciplinam: ipsius custodes exaltarunt, neglectores Duces rigidè castigarunt. Etenim de Metello Duce scribit Crispus Salustius: *Ubi in Africam venit, exercitus et traditur, ab Albino Proconsule, iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quàm manu promptior, prædator ex sociis, & ipse præda hostium, sine imperio & modestia militum. Ita Imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quàm ex copia militum auxilii aut spei bonæ accedebat. Statuit Metellus non priùs bellum attingere, quàm Majorum disciplina milites laborare coegisset.* Notanda sunt verba: *Prædator ex sociis, ipse præda hostium.* Etenim milites, qui in rusticos ac alios inermes socios agunt leonem, in hostili congressu confueverunt esse cervi. Salustii textus est plenè audiendus: *More militari vigilia non ducebantur. Uti cuique libebat, à signis aberat. Lixæ cum militibus permixti die noctèque vagabantur: & palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris & mancipiorum prædas certatim agere, eaque mutare cum mercatoribus vino adpetitis & aliis talibus. Præterea frumentum publicè datum vendere, panem in dies mercari, postremò quæcumque dici aut fingi queunt ignavia, luxuriæque prona, in illo exercitu conjuncta fuere. Et alia amplius.* At verò Metellus *suo Edicto primùm adjumenta ignaviæ subtulisse dicitur, ne quisquam in castris, nevè in agmine, pavem, aut quem alium cibum coctum venderet; ne Lixæ exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, nevè in agmine servum aut jumentum haberet: cæteris arctè modum statuisse.* Etiam Cæsarem Augustum laudat Svetonius Tranquillus: *Augustus in re militari & commutavit multa, & instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit. Disciplinam severissimè rexit, ne Legatorum quidem cuiquam, nisi gravatè hibernisque demùm mensibus permisit uxorem invisere.* Et de Tiberio scribit: *Disciplinam acerrimè exegit, animadversionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis. Atque etiam Legato Legionis, quod paucos milites cum Liberto suo transripam venatum misisset, ignominia notato.* Et de Vespasiano: *Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore ad omnem licentiam audaciamque processerant. Quare Vespasianus, qui nihil antiquius habuit, quàm nutantem & afflictam stabilire atque ornare Rempublicam, Vitellianorum quidem exauctoravit plurimos, & coercuit, participibus autem victoriæ adeò nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia nonnisi serò persolverit. Et ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem unguento, cum sibi pro impetrata Præfectura gratias ageret, nutu adspernatus, voce etiam gravissima increpuit: malusse allium obolusse; litteraque revocavit.* Et de Imperatore Adriano scribit Eutropius: Cap. 24.

Lib. 8. cap. 2. *Non magnam clementiæ gloriam habet, diligentissimus tamen fuit circa militum disciplinam.* Plura adduci possint ifiusmodi exempla.

Decade 2. Lib. 9. cap. 21. E contrario Scipionem Africanum summum militem, licet in multis laudet Titius Livius, graviter tamen notat *de soluta militiæ disciplina*. Et in Catiliniano bello scribit de Sylla Crispus Sallustius: *Sylla exercitum quem duxaverat in Asia, quò sibi fidum faceret, contra morem Majorum luxuriosè, nimisque liberaliter habuerat, loca amœna, voluptuaria facilè in otio feroces militum animos molliverant. In primis insuevit Exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas picturas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publicè rapere, delubra spoliare, Sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites postquam victoriam sunt adepti, nihil reliqui victis fecere.* Et de Imperatore Vitellio scribit Svetonius Tranquillus. *Vitellius*, nactus Imperium, *per medias civitates ritu Triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos obsoniorum apparatus, nulla familiæ aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens, qui non contenti epulo ubique publicè præsito, quoscumque libuisset, in libertatem asserebant, verbera & plagas, sæpè vulnera, nonnunquam necem sepræsentantes adversantibus.* Ita soient dissoluti milites. Hinc discimus non solius militis, sed etiam familiæ, & suæ ante omnia personæ disciplinam esse curandam à bono Principe aut Duce. Quæ Vitellii omnia latiùs exponit ac arguit in historiarum libris Cornelius Tacitus. De Christiano Imperatoris Constantii exercitu scribit etiam homo gentilis Ammianus Marcellinus: Lib. 22. cap 6. *Accessere flagitia disciplinæ Castrensis, cum miles cantilenas meditare tur pro jubilo melliores. Et non saxum erat, ut ante hac, asmate cubile, sed pluma, & flexiles lectuli. Et graviora gladii pocula. Testa enim bibere jam pudebat. Et quærebantur ades marmoreæ, cum scriptum sit in antiquitatibus, Sparsanum militem exercitum acriter, quod protectus tempore ausu fit videri sub tecto. Adeò autem ferox erat in fuoitli temporibus miles & rapax, ignavus verò in bo stes & fraudus, ut per ambitionem ortumque opibus partis, auri & lapillorum varietates discerneret scientissimè, contra quam recens memoria tradidit. Notum enim est, sub Maximiano Cæsare vallo Regis Persarum diruto, gregarium quemdam post saccum Persicum, in quo erant margaritæ, repertum, projectis imperitia gemmis abjisse pellis nitore solo contentum.*

Militarem disciplinam à Christianis longè magis Mater Ecclesia semper exegit, ac damnavit ejus negligentiam. Etenim Christiani milites, præsertim Reges ac Duces debent ex Evangelii Regula vivere. Hinc in quadraginta Martyrum elogio scribit Sanctus Gregorius Episcopus Nyssenus: *Est ad me pertinens vicus, in quo Beatissimorum Martyrum Reliquiæ requiescunt. Non procul abest parva civitas, quam Iveram vocant. In hac, cum ex receptæ Romanorum consuetudine, census mi litum institueretur, quidam ex militibus ad prædictum vicum venit, à Tribuno ad vici custodiam destinatus, ut commissorum suorum invasiones & injurias propulsaret, quas milites rusticanis audaciter inferre solent.* Adeò antiquæ sunt hæ Custodiæ. Et iste miles fuit probus ac pius. Etenim ejus pes, quo incurabiliter claudicabat, fuit ab apparente sibi uno Martyrum miraculosè sanatus. Interim Gregorius queritur Romanum tunc & Christianum militem fuisse adeò licentiosum, ut vicini vici indigerent tali custodia. Hinc & de Belisario, Imperatoris Justiniani Duce, ereptam Wandalis Carthaginem gloriosè intranti, scribit iu libris de Wandalico bello Procopius Cæsariensis: *Qua de Belisarius laudem consecutus est tantam, ut glorium non eorum modò qui tunc vivebant, sed veterum etiam obscuraverit. Cùm enim Romanis militibus solemne fit nunquam fine tumultu urbem sibi subditam ingredi, si vel tantum quingenti sint, præsertim quando est profectio subitanea; ille suos omnes ita continuit in officio, ut nec contumeliæ, nec minæ usquam jactæ fuerint, non impeditum civitatis commerciam, sed in urbe capta, quæ regimen ac dominum mutaverat, tabernæ usque patuerunt. Scribæ, datis libellis hospitalibus, in domos pro more induxerunt milites; hi cunptis, quæ quisque voluit, cibariis quievere.* Laudanda profectò disciplina. Lib. 1. cap. 21.

Adversùm milites, ausos spoliare Ecclesias insigne capitulum edidit Carolus Magnus. Affirmat eos omnes esse anathematizatos, atque prosequitur: *Scimus anathematizatos homines & in præsenti sæculo infames esse ac perditos, & à consortio fidelium in omnibus absque pane & aqua fieri alienos, atque si absque Ecclesiæ satisfactione de hac vita recesserint, à regno Dei fore exteres. Quam fovcam cavere dissimulans vel recusans, nostra so ciat per omnia carere societate. Quia non solum qui faciunt, sed & qui facientibus prava consentiunt, sunt rei. Satisfaciunt nobis est Regnum non habere terrenum, quàm æternum perdere. Plus verò me credo Deum posse per Sanctorum suorum merita adjuvare, quàm omnem militem sæcularem. Quapropter omnes scire cupimus, si super his, quibus fruimur bonis, universum Mundum lucrari potuissemus, nostras vestrasque animas perdere noluissemus, nec se pro prædictis cupiditatibus perdere voletnibus assentiri.* Est autem Regula, quam omnes Christiani Reges, Duces, ac milites deberent suis mentibus memoriter inscribere; præsertim Reges ac Duces. Etenim omnia gregariæ turbæ facinora ac flagitia, quæ ipsi impedire non student plena cura, fiunt illis propria. Hinc Magni Caroli filium & successorem Ludovicum Gallicana Synodus degradavit ob hunc etiam articulum: *In expeditionibus, multa & innumerabilia sunt in populo Christiano flagitia perpetrata, in homicidiis & perjuriis, in sacrilegiis, in adulteriis, in rapinis, in incendiis, sive in Ecclesiis sive in aliis locis, in direptionibus & oppressionibus pauperum, in miserabili ac penè apud Christianos inaudito patratu. Quæ omnia ad authorem refle-* Lib. 7. cap. 188. *ctuntur.* Ex eadem regula adversùm Carolum Calvum, Ludovici filium ac in Galliæ regno successorem statuit Meldensis Synodus: *Quia* 27. *hactenus propter diversas necessitatum incommoditates aliter per vos fieri incompetentia compulit, quàm salubritas poposcisset, & bonestas atque utilitas postulasset, vestra studebit Magnitudo obnixius observare, ut civitates per Regis transitum non depræ-*

dentur;

dentur; ut quando transitus vester juxta civitates acciderit, immunes & liberas vestra Dominatio jubeat à deprædationum exactionibus fieri mansiones intra civitatem. Quia omnes qui sua ad civitates deferebant, ut & salva ibi quæque haberent, & illa plus pacificè venderent, jam & hoc refugium: & priscinæ immunitates & confirmationes infringuntur, cùm & Cives ab Hospitibus opprimuntur, & ab his à quibus non solùm opprimuntur, verùm & depressuntur, sua solùm vendere prohibentur, sed & propter diripientium posse cum gemitu clamare cogunt.

Ep. 94. De læsa, immò & eversa militari Disciplina in litteris ad Joannem Archi-Diaconum gravissimè queritur etiam Petrus Blesensis. Demonstrat quòd milites sint Ecclesiæ filii, ideoque ab Ecclesia ad Sacerdotii honorem, tuitionem pauperum, vindictam malefactorum, & ad Patriæ liberationem accipiant gladium; atque prosequitur: Porrò res in contrarium versa est. Nam ex quo bodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & desæviunt in patrimonium Crucifixi. Spoliant & deprædantur subjectos Christi pauperes, & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus, & extraordinarias impleant voluptates. Refert Lucas, quod milites accedentes ad Joannem Baptistam, interrogaverunt eum, dicentes: Magister, quid facimus & nos? Neminem, inquit, concusseritis, neque calumniam feceritis, sed contenti estote stipendiis vestris. Qui contra inimicos crucis Christi vires suas exercere debuerant, pacibus & ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen & officium militiæ deboneslant. Nihil damnabilius in milite est quàm otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus occupatur. Amplè hoc demonstrat, atque pergit: Hodie in delicijs nutritur, & tota ad carnis delicias se relaxat Philosimbola nostra, in cute curandâ plus æquo operosa juventus. Quod si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, Summarii eorum non ferro, sed vino; non lanceis, sed caseis; non ensibus, sed utribus; non hastis, sed verubus onerantur. Credas eos ire ad domum convivii, non ad bellum, Clypeos deferunt optimè deauratos, prædam potiùs hostium cupientes, quàm certamen ab hostibus; Et eos referunt, ut ita loquar, virgines & intactos. Bella tamen & conflictus equestres depingi faciunt in sellis & clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi aut videre non audent. Et rursùm: Porrò cùm nostri milites ab expeditione sine vulnere & cicatrice, sanis etiam & integris armis, per Dei gratiam revertuntur, curritur ad bibendi conflictum. Crateras igitur lætì flatuunt & vina coronant, atque exhaustas canunt prælia Marte gravi. Illic Æacides, illic tendebat Ulysses; Et pingunt fluido Pergama tota mero. Garriunt igitur & laxant procaces linguas in detractionem hominum innocentium, desæviunt in Christo Domini, referuntque & conferunt labores suos & otia Sacerdotum. Has ob rationes Petrus isti Archi-Diacono dissuadet ne suum Nepotem permittat adscribi inter milites. Imitatur sanctum Isidorum Pelusiotem,

Per istiusmodi milites nullam posse obtineri victoriam censuit & prædicavit magnus ille Imperatoris Justiniani Dux Belisarius. Ejus Concionem, quam ad suos milites dixit in Africa, audiamus à Procopio Cæsariensi: Inferre vim, & rapto ac alieno vivere, scelus altàs ideò videtur esse, quia jus violatur. Nunc autem tantam habet offensionem, ut posthabita æquitate, nihil aliud, nisi quantum ex hac licentia periculum proficiscitur, attendere nos oporteat. Ego sanè vos in terram expositi, hoc uno fretus, quod Afri, qui Romani ex stirpe sunt, in fide erga Wandalos claudicent, fingue illis infensi. Properea nobis nec deficere commeatum, nec hostem ullo incursu nociturum existimabam. At nunc vestra illa intemperantia res partem in contrariam vertit. Nam Afrorum benevolentiam Wandalis, odium vobis modò conciliastis, adjuvante naturâ, quæ injustam vim patientes ab inferentibus alicnat. Eoque cupiditatis præposteræ deventum est, ut pro argenteis pauculis, quos servastis, vestram securitatem & bonorum copiam abjeceritis, cum cibaria à volentibus dominio coemendo, injustitiæ notam vitare, eorumque amicitiam colligere promptum esset. Igitur Hostes simul Wandalos, simul Afros patiemur; Addo, quòd Deum ipsum; qui nemini injuriam facienti opitulatur. Agite dum: in alienâ involare nolite amplius, & quæstum periculosissimum amovete, quando ex abstinentiâ & moderatione salus maximè pendet, effrænata autem licentia ad interitum ducit, nam si dicta sanctè curabitis, Deum propitium, Afros amicos, Wandalos aditu faciles experiemini. Quidam miles modica cibaria, quæ pauculis argenteis comparari potuerant, cuidam Afro Rustico rapuerat. Et de ista rapina tantus Dux est concinatus varia & vera. Quod esset quæstus furtivus, injustus, periculosissimus. Utpotè qui addictos Romanis, & à Wandalis aversos Afrorum animos alienaret: ac insuper divinam advocaret vindictam, adeoque omnem victoriam diverteret. Et concio quadrat nostro tempori.

Lib. 1. cap. 16.

CAPUT XI.

De Militari Clero, custode disciplinæ.

Fol. 415. & 416.

Antiquam nostrorum principum pietatem bellicam exponit magnum Belgii Chronicon, agens de Carolo Burgundiæ Duce, quem passim appellamus Carolum Audacem. *Carolus Princeps in magna armatorum multitudine & frequentia, Divina in Ecclesia audiebat, cui etiam ante summum Altare in loco Perissyli vel Sacrario ex cortinis tendebatur tabernaculum, quod non exivit, nisi oblationis tempore, & Benedictionis, quæ in medio altaris super ipsum legebatur, principe in genibus reflexibile, & Pontificis facies versa erat ad populum, qui etiam assiduè coram ipso Principe celebrabat, quam Missam cantores Principis solemniter cum diffenu psallebant. Sed & diversarum Facultatum plures in exercitu habebat Doctores, & excellentes Theologos, qui etiam coram ipso sæpius sermocinabantur. Opulentissimi etiam in exercitu erant Domini. Et Princeps cum ipsis, & Consiliariis suis, unusquisque cum suo Capellano quotidiè horas persolvebat*

vebat Canonicas secundum Ordinarium Fratrum Prædicatorum. Et omnes devotissimè Missas assiduè audiebant, & Celebrantibus largiter de præsentia providebant. Propter quod non exigua Sacerdotum multitudo Exercitum sequebatur Fratrum Mendicantium. Omnes & singuli Proceres Presbyterorum, Princeps secum in Exercitu habebat Episcopum: & omnes quotidiè audiebant Missam, aliaque divina Officia. Quin & omnes cum suo Presbytero in dies recitabant Canonicum Officium. In his magis fidebant, quàm in Armis: & ita procedebant ad prælia.

Est antiquissima omnium Christianorum Regum ac militum pietas. Etenim de magno Imperatore Constantino, Licinianum bellum inchoaturo, scribit in ejus vita Eusebius Episcopus Cæsariensis: *Constantinus Servatori suo preces fundendi tempus vacuum & solutum dicavit, & Crucis tabernaculo extra castra etiam longissimè fixo, ibi synceræ & piæ meditationi se dedens, more veteris illius Dei Prophetæ, quem extra castra Tabernaculum fixisse divina confirmant Oracula, Deum ora re cæpit. Nonnulli etiam, quos ipse ob fidei & pietatis studium satis spectatos habuit, in idem munus cum eo incumbebant. Et hoc etiam aliàs exequi erat ei in more positum, dum bello cum hoste decertare constituerat. Nam sicut propter securitatem tardior in rebus gerendis fuit, sic Dei consilio omnia administrare consultum statuit. Et cum jam vacuo animo attentè Deo preces adhibebat, semper divina aliqua visione donatus fuit: ac post illud tanquam divino instinctu impulsus, exiliit è tabernaculo, & de repentè Exercitum incitare cæpit, mandavitque ut nulla interposita mora ipsum gladiorum actum exercerentur. Qui ex improviso hostes adorsi, homines cujuscumque ætatis concidernnt, atque interdum puncto ferè temporis parta victoria, Trophæa contra hostes infigenia statuerunt.* In hunc modum Imperator etiam jam antea in præliis committendis, & seipsum gerere, & Exercitum regere consuevit: quin etiam Deum *suæ ipsius animæ præponere, & illius consilius omnia transigere.* Pergit Eusebius de eodem Principe profecturo ad Persicum bellum: *Constantinus militares Ordines edixit, & de expeditione cum Episcopis, quos secum habebat, communicabat, existimans oportere ex his aliquos ad pietatis officia maximè idoneos perpetuò sibi adesse. Illi verò libenter quidem se secururos, nec vestigium ab eo discessuros, sed unà militium obiturus, & apud Deum supplicibus votis se pugnaturos recipiebant. Hac ille voluntatum & studiorum professione vehementer delectatus, totius expeditionis quasi vestigia eis expressit. Ac ad bellum illud suscipiendum interim curavit Tabernaculum, ad Ecclesiæ similitudinem magnificentiâ faciendum, in quo victoriarum Datori ipse cum Episcopis supplicaret.* Eadem de re scribit Socrates: *Constantinus tandem desiderio ac studio erga Christianam religionem inflammatus erat, ut cum esset bellum contra Persas gesturus, Tabernaculum, quod Ecclesiæ formam & effigiem exprimeret, sicut Moses in Deserto fecerat, ex velamine variato confecerit, illudque secum portandum curavit, quo in locis etiam desertissimis Ædem Sacram ad orandum decorè paratam haberet.* Et Hermias Zozomenus: *Constantinus in Palatio item exstruxit Ecclesiam. Et tabernaculum Ecclesiæ figuram exprimens, cum contra hostes prælio contenderet, secum circumferre consuevit ad eum finem, ut neque sibi in solitudine vitam agenti, neque Exercitui deesset Ædes Sacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, precibus sollicitare, & Sacra Mysteria percipere. Nam Sacerdotes & Diaconi, qui secundum Ecclesiæ Institutum ista munera obirent, sunt Tabernaculum assiduè secuti. Ex eo tempore militares Romanorum Ordines, qui jam vocantur Numeri, singuli sibi Tabernaculum separatum confixerunt, habueruntque secum Sacerdotes & Diaconos, ad rem Divinam faciendam destinatos.* Quisque Numerus habebat suam Castrensem Ecclesiam, suumque non unicum Capellanum, sed plenum Clerum. Et quidem non quævis Legio, aut Cohors, sed Numerus; Legio erat peditum, & dividebatur in Cohortes & Numeros.

Lib. 2. cap. 12.

Lib. 4. cap. 56.

Lib. 1. cap. 14.

Lib. 1. cap. 8.

Eandem pietatem laudat in Additamento ad Eutropium Paulus Diaconus, agens de Comite Mascezil, progressuro in paganum, ac Romano Imperio perduellem, fratrem suum Gildonem: *Mascezil, jam ab Imperatore Theodosio sciens, quantum viribus desperatissimis Oratio hominis per fidem Christi, Clementiam Dei impetraret, Caprariam insulam adiit, indè secum Sanctos viros, ipsius Cœnobii Monachos, adduxit, cum quibus orationibus ac jejuniis aliquot dies continuavit & noctes.* Nempè Mascezil, licet Maurus, erat à Magno Theodosio evectus in Romani imperii comitem, atque ita & sitam pietatem didicerat. Etiam Gothorum Exercitui fuisse Castrensem Ecclesiam, eamque Asyli jure gavisam scribit Hermias Zozomenus. Et de tempore, quo Sanctus Germanus Antissiodorensis, ac Sanctus Lupus Trecensis Episcopus apud Britones prædicarunt, scribit in Anglorum Historia venerabilis Beda: *Interea Saxones, Pictique bellum adversùs Britones junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in Castra contraxerat. Et cum trepidi partes suas penè impares judicarent, Sanctorum Antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes advenium, tantùm paventibus fiduciæ contulerunt, ut accussisse maximus crederetur exercitus. Itaque Apostolicis Ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quas religiosiores reddebat præsentia Sacerdotum: in tantum ut quotidianis prædicationibus instituti, certatim populi ad gratiam Baptismatis convolarent. Nam maxima Exercitus multitudo undam Lavacri salutaris expetit, & Ecclesia ad diem Resurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur, atque in Expeditionè campestri instar civitatis aptatur. Madidus Baptismate procedit Exercitus, fides fervet in populo, & contexito armatorum præsidio, Divinitatis exspectatur auxilium.* Et advenit. *Etenim non tubas aut tympana insonant, sed præcinentibus Episcopis, Paschale Alleluja cantarunt milites, atque ita hostile agmen terrore posterunt, & ruisse super se non solùm rupes circumdatas, sed etiam ipsam Cœli machinam contremuisse, trepidationique tuisse vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora erripuisse diserimini. Plures etiam timore præcipites flumen, quod transierant, devoravit.* Prætermittere non

Lib. 3. cap. 2.

Lib. 6. cap. 37.

Lib. 1. cap. 20.

possum

possum lepidum, nescio cujus Anglicani Ministri, Scholion : *Britanni veteres, Ecclesiæ primitivæ discipuli, Quadragesimam non superstitiosè quidem quasi dierum discrimini nimium tribuentes, sed ut Paraseeven & præparationem ad Festum Paschæ sequentem celebrandum, jejunio, lachrymis, Confessioni peccatorum, ac Respiscentiæ veræ studio dicabant, ut hinc verè hilares, plenique lætitia ad solemnitatem Paschæ, Sacramentorum delicias cælestes percepturi, accederent.* Homo hæreticus nos arguit, quod Quadragesimam fervemus superstitiosè, tanquam ab Apostolo damnati dierum ac temporum observatores. Est ridicula calumnia. Etenim quod una ex servandæ Quadragesimæ rationibus sit pia ad Paschalem Solemnitatem ac Eucharistiam præparatio, frequenter tradit Sanctus Joannes Chrysostomus. Et ab illo nos non recedimus.

Eandem pietatem retinuit, & à priori, quo Episcopi propriis etiam manibus pugnare consueverant, abusu purgatam stabilivit lapsæ apud Francos Christianitatis reparator Carolus Magnus : *Apostolica authoritate, & multorum Sanctorum Episcoporum instructi, Sanctorumque Canonum Regulis edocti, consultu videlicet omnium Nobilium nostrorum nos met ipsos corrigentes, Posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo aut tres tantùm Episcopi electione cæterorum, propter benedictionem & præcidationem, populique reconciliationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui benè sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, Sacratique Olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne sine Viatico quis de sæculo recedat.* Et aliud Capitulum habet : *Nobiscum ad Bella non pergant nisi duo aut tres bene docti Episcopi, electione videlicet cæterorum, ad benedictionem dandam, & ad perficiantium Reconciliationem faciendam, ut eorum precibus fulciamur. Quam formam & de Sacerdotibus tenere optamus : id est, ut nec illi in hostem, nisi benedicti, & ipsi electione atque permissione proprietorum Episcoporum. Qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus.* Desumpta hæc sunt ex .... Synodo, celebrari jussa per Caroli Patrem Pipinum : *servis Dei in hostem pergere omninò prohibuimus, nisi illis tantum, qui propter Divinum Ministerium, Missarum solemnia celebranda, & Sanctorum Patrocinia, utique Sacras Reliquias, portando, ad hoc electi sunt : id est, unum vel duos Episcopos, cum Capellano & Presbyteris eorum, Princeps secum habeat. Et unusquisque Præfatus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus, judicare & indicare pœnitentiam possit.* Antiquus Ecclesiæ Canon Missæ Sacrificium aliaque divina officia vetat fieri in privatis ac profanis domibus. Hinc Marcus, Alexandriæ Patriarcha proposuit hanc quæstionem : *An fiat periculo sacrificabit quispiam, aut divina faciet Baptismata in Navi, vel domo non sacra?* Et Theodorus Belsamon, Patriarcha Antiochenus pro certis casibus respondit affirmativè, & adjunxit : *Sic enim & Clerici, qui sunt in Imperatorum comitatu in campis solitariis Sacra rite fatere censentur sub solo Bombicino, quod est Ecclesiæ destinatum, tentorio.* Proindè posteriores etiam Græcorum Imperatores habuerunt Castrensem Clerum & Ecclesiam : factam ex Bombycino : & variè Privilegiatam.

Lib. 7. cap. 123.

Lib. 6. cap. 285.

13.

Hujus Cleri Officium jam aliundè audivimus ex adductis testimoniis. Addit Meldensis Synodus de domesticis Magnatum Capellanis : *Provideant viri potentes, & maximè potentes fœminæ, ut in suis dominis adulteria, & luxuriæ concubinariæ, & incæstæ adulteria non vigeant. Et suos Presbyteros, qui cum eis in Capellam vadunt, hujusmodi virtutem habere faciant, quatenus omnia vitia in domibus suis resecent : & Orationem Dominicam & Symbolum cunctos tenere frequenter compellant. Quia Parochiani Presbyteri & Episcoporum Ministri de minoribus & vilioribus Personis hoc providere studebunt.* Iste Clerus habet omninò animarum curam : laboriosam ac ex vario capite periculosam. Hinc de ipso rectè edixit Carolus Magnus : *qui tales sint, de quorum scientia, & vita, & conversatione omnes securi esse possimus.* Libertini Clerici aut Monachi sunt ab isto officio longissimè proscribendi. Licentiosos militum animos nec verbo alligare norunt, & exemplo faciunt pejores. Divinam protectionem fugant ab Exercitu. Hinc omninò expedit ut quis Episcopus, aut certè quis magnæ scientiæ & probitatis Presbyter comitetur Principem, qui ejus latere & authoritate fultus reliquum Clerum Episcopaliter regat & contineat in officio.

cap. 74.

CAPUT XII.

Quibus diebus præliari liceat.

ANtiqua Ecclesiæ Disciplina diebus Dominicis ac festivis interdixit omne prælium. Ita olim & Latini constanter servarunt & Græci. Pietas à magno Imperatore Constantino ducit originem, qui ad trecentis & octodecim Patribus de feliciter expleta Nicæna Synodo gratificandum emisit tria piissima Edicta, quorum hoc fuit tertium : *Ut die Passionis Dominicæ & ipsum sequenti die ab omni opere abstinerent homines, nevè in eisdem prælium ullum committeretur.* Ita habes in Annalibus Eutychii Patriarchæ Alexandrini. Loquitur ex quarto Cæsarzensis Eusebii de magni Constantini vita libro. *Cum Constantinus hunc salutarem diem Dominicum docuisset universum Exercitum omni studio colere, his qui divino instinctu fidem secuti erant, otium fecit, ut liberè possent Ecclesiam Dei frequentare, quo sine ullo impedimento preces Deo persolverent. Sed alii, qui nondum Divinam degustaverant Doctrinam, alia quadam lege mandavit ut Dominicis diebus in patentes Suburbiorum Campos exirent, atque ut ibi eadem Precationis forma, date per unum alliquo figo, omnes simul ad Deum uterentur. Non enim oportere, ajebat, hastis uti, & rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere; sed Universitatis Deum, rerum omnium bonarum, & ipsius victoriæ Authorem agnoscere: Cui oporteret panfis in cœlum manibus, & sublatis altissimè ad Cœlestem Regem mentis oculis constitutas preces reddere, ut illum victoriæ Largitorem, Conservatorem, custodem nobis, Adjutoremque precibus imploremus.*

1451. cap. 8. 9.

ploremus. Formulam verò precandi ipse omnibus militibus præscripsit, mandavitque ut *Romana lingua omnes ita precarentur*. Etiam Pagani. Communi & unanimi voce. In Subundano Campo. Audiamus formulam. *Te solum Deum agnoscimus, te Regem profitemur, te adjutorem invocamus, per te victorias confecuti sumus, per te hostes superavimus, abs te & præsentem felicitatem confectos fatemur, & futuram adepturos speramus. Tui omnes supplices sumus. Abs te petimus, ut Constantinum Imperatorem nostrum una cum piis ejus Liberis quàm diutissimè nobis salvum & victorem conserves.* Hujusmodi preces ad Christianitatem præparatorias Constantinus omni Dominica jubebat fieri à militibus Paganis. Christiani jubebantur omnem istum diem in Ecclesiasticis Conventibus, ac aliis veræ pietatis officiis exigere.

Pietatem omnes Successores constantissimè observarunt. Scribit Ammianus Macellinus: *Sub idem ferè tempus Valentinianо ad expeditionem cautè, ut rebatur, profecto, Alemanni Recalti, Ravido nomine, diu præstruens quod cogitabat, Moguntiacum præfidiis vacuum cum expeditis adtentet irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus invenit celebrari solemnitatem, impræpedità cujusquemodi fortunæ virilem & multebrem sexum cum supellectile non parva indefensum abduxit.* Quòd omnis Civitas esset Christiana, ideoque ob festi reverentiam nemo paratus ad arma. Et hinc de Stilicone, cui filii Honorii & Occidentalis Imperii curam testamento delegarat magnus Theodosius, excessibus, in septimo Historiarum libro scribit Paulus Orosius: *Taceo de insolitibus illis apud Polentiam Festis, cum barbaro & pagano Ducе, hoc est, Sauli summa belli commissa est, cujus improbitate reverentissimi dies, & Sanctum Pascha violatum est, cedentique hosti propter Religionem, ut pugnaret extortum est. Cùm quidem, ostendente in brevi judicio Dei, & quid favor ejus posset, & quid ultio exigeret, pugnantes victimus, victores victi sumus.* Et de Persarum Duce, parante Philippicum Mauritii Imperatoris Ducem die Dominica invadere scribit Theophylactus Simocata: *Erat dierum hebdomadis septimus, qui Sabbathum nominatur. Quod ubi Romani resciverunt, suspicio Ducem incessit, hostes die crastina ipsis invadendis fortunam experturos. Romanis nempè propter diei Dominici venerationem & Numinis excolendi reverentiam festus affuit.* Et infrà scribit de Chagano Turcorum Principe, belligerante adversùs eumdem Imperatorem Mauritium: *Solemnia mortis & resurrectionis Salvatoris in foribus erant. Caganus à Prisco Mauritii Duce aromata petit. Cui ille morem gerens, piper, folium indicum, casiam, & costum mittit. Barbarus donis Romanorum acceptis, & aromatibus delinitus, incredibiliter lætatur, & armis temperat, quoad publica illa & præcipua Solemnitas præteriit.* Quò nempè Romanis, tunc otiosis præliari, gratificaretur. Et ad quintum annum post Basilii Consulatum scribit in Chronico Victor Tonnonensis Episcopus: *Stuza Tyrannus apud Africam Joannis Romanæ militiæ Ducis jaculo percussus est, parique vice & Joannes Stuzæ, Qui confestim alterutro utrique gladio ceciderunt, & Dominico die, quo pugna facta est, moriuntur.*

Utique in pœnam violati Festi. Et Idacius Lemovicensis Episcopus scribit in suo Chronico: *Per Suevos loco habitantes in diebus Paschæ Romani cum Rectore suo, repentino, securi de reverentia eorum, occidentur incursu.* Credebant se Christianos à Christianis tali die non invadendos. Verùm Suevi erant barbari. Isti Infidelium incursus fuerunt olim frequentissimi, præsertim in festis Paschalibus. Nam & per istum fuisse turbatum suum Pascha, ejusque lætitiam obnubilatam in variis litteris queritur Theodoretus Episcopus Cyrensis. Hinc Neophytis Bulgaris quærentibus, *Si quando nuntius venerit, ut ad prælliandum pergatur, deberent mox proficisci? An sit aliqua dies in qua non oporteat ad prælliandum exire?* Omninò agebant de die Dominica aliisque Festis. Lucet ex alia quæstione: si die Dominico, vel cæteris festis diebus, quando necessitas urget liceat ad bellandum procedere? Ad has Consultationes S. Nicolaus primus Pontifex rescripsit: *Non est ulla dies in quibuscumque negotiis incipiendis vel exercendis penitùs observanda, præter, si nimia non urgeat necessitas, supra memoratos dies celebertimos, & omnibus venerabiles Christianis. Non quò vel in his tale quid fieri prohibeatur, cum non sit in diebus spes nostra ponenda, nec a diebus, sed à solo Deo vivo & vero salus omnis penitùs exspectanda; sed quò, si inevitabilis necessitas non est, vacandum est in his, solitò studiosiùs orationi, & tantæ festivitatis mysteria frequentanda. Nam cùm Hebræi quondam Sabbathum observantes noluissent contra hostes suos die Sabbatho rum arma sustollere, & Deus omnipotens, quod in se tantùm, non in observantia dierum spes esset, & fortitudo locanda, voluisset ostendere, occisi sunt ex eis mille viri, ita ut superfluit pœnitentia ducti invicem dicerent: si omnes fecerimus, sicut fratres nostri fecere, & non pugnaverimus adversùm gentes pro animibus nostris, & justificationibus nostris, alieni disperdent à terra.* Supra-memorati dies sunt Solemnitates Beatæ Mariæ Virginis, SS. duodecim Apostolorum, ac Evangelistarum, Præcursoris Domini Joannis, S. Stephani primi Martyris, propria Bulgarorum festa, ac omnes Dominicæ. Pontifex adfirmat istis diebus non licere bellum, nempè offensivum: quòd Pagani, Hæretici, ac etiam mali Catholici nos in istis diebus invaderent, atque ita trucidarent, Machabæorum exemplo, Ecclesia suam Legem est interpretata, edixitque defensivum bellum tunc omninò licere. Et hæc exceptio est S. Nicolao antiquior. Etenim ipsam secutus fuit & Imperator Ludovicus Pius. De ipso, dum filius Ludovicus turbaret Germaniam, scribit Annalista Aftologus: *Invictus Ludovici animus, dum turbari tali peste Ecclesiam Dei, populumque Christianum vexari comperit, nec labori cessit, nec dolore fractus succubuit, sed Quadragesimali jejunio incboato, adversùs hanc vim se obicem objecit. Et qui solitus erat hoc tempus Psalmorum Decantationi, orationum instantiæ, Eleemosynarum liberalitati totum dare, ita ut vix uno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret, nunc propter discordiam fugandam, pacemque revocandam, nullum diem voluit habe-*

20.

Lib. 27. cap. 21.

C. p. 37.

Lib. 2. cap. 2.

Ep. 38. 39 40-51

9-34. 36.

841.

habere servatum. Quin imò Philippicum Imperatoris Mauritii Ducem, dum Dominico die à Persis invaditur, se armasse, & fuisse prælium testatur S. Martyr Theophanes. Ejus verba adducam inferius. Hinc lucet exceptionem hanc esse antiquissimam.

Ex adductis Astrologi verbis discimus istam pietatem apud Majores nostros fuisse adeò largam, ut etiam per omnem Quadragesimam non bellaretur. Non erat voluntaria, sed per Ecclesiam jussa, ac præcepta pietas. Lucet ex Iudicatis Pontificis Nicolai Rescripto ad præfatos Bulgaros: *Jam verò si Quadragesimali tempore liceat, si necessitas exigit, vel si non exigit ulla necessitas, ad bella procedere, non vobis est necessarium exponendum, cum ex priorum propositionum solutionibus, quid vos conveniat agere, etiam nobis tacentibus, jam ipsi colligatis. Bellorum quippè & præliorum certamina nec non omnium jurgiorum initia, diabolicæ fraudis sunt arte profectò reperta, & dilatandi regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii dilectio tantum his intendere, seu delectari convincitur. Et ideo, si nulla urgeat necessitas, non solum Quadragesimali tempore, sed omni est prælijs abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec Quagragesimali est tempore, pro defensione tam sua quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi parcendum: Ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, & suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ Religionis detrimenta non cavet.* Adfirmat non quodvis, sed defensivum dumtaxat bellum licere in Quadragesima, & quidem non nisi ob inevitabilem necessitatem. Et adjungit tunc solummodo non esse licitum, sed etiam debitum ac obligatorium. Quod nempè tunc torpere sub Religionis specie, & necessaria auxilia negligere, sit species Divinæ tentationis. Ex eadem Regnia sanctus Gerardus Chœnodiensis in Hungaria Episcopus, ad Ivonem Tyrannum Regni invaforem, est publicè concionatus: *Observatio sanctæ Quadragesimæ peccatoribus pro venia, justis pro præmio est constituta, quam tu Rex cum cædibus polueris, nullam hodie veniam meveris*. Ita habes in vita laudati Episcopi, exstante apud Laurentium Surium. Hæc reve-
23. Sept. rentia est haud dubiè à Magno Constantino. Etenim & ipse singulas ferias sextas, ob Dominicæ Passionis reverentiam jussit esse ferias à bello & prælijs. Pietas hæc, licet deficere inciperet, adhuc perseverabat tempore Eugenii III. Pontificis. Lucet ex generali Historia Ottonis Episcopi Frisingensis: *Apud nos tam tetra videtur confusio, ut non solum reliqui anni circulo præda & incendio cuncta permisceant, sed & in ipso Quadragesimali & Pœnitentiali tempore, contra Divinas & humanas leges, desævire non pertimescant*. Laudat antiquissimos Canones, qui pœnitentes personas, adeoque & pœnitentialia tempora mandat vacare ab armis. Sunt antiquissimi Canones, ideoque palam nati ex Lege Magni Constantini. Adfirmat esse Divinam Legem: Quod nempè Ecclesiæ Canon a Divina Lege habeat originem & fomentum.

Lib. 6. cap. 34.

Item Episcopus Otto scribit in secundo libro de Gestis Imperatoris Friderici Primi, ob-
cap. 18. sidentis civitatem Terdonensem: *Appropinquabat Paschale festum, & Princeps Religionis intuitu quatuor diebus, id est quinta Cœnæ Domini feria usque ad proximæ Paschalis hebdomadæ secundam feriam, ab arcis impugnatione cessandum statuit. Itaque proxima de hinc feria, id est, die qua Passio Domini in Parasceve à cunctis Christicolis celebratur, Clerici & Monachi cum Oppidanis inclusi, vestibus Sacris induti, cum Crucibus, Thuribulis, cæterisque Christiani ritus ornamentis, portis apertis, egressi ad Tentoria Principis venire cupiebant, Liberationem & pacem supplicaturi*. Ex quibus discimus tria: Primò, quod avita in Quadragesima reverentia tunc apud nos Latinos vacillaret. Etenim jam ante hos sanctissimos dies Fridericus Terdonam & obsederat, & impugnarat. Secundò, quod istorum principalium dierum reverentia tunc esset in pleno adhuc vigore. Tertiò, quod Christiani Principes ob istam reverentiam cessarent non dumtaxat à prælijs, sed & hostibus plenam pacem darent. Et de Reinaldo Colonien-
si Archi-Episcopo, ejusdem Friderici Confessario & Consiliario, scribit Godefredus ad S. Pantaleonem Coloniæ Monachus: *Romani contracti copijs fata & vineas Tusculanorum vastare* 1167.
cæperunt, & Rainaldum Episcopum obsidione arctare. Ipse autem ob reverentiam Sacræ diei intra muros se continuit. Erat vigilia Pentecostes. Et in tanto die Reinaldus noluit vel defensivè præliari. Et de Saxonibus adversum Henricum IV. Imperatorem in Dominicæ Nativitatis vigilia prælianibus, scribit in ejus Apologia Wernerus Vercellensis Episcopus: *Ecce quid faciunt hæreses & schismata? dicit in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*. Urget hunc esse diem, in quo Sancti Angeli cantaverunt; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*; & adjungit: *Ea tam festiva solemnitate Angelorum atque hominum factus est luctus ingens, mœror, atque tristitia, & effusio humani sanguinis*. Et de Francis Vernolium in Normandia obsi-
dentibus, ac in Pentecostes die impugnanti-
bus, cum amaro stomacho scribit Radulphus 1194.
Dicetensis: *Tunc temporis inflabat dies ille magnus, celebris ille dies, Majestati dies altissimæ dedicatus, dies optabilis toti Mundo, dies Pentecostes, populo Christiano per orbem terrarum venerandus ubique*. Et de Stephano Anglorum Rege habet Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis: *Stephanus Rex ante Nativitatem Domini in Angliam rediit; & per totum Natale, incipiens ab ipsa Vigilia, Bedfordiam obsedit. Et de tanta Solemnitate non curans ab obsidione non cessabat, donec Castrum sibi adversum cepisset*. Habemus longè plura istiusmodi exempla, demonstrantia Festorum dierum per offensiva prælia violationem fuisse olim summum crimen. Et sanè si tunc servilia non licent opera, quomodo liceant homicidia, aliæque Præliorum violentiæ?

Godefridus Lotharingiæ Dux, dum ad Sacrum pro Terra Sancta bellum Constantinopo-

lim advenit circa Paſcha, & Schiſmaticos Græcos ſibi denegantes tranſitum, fuit compulſus armis adgredi, & ad juſtiſſimis poſtulatis annuendum compellere. Hinc de Patre ſuo & Imperatore Alexio Comneno ſcribit in decimo Alexiados libro Anna Comnena: *Alexius primum vetuit prodire ullum in Latinos armatum, aut hoſtile in ipſos quidquam moliri. Duplici ex cauſa id conſtituerat. Nam & diei Religio, quæ tunc erat feria quinta maximæ ſanctæque Hebdomadis, colenda ipſi tali ceſſatione videbatur, & à civili bello, fundendoque Chriſtiano ſanguine pio abhorrens animo, quidvis experiendum ferendo putabat prius, quam ut in iſtam extremam nefandi mali neceſſitatem veniretur. Crebris ergo & blandis miſſis ad Latinos Nuntiis rogabat illos incæpto intempeſtivo deſiſterent, inquiens: Sacram lucem & cæſum hodie pro nobis omnibus reverearnini Dominum, neque ei tantillum conceſſiſſe dedignemini, qui Deus cùm eſſet, nec Crucem, nec clavos, nec lanceam, ſupplicia maleficis debita, ſuſtinere noſtræ ſalutis cauſa recuſaverit. Quod ſi pugnæ tanta cupido eſt, ſuſtinete uſque poſt inſtantem Dominicæ Reſurrectionis diem: tunc & nos ad prælium prodibimus. His adeò non flexi aut moti Latini, ut nihilominùs denſarent Ordines, jactuſque telorum frequentarent, &c.* Exiſtimo narrationem ſubſiſtere. Hinc oritur quæſtio, ex quo fundamento piiſſimus Dux Godefridus cenſuerit Sanctiſſimos dies offenſivo prœlio maculandos? Reſpondeo fundamentum illi fuiſſe authoritatem Sancti Gregorii VII. Pontificis, de Siculorum Duce ſcribentis ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem: *Roberti voluntatem in his agnoſcere diligenter te cupimus, ſcilicet ſi neceſſaria vobis expeditio fuerit poſt Paſcha, an per ſe an per filium ſuum ſe decenter ſuccurſurum fiducialiter polliceatur. Si verò hoc non potuerit, quod milites poſt Paſchale Feſtum, ut in familiari militia Beati Petri ſint, ſe deſtinaturum indubitanter promittat. Hoc etiam ſolerter procures advertere, in illos dies, videlicet Quadrageſimales, quibus Nortmanni ſolent pugna vacare, præfatus Dux aſſentiat hoc pacto offerre Deo ut una vel nobiſcum, vel cum noſtro Legato ad aliquas terras Beati Petri, quo invitatus fuerit, competenter inſtructus accedat, quatenus hoc ſui obſequii ſtudio & bonos in Apoſtolica fidelitate confirmet, & rebelles ac contumaces ad debitam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reverentiam atque ſervitium vel terrore revocet vel vi, talique modo ſuæ Deo militiæ munus gratuitum offerat.* Gregorius loquitur de Henriciani ac Guibertini Schiſmatis fautoribus, quos parabat armis invadere. Scripſit hæc in Quadrageſima, aut proximè ante ipſam. Et ex iſta Epiſtola addiſcimus plura. Primò, quod tunc Nortmanni non dumtaxat in diebus Feſtis ac Dominicis, ſed etiam per omnem Quadrageſimam adhuc abſtinerent ab omni bello. Secundò, quod eadem pietas tum plenè vigeret etiam in Gallia: Etenim Nortmanni non ita pridem indè venerant in Italiam ac Siciliam, adeoque iſtam pietatem ſecum detulerant. Tertiò diſcimus, quòd iſta pietas tunc apud alios vacillaret: Etenim Gregorius adfirmat ipſam fuiſſe Nortmannis ſingularem. Quartò diſcimus, quòd Gregorius cenſeret illam non obligare adverſus Schiſmaticos, adeoque ipſos quovis tempore invadendos: aut certè cenſuit eam in hoccè caſu eſſe diſpenſabilem. Et hoc eſt verius. Hinc enim Robertum Ducem, non violento imperio, ſed gratioſa deſiderii interceſſione judicavit ad iſtius diſpenſationis obedientiam & executionem eſſe permovendum. Quidquid ſit, Godefridus Dux probavit iſtud Gregorii placitum, & ipſo ſuit uſus adverſus Græcos.

Fol. 298.

Ep. 94.

Et ex iſto Gregorii indulto avita pietas cœpit apud nos Latinos decreſcere, atque ita tandem plenè evanuit. Latini Principes cœperunt Indultum paulatim etiam ad Catholicos hoſtes, & ad quælibet Feſta extendere; ipſum tandem tranſmutare in Legem, atque ita quovis indiſcriminatim die bellare & prœliari. Extenſionis exordia abundè patent ex jam adductis teſtimoniis. His adjungo aliam relationem laudati Joannis Bromptoni, ſcribentis de Ludovico VII. Francorum Rege, obſidente civitatem Rothomagenſem: *Cùm per dies plurimos ſic certaretur, ut neque hi, neque alii in aliquo remiſſius agerent, Beati adfuit Laurentii feſtivus dies. Rex autem Franciæ, pro ejuſdem Feſti reverentia, quo dictum Sanctum ſpecialiter conſueverat venerari, requiem ipſo die Civitati indultam voce præconis juſſit publicari. Quam gratiam Cives gratè amplexi, otio breviſſimo jucundiſſimè fruebantur. Juvenes & Virgines, ſenes cum junioribus Deo & Sancto Laurentio pro diei lætitia, choreas ducentes, gratias exſolverunt, militibus civitatem exeuntibus, ſuper ripam flummis in conſpectu hoſtium ad laudem haſtiludia exercentibus. Comes ergò Flandrenſis mox Regem Franciæ, ut dicitur, adiens, ſic ait: Ecce Civitas pro qua multum ſudamus, his intùs choros ducentibus, illis foris ſecurè ludentibus, ſpontè nobis offertur. Exercitus ergò in ſilentio arma ſumat, ſcalſque repentè muro adjunctis civitatem obtinebimus, antequam in civitatem regredi valeant qui pro irritatione noſtra exteriùs vacant. Abſit, inquit, Rex, abſit. Moſti enim me pro reverentia Beati Laurentii indulſiſſe hujus diei requiem civitati. Tunc univerſi Proceres qui aderant, familiari auſu Regis mollitiem increpantes, dixerunt: Dolus an virtus, quid nunc exerceri debeat, quis enim veritatem in hoſte requirat? Victus ſic tandem Rex acquievit. Itaque non per vocem tubæ ſeu præconis, ſed ſolis Ducum ſuſurris Exercitus præparatur.* Proindè pietas primùm diminuta fuit & contracta ad ſolemniſſimos dies, tandem penitùs exſtincta. Utinam per Epiſcopos reparetur. Et eſt neceſſè.

1174.

CAPUT XIII.

De pia Militum ad Prælium præparatione.

Optimi Majores noſtri ad committenda prælia ſe piiſſimè præpararunt, tanquam morituri, & pro Juſtitia profecturi ad Dominum Deum. De Ottocaro Bohemorum Rege, profecturo ad bellum contra Rudolphum primum Imperatorem, ſcribit Auſtralis Hiſtoria: *Rex*

An. 1278

Præ-

Pragæ à suis licentiatur, & ab omni Clero ac Populo universo cum multis gemitibus processionaliter de Civitate educitur. Et de Erfurtensibus contra Fredericum Marchionem Missiensem bellantibus scribit Lantgravianorum Historia. *Erfurtenses processionaliter ab omni Clero civitatis & Religiosis antè portam civitatis deducti cum magna civium turba exiverunt, & Marchionem cedere compulerunt.* Et de Anglis cum Rege suo Stephano ad Standardicum contra Scotos bellum proficiscentibus, & venerabili Eboracensium Archi-Antistite Turstino scribit Richardus Prior Monasterii Hagustaldensis: *Omnes cùm suis muntis & bellicis armis instructi Eboracum convenium. Itaque post acceptam privatam pœnitentiam, illis pariter & omni Populo Archi-Præsul triduanum cum eleemosynis indixit jejunium, ac deinde absolutionem, ac benedictionem Dei & suam eis solemniter tribuit.* Ita munivit ac armavit. Et infrà: *Tunc Crucem suam, & S. Petri vexillum, ac suos homines tradidit eis.* Sic misit in hostem. Est antiquissima pietas. Etenim de Imperatoris Justiniani Classe in Africam contra Wandalos profectura, in libris de isto bello scribit Procopius Cæsariensis. *Justinianus majorem Prætoriam ad litus, quod Imperatoris aulæ præjacet, applicari jussit. Huc Epiphanius urbis Archi Episcopus sese contulit, ac ritè Deum precatus, militem quemdam à Baptismo recentem, & modò consortem factum nominis Christiani, in navem immisit.* Antiqua ergò nostrorum Majorum pietas omnes ante expeditionem milites coegit ad Sacramentalem pœnitentiam, munivit Episcopali benedictione, expurgavit jejuniis ac aliis satisfactionibus, voluitque esse plenissimè mundos, similes recentissimis à Sacro Fonte infantibus. Hinc Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus primum, quem in benedictam à se navem immisit, militem voluit esse istiusmodi Neophytum, declarans ac mandans omnes ingressuros esse paris munditiæ. Et sanè ita oportet. Nam milites abeunt quasi ad mortem. Et per hujusmodi Excercium est à Divina Clementia sperandum auxilium, directio, atque victoria. Et Epiphanius non solos milites benedixit, sed & Classem. Ita diserte scribit Nicephorus Calixtus. Eximiam, qua se ad bellum Persicum adcinxit Imperator Heraclius, pietatem de scribit Georgius Cedrenus: *Cæterùm Heraclius in Persidem iturus ita compellat Patriarcham: In manibus Dei, Deipara, & tuis reliquo urbem hanc, & filium meum. Indè magnum templum ingressus, atratis calceis pronus procubuit, itaque precatus est: Domine Deus, & JESU-CHRISTE, ne nos propter peccata nostra hostibus nostris irridendos præbeas; sed intuere nos, ac miserere nostri, & victoriam de hostibus tuis concede, ne glorientur scelerati, & tuæ insultent hæreditati. Hunc ita animo demisso orantem videns Georgius Pissidensis est ita allocutus: Nigrum, Imperator nunc induite calceum rubefacies, tinctum cruore Persico.* Et res ita evenit. Græcorum Augusti gestabant purpureos Compages. Eos exuit Heraclius, & tanquam privatus adivit supplex Divinam Majestatem.

Quanta sit benedictionis Episcopalis virtus, expertus fuit Clodovæus, seu Ludovicus primus Francorum Rex, de quo in Gothos moturo bellum scribit in Remensis Ecclesiæ historia Flodoardus Presbyter: *Ludovicus accipiens à Beato Remigio benedictionem, redditur de victoriæ perceptione securus. Cui vir quoque Sanctus, ut & prædem faceret, vas quod vulgò Flasconem vocant, vini à se benedicti plenum dedit, hoc idem, quod antèà, mandans ut eò usque ad bellum procederet, donec fibi fusque, quibus ex indè dare vellet, hoc vinum de prædicto flascone non deficeret: Bibit igitur Rex ex eo, pluresque suorum; vas tamen vini non patitur detrimentum. Bellum verò cum Gothis conserens, eos in fugam vertit, & ipse, Beato Remigio suffragante, victor exstitit. In qua pugna dum duo Gothi comiti eum in latera feriunt, hujus patroni sui se prosequentibus meritis, illum cædere nequiverunt. Multis autem Civitatibus Ditioni suæ subactis usque Tholosam pervexit, & Alarici Gothorum Regis thesauros accipiens, per Engolismam civitatem, cujus ante conspectum ipsius muri corruerunt, interfectis Gothis qui erant intùs, ad propria cum gloriosa redit victoria, vino flasconis non deficiente, donec reversus est in sua.* Episcopalis Militum benedictio fecit non solummodò civitates capi, sed & muros sine tormentis corruere. Benedictum vinum erat quasi sigillum istius benedictionis. Et ejus virtutem demonstrant plura authentica exempla. Per ista arma pii milites frequenter fecerunt, quod à se faciendum S. Martinus obtulit Imperatori Juliano. *Crastinæ die ante aciem inermis adsiabo, & in nomine Domini Jesu, signo Crucis, non Clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Ita in tertio libro de S. Martini vita habet S. Sulpitius Severus. Flodoardus adfirmat ritum benedicti vini, aut alterius Eulogiæ adjungendæ morem fuisse Sancto Remigio familiarem.

Quæ omnia insigniter confirmat in vita S. Petri Thomasii, ex Carmelitarum Ordine Patriarchæ Constantinopolitani, & ab Innocentio Sexto Pontifice ad Sacrum Bellum Legati, Philippus Mazzerius Cyprii Regni Cancellarius: *Petrus Legatus, personis Ecclesiasticis totius exercitus associatus, in Galeam Regis ascendit pro benedictione generali Exercitus Dei ferenda. Erat hic Petrus Cypri Rex, procedens in Ægyptum & Palæstinam. Et adscenso in loco eminentiori Galeæ, ut ab omni exercitu videri posset, Rege propè ipsum stante, & omnibus stantibus, ac Legatum respicientibus, omnibus ignis & vexillis Galeæ arum & aliorum Navigiorum depositis, Legatus quamdam largam, & inauditam, atque pulcherrimam benedictionem à Spiritu Sancto incæpit, antiquum Testamentum & novum in benedictione allegando, modò Navigia, modo arma, modò personas, modò mare, modò totum exercitum benedicendo in honorem Crucis, & destructionem Saracenorum, auxilium Dei invocando. Rex verò & omnis exercitus, Legato devotissimè ad omnes benedictiones, capitibus inclinatis, respondebant, & in magna devotione erant.* Episcopalis benedictio militibus Sanctam vitam, Christiana vita illis impetravit victoriam. Etiam milites docuit utrumque esse Dei donum. Libertinus & criminosus Exercitus non est aliud quàm scelerata dæmonum tritura, ideoque per ipsam Divina Clementia non consuevit pacare, sed turbare & flagellare Regna: Operari suæ vin-

Lib. 1. c. 18.

cap. 84.

1139.

Lib. 1. c. 12.

158

dictæ in noſtra peccata immiſſiones per Angelos malos, ſuæ juſtitiæ carnifices.

Aliam Gallicanæ Militiæ antiquam pietatem edicit in Regis Ludovici Craſſi vita Sugerus Abbas S. Dionyſii. In Remenſi Synodo Calixtus ſecundus Pontifex Henricum V. Imperatorem, quod Laicas Antiſtituras Inveſtituras nollet dimittere, excommunicavit. Et hic in Ludovicum Regem, qui Synodo adſtiterat, & favere pergebat, offenſus paravit Regnum invadere: Hinc ergò de parante ſe ad defenſionem Ludovico ſcribit Sugerus: *Ludovicus, quoniam Beatum Dionyſium ſpecialem Patronum & ſingularem poſt Deum Regni protectorem, & multorum relatione & crebro cognoverat experimento, ad eum feſtinans, tam precibus quàm beneficiis præcordialiter pulſat, ut Regnum defendat, Perſonam conſervet, hoſtibus more ſolito reſiſtat. Et quoniam hanc ab eo habet prærogativam, ut ſi Regum alius Regnum Francorum invadere audeat, ipſe beatus & admirabilis Defenſor eum ſocius ſuis, tamquam ad defendendum, Altari ſuo ſuſperponatur. Eo præſente ſit tam gloriosè quàm devotè. Rex autem vexillum ab Altari votivè tamquam à Domino ſuo ſuſcipiens, pauca manu contra hoſtes, ut ſibi proſit, evolat, ut eum tota Francia ſequatur, potenter invitat.* Et pauca manu ferocissimum hoſtem dejecit & ſuperavit. Et de Ludovico VII Francorum Rege, ad Sacrum bellum profecturo, ſcribit ejus vita: *Rex venit, ut moris eſt, ad Eccleſiam Beati Dionyſii, à Martyribus licentiam acceſturus, & ibi poſt celebrationem Miſſarum, vexillum Beati Dionyſii, quod Oriflambe Gallicè dicitur, valdè reverenter accipit, ſicut moris eſt antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere.* Quem morem in Sancti Ludovici Lectionibus laudat & Romanum Breviarium: *Rex vexillum ab Epiſcopo Pariſienſi accepit. Deindè mare cum ingenti exercitu trajiciens, primo prælio Saracenos fugavit.* Etiam de Ludovico X. in nos Flandros profecturo ſcribit Continuator Guilielmi Nangiaſenſis: *Ludovicus Rex Franciæ, accepto vexillo apud Sanctum Dionyſium, quod dicitur Auri flamma, & Domino Henrico de Herqueri tradito, profectus eſt in Flandriam.* Et de ejus fratre Philippo Comite Pictavienſi, Regnique ac Infantis Regis Rectore, profecturo in Robertum Comitem Arteſiæ; *Comes Philippus contra ipſum arma corripiens, apud Sanctum Dionyſium vexillum accepit, Epiſcopo Sancti Macharii Miſſam celebrante, & ipſum benedicente. Sanctis tamen Martyribus non ex tractis, aut ſuper Altare poſitis, nec ipſo vexillo, ut alias fieri ſolet, eiſdem contacto.* Ex quo videtur iſtam Regis, exercitus, ac vexilli benedictionem fuiſſe inſigniter ſolemnem, multis veſtitam Sacris ritibus. Pergit idem Scriptor de profecturo in nos Flandros Philippo VI *Rex apud Sanctum Dionyſium revertitur, & extractis corporibus Beatorum Martyrum, Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, de locis propriis ubi poſiti requieſcunt, capucio & cuculla depoſitis, uſque ad eorum Altare propriis manibus vectavit, & ibidem ea devotione collocavit, ut per ipſum juxta poſito corpore Beati Ludovici, & audita Miſſa, ab Abbate S. Dionyſii ſuper Altare Sanctorum Martyrum ſolemniter celebrata, vexillum quod Auri-flammeum dicitur, ab eodem Abbate ſuper dictum Altare benedictum, in præſentia Prælatorum & Baronum de ejuſdem Abbatis manu receptit, & Domino Milone de Nucherico, viro utique in curiis bonis actionibus ſtrenuo & probato, ad portandum traditit ac ſervandum. Quibus ſtrenuè peractis, Rex Sanctorum Martyrum corpora propriis manibus uſque ad cryptam eorum reportavit devotiſſimè; Et quod multum Prædeceſſorum legimus antea feciſſe, ipſe etiam perſonaliter Cryptam eorumdem intravit humiliter, non ſine lachrymis, ut notabiliter videri potuit, implorans auxilium, quorum Patrocinio poſt Deum ac Beatam Virginem Martiam indubitanter ſperabat de Adverſariis ſuis obtinere victoriam. Die verò ſequenti poſt ſumptionem Sacri vexilli Rex iter ſuum verſus Flandriam aggreditur, & exſpectans aliquamdiu Baronum ſuorum exercitus, multis aliis ad ejus auxilium continuò confluentibus, tranſiens Atrebatum, derelictis paludibus, quæ aliquando Prædeceſſorum ſuorum aliqualiter fuerant occaſio ſcandali & ruinæ, verſus Caſtrum Flammingorum, quod dicitur Caſellum, iter arripuit, fixiſque contra dictum Caſtrum tentoriis, terras undique depædans multiplicitèr devaſtavit.* Hic Philippus & in Dominum Deum, & in Matrem Eccleſiam fuit longè piiſſimus. Hinc Epiſcopi decorarunt ipſum his titulis: Rex Felix, benè fortunatus, Optimus Chriſticola.

cap. 4.

1315.

1316.

1328.

Eadem pietas olim viguit apud Anglos. Teſtem adduco Simeonem Dunelmenſem in hiſtoria ſuæ Eccleſiæ: *Ethelflanus Rex, dum in Scotiam tenderet, cùm totius Britanniæ exercitu, Sancti Cuthberti Patrocinia quærens, ejus Sepulchrum expetiit, ſuffragia poſtulavit, eique de diverſis ſpeciebus in Eccleſiæ ornamentum multa, quæ Regem decerent, donaria contulit. Exercitus quoque juſſu Regis Sepulchrum Sancti Confeſſoris nonaginta ſex & eò amplius libris argenti honoravit. Ita ſe ſuiſque Sancti Confeſſoris patrocinio commendatis, diſpoſito itinere profectus eſt, fratrem Eadmundum multùm obtectatus, ut ſi quid ſiniſtri ſibi in hac expeditione obveniret, corpus ſuum in Eccleſiam S. Cuthberti ſepeliendum referret.* Ubi ſanctus Dionyſius Francorum, ita ſanctus Cuthbertus ſemper fuit inter præcipuos Patronos Anglorum. Etiam de ſancto Imperatore Henrico, in Barbaros Schlavos, movente, ſcribit in ejus vita Author antiquus & eruditus: *Henricus congregato exercitu, contrà prædictas Nationes eum direxit, & faciens tranſitum per locum, qui Walbeck dicitur, gladium Sancti Adriani Martyris, qui pro Reliquiis multo tempore ibi ſervabatur, accepit. Quo accinctus ex toto corde clamavit, & dixit: judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehendo arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi. Inde progreſſus, caſtrametatus eſt in Campo, ubi Mersburgenſis Eccleſia ſita eſt, & videns locum deſolatum, & in nihilum redactum, ingemuit, & ait: Beate Laurenti Martyr Chriſti, ſi tuo interventu hai Barbaras Nationes, ad quas pergo, Romano Imperio & Chriſtianæ Religioni ſubjugavero, hunc locum deſolatum, tuo Nomini conſecratum, Divina favente gratia, in priſtinæ dignitatis ſtatum reformabo.*

Lib. 2. cap. 18.

Aliam pietatis ſpeciem refert in Francorum hiſtoria S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, ſcri-

Lib. 2. c. 37. scribens de Clodovæo Rege, movente in Arianos Gothos: *Rex direxit nuntios ad Beatam Sancti Martini Basilicam, dicens, ite, & forsan aliquod victoriæ auspicium ab Æde sancta suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait: Si tu Domine adjutor mihi es, & gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decrevisti, in ingressu Basilicæ Sancti Martini dignare propitius revelare, ut cognoscam, quia propitius dignaberis esse famulo tuo. Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus juxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur Basilicam, hanc Antiphonam ex improviso Primicerius incæpit: Præcinxisti me Domine virtutum ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Quod Satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes, læti nuntiaverunt Regi.* Etiam de

Lib. 4. c. 16. Chramno pessimo Francorum Rege, movente in Saxones scribit idem Gregorius: *Chramnus usque Divionense Castrum pertendit: Erat tunc ibi Sanctus Petrus, Lingonensis Episcopus. Clerici positis tribus libris super Altarium, id est, Prophetiæ, Apostoli, & Evangeliorum, oraverunt ad Dominum, ut Chramno, quid eveniret, ostenderet. Aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, Divina Potentia declararet. Simulque unam habentes conventionem, ut unusquisque in libro quod primò aperiebat, hoc ad Missam etiam legeret. Aperto igitur omnium primo Prophetarum libro reperierunt: Auferam macteriam ejus, & erit in desolationem, pro eo quod debuit facere Uvam, fecit autem Labruscam. Et paria etiam Apostoli & Evangelii apertus textus renuntiavit.* Et de Merovæo Principe, adversùs Guilpericum Patrem & Regem

Lib. 5. c. 24. rebellante, scribit idem Gregorius: *Merovæus tres libros super Sepulchrum Sancti Martini posuit, id est, Psalterii, Regum, & Evangeliorum. Et vigilans tota nocte, petiit ut sibi Beatus Confessor, quid eveniret, ostenderet, & utrùm posset Regem capere, an non, ut Dominus indicante cognosceret. Post hæc continuato triduo in jejuniis, vigiliis atque Orationibus, ad Beatum tumulum iterum accedens, revolvit librum, qui erat Regum. Versus autem primus paginæ quam reservavit, hic erat: Pro eo quod dereliquisti Dominum Deum vestrum, & ambulasti post Deos alienos, nec fecisti rectum ante conspectum ejus, idcò tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* Similia nuntiaverunt Psalterium & Evangelium. Et nuntiata evenerunt. Istam prophetandi, ac Divini judicii explorandi & cognoscendi formam latius exposui in Scholiis ad octavam Synodum.

Hæc fuere antiqua Majorum nostrorum præparamenta ad expeditionem. Qualiter se ad Prælia præpararint, edicit laudatus Author in vita S. Imperatoris Henrici: *Ut Principes Poloniæ, Bohemiæ, cæterarumque Schlavicarum gentium Primates, Romanum Imperatorem cum exercitu ad debellandos eos advenire cognoverunt, innumerabili multitudine collecta, in bellum ei obviam processerunt. Quod Regi pio per suos speculatores citò innotuit: Et sicut in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Invocatoque super se Nomine Domini, Beato Laurentio, Sancto Georgio, ac Beato Adriano, Martyribus se suumque exercitum protegendum cum summa devotione commisit. Et cum omnes perceptione Corporis & Sanguinis Domini confortati fuissent, ad locum certaminis venerunt. Ubi cum Rex Beatos verbis exhortatoriis ad viriliter agendum singulorum animos erexisset, videns innumerabilem Adversariorum multitudinem, clamavit ad Dominum, & ait: Deus qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, qui cogitant servis tuis mala: Disperge illos in virtute tua, & destrue eos Protector meus. Pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Hæc dicens, aperti sunt oculi ejus, & vidit gloriosos Martyres, Georgium videlicet, Laurentium, Adrianum, cum Angelo percutiente, exercitum suum præcedentes, & hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Sennacherib ab Angelo percutiente contritus est, & perlit, ita & omnis illa Barbarorum multitudo per Dei virtutem contrita, projectis armis, sine effusione Sanguinis Christianorum, fugæ præsidium quæsivit. Quo viso Rex Sanctus, elevatis oculis ac manibus in cælum, benedixit Deo cœli, & ait: Benedicte te Rex Cœli & terræ, qui superbis resistis, & humilibus das gratiam, qui custodis diligentes te, & glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de cælo victoriam. Victis ergo Barbaris, & quæ ad futuram pacem prodesse poterant, firmissima pactione stabilitis, vir Beatus cum suis in sua redierunt cum pace, glorificantes & laudantes Deum, qui salvat sperantes in se.* Omnem Exercitum ante pugnam coegit ad Sacramentalem pœnitentiam, & perceptionem Eucharistici viatici ac roboris. Insuper ipsum piissimis ad Deum precibus communivit.

Eandem pietatem fuisse servatam ab Imperatore Carolo Magno, testatur in ejus Actis Joannes Tilpinus Archi-Episcopus Remensis. De ejus Duce Rolando ac omni exercitu scribit: *Accepit ipse Rolandus eadem die Eucharistiam, & delictorum suorum confessionem à quibusdam Sacerdotibus, antequam ad bellum properaret. Erat enim mos ut omnes pugnatores Eucharistia & Confessione per manus Sacerdotum, Episcoporum & Monachorum, qui ibi aderant, munirentur, antequam pugnam aut bellum iniret.* Etiam de Stephano Anglorum Rege ac ejus exercitu contra Scotos pugnaturo, scribit in libro de bello Standardico Richardus Prior Ecclesiæ Hagustaldensis: *Turstinus Eboracensis Archi Episcopus illis post acceptam* 1138. *privatam Pœnitentiam indixit triduanum cum Eleemosynis jejunium, ac deindè absolutionem & benedictionem Dei ac suam solemniter tribuit.* Et infrà: *Eodem tempore misit Archi-Episcopus eis Radulphum cognomento Novellum, Orcadensem Episcopum, cùm quodam de Archi-diaconis suis ac aliis Clericis, qui Populis quotidie ad eos catervatim confluentibus, vice sua pœnitentiam injungeret & absolutionem daret.* Ac insuper Eucharistiam. Etenim isti bellatores hoc Sacro-Sanctum Sacramentum sibi etiam in vexillo, seu Standardo prætulerunt, ac indè appellarunt bellum Standardicum. Est antiquis etiam Christianis nota ac usitata pietas, verùm à nostris temporibus veneranda, neutiquam imitanda.

Aliam ad prælia præparatricem pietatis speciem laudat in secundo Chronicorum libro Ve-

nera-

nerabilis Regino Abbas Prumiensis, de magno Imperatore Carolo contra Avaros pugnaturo scribens: *Carolus cum Exercitu venit usque ad Anisim fluvium, ubi triduanum jejunium cum Litaniis fecerunt, postulantes pro salute Exercitus, & adjutorium Dei, & vindictam inimicorum.* Ex-indè disposuit Exercitum. Et Abbas pergit: *Itaque Avari cùm ex utraque ripæ parte vidissent Exercitum, & Clussem per medium fluvium venientem, tantus terror, Deo faciente, illos invasit, ut dimissis præsidiis munitionum, fugæ latibula quærerent, & sic, Christo duce, uterque Exercitus, absque lesione Paunoniam introvit.* Et de capta à se Hierosolyma God-fridus Lotharii giæ Dux scribit ad Paschalem II. Pontificem, ac omnem Occidentalem Ecclesiam: *Usque Hierusalem pervenimus; cumque in obsidione Exercitus multùm laboraret, maximè propter inopiam aquæ, habito Consilio, Episcopi & Principes circumeundam esse civitatem nudis pedibus prædicaverunt, ut ille qui pro nobis eam humiliter ingressus est, per humilitatem nostram pro se ad judicium de suis hostibus faciendum nobis eam aperiret. Placatus itaque Dominus hac humilitate, oblavo die post humiliationem, cum suis hostibus civitatem nobis tradidit.* Exstat Epistola apud Venerabilem
199. Dodechinum Abbatem S. Dyfibodi, in Appen
dice ad Marianum Scotum. Et de Arnulpho Im
811. peratore, Nortmannos propè Lovanium superante, scribunt Annales Francorum Fuldenses: *Eodem in loco Litanias Rex celebrare præcepit. Ipse cum omni Exercitu laudes Deo canendo præcessit, qui talem victoriam fuit tribuit, ut unico homine tantùm occiso ex parte Christianorum, quod compertum est, tanta hominum millia ex altera parte perierunt.* Eadem pietate fiebat Supplicatio ante conflictum. Et hæc sunt exordia Dedicationis Lovaniensis. Ea enim victoria contigit Kalendis Septembris.

Eandem pietatem coluerunt & Græci. Etenim de Philippico, Imperatoris Mauritii Duce, post dispositas utrimque acies jam prompto ad prælianduin in Persas, scribit Theophylactus Simocata: *Ubi hostes appropinquare pulvereæ nubes*
Lib. 2. c. 3. *indicio fuit, Philippicus Deihominis* JESU-CHRISTI *effigiem circumfert. Jam olim fama emanavit, & usque hodie durat, eam effigiem non texentis manu comparatam, aut picturis arte, coloribusque variatam; sed divinitùs efformatam esse. Quocirca etiam apud Romanos non hominis manu confecta celebratur, & sacris divinisque honoribus colitur. Habent enim Archetypum Romani, & ut Sacro sanctum quiddam venerantur.* Est illa venerabilis imago, quam applicato ad fuam faciem mundissimo linteo impressisse, ac Abagaro Edessæ Principi misisse creditur ipse Dominus. *Hanc effigiem sacra vestis nudatam gestans, exercitum obibat, indeque audendi generosam & inexpugnabilem militibus alacritatem injiciebat.* Et pietas meruit glorioſissimam victoriam. Idem Scriptor pergit de Prisco, Philippici in Ducatum Successore, patiente rebellionem totius offensi Exercitus: *Prisco sudor ire per corpus, & artus tremor occupare cœpit, animo hæsitanti quid ageret. Ergò lipsbredæ Dei-hominis*
Lib. 3. c. 2. *effigiem, quam non mortali manu confectam Romani appellant, ... per media castra circumferendam committit, quò ad rei adorandæ conspectum excitata reverentia furorem comprimeret, ac in modestiam & quietem rerum perturbatio transiret,* Eandem rem laudat in Ecclesiastica historia Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Bibliothecarius: *Philippicus tribus Phalangibus occurrit ad prælium, ipseque assumpta Deivirili forma, quam Romani non manu factam prædicant, discurrens per acies, armatis Divinam impertiebatur virtutem, & stans post aciem, hæc verbum arma, lachrymis multis Deum placabat, qui cœlestium Ordinum Principes bellatores adsumpsit.* Sanctus Martyr Theophanes addit Romanos die Dominico fuisse invasos à
Fol. 216. Persis, & prosequitur: *Philippicus summo manè, compositoexercitu, eoque in tria agmina distributo, in pugnam processit. Ipse verò Christi Dei & hominis imaginem brachiis amplexus, singulos armatorum Ordines præcurrebat, & cujusque animo Divinum robur inspirabat, ac impartiebatur. Eo propugnaculo manibus gestato, extremam tenens aciem, largo lachrymarum imbre Divinum Numen demulcens, cœlestium acies in auxilium dimissas excipiebat.*

Idem gloriosus Martyr adjungit de Imperatore Heraclio, pugnaturo adversus Chrosroen Persarum Regem: *Imperator mox lata manibus Dei &* Fol. 254.
hominis effigie, hominis manu vel penicillo non effecta, sed quam in imagine, quod cunctæ formavit & configuravit Divinum Verbum, absque colorum delineatione, ut absque semine fœtum, in lucem eduxit. Ejusmodi, inquam, figura divinitùs exarata planè fidens, & oppignorata exercitui fide, cum eis usque ad mortem decertaturum, & ut propriis filiis semper eis devinciendum & copulandum pollicitus, ad bellicos conflictus descendit. Quod & scribit Georgius Fol. 410.
Cedrenus. Nata indè victoria, uti fuit gloriosissima, ita est omnibus notissima. De eodem Heraclio, necdum Imperatore, sed Africæ dumtaxat Duce, adversus Imperatoris Phocæ Tyranni-Fol. 416.
dem veniente scribit præfatus Cedrenus: *Heraclius cum magna & armata classe Constantinopolim appellit, secum ferens etiam Servatoris nostri imaginem, nullo manus ministerio factam. In Sophiæ portu inter Heraclium & Phocam commisso navali prælio, flagitiosus Phocas superatus in Regiam confugit,* Ex quibus discimus plura. Primò, quòd Christiani in die Dominico præliari nequiverint, ideoque gentiles Persæ ipsos tunc invaderent. Secundò, quòd invasi Christiani etiam isto die solerent se tunc defendere. Tertiò, quòd ista sacrosancta imago fuerit tunc totius Exercitus propugnaculum. Quartò, quod hac de causa passim deportaretur ad exercitum. Quintò, quòd circa illam exercita pietas exercitui impartiret Divinum robur, atque fiduciam. Sextò, quòd Philippicus Dux per istam pietatem à Divina clementia obtinuerit auxilia cœlestis exercitus, Sanctorum Angelorum. Laudarus Sicomata adjungit, quod à rebelli in priseum Ducem exercitu patrata in reverendam imaginem irreverentia, fuerit ruina totius Orientis.

Hæc felicissima Pietas est in Romanum Imperium inducta per magnum Imperatorem Con-
Lib. 2. c. 12. 13. stantinum, de quo in Licinium Tyrannum prælia-
14. turo scribit in ejus vita Eusebius Episcopus Cæsareensis: *Constantinus de more suo ante initum prælium, in Tabernaculo separato tempus precibus ad Deum fundendis, liberum addixit, ab omni licentia, & vitæ ratione luxu diffluente se revocavit, ina-*

inedia, & corporis afflictione seipsum coercuit, ut Deum sibi precationibus supplicibus placatum, & benignum adjutorem haberet, eaque perageret, quæ Deus esset illius animo inspiraturus. Porro autem, utpote naturæ vigilans & attentus, permagnam Reipublicæ curam suscepit, nec magis pro suorum, quam hostium salute precatus est. Etenim hostis etiam in bello nequit hostem odisse, neque ex odio præliari; Præliari debet ex reparandæ justitiæ & pacis amore, ideoque justi belli gestor debet injustum invaforem, ut meliora doceatur a divina gratia, divinæ miserationi commendare. Quidam gentiles magnum Constantinum incuriæ & moræ arguunt: Eum purgat Eusebius: *sicut propter fecuritatem tardior in rebus gerendis fuit, sic Dei consilio omnia administrare consultum statuit.* Erat tardior propter Fol. 176 suas ad Dominum Deum preces, & inde sibi 177. 178 infusam à Divina Clementia fiduciam. Attamen iftam Sacro-Sanctam Imaginem non circumtulit. Rationem dat laudatus Cedrenus. Affirmat laudatam Imaginem a rege Abagaro fuisse suæ Civitatis portæ superpositam, istic manssisse usque ad Nepotis Regnum, tunc ab Edessæ Episcopo fuisse occultatam, & in occulto manssisse usque ad Justiniani Imperium. Cedrenus exponit omnem Imaginis originem & seriem. De Duce Philippico adjungit Evagrius Epiphanienfis: *Philippicus à Gregorio*, Patriar- Lib. 1. cha Antiocheno, *effugitavit, ut Sanctorum Re-* cap. 13. *liquiæ, quò tutius in Orientem expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur.* Et accepit Reliquias. Sancti Simeonis Stylitæ. Hiscè armis profectus est in Persas, ac ipsos superavit.

Græcorum Imperatores habuerunt & aliam istiusmodi Sacro-Sanctam Deiparæ Imaginem, de qua scribit in Alexio Duce Murzuflo Nicetas Choniates: *Cùm Imperator contra Balduinum Flandriæ Comitem exiret, atque uterque alteri occurrissent, Romanis perterritis & trepidè fugientibus, solus derelictus penè periisset. Et Genitricis Dei imago, quam Græcorum Imperatores bello sociam adsciscunt, ab hostibus capta est.* Sicuti à Philistæis Arca Judæis, ita ista à Flandris capta imago fuit Græcis exordium pœnæ ruinæ. Etenim Balduinus Comes tandem cepit & ipsam Constantinopolim, factusque Imperator Græcorum. Eadem de re Imperator ipse Balduinus scripsit ad Adolphum Archi-Episcopum Colonienfem: *Perfidus Græcorum Imperator nos attentat. Primo congressu dissipatur, omnibus cæsis, captisque non paucis, sine damno nostrorum, fuga ignominiosa sibi consulens clypeum abjecit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale dimittit, nobilemque, quam sibi præferri se-* Lib. 6. *cerat, Ironem: Quam Ordini Cistercienfi nostri de-* cap. 20. *dicavere victores.* Epistola exstat apud Annales Godefridi ad sanctum Pantaleonem Colonienfis Monachi, & apud Arnoldum Abbatem Lu- Fol. 705. becenfem in Chronico Schlavorum. Hanc Imaginem uti divinæ protectionis Symbolum, publicæ calamitatis tempore fuisse positam in palatio testatur in tertio suæ historiæ libro Imperator Joannes Cantacuzenus. Etenim Imperatrix Anna, Andronici Palæologi junioris vidua dum à dicto Cantacuzeno expelli ac in ordinem redigi timuit, ad iftam in palatio imaginem confugit uti ad asylum. Nisi tamen tunc fuerit Paschale tempus. Quod enim imago ista à Palmarum Dominica usque ad Patchale Festum contineverat quotannis in palatio exponi, testatur in libro de Ecclesiæ & Aulæ Constan- Cap. 12. tinopolitanæ officiis Georgius Codinus. Consuetus illi locus erat Hodegorum Monasterium, olim exstructum ab Imperatrice Pulcheria. Eam Græci appellavere *Hodegetriam, seu viæ Ducem.* Vide plura apud Jacobum Goar, & Jacobum Gretzerum in Scholiis ad Georgium Codinum. Lib. 4.

Aliam antiquissimam Christianæ militiæ pie cap. 21. tatem edicit in Magni Constantini vita Eusebius Cæsareensis Episcopus: *Constantinus etiam in ipsis armis, Salutaris trophæi signum insculpi, armatoque exercitui præferri fecit, & ut soluns hoc salutare Trophæum, non ullum, ut ante consueverant, inauratam statuam sequerentur.* Induxit duplicem pietatem: Ut Romani exercitus Labarum, & ut singulorum militum omnia arma sacrosancto Crucis signo ornarentur ac munirentur. Quam pietatem impius Imperator Julianus proscripsit; at cunctis successores pienè repararunt. Hinc de insigni Stiliconis adversùm Barbaros Gothos in Pollentinis campis victoria scribit Prudentius: *Cecinere tubæ, primo hostia Draconis præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert: illic ter denis Gens exitialibis annis Pannoniæ, pœnas tandem dedeta pependit.* Per Christi-feram Draconis hastam intelligit Christi Domini cruce & nomine insignitum Labarum, ipsique adscripsit admirandam illam victoriam. Ita de Imperatore Heraclio adversùs Persas pugnaturo, canit Georgius Pisides, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus & Chartophylax: *Corrobora ipsos mysticis Hastilibus, compinge & ipsis Crucigeras imagines.* Et ad Neophytos Bulgaros rescripsit Sanctus Papa Nicolaus I. *Quando præsium inire soliti eratis, indicatis vos hastenus in Signo militari Caudam equinam portasse; & scisciteminí quid nunc vice illius portare debeatis? Quid aliud utique, nisi Signum Sanctæ Crucis? Ipsum enim est quo Moyses mare dividit, & Amalech interfecit; Quo Gedeon Madianitas superavit, & Christus noster diabolum, qui habebat mortis imperium, non solùm superavit, sed & profligavit. Ipsum est Signum quod portamus in frontibus nostris: ipso à cunctis defendimur hostibus, & ab omnibus inimicis incursionibus: Hoc est Signum fidei, est insens horror Diaboli, quo Christiani Principes in necessitatibus suis semper utuntur, & Reges, veram Religionem sectantes, sæpè celebres, Christo propitio, triumphos de hostibus operantur.* Et hæc omnia confirmat per laudatum Institutum Magni Constantini. Et sunt plurima istiusmodi pietatis, ac variarum per ipsam victoriarum exempla. Pietas profitetur duo: Primò, quòd vera etiam in bellis fortitudo, omnisque per ipsam victoria sint Domini Dei per JESUM-CHRISTUM beneficia: Deindè nuod Christiani non nisi adversùm Infideles debeant bellegerare. Hinc Urbanus II & ejus in Pontificatu successores censuerunt omnem istiusmodi, etiam adversùs Hæreticos & Schismaticos, exercitum esse sacra Cruce signandum.

CAPUT XIV.

Quænam homicidia in bello sint licita.

Lib. 7. cap. 2.

QUæstio est, an directa innocentium occisio sit quandoque licita? Partem affirmativam suadet Godefridi Optimi Lotagringarum Ducis, in civitatis Assur obsidione, opus & exemplum, de quo scribit in Sacri Belli Historia Albertus Canonicus Aquensis: *Christiani applicatis tandem muro machinis fortiter cives oppugnabant. Illi verò non segnius pro vita resistebant à turrita arce & mœnibus. Sed frustrà videntes se in defensione defudare, malum navalem proceræ altitudinis, qui in media urbe jacebat, funibus & catenis adstrictum, levaverunt in altum, in quo unum de obsidibus Ducis Gebardum, ortum de genere Hamalcorum de præsidio Avennis, militem egregium, affixerunt in modum Crucifixi, manus & pedes illius extendentes funibus, quem jam diu pejùs consumptum à carnificibus arbitrabantur Christiani. Sed erectus & affixus in culmine Mali idem Gebardus, in hanc miserabilem vocem cum lachrymis erupit, ac Ducem alloquitur: ô Dux illustrissime, nunc reminiscere quomodo tuo præcepto huc obses & exul inter barbaras Nationes, & vivos impios transmissus sum. Ideoque peto ut aliqua misericordia vel humanitate super me movearis, & tam gravi & servo martyrio me perire non patiaris. Cui Dux: Nequaquam, ô Gebarde, miles acerrime, tui misereri possum, & tot homines avertere à vindicta Civitatis hujus. Et ideò si frater meus uterinus esset, ut Eustachius, hac conditione liberari non posses, ut Urbs illæsa permaneat. Mori siquidem habes: Et utilius est, ut tu solus moriaris, quàm Decretum & jusjurandum nostrorum violetur, & urbs hæc semper Peregrinis habeatur infesta. Si enim præsenti vita moriaris; vivere habes cum Christo in cœlestibus. Hæc Gebardus intelligens, & nulla se lachrymarum prece videns proficere, summoperè Deum exorat, ut equum & arma sua Sanctis præsentaret Sepulchro, quæ illic Deo famulantibus pro remedio animæ suæ largiatur. Ad hæc Dux & universa multitudo Christianorum fortiter adsiliunt urbem, in Confratre Gebardo totius pietatis & misericordiæ oblitî, urbis defensores in sagittis, & fundibulis, & mangenellis circumquaque impugnantes. Et jam inter plurimas sagittas, incautè emissas, decem sagittis ejusdem Gebardi corpus confixum & vulneratum est. Gentiles autem cernentes, quia vir strenuus, omni pietate à suorum cordibus exclusa, vulneraretur, sic Duci & omni Populo Christiano magnis blasphemiis improperabant, dicentes: Gens impia & crudelis, qui minimè fratri & Conchristiano vestro parcere curastis, sed acrius, illo viso, & ejus perditione, urbem & cives oppugnastis. Hoc dicto, ab intùs Mangenellis, Balistis & Sagittis viriliter resistentes, urbem in machina expugnantes, Ducis milites nitebantur repellere.* Et depulerunt; Et quidem cum gravissima jactura Christianorum: Notanda sunt verba: *Sagittas incautè emissas.* Affirmant Christianos milites cavisse crucifixo Gebardo, & sub hac cautela porrexisse in murorum expugnatione. Et talis expugnatio videtur licuisse.

Respondeo non licuisse. Etenim post relatam Godefridi Ducis, qui acceptam istic Stragem referebat in suorum carnalia flagitia, ideoque omnes horratus ad pœnitentiæ opera, concionem, pergit præfatus Albertus: *Crastina luce primùm exorta, Arnulphus Cancellarius Sepulchri Dominici, Clericus illustris & Deo devotus, ipsum Ducem & universos, magnos & parvos, cœpit redarguere de perfidia & duritia cordis, qua in fratres suos, & Gebardum & Lambertum, malo affixos, & apud Assur obsides derelictos peccaverunt. Idcircò omnes de hac impietate, cunctorumque fœditate delictorum, ad confessionem & correctionem paternè cohortatus est.* Et omnes obedierunt. Ex his verbis discimus duo. Primò, quòd non solus Gehardus Avennensis, sed etiam alius quidam Lambertus fuerit in muro à Saracenis crucifixus. Deindè, quòd Pœnitentiæ Sacramentum non à paucis post exstinctam publicam pœnitentiam sæculis, sed ex tunc fuerit appellatum *Sacramentum Confessionis.* Eadem phrasi utitur in libro de Magni Caroli Gestis Tilpinus Remensium Archi Episcopus, aliique antiqui. Evertunt hodierna quorumdam Novantium somnia. Et quidem Gebardus, licèt gravissimè læsus, evasit mortem. Etenim Godefridus Dux postmodò cum Palæstinis Saracenis pacem iniit, & Albertus prosequitur: *Cùm hæc pax tantùm cresceret, & amicitiæ magis & magis jungerentur, quadam die Præses & Admiraldus Ascalonis Gebardum de Præsidio Avennis, ab omni pluga curatum, honorificè vestibus indutum, & equo optimo impositum, Duci* CHRISTIANISSIMO *Hierusalem dono remisit, quem multis jam diebus in Assur objisse Dux & universi Christiani existimabant, nescientes quòd à Malo depositus, ab Assur eidem Admiraldo missus fuisset. Dux itaque viso, & incolumi recepto Gebardo, dilectio militæ suo, & egregio adolescente, gavisus est vehementer. Cui statim in remunerationem sui magni laboris maximæ terræ beneficia centum Marcarum cum Castello, quod dicitur ad Sanctum Abraham, in præsentia omnium fidelium, qui aderant, largitus est.*

23.

Lib. 2. cap. 15.

Eandem sententiam docuit Radevicus, Presbyter Ecclesiæ Frisingensis. Etenim varias Imperatoris Frederici Primi & obsessæ Cremensis civitatis barbaricas in se mutuò crudelitates refert, atque prosequitur: *Jamque ad civitatis perniciem machinæ plurimæ admovebantur; jam turres in altum exstructæ applicari cœperant. Tum illi summa vi atque pertinacia resistere, atque à muris turres arcere, sulsque instrumentis, validis saxorum ictibus nostras machinas impellere. Effrænatis verò animis Princeps obstipendum putant, obsides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta, quæ vulgò Mangas vocant, & intra civitatem novem babebantur, decrevit objiciendos. Seditiosi, quòd etiam apud Barbaros incognitum, & divum quidem horrendum, auditu verò incredibile, non minùs crebris ictibus turres impellebant. Neque eos sanguinis & naturalis vinculi communio, neque ætatis movebat miseratio. Sicque aliquot ex pueris, lapidibus ictî, miserabiliter interierunt. Alii miserabilius adhuc vivi, superstites crudelissimam necem & diræ calamitatis horrorem pendulî exspe-*

exſpectabant. O facinus! Rectè adſtimat eſſe barbaricum facinus. Nam ipſum etiam Saracenis in noſtris militibus damnarunt & horruerunt. Nec ſola Expoſitorum invaſio atque occiſio, ſed & ipſa iſtiuſmodi expoſitio eſt omninò tale facinus. Etenim de ſcelerato Imperatore Andronico Comneno, Nicææam civitatem oppugnante, rectè ſcribit Niceras Choniates: *Andronicus cum ſua conſilia ſucceſſu carere videret, inhumanum facinus molitur, à paucis antea uſurpatum. Matrem Iſaacii Angeli Euphroſynam, Byzantio accerſitam, nunc ut propugnaculum machinis opponit, nunc ea arieti impoſita mœnia ferit, ut eodem tempore & ſpectaculi novitas, & iracundiæ immanitas à nullo ſcelere abhorrens miſerationem, & multerculæ tolerantia, non ipſo motu exanimatæ, in tanto & tam periculoſo impetu admirationem haberet. Ac tum primùm videre mortales, teneram multerculam defenſionis ergò ferro præpoſitam, ac mirabiliter inverſo ordine, fragile corpus hominis firmiſſimis machinis adjunctum, ut qui ex iis pugnabant, incolumes manerent. Tela verò è mœnibus æquè ac priùs, ſed tanta cautione jactebantur, ut illæſa nobili muliere, quaſi illa nutibus & manibus jacula à ſe averſa in hoſtium corda defigeret, hoſtes & ferirent & terrerent. Immane illud facinus adeò nihil Andronico profuit, ut Nicæenſes facta noctu eruptione, & machinas incenderent, & muliere per funem in urbem attracta, eum tanquam Phinejum ab Harpitis ſpoliatum, plorare fierent, non habentem quo famem ſuæ iracundiæ expleret.* Nicæenſes cum Duce Godefrido cenſuerunt, ab impugnatione, dummodò cautela adhiberetur, non eſſe ceſſandum. At malè. Interim iſta Innocentis expoſitio eſt horribilius facinus, quàm dicta expugnatio. Longè horrendior fuit Germanicarum fœminarum crudelitas, de quibus in Romanos pugnantibus ſcribit Paulus Oroſius: *Germanorum ex eo conſiderari virtus & feritas poteſt, quòd mulieres quo que eorum, ſi quando præventu Romanorum inter Plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo uti furor poſſet, parvulos filios colliſos humi in hoſtium ora jactebant, in ſingulis filiorum nectibus bis parricidæ.*

Lib. 1. cap. 2.

Lib. 6. cap. 21.

Ex eodem principio Imperator Julianus de accepto in pacis obſidem Regio filio dixit ad ejus Patrem Germanorum Regem omneſque Barbaros: *Quod ſi cunabimini à conventionibus initis & fœdere diſcedere, omnium jacturam facietis. Hoc dico, non quod ſæviam in obſidem, quem apud me habeo, non tanquam pignus pacis & fœderis, ſed à vobis meæ virtutis documentum & exemplar. Eſt enim impium & minimè Deo gratum, eos qui nihil commeruerunt, pro his qui deliquerunt, morſu appetere & laniare, ut feræ beſtiæ, quidquid occurrit & obvium eſt, non eos qui has perſequuntur.* Ità habes inter Excerpta ex hiſtoria Eunapii Sardiani. Julianus hunc juvenem non à Patre acceperat, ſed bello antea captum verterat in obſidem: hinc dixit: *Quem apud me habeo, non tanquam pignus pacis & fœderis, ſed à vobis meæ virtutis documentum & exemplar.* Impius Julianus cenſuit etiam tales obſides ob ſuorum Principalium crimina non poſſe occidi. Rem inſignem refert in tertio Dialogorum libro Magnus Gregorius. *Venerabilis è Nurſiæ Provincia Presbyter Sanctulus à gentilibus & crudelibus Longobardis, quemplam captivum, & morti ab ipſis deſtinatum Diaconum in cuſtodiam acceperat ſub hac conditione, ut ſi iſte fugerit, pro eo ipſe moriatur.* Et Sanctus Diaconum non ſolummodò permiſit, ſed etiam compulit fugere. Hinc ipſum Barbari damnaverunt ad mortem. Quia tamen vir bonus erat, & illis gratus, ſine gravi cruciatu voluerunt occidere, capite truncare. Verùm Divina Clementia carnificis manum fecit obrigeſcere, & optimum Sanctulum in vita ſervavit. Demonſtravit Innocentem nec in tali caſu poſſe occidi. Et hanc Divinam legem obſervavit Imperator Mauritius, ut de patrata in ipſum & ejus filios per Tyrannum Phocam cæde ſcribat Sanctus Martyr Theophanes: *Sub Imperatoris ipſius oculos liberi ejus maſculi quinque necantur, qui in ſummis ærumnis ſummæ virtutis ſpecimen exhibuit. Cum enim Nutrix unum ex Imperatoris filiis ſuffurata, proprium ejus loco ſubſtituiſſet, non eſt paſſus Mauritius, ſed ſuum requiſivit. Ex jugulati pueri corpuſculo lac emanaſſe quidam ferunt. Quod ſpectatoribus omnibus acerbiſſimas lachrymas excuſſit.* Hoc ipſum ſcribit Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſii Cardinalis Bibliothecarii. Mauritius cenſuit Innocentem pro reo non poſſe occidi. Verùm & ejus filius erat innocens. Hinc divina Juſtitia fecit ex ejus vulneribus lac effluere.

37.

Fol. 243.

Altera quæſtio eſt, an in quovis bello patrata homicidia ſint licita & innoxia? Rabanus Maurus, Archi-Epiſcopus Moguntinus in litteris ad Heribaldum Antiſiodorenſem Epiſcopum ponit & hunc titulum: *De homicidiis non ſponte commiſſis, & de his qui quemlibet occidunt juſſu Principis.* Adducit Ancyranæ Synodi Canonem, qui caſualia homicidia damnat ad quinquennalem pœnitentiam, & profequitur: *Quod autem quidam homicidium, quod nuper in ſeditione & prælio Principum noſtrorum perpetratum eſt, excuſant, quaſi non neceſſè ſit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod juſſu Principum noſtrorum peractum ſit, & Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium ſemper juſtum eſt, & nulla reprehenſione dignum. Sed nemo judicia Dei penetrare poteſt. Undè oportet eos conſiderare qui hanc necem neſariam defendere captunt, Utrùm illos coram oculis Dei quaſi innoxios excuſare poſſint, qui propter avaritiam, atque propter favorem Dominorum ſuorum temporalium, æternum Dominum contempſerunt, & mandata illius ſperneutes, non caſu, ſed induſtria homicidium perfecerunt.* Et infrà: *Sed inter hæc ſciendum eſt, quod magna diſtantia eſt inter legitimum Principem & ſeditioſum Tyrannum; inter eum qui ſubvertere nititur Chriſtianæ pacis tranquillitatem, & illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem.* Agit de Fontinnaco inter tres Ludovici Pii Imperatoris filios prælio, patratiſque illic cædibus, & adfirmat ipſas fuiſſe vera & criminalia utrimque homicidia; idcòque punienda per ſolemnem & publicam Pœnitentiam. Sanctus Auguſtinus adfirmat Principi ad bellum, cujus injuſtitia non liquet, cogenti & procedenti eſſe obtemperandum, ideòque & patratas iſtic cædes non eſſe homicidia. Ex hac regula quidam tunc tentabant

Epiſt. 4.

iſtos

istos utrimque bellatores purgare & defendere. Verùm Rabanus censuit istud bellum fuisse Civile, Fraternum, Tyrannicum, Reipublicæ turbativum, aut certè utrimque ambiguum, ideòque patratas istic cædes nulla via posse purgari. Et Rabani Sententia tandem placuit toti Galliæ. Etenim hoc ejus Rescriptum & Abbas Regino, & Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus suis Capitularibus aut Decretis inseruerunt. Hoc ipsum Gallicana Ecclesia censuit de Suessionensi inter Ca-
Tom. 3. rolum Simplicem Regem & Robertum Comitem prælio. Remensis Synodi Decretum habes in Gallicanis Synodis Jacobi Sirmondi. Quod ipsum an locum non habeat in hodierno inter Fratres Reges bello, permitto nostris Episcopis judicandum. Res non caret grandi periculo.

Quæstio tertia est, quænam cædes liceant in bello manifestè justo? Respondeo veram & omninò sequendam esse Magni Imperatoris Constantini sententiam, quam in libris de ejus vi-
Lib. 2. ta laudabat Eusebius Cæsariensis: *Constantinus*
cap. 13. *confuevit Deum suæ ipsius animæ præponere, & illius consilia omnia transigere, diligentemque adhibere cautionem ne inter dimicandum ferret multorum cædes. Undè non magis suorum quàm hostium saluti prospexit. Quapropter suos, cùm fuissent in pugna victoriam adepti, hortari solebat, ut Capitvorum misererentur, & cùm homines essent, naturæ humanæ eos nequaquam caperet oblivio. Et si aliquando militum animos ferociores cerneret, auri munusculo eos refrænaret: præcipuèque ut qui aliquem ex hostium numero vivum cepissent, aliqua certi auri summa remuneraretur. Hanc vel illecebram ad hominum conservationem Imperatoris excogitavit Prudentia. Adeò ut infiniti etiam ex Barbaris incolumes evaserint, Imperatore ipsorum vitam auro redimente.* Constantinus fecit, ac facienda censuit varia. Primò, in civitatum expugnationibus, aliisque præliis cavit ac studuit ut pauciſſimi exponerentur ac occiderentur. Secundò, in Prælio captos hostes vetuit occidi. Longè magis id sanxit de fortuitò extrà prælium obviantibus. Tertiò, ferociores militum animos mitigabat non solùm verbis, sed & dato auro. Quartò, omni militi, qui hostem non occidisset, sed vivum cepisset, fanxit certum in auro præmium. Ita plurimas amputavit cædes, etiam Barbarorum. Quam Doctrinam in litteris ad Bonifacium Co
mitem insigniter probat & adfirmat Sanctus Au-
Ep. 205. gustinus: *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti ac resistenti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia jam debetur. Maximè in quo Pacis perturbatio non timetur.* Docet plura. Primò, quod in prælio liceat hostes occidere. Secundò, quod id fieri nequeat ex voluntate, sed dumtaxat ex necessitate. Quod occidere non liceat ultra victoriæ necessitatem. Tertiò, quod captum vel victum hostem occidere non liceat. Nisi tamen sit talis, in quo timeatur nova Reipublicæ perturbatio. Nemo ob solum futuri criminis periculum occidi possit: at tali periculo adjuncta prior rebellio aut alia inquietudo est omninò causa sufficiens.

Quæstio quarta est, an hujusmodi cædes sint pœnitùs justæ, ac puræ ob omni macula? Partem adfirmativam tuetur Sanctus Augustinus. Etenim ad hanc nobilis viri Publicolæ quæstionem, *Si Christianus videat se à Barbaro vel Romano velle interfici debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur?* Respondet; *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit Personæ.* At vero negativam Partem docet in litteris ad Ophelium Grammaticum Sanctus Isidorus Pelusiotes: *Si cædes illæ, quæ alter committuntur, non sunt puræ atque innocentes;* Lib. 4. Ep. 200. *à bellis autem scelus abest, quam ob rem, inquis, Moyses eos, qui ex bello revertebantur, extra Castra purgandos relegavit? Ajo igitur, quamvis legitimæ esse videantur hostium in bellis cædes, & Columnæ victorum erigantur, præclara ipsorum facinora prædicantes; tamen si accuratæ ac supremæ cognationis, quæ inter homines est, ratio habeatur, nè has quidem planè innoxias esse. Quam ob causam ipsis præcepit ut purgationibus & aspersionibus uterentur.* Exponit in Canonicis ad Sanctum Amphilochium Iconiensem Episcopum, Lycaoniæ Metropolitam litteris, Magnus Basi- Can. 13.
lius: *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoscentes eis, qui pro justitia & æquitate decertant. Rectè autem fortè habet consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant.* Adfirmat cædes istas non esse homicidia; adjungit tamen istiusmodi militibus suadendum, ut tribus annis se cohibeant inter Consistentes, abstinentes à perfectione, à Perceptione Sanctæ Eucharistiæ: Quod nempè manus impuras haberent, infestas humano sanguine. Quod passim istæ cædes non carerent aliquo peccato. Consistentia erat gradus Sacramentaliter Reconciliatorum, qui tamen necdum admittebantur ad oblationem ac Participationem Mysterii. Erat Gradus in quem perfecti ob venialia peccata rettudebantur. Basilius adfirmat hos milites ad hanc rettusionem non cogendos, sed suadendos. Et adjungit: *fortè*; Quod nempè quidam Episcopi ac Doctores hanc rettusionem improbarent. Hinc discimus omnes Sacramentaliter reconciliatos semper non esse statim admittendos ad Eucharistiam.

CAPUT XV.

Exponitur varia Christianorum Militum Disciplina.

PLures & insignes militaris Disciplinæ milites describit in litteris ad Tubam militem S. Isi-
dorus Pelusiotes: *In pace armis gestare minimè de-* Lib. 1.
cet, nec bellicum habitum in medio foro circumferre, Ep. 40.
nec in civitate cum ense versari: verùm & terrorem, ex ejusmodi experimentum in bello adversum hostes exercere. Quarè si bellico habitu delectaris, ac præconis voce celebrari, Statuasque consequi cupis, ad exercitum, qui cum Barbaris pugnat, te confer: Ac non militiæ fugam pecunis redimens, domique defidens, bellum illic debitum, hic tamquam per ludum adumbra.

Docet

Docet nos plura. Primò, quod Romani milites pacis tempore nec bellica arma, nec bellicum habitum possent gestare. Secundò, quod nec belli tempore possent per quietas civitates gladiati discurrere. Tertiò, quod quidam timidi ac imbelles campum à suis Centurionibus aut Tribunis pecunia redimerent, atque interim Domi generosum virum simularent. Quæ omnia Isidorus graviter improbat. Loquitur ex Arcadii ac Honorii ad Theophilum Asiæ Vicarium lege: *Si quos milites per Provincias, relictis propriis Numeris, passim vagari cognoveris, correptos factas cuiquodiri, donec de his Clementiæ nostræ auribus inferatur, & quid fieri oporteat, decernamus. Ita ut si quis miles in Provincia sine suo Numero repertus fuerit, ac post elapsus esse nuntiabitur, facultatum suarum, periculo totius officii, condemnatione gravissimæ vindictæ.* Lib. 7. tit. 1. cap. 16. Exstat lex in Theodosiano Codice ad Titulum de re militari. Vagos istos milites omnibus exuit facultatibus Lex adeò severè mandat, ut ob Vicarii conniventiam sanciat omne ejus officium periclitari. Est optima lex. Viguit plenissimè apud Barbaros. Obligat præsertim Feudales milites. Plura adversum ipsos Capitula sanxerunt Imperatores Carolus Magnus ac Ludovicus Pius. Hoc est rigidissimum: *Quicumque absque licentia vel permissione Principis de hoste reversus fuerit, volumus ut antiqua Constitutio, id est, capitalis sententia erga illum puniendum custodatur.* Lib. 4. c. 76. Et aliud Capitulum habet: *Ut Vassi nostri & Vassi Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, & Comitum, qui anno præsente in hoste non fuerunt, Heribannum Rewadient, exceptis his qui propter necessarias causas à Domno ac Genitore nostro Carolo constitutas, domi dimissi fuerunt. Id est, qui à Comite propter pacem conservandam, & propter conjugem, ac Domum ejus custodiendam, & ab Episcopo, vel Abbate, vel Abbatissa similiter propter pacem conservandam, & propter fruges colligendas, & familiam constringendam, & Missos recipiendos, dimissi fuerunt.* Lib. 4. c. 70.

Ep. 94. Alias militaris Disciplinæ species exponit in litteris ad Joannem Archi-Diaconum Petrus Blesensis; *Nihil damnabilius est in milite, quàm otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus occupatur. Idèo P. Nasica cùm exercitum in hybernis regeret, licet usu classium non egeret, ne tamen miles corrumperetur desidia, scu crapula, vel per otii libertatem superbiret, naves ædificari instituit. Legitur Trajanus Imperator milites suos quoties vacabant à prælliis, exercuisse in cursu, in saltu, in usu natandi, in studio hastilium vel punctim ferendi, mittendique lapides manu vel funda, & missilia jaciendi: Eos ad omnes modos eruditos, quibus bellum sustineri debeat, aut inferri. De magno Pompejo refert Salustius, quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis hastæ certabat. Verumtamen, ex quo ipse, & Senatus, ac Populus Romanus otio ac quieti vacare cæperunt, qui quandoque in remotissimis Nationibus hostiles insultus modico agmine propulsabant, superveniente Cæsarea pauciitate reliquerunt prædia fortissimæ urbis, & in sola fuga sibi fiduciam posuerunt. Sed & hoc præcipuè Cæsaris excitabat audaciam, quia res ei erat adversus odiosum militem, Ducemque emeritum, & qui longa pace dediticerat Ducem. Refert Trogus Pompejus, quòd novissimus Rex Assyriorum, Sardanapalus propter otium & mollitiem vitæ, à Regali Solio turpiter est dejectus. Quid Romanos extulit? aut undè habuerunt super omnes populos Principatum? Eis nomen ac gloriam acquisivit armorum usus, & exercitatio præliorum. Vegetii Renati testimonio, inutilis est omninò militiæ, nutritus teneræ & delitiis assuetus: Eum autem censet prælitiaptiorem, qui sub Dio & Sole nutritur, laboris patiens, umbræ negligens, balneorum nescius, æquè ferens frigoris injurias & caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus; qui non erubescit fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides & cæmentum, ignorumque materiam comportare. Idèo, teste eodem auctore, Romana Juventus quondam abluebat in Tyberi sudorem, quem cursu, vel exercitio campestri collegerat; nec minus balnea, quàm effeminatrices aquas Salmacis abhorrebat. Sed etiam in temporibus Judicum, Gedeon, ut figuralium mysteria tacentur, Domino mandante prohibitus est in multitudine delicata, atque inexercitata & timida, Madianitis occurrere. Cumque clamaret Gedeon, cunctis audientibus: Qui formidolosus est & timidus, revertatur, recesserunt ab eo viginti & duo millia, & tantùm decem millia remanserunt. Sed & de illis tamquam ad bellum expeditiores dumtaxat elegit, qui in fini sua velut canes lamberent, & festinantiùs aquam ad os mitterent: Illi prorsus abjecti, qui se ad bibendum flexo poplite inclinabant. In trecentis itaque facto est liberatio Populi, quos non crediderim inter delicatores epulas, & exquisita convivia didicisse aquam lambere. Quos ideo præelegit Dominus, quia necessitati satisfecerunt in humilitate naturæ. Hodiè in delitiis nutritur, & tota ad carnis delicias se relaxat Philosophorum nostra, in cute curandu plus æquo operosa Juventus. Quod si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, Summarii eorum non ferro, sed vino, non lanceis, sed caseis, non ensibus, sed utribus, non hastis, sed verubus onerantur.*

Degentibus in præfidio, in hybernis, aut etiam in campo militibus, nihil revera est pernicioſius otio. Hinc de Claudio Imperatore scribit in Annalium libris Cornelius Tacitus: *Claudius Legiones operum & laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit. Ferunt militem, quia nullum non accinctus foderet, atque altum, quia pugione tantùm accinctus foderet, morte punitos.* Et certè otioſus miles non poteſt non gaudere populationibus. Attamen ista exempla fuerunt nimium severa. Et de Cæsare ſcribit in Auguſtorum Epitome Aurelius Victor: *Auguſtus ut Ægyptum, annonæ urbis copioſam efficeret, foſſas injuria vetuſtatis limo clauſas, labore militum patefecit.* Et de Probo Imperatore Flavius Vopiſcus: *Probus milites otioſos eſſe nunquam eſt paſſus. Exſtant apud Ægyptum ejus Opera, quæ per milites ſtruxit in plurimis civitatibus. Pontes, Templa, Porticus, Baſilicas labore militum ſtruxit:* Ex infra: *Multa opera militari manu perfecit, dicens annonam gratuitam militem comedere non debere.* Scio illum à quibuſdam ſeditioſis, continuum laborem pertæſis, fuiſſe invaſum

Lib. 11. cap. 18.

1.

9.

20.

21. sum ac triucidatum; At scio etiam addi ab eodem Scriptore: *Postea tamen ingens ei Sepulchrum elatis aggeribus omnes pariter Milites fecerunt*. Et marmori incideruntur hoc Epitaphium: *Hic Probus Imperator, & verè probus situs est .. Victor omnium gentium Barbararum: Victor etiam Tyrannorum*. 8. Et hanc Regulam omnes boni Imperatores custodierunt. Attamen primus Maximinus non nihil immutavit. Exponit Julius Capitolinus; *Nunquam fuit qui in exercitu faber, aut alterius rei, ut plerique sunt, artifex esset; solis venationibus Legiones frequenter exercebat*. Erat natura & origine Barbarus; hinc plus venationibus gaudebat, quàm laboribus. Et de Avidio 6. Cassio Imperatore scribit Vulcatius Gallicanus. *Cassius delicias omnes de castris submovit, justitque milites hyemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores: Et egissent, nisi bonesius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim miserum esse, cùm exercerentur Athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset*. Militare exercitium miscebat, & alternabat laboribus. Et rectè.

Notanda sunt verba: *Delicias omnes è Castris submovit*. Nec enim sola ebrietas & intemperantia, sed quivis delicatus victus sunt pessimum Militiæ vitium. Hinc de præfato Imperatore adjungit idem Vulcatius: 5. *Præter laridum, & buccellatum, atque acetum, Militem in expeditione quidquam portare prohibuit: Et si aliud quidpiam reperit, Luxuriem non levi supplicio adfecit*. Quà virtute viguit ante Imperium. Etenim de ipso, enervatis per delicias Syriacis Legionibus, Imperator Marcus Aurelius scripsit ad Præfectum: *Avidio Cassio Legiones Syriacas dedi, defluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vitalianus scripsit. Et puto me non erraſſe. Siquidem & tu notum ſpſit. Et puto me non erraſſe. Siquidem & tu notum habes Cassium; hominem Cassianæ severitatis & Disciplinæ. Neque enim Milites regi possunt, nisi veteri disciplina. Tu tantum fac adsint Legionibus abundè commeatus: Quos, si benè Avidium novi, scio non peritutos*. Et spes non fefellit Principem: Etenim Præfectus referipsit: *Rectè consuluisti, mi Domine, quod Cassium præfecisti Syriacis Legionibus. Ille sanè omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu Militi excutiet*. Et ad Rogonium, Galliæ Rectorem scripsit Imperator Severus: *Milites tui vagantur, Tribuni medio die lavant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria. Saltant, bibunt, cantant: Et mensuris conviviorum vacant, cum sine mensura potent. Hæc, si ulla vena paternæ Disciplinæ in nobis viveret, fierent? Emenda igitur primùm Tribunos, deinde Militem*. Exstat Epistola apud 5. Ælium Spartianum in Pescennio Nigro. Et de ipso jam Imperatore Pescennio scribit idem Ælius: *hic erga Milites fuit tanta censura, ut cum apud Ægyptum ab eo Limitanei milites vinum peterent, responderit, Nilum habetis, & vinum quæritis? siquidem tanta illius fluminis dulcedo est, ut* 7. *accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis, qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus, Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erumbescite*, inquit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt*. Spartianus pergit: *hic tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in cræno argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri, addito eo, ut ligneis vasis uterentur: Dicebat enim posse evenire, ut Sarcinæ Militares in potestatem hostium venirent, nè se Barbaræ Nationes Argento nostro gloriosiores facerent. Idem jussit vinum neminem in expeditione bibere, sed acto Universos esse contentos. Idem Pistores sequi expeditionem prohibuit: Buccellato jubens milites & omnes contentos esse*. Et Pescennius præivit exemplo. *Etenim in concione juravit se, quamdiu in expeditionibus fuisset, esse que adhuc futurus, non alium se ſacturum, quàm militem*. Et de corrupta sub Imperatore Constantio disciplina scribit Ammianus Marcellinus: *Accessere flagitia disciplinæ castrensis, cum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores, & non saxum erat, ut ante-hac, Armato cubile, sed pluma & flexiles leculi. Et gravidora gladiis pocula. Testa enim biberе jam pudebat. Et quærebantur ædes marmoreæ, cum scriptum sit in Antiquitatibus, Spartanum militem coercitum acriter, quod Procinctus tempore aulus sit videri sub tecto*.

10. Militum ebrietatem adeò detestatus fuit Imperatoris Justiniani Dux Belisarius, ut de ipso in Africam contra Wandalos tendente scribat Procopius Cæsariensis: *Messagetæ duo inter potandum cavillis à quodam sodali suo proritati, ipsum peremerunt jam ebrii, ut sunt mero-bibi super mortales Universos Messagetæ. Exemplo Belisarius in colle percussorem utrumque arbore infelici suspendit*. Non dumtaxat propter homicidium, sed & propter ebrietatem. Hinc & ipsis Messagetis, & quibuſdam etiminum impunitatem diligentibus, ideoque de supplicio murmurantibus Romanis Belisarius reposuit: *Neque enim cuiquam fas est, maximè verò si Castra sequatur, ita inebriari, ut vel amicissimos jugulare non dubitet. Immò etiam ipsa per se temulentia, quamvis cædes absit, pœnam meretur. Nihil negligam ex hac parte. Nec quemquam vestrum, quantumvis hosti formidabilis videatur, committamem agnoſcam meum, nisi puras manus in hostem ferat. Neque enim fieri potest, ut vincat fortitudo, quæ in eadem non stat actæ cum justitia*. Notanda sunt & hæc ejus verba: *Quod si Barbarus aliquis, ideò quia propinquum occidit ebrius, Dicam, quæ ipsi impingitur, venialem esse comendit, eo ipso, quo crimen dilui adfeverat, causam suam pejorem facit. Et quidem meritò*. Ex hoc fonte optimus Princeps noſter ac Imperator noſter Carolus V. hauſit ſuam optimam Legem, qua ſanxit homicidium per ebrietatem non excuſari, sed adgravari. Optima eſt & hæc Magni Caroli Lex: *Ut in hoſte nemo parem ſuum, vel quemlibet alterum bominem bibere roget. Et quicumque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo ſola aqua utatur, quouſque ſe multè feciſſe cognoſcat*. Pro verbo, roget, forſitan ponendum eſt: *cogat*. Præſertim hoc locum habet in hoſte, dum Exercitus verſatur in hoſtili terra aut limite. Hinc lamentatur Jornandes: *Præcipuus Hunnorum Rex Attila, fortiſſimarum gentium Domitor, qui inaudita ante ſe potentia ſolus Scythica & Germanica Regna poſſedit*,

Lib. 22. cap. 6.

Lib. 1. c. 12.

dit, nec non utraque Romanæ Urbis Imperia capitis Civitatibus terruit, & ne præda reliquas subderet, placatus precibus annuum vectigal accepit. Cumque hæc omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus, sine sensu doloris occubuit. Exstinctus per ebrietatem.

Longè magis à Christiano exercitu sunt proscribenda omnia scorta, fornicationes, flagitia & libidines. Nam & Gentiles proscripserunt. Noverant esse enervationem militaris disciplinæ & virtutis, ruinam militis. De Hannibale, qui Capuanam Urbem & agrum suis concessit in hyberna, scribit in tertia Decade Titus Livius: *Somnus enim & vinum, & epulæ, & scorta, balneaque, & otium consuetudine in-dites blandiens ita*
Lib. 3. cap. 18. *enervaverunt corpora, animosque, ut magis deindè præteritæ eos victoriæ, quàm præsentes tutaverint vires; majusque id peccatum Ducis apud pevites artium militarium haberetur, quàm quod non ex Cannensi acie protinùs ad Urbem Romam duxisset. Illa enim cunctatio dissiluisse modò victoriam videri potuit; hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque hercule, velut si cum alio exercitu à Capua exi-*
Lib. 7. *ret, nihil usquam priscinæ Disciplinæ tenuit. Nam sedierunt plerique scortis impliciti.* Et in Sextæ Decadis Epitome scribit: *Scipio Africanus Numantiam obsedit, & corruptum licentia, luxuriaque exercitum ad generosissimam militiæ disciplinam revocavit. Omnia enim delicturum instrumenta recidit: Duo millia Scortorum à castris rejecit.* Et de
7. Imperatore Aureliano scribit Flavianus Vopiscus: *Aurelianus militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duorum arborum capita inflecteret, quæ ad pedes militis deligaret, eademque subitò dimitteret, ut scissus ille utrimque penderet.* Plura sunt istiusmodi exem-
Lib. 3. c. 8. pla Gentilium. De Totila Gothorum Rege, qui Romanam cepit Urbem, scribit in libris de Gothico Imperatoris Justiniani bello Procopius Cæsarzensis: *Romanus quidam Totilam adiit, & à quodam ex ejus Prætorianis stuprum filiæ suæ Virgini venienti illatum questus est. Hominem flagitium non dissitentem in carcerem inclusit Totilas, id sedulò agens ut is culpam lueret.* Erat impiger ac bellicosus miles: Hinc omnes Gothorum Excellentissimi sunt illius precati vitam & veniam. Ad illos infignem concionem dixit Rex, demonstrans per talia paucorum crimina puniri à Domino Deo ac deleri Gentes integras, totosque exercitus; & Procopius pergit: *Quibus assensi Gothorum Proceres absteterunt ab eo deprecari Prætorianum, ac ipsius arbitrio permiserunt. Nec multò post ille morte multi avis-hominem, atque ejus fortunas omnes compressæ Virgini adjudicavit.* Elegantissima Totilæ Oratio militarem Disciplinam germanè commendat. Est integrè legenda. De Ludovico VII. Francorum Rege, militante in Terra Sancta scribit Joannes Bromptonus Abbas
ad An. 1135. Jornalensis: *Cum ex diutina continentia & coitus defectu, prout Medici dicebant, ægritudinem in sedendo incurreret, per Medicos & Prælatos suasum ei erat, ut ob nimiam Reginæ distantiam puella aliqua uteretur: Qui respondit: Malo mori casius, quàm vivere adulter. Et sic totum se Deo committens, citò convaluit.* Non desunt alia similium sanctissimorum Militum ac Regum exempla. Et hi non possint non obtinere victorias.

Tertia militum Disciplina est rigidissima obedientia. Hinc de Avidio Cassio, Antonini Imperatoris Duce scribit Vulcatius Gallicanus: 6. *Cùm Avidius exercitum duceret, & inscio ipso Manus auxiliaria, Centurionibus suis authoribus, tria millia Sarmatarum negligentiùs agentium in Danubii ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus Centurionibus præmium, quod perparva manu tantùm hostium segnius agentibus Tribunis & ignorantibus, occidissent, rapi eos jussit, & in crucem colli, servilique supplicio adfici, quod exemplum non exstabat, dicens evenire potuisse ut essent insidiæ, ac periret Romani Imperii reverentia. Quæ res tantùm Disciplinæ Romanis addidit, tantùm terroris Barbaris injecit, ut pacem annorum centum ab Antonino obsente peterent. Siquidem viderant damnatos Romani Ducis judicio etiam eos, qui contra fas vixerent.* Plura istiusmodi exempla habes apud Titum Livium, Florum, Salustium, Aurelium Victorem, Eutropium, ac alios Romanos Historicos. Avidius Cassius similes victores primus egit in fervilem crucem. Hoc est exemplum, quod Vulcatius adfirmat usque tunc apud Romanos non exstitisse. Et adjungit de Cassio: *Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites, dicens majus exemplum esse viventi miserabiliter criminosi, quàm occisi.* Et quidem desertio est omninò gravissima bellicæ obedientiæ prævaricatio. Verùm an mortem aut mutilationem mereatur, non est parva quæstio. Et quidem loqui oportet de facta citra causam desertione. Nam militem, cui non præstatur annona, quis neget posse fugere? Prævaricatoria etiam desertio passim à Doctoribus censetur non esse crimen capitale.

Hinc & neophytis Bulgaris rescripsit Sanctus Ep. 40.
Nicolaus primus Pontifex: *Consuetudinem Patriæ vestræ perbibetis inesse, ut priusquam ad pugnam progrediamini, mittatur à Dominatione vestra fidelissimus & prudentissimus vir, qui cuncta arma & caballos, & quæ necessaria pugnæ existunt, consideret, & apud quem inutiliter præparata inveniuntur, capite punitur; nunc autem nosse cupitis, quid nos hinc fieri decernamus. Hæc nos cuncta vobis ad spiritualis apparatus armaturam convertere fuademus, & tantæ severitatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus.* Suadet milites potiùs spirituliter per bona opera, quàm corporaliter armandos. Capitalem istam severitatem dissuadet, non tamen damnat. Ejusdem formæ sunt hæc Responsa: *Circa hos, qui quando ad pugnam contra hostes proceditis, fugam arripiunt, si non misericorditer præveniat compassio,* Ep. 22. Ep. 23. *saltem Legum temperetur severitas. De his, quibus jussum est contra hostes progredi, & jussioni parere contemnunt, eadem fuademus.* De fugientibus à prælio fuit varia olim apud Romanos Disciplina. Primi Romani ipsos non punierunt capite. Est antiqua Samnitum Lex: Omnem militem cogebat jurare, quòd quisque suum fugientem socium mox occideret. Legem de iniquitate ac nimia severitate damnat Titus Livius; & adjungit in tertia Decade: *Milites tunc,* Lib. 2. c. 38.

quod nunquam antèà factum erat, jure-jurando à Tribunis militum adacti, juſſu Conſulum conventuri, neque injuſſu abituros. Nam & ad eam diem nihil præter Sacramentum fuerat. Et ubi ad Decuriatum aut Centuriatum convenîſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe Equites decuriati, & centuriati pedites conjurabant ſeſe fugæ atque formidinis ergò non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ejus ſervandi cauſſa. Id ex voluntario inter ipſos fœdere à Tribunis ad legitimam juriſjurandi adactionem translatum. Ex indè è præſio fuga cœpit apud Romanos eſſe crimen Capitale. Decretum id fuit ex Africani bellis occaſione, & deinceps cum incremento ſervatum. Et quandoque poſſit eſſe juſtum.

Porrò militum Luſtratio fieri debet non dumtaxat ad pœnam, ſed etiam ad ſolatium. Hinc
6. de Avidio Caſſio ſcribit Vulcatius Gallicanus; *Avidius arma militum ſeptima die ſemper reſpexit. Veſtimenta etiam, & calceamenta.* Et de Imperatore Maximino, adhuc Tribuno, Julius
6. Capitolinus: *Maximinus jubebat gladios, loricas,*
28. *galeas, ſcuta, tunicas, & omnia arma militum quotidie circumſpicere. Calceamenta quin etiam ipſe proſpiciebat.* Et de Miſitheo Prætorii Præfecto
8. ſcribit in Gordiano: *Arma militum ſemper inſpexit.* Et de Imperatore Probo Flavius Vopiſcus:
50. *Ille ſingulos Manipulos adiit, veſtes & calceamenta proſpexit.* Et de Imperatore Alexandro Ælius Lampridius: *Milites juvenem Imperatorem ſic amabant, ut fratrem, ut filium, ut parentem. Veſtiri honeſtè, calceari etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam inſtructi, & ephippiis, & fræniis decentibus; Prorſus ut Romanam Rempublicam intelligeret, quicumque Alexandri vidiſſet exercitum.*
47. Et iterùm: *Ægrotantes milites ipſe viſitavit per Tentoria, etiam ultimos, & carpentes vexit, & omnibus neceſſariis adjuvit. Et ſi fortè gravius laboraſſent, per civitates & agros Patribus-familias hominibus, & ſanctioribus Matronis eos diſtribuebat, reddens impendia quæ feciſſent, ſive convaluiſſent illi, ſive periiſſent. Ejus familiare dictum erat: Milites ſe magis ſervare, quàm ſe-ipſum, quod ſalus publica in his eſſet.* Hæc Luſtratio, hoc Principis officium reddit milites promptiſſimos ad plenam obedientiam.

CAPUT XVI.

Exponuntur Militum Stipendia.

Orat. 9. AD Domini verba: *Militis contenti eſtote vestris ſtipendiis*, ſcribit ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Stipendii nomine, Regiam annonam ſignificat, eaque munera, quæ his, qui Dignitates obtinent, Lege conſtituta ſunt; quod autem ſuper ſtuum eſt, cujuſnam ſit, ipſe quidem vereor dicere, ne quid ſimiſtri omnis hic ſermo habeat; ſed ipſi certè per vos ſatis intelligetis, quamvis dicere ſuperſedeam.* Docet tria. Primò, quod Romana Stipendia conſiſterent in duobus: in Annona, & nummario Donativo. Porrò Annona erant laridum, frumentum, buccella, oleum, vinum, fœnum, aliique caſtrenſes cibi, variorum varii. Secundò Gregorius docet; non ſolis militibus, ſed & cunctis majoribus Dignitatibus fuiſſe ſua apud Romanos ſtipendia. Tertiò docet illa debuiſſe eſſe ſufficientia, non ſuperflua. Locum hic habere Domini verbum: *Quod amplius eſt, à malo eſt.* Hinc intellige mandata, quæ germano ſuo fratri ac militum Duci fuiſſe ab Imperatore Mauritio data ſcribit Theophylactus Simocata: *Horum unum reddendæ militaris annonæ* L. 7. c. 1. *formam continebat, nempè ut tripartitè, in veſte, in armis, & nummis aureis erogaretur.* Addit contra hunc articulum milites fuiſſe tumultuatos. Græca vox, *Epidoſis*, non Annonam ſignificat, ſed Donativum, ſeu nummarium Stipendium. Sanctus Martyr Theophanes utitur voce, *Roga*, & ſcribit: *Imperator Petro Duci ſuis mandatis ſi-* Fol. 231, *gnificavit, ut Rogæ tertiam partem, nummis aureis perſolvendam, Romani milites acciperent, partem aliam ſibi armis conceſſis, ultimam denique data ad veſtes quaslibet materia ſibi repenſam profiterentur. Quod ubi reſciverunt, ſe ad rebellionem converterunt.* Conſonat Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Quarto decimo Imperii ſui anno juſſit Mauritius Petro Prætori ut tertiam partem Rogæ in auro à Romanis acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam in diverſis veſtimentis. Itaque, Romani hoc audito, ad tyrannidem vertebantur.* Erat juſtiſſima Conſtitutio: Etenim milites conſueverunt ſua nummaria Stipendia in ſua paſſim deſideria expendere, atque interim indecorè veſtirenni, incoincinnè armari. Et iſtud congruentiſſimum frænum illis diſplicuit.

Sanctus Gregorius rectè ſcribit Militum ac etiam Dignitatum ſtipendia non poſſe eſſe juſto majora. Hinc in ſua ad Imperatorem Conſtantium Panegyri declamavit Imperator Julianus: *In ea rerum omnium copia milites habuiſti, ut neque fatietate inſolentes eſſent, neque inopia quidquam peccare cogerentur.* At longè aliud de eodem Conſtantio ſcribit Ammianus Marcellinus: *Evenerat iiſdem diebus ut ad demendum Imperatoris capillum tonſor venire præceptus, introïret quidam ambitioſè veſtitus:* Nempè defuncti Conſtantii tonſor, vocatus ad tondendum ſucceſſorem Julianum. *Quo viſo, Juſtanus obſtupuit: Ego, inquit, non Rationalem juſſi, ſed tonſorem accirri. Interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compendii, vicenas diurnas reſpondit annonas, totidemque pabula jumentorum, quæ vulgò dicitant capita, & annuum ſtipendium grave, abſque fructuoſis petitionibus multis. Undè motus omnes hujuſmodi cum coquis, ſimilibuſque aliis, eadem accipere penè conſuetos, & data quò vellent eundi poteſtate, projecit.* Et de Antonino Pio Imperatore ſcribit Julius Capitolinus: *Antoninus Salaria multis ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere, dicens nihil eſſe ſordidius, immò crudelius, quàm ſi Reipublicam ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Undè etiam Meſomedi Lyrico ſalarium imminuit.* Ex eodem principio ſuadendum eſt Principi, ut paucos habeat majores Officiales, paucos Tribunos, plenas Legiones. Etenim Magnus Conſtantinus & Magnus Theodoſius, quod varias Provincias diviſerant, atque ita Dignitates & Stipendia multiplicarant, à quibuſdam roduntur, & carpuntur.

Sufficientia & honeſta Stipendia nullatenus poſſint

possint militibus subsidrahi. Hæc subsitractio est omnium rerum ruina. Hinc de Imperatoris ... extrema apud Persas clade scribit Ammianus Marcellinus: *Cùm Civitatem, nomine Daram, adventaremus, fatigatis jumentis, vectores eorum novissimi pedibus incedentes, à Saracena multitudine circumsepti, protinùs interiissent, ni expeditiores turmæ nostrorum opem laborantibus attulissent. Hos autem Saracenos ideò patiebantur infestos, quod salaria numeraque plurima à Juliano, ad similitudinem præteriti temporis, accipere vetiti, quæstique apud eum, solùm audierant Imperatorem bellicosum & vigilantem, ferrum habere, non aurum.* Eadem de caussa Saraceni postmodò defecerunt ab Imperatore Heraclio, & ita tandem ad Mahometis impietatem devoluti destruxerunt omne Orientis Imperium. Et de Imperatore Justiniano scribit in Arcana Historia Procopius Cæsarænsis: *Olim Romani Imperatores passim in extremis oris frequentes militum manipulos constituerunt, qui Romani Imperii limites, præcipuè per Orientis Provincias tuerentur, indeque Persarum atque Saracenorum incursiones & vim arcerent, quos & Limitaneos appellavere. Hos Justinianus statim adeò despicatui duxit, ut quadriennalia & quinquennalia stipendia illis a Quæstoribus differrentur. Romanis verò ac Persis inducias agitantibus, miseris illis commodo pacis fruituris certa erant ex Ærario concedenda Stipendia. Tandem eos Cæsar per injuriam ex Albo militum expunxit. Ita demùm Romanorum fines præsidio destituti. Miles Limitaneus ex plorum manibus & largitate pendebat.* Et infrà: *Ex prisca Lege Imperator quinquennali Donativo, certaque auri summa exercitum profequi consuevit. Ergò per urbes Romanæ ditionis quinto quoque anno Quæstores mittebantur, qui singulis militibus Stateres aureos quinque penderent. Idque rato ac inviolato usu receptum erat. Ex quo autem ad Rempublicam Justinianus accessit, indè duo jam & triginta excurrunt anni, ita hujus rei curam abjecit, ut ejus penè cœperit mortales oblivio.* Procopius Justinianum arguit de istiusmodi pluribus in milites injuriis. Et hoc Imperatoris Mauritii Decretum, *ut de Demenso sive Annona militari quarta pars detrahereatur*; Theophylactus Simocata scribit fuisse adeò exosum ac infelix, ut non solùm ejus executorem Ducem, sed & ipsius Principis imagines impetierint lapidibus, & nullorum precibus aut sponsionibus voluerint acquiescere. De eodem Principe scribit Sanctus Martyr Theophanes: *Mauritius per litteras molestè justitabat Exercitum trans Istrum duci, & ex Sclavicorum agris annonam in hyemem ei subministrari, ne ipse ex publico commeatum præbere cogeretur.* Ex avaritia. Consonat præfatus Simocata: *Autumno advertente Mauritius Petro duci molestiam exhibet super copiis in Sclavorum Regione per hyemem retinendis: Copiæ autem magnopere ab eo adhorrent, propter prædæ spem exiguam.* Exponit in Francorum historia Aimoinus Monachus: *Mauritius in terra hostili constitutus, cum milites furto & rapinis abstinere compelleret, nec tamen largiretur consueta stipendia, sed insuper in Desertis transire hyberna cogeret tempora, non minimùm in se extituvit seditionis. Hæc enim acerbitate offensi veteres viri milites, conferre secum cœperunt, & indignè ferre Imperatorem, qui nullo Romanæ stirpis nobilitatetur pangente, tam nequiter ipsos opprimere velle. Nec se diutius perpeti posse extraneum Tyrannum, cum haberent in exercitu dignum Romani generis Gubernatorem.* Hæc clamantes & vociferantes, sceleratum Phocam ex simplici Centurione evexerunt in Augustum Principem, & cum omni sua domo Mauritium barbaricè trucidarunt. Eundem Imperatorem Mauritium notat Magnus Papa Gregorius, Joannem Ravennæ Archi. Episcopum urget ad pacem inter ipsum & Longobardos conciliandam, atque adjungit; *Miles de Romana urbe ablatus est. Theodosiani verò qui hic remanserunt, Rogam non accipientes, vix ad murorum custodiam se accommodant. Et destitutæ ab omnibus civitas, si pacem non habet, quomodò subsistet? Huc respicit & Apostolus: Quis suis stipendiis militat unquam?*

Lib. 25. Cap. 24. Lib 3. cap. 1. 2. Fol. 24. Lib. 8. cap. 6. 7. Lib. 4. in cap 3. 2. 23.

Egregia in hanc rem documenta scribit, agens de Imperatore Emmanuele Comneno Nicetas Choniates: *Jam quia Romanis, ac Barbaris etiam est in more positum, ut stipendia militibus solvantur, & illi sæpe in medium producantur, ut exquiratur, an armis instructi sint, an equos probè curatos habeant; item ut Tyrones, prius quam in Catalogos referantur, explorentur, an corporibus valeant, an sagittare sciant, an vibranda hasta se exercuerint; Hic Imperator stipendia militaria in Fiscum, tanquam in cisternam aquas coegit, & exercituum cupiditatem Donativis, quæ incolarum dicuntur, levavit, abusus re à veteribus Imperatoribus inventa, & rarò usurpata in eos, qui bolles sæpè cæciderant. Hinc factum est, ut & milites enervarentur, & maximum pecuniæ flumen in ignavos ventres effunderetur, & Romanæ Provinciæ male tractarentur. Nam & strenui milites, cum non amplius id expectarent, quo peculiariter ad virtutem bellicam excitabantur, quod tam promiscuè omnibus idem præmium propositum erat, alacritatem illam in audendis periculis abjecerunt. Et Provinciales, qui olim Fisco pecuniam numerabant, à militari avaritia sunt pessimè tractati, erepta non tantùm pecunia, sed & intima tunica; aliquando etiam à liberis & uxoribus avulsi. Proindè quilibet militiæ nomen dabat, & multi ignavissimi & sordidissimi opifices, vel equo Persico donato, vel paucis aureis datis, nullo delectu acto in militum Catalogos relati, litteris Imperialibus irrigua prata & rura fertilia, & Romanos tributarios accipiebant, ut eis aliquando servili habitu ministrarent; & vir Romanus gravi vultu, militaris rei peritus, & tantò excellentior, ut illis comparatus Achilles videretur, aut duabus manibus armatus cum eo compararetur, qui neutram incolumen haberet, tributum penderet homuncioni semi-barbaro, qui instructam aciem nunquam viderat. Enim verò Romanæ Provinciæ graves hujus perturbationis pœnas dederunt, quarum aliæ ante oculos nostros à Barbaris spoliatæ & occupatæ sunt, aliæ à nostris, tanquam alienæ, vastatæ & eversæ. Sed quò usque Domine! hæreditatis tuæ oblivisceris, aversusque à nobis facie locum iræ tuæ dabis? Quando ex Sanctæ Æde tua prospectabunt, nostras ærumnas & calamitates intueberis? malisque nos urgentibus liberabis? Eaque avertes, quæ longè graviora impendere videntur?* Adeò expedit ut Princeps propria manu dispenset militum stipendia, & illud onus non transfundat in Provincias. Lib. 7. cap. 4.

Theophylactus Simocata, de Persis loquens, est denuò audiendus: *Nec enim Persæ, Romanorum instituto, è Prytaneo annonam accipunt, quoties militatum eunt, neque ex Agris & vicis conferuntur; sersm quadam frugalitatis lege apud eos Rex illam distribuere solitus est, qua ad vitam quomodocumque sustentandam utuntur. Hinc ipsi & jumenta vivere coguntur, donec aliena fortè populabundi invaserint.* Hinc & in hostem sunt rapacissimi & crudelissimi; Et ad prædandum impatientissimè anhelant: Et dum fœnantur aut sistuntur, sunt contumacissimi etiam in Principem. De eadem gente scribit Ammianus Marcellinus? *Militari cultu ac disciplina, præludisque continuis Rei castrensis & armaturæ metuendi sunt vel exercitibus maximis, Equitatus virtute confisi, ubi desudat Nobilitas omnis & Splendor. Pedites enim in spectem mirmillonum contecti, jussa faciunt ut calones. Sequiturque semper hæc turma, tanquam addicta perenni servitio, nec stipendiis aliquando sulta nec donis.* Est Barbara in miseros Pedites crudelitas. Lib. 22.

Recte tamen in arcana Imperatoris Justiniani historia scribit Procopius Cæsareensis: *Usu & Lege castrensi receptum est, ut non omnibus æquè stipendia numerentur; sed Tyronibus tenuiora, exercitatis autem Rotariis, & medio ferè jam Albo receptis, majora; Postremò Veteranis, & quibus Missio indulgenda sit, longè munificentiora, ut iis privativo agentibus ad vitam necessaria suppeterent, & naturæ cedentes aliquid solatii ex peculio Castrensi domesticis relinqueret.* Et de Imperatore Alexandro, in Parthos movente habet Ælius Lampridius: *Alexander fecit Phalangem triginta millium hominum, quos Phalangarios vocari jussit, & cum quibus multum fecit in Persida. Quæ quidem erat ex sex Legionibus similium armorum; Stipendiorum verò post Persicum bellum majorum.* Ob magna istic in præliis merita. Et de magno Alexandro, postquam suis militibus ex causa permisit Uxores, scribit Justinus: *Igitur & alimenta Pueris statuta, & instrumenta armorum equorumque Juvenibus data, & Patribus pro numero filiorum præmia statuta.* Æquissima Constitutio. Nihil enim est inope, præsertim mendico, milite miserabilius. Cap. 24. 50. Lib. 12. cap. 4.

Justinus addit & hoc infigne Alexandri in Veteranos facinus: *Alexander ad Concionem Exercitus vocat, & promittit se Æs alienum omnium propria impensa soluturum, ut prædam præmiaque integra domos ferant.* Etiam titulo insignis hæc munificentia muneris fuit, nec à debitoribus magis, quam à creditoribus gratiùs accepta. Quonjam utrisque exactio pariter & solutio difficilis erat. Viginti millia talentum in hos sumptus expensa. Etiam Imperatorem Pertinacem merito laudat Julius Capitolinus: *Pertinax præmia militantibus posuit, stipendia plurimis retrò debita exsolvit.* Variam Justiniani circa hæc iniquitatem exponit in Arcana historia Procopius: *Emeritis morte vel Missione abeuntibus militia, Ordinis inferioris, qui gradatim in locum succedunt, pro temporis ratione stipendia ex publico merentur. Verum Censitores prohibuerunt militum nomina passim, licet in prælis occisorum, ex Albo deleri, aut Album è longo tempore instaurari.* Undè *Respublica eò devenerat, ut exercitus numero exiguus esset, miles superstes, extinctis emeritis, præter dignitatem in inferioribus detineretur Ordinibus; stipendia quam pro loco & gradu acciperet minora, reliqua castrensis pecunia Justiniani à Censitoribus toto hoc tempore corrogaretur; damnis præterea perquam multis aliis militibus adscriberentur, ita compensatis periculis, quæ per sua corpora in prælio subirent, Græcumque nomen ut probrum aliis objecturi, quasi nullum Græcia ferret strenuum militem; Pars respuereiur, ut quæ injussu Principis militaret, ejus prolata Diplomata factò in suspensionem vocarentur; demum alii, ut qui frequenter à Commilitonibus & castris abessent. Post hæc quidam è Prætorianis militibus in universam Romanorum Ditionem destinantur, ex Albo militiæ nimirum exploratui, quicumque bello apti essent. Non nulli exactæ ætate, quasi minimè idonei, cingulo spoliati, propalam in foro stipem à Religiosis viris emendicare, & obvitis quibusque acerbum ac lachrymabile spectaculum præbere, alii, ne eadem ipsi paterentur se à Conquisitoribus grandi pecunia redimebant. Ità miles multifariam debilitatus, ac destitutus necessariis, animo sic abhorruit à militia, ut Romanorum ac Italiæ res omnino dilaberentur.* Dum hæc à Centurionibus, Tribunis, Militum Magistris, aut Provinciarum Præfectis pattantur, sunt crimen longè grandiùs: sunt furtum, & dolus in Dominum Regem. Posterius crimen ab illis patratur, dum Cohortes aut Legiones sine fundamento dissolvunt, ac aliis uniunt. Aliud Principis circa hæc crimen edicit Ammianus Marcellinus Imperatorem Constantium arguens, quod militanti in Galliis Juliano Cæsari stipendia militum, aliaque necessaria non miserit: Non tenaciate; sed fraude ac invidia: Quò Juliani successus impediret, ipsumque exercitui redderet odiosum. Lib. 17. cap. 19.

Insignem Magni Alexandri in militum filios ac viduas liberalitatem habemus apud Justinum: *Si quorum Patres occidissent, Pupilli stipendia Patrum trahebant, quorum puertitia inter varias expeditiones, militia erat.* Hujus pietatis adeo tenax fuit Imperator Probus, ut ipsam etiam Bonoso Duci qui post invasum Imperium superatus seipsum laqueo suspenderat, fuisse impensam scribat in Bonoso Flavius Vopiscus: *Bonosus duos filios reliquit, quibus ambobus Probus pepercit, uxore quoque ejus in honore habita, et usque ad mortem Salario præstito.* Est res militibus gratissima. Etenim Mauritii Imperatoris exercitui, ob alterata stipendia tumultuanti, Petrus Dux mox prosuit aliud Edictum hujus tenoris: *Placet Romanos fortiter dimicantes, & ex magnitudine animi ad pericula subeunda in calamitatem delapsos, de cætero vacationem habere, eosque expeditionum immunes per civitates sumptibus Imperatoris sustentari. Filios autem eorum qui militarunt, & in pugna interierunt, pro ipsis patrestibus in Album referri.* Ipsos etiam emeritos milites, dum pauperes essent, promisit alimentare. Et Theophylactus Simocata adjungit: *His è sublimi suggestu rectatis, Milites Petrus in viam revocavit. & persuadendo fregit, ac mœrore fugato unusquisque Imperatori Mauritio animum reddidit.* Consonat sanctus Martyr Theophanes: *Deterritus Militum rebellione Dux, factum*, stipendiorum alterativum Edictum, *apud milites excusavit, nequaquam id verum esse adseverans. Quin & alias literas ofiendit*, Lib. 12. cap. 4. 11. 9. Fol. 231.

dit, quibus jubebat Imperator, ut milites qui in bello fortiter sese gesserunt, & è gravibus periculis incolumes evaserunt, in urbibus data vocatione, & publicis sumptibus inter cæteros senes alerentur. Amplius ut militum liberi in proprium Parentum locum adscriberentur. Quod ipsum in Ecclesiastica historia scribit Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius. Et de M. Ghaele Paleologo, Imperium ambiente scribit Georgius Pachymeres: *Michael eximiam erga militarem Ordinem charitatem promittebat, stipendiis in dies numerandis, Donativis repræsentandis. Eorum verò qui in bello cecidissent, & in Reipublicæ obsequio vitam profudissent, liberis, si quos reliquissent, debita Patri præmia reddendo; in eoque tam diligens fuit, ut si cujus occisi militis uxor prægnans supereffet, fœtus in ea concepti providentiam gereret, eique servari mortui Parentis honoraria curaret.* His, dum veritatem fortiuntur, promissis Milites animantur.

CAPUT XVII.

Exponitur Provincialium erga Milites obligatio.

QUod Milites & in expeditionibus, & in transitu aliquid accipere possint ac debeant à Provincialibus, ac ipsum sit quasi inter ipsorum stipendia numerandum, profitetur in quadragesima quinta super Apostolicos Actus homilia sanctus Joannes Chrysostomus: *Si milites venerint, ut habeant nobiscum ordinata domicilia, multam facitis curam, & omnia suppeditantur eis, quoniam juvant nos in sensibili bello.* Et in trigesima tertia Homilia supra tertium-decimum Caput Epistolæ primæ ad Corinthios: *Milites pro nobis arma sumunt. Propter nos enim pericula adeunt. Nos pro illis laboramus: à nobis enim sunt eis alimenta.* Et in undecima Homilia super Epistolam ad Philippenses: *Eis qui in exercitu sunt, ac bellum gerunt, ab eis, qui domi in pace vivunt, debentur cibaria, & quicquid illis necessarium est in sumptum. Illi enim pro his in acie stant.* Ex antiqua Romani Imperii forma. Hinc in Gordiano tertio Imperatore scribit de Mititheo Prætorii Præfecto Julius Capitolinus. *Hujus viri tanta in Republicam dispensatio fuit, ut nulla esset unquam Civitas Limitanea potior, quæ non posset Exercitum Populi Romani ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & lardo, atque hordeo, & paleis condita non haberet; minores verò urbes, aliæ triginta dierum, aliæ quadraginta, nonnullæ duorum mensium, quæ minimum, quindecim dierum.* Quò nempè Sata & fruges à militibus non læderentur. Etiam de Basilsta, ante arreptam tyrannidem adhuc Præfecto, scribit Trebellius Pollio: *Basilsta fuit vir insignis, eruditus ad gerendam Rempublicam, in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in Provisione annonaria singularis.* 18.

Hujus provisionis modum exponit in literis ad Rogonium Clarium, Illyrici & Galliæ Præfectum, Basilsæ Successorem, Imperator Valerianus: *Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, dispensationem Basilsæ profeque.* *Hac in forma Rempublicam vides, ut nec ille Provinciales gravet, ut illic equos contineat, ubi sunt pabula, illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta; non Provinciales, non possessorem cogat illic frumenta, ubi non habet, dare; illic equum, ubi non poteſ, pascere; nec est ulla alia provisio melior, quàm ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus Rempublicam gravent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia: plenum est Illyricum. Illic Pedites collocentur. Quamquam in Thracia etiam Equites sine noxa Provincialium hyemare possent. Multùm enim ex campis fœni colligetur. Jam ubi laridum, ubi cæteræ species, in his aandæ sunt locis, in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt Basilsæ consilia, qui ex quaque Provincia unam tantùm speciem præberi jussit, quæ ea redundaret, atque ad ea milites submoveris. Id quod publicitùs est decretum.* Exstat Epistola apud eundem Pollionem. Et docet plura. Primò, quod solæ abundantes Regiones cogerentur ad alendum militem. Secundò, quod conferre non deberent, nisi illa, quibus abundabant. Tertiò, quod sine necessitate non gravarentur. Quod milites ab illis singulariter amoverentur.

Hanc optimam ac justissimam Regulam insigniter elucidat Imperator Aurelianus. *Sextæ Gallicanæ Legionis Tribunus apud Mogontiam agebat contra Francos, ex tunc per omnem Galliam vagantes, & scripsit ad suum Vicarium: Si vis Tribunus esse, immò si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat: Oleum, sal, lignum nemo exigat: Annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis Provincialium habeat. Stipendium in Balteo, non in popina habeat. In hospitis cœlè se agant. Qui ltem fecerit, vapulet.* Exstat Epistola apud Flavium Vopiscum in Aureliano. Docet plura. Quod milites non tantummodò à levissimis etiam furtis, sed à quibuscumque etiam exactionibus deberent esse puristimi, & sua Annona contenti. Et videtur dandam non à Provincialibus, sed à Principe Annonam laudare. Quidquid sit, præter ipsam nihil penitùs poterat miles exigere: ne quidem ligna, oleum, salem. In suo hospitio debebat esse modestissimus. Et fruges aut sata nec minimùm lædere. Etiam de Theodosio Imperatore, adhuc Duce in bello Gildoniano scribit Ammianus Marcellinus: *Inter residua autem multa & clara id amorem ejus auxerat in immensum, quod à Provincialibus commeatum Exercitui prohibuit dari; messes & condita hostium, virtutis nostrorum borrea esse fiducia memorans speciosa.* Omnem laudem excellit Imperator Alexander, de quo Ælius Lampridius: *Cùm talis ac tantus Imperator domi ac foris esset, initi Parthicam expeditionem, quam tanta disciplina, tanta reverentia fut egit, ut non milites sed Senatores transire dicerentur. Quocumque iter Legiones faciebant, Tribuni accincti, Centuriones verecundi, Milites amabiles erant. Ipsum verò ob hæc tot & tanta bona Provinciales, ut Deum, suscipiebant.* Jure merito. Erat Princeps ge n ilis. 7. Lib. 29. cap. 23. 50.

Hinc ad Carolum Calvum rectè scripsit Synodus Meldensis: *Quia bellenus propter diversas necessitatum incommoditates, aliter fieri vos incompetentia compulit, quàm salubritas poposcisset, & honestas atque utilitas; vestra studebit Magnitudo obnixius observare, ut Civitates per Regis transitum* 27.

tum non deprædentur; ut quando transitus vester juxta civitates acciderit, immunes & liberas Vestra Dominatio jubeat à depræ dationum exactionibus fieri mansiones intra civitatem. Qui omnes huc sua ad civitates deferebant, ut & salva quæque ibi halerent, & illa plus pacifice venderent, jam & hoc refugiunt. Et priſtinæ immunitates & confirmationes infringuntur, dum & cives ab hospitibus opprimuntur, & ab his, à quibus non solùm opprimuntur, sed & deprimuntur, sua non solùm vendere prohibentur, sed & propter direptionem poſi eos cum gemitu clamare coguntur. Adversùs hanc violentiam plura olim scripſit Hincmarus, Remensis Episcopus, nec non & Synodus Carisiaca. Adfirmant Regi esse sua certa & justa stipendia, hæc deberi ab eo prudenter disposita, ideoque ita geri etiam bellum, ut populus tunc nimiis militum exactionibus non gravetur. Est crimen in quod olim scripſit Paulus Orosius: *Constans Imperator, Magni Constantini filius, intolerandis vitiis se dedit, ac pœna Provincialium favorem militum comparavit.* Adfirmat Divinam justitiam hisce de causis permisisse, ut Maxentii Tyranni dolis opprimeretur ac interficeretur. Lib. 7. cap. 29.

Antiquam Francorum Regum justitiam ac modestiam exponit in ipsorum historia Sanctus Gregorius, Turonensis Episcopus, scribens de Rege Clodovæo primo, movente in Alaricum, Arianum Gothorum Regem: *Quoniam pars hostium per Territorium Turonicum transibat, Rex pro reverentia Beati Martini dedit Edictum, ut nullus de regione aliud, quàm herbarum alimenta, aquamque præsumeret. Quidam autem de Exercitu, invento cujusdam pauperis fœno, ait: Nonne Rex herbam tantùm præsumi mandavit, & nihil aliud? Et hoc herba est. Non enim erimus transgressores præcepti ejus, si eam præsumimus. Cumque vim faciens pauperi, fœnum vi abstulisset, factum pervenit ad Regem. Quo, dicto citius, gladio perempto, ait; Et ubi erit spes victoriæ, si Beatus Martinus offendatur? Satisque fuit exercitui nihil ulteritus ab hac Regione præsumere.* Pergit Gregorius: *Veniens autem Rex apud Pictavos, contestatus est omni exercitui, ut nec ibi quidem, aut in via aliquid spoliarent, aut res cujuspiam diriperent.* Aliis in locis haud quaquam permisit aliquid exigi præter herbas & aquam. Uti non permisit, ita nec interdixit sub pœna capitis. Hanc pœnam adjecit in solis locis Sancti Martini & Sancti Hilarii. Et de Chilperici Regis facinoribus scribit Gregorius: Lib. 2. cap. 37.

Post hæc Chilpericus Rex de Pauperibus vel Junioribus Ecclesiæ Bannos justis exigi pro eo quod in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut ibi ullam exsolverent publicam functionem. Nec ad aliquid pendendum transeunti aut hibernanti militi. Dum Ludovicus VII. Francorum Rex se pararet ad Sacrum bellum Terræ Sanctæ, insignes literas ad Petrum Aurelianensem Episcopum scripsit Petrus Blesensis. Ipsum hortatur ad Episcopalem, citrà peccatoris oleum, oris libertatem, & adjungit: *Si Rex proposuit iteratò iter hujus peregrinationis arripere, non despolits Ecclesiarum, non de subditibus pauperum, viaticum sibi & suis exhibeat, sed de reditibus propriis, aut de præda hostili bella Christi conficiat.* Etiam ad Joannem Rothomagensis Ecclesiæ Decanum scripsit: Lib. 5. cap. 27. Ep. 112.

Si Principes vestri novæ Peregrinationis obtutu velint orbem describere, & Ecclesiæ Christi tributariis functionibus characterem servitutis inurere, qui filius Ecclesiæ est, ex adverso ascendat, mori potius eligat quàm servire. A Seneca arguuntur Catilina & Sylla, quia pax eorum fuit bello deterior, subjectumque sibi populum plus exactionibus tyrannicis, quàm hostes prælii afflixerunt. Uti quisque suas lites, ita Rex suis impensis debet sua bella gerere. Quod præsertim verum est in bellis, quæ in solis Regum præsensionibus fundantur, non in peccatis populi. Etiam in his bellis contribuio populi & in Regem & in militem debet esse moderata. Juxta antiquas consuetudines, antiqua pacta inter populum & Regem. Ep. 21.

Hæc omnia firmat in literis ad Cruce-signatos Milites, in Terram Sanctam proficiscentes. Innocentius III. Pontifex: *Ne autem victualia vobis desint, charissimo in Christo filio nostro, Imperatori Constantinopolitano scribemus, ut juxtà quod per literas suas nobis promisit, victualia vobis faciat exhiberi, eorundem, si forsan ea vobis contingeret denegari; cùm tamen vos devoveritis ad commune obsequium Crucifixi, cujus est terra & plenitudo ejus Orbis terrarum, & Universi qui habitant in eo, posse utique non absurdum videri, ad similitudinem Imperatoris terræ, de quo cautum est in jure civili, quod si ejus Exercitus indiguerit alimentis, ea possit accipere undecumque; positis & vos cum timore Domini, sub satisfaciendi proposito, ad necessitatem tantùm ea sine personarum accipere læsione. In libro namque Judicum reperitur quod cum Gedeon, Zebee & Salmana Reges Madian persequeretur instanter, & primò à viris Soccoth, & secundò ab habitatoribus Phanuel panes pro populo, qui venerat, & jam quasi defecerat, postulasset, quia ei, quod postuluverat, denegarunt, victor reversus tulit Seniores Civitatis Soccoth, & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit Soccoth. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus Civitatis. Necessitas enim, maximè cum insistitur operi necessario, & in multis excusat. Cum enim Dominus sabbatho per Sata transiret, & vellerent Discipuli ejus spicas, ac manducarent manibus confricantes, quidam Phariseorum ad Discipulos, quid facitis, quod non licet in Sabbathis, proclamarent, Jesus eis legitur respondisse: Nec hoc legisti quid fecit David, cùm esuriret ipse, & qui cum eo erant, quod venit in domum Dei, & panes Propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat, nisi tantùm Sacerdotibus, manducare. Et consequenter adjecit, quod Filius hominis Dominus est etiam Sabbathi. Sed & hoc negotium Filii hominis est, & prælium Domini, quod intenditis præliari. Hæc autem exempla de Scripturis Sanctis induximus, non ut concedamus rapinam, sed ut tolleremus quod ex gravi necessitate fine grandi dispendio vitari non posset.*

Exstat Epistola in laudati Pontificis vita, vulgata per Franciscum Bosquettum, Episcopum Montis Pessuli. Et docet varia. Primò, quod ad justa prælia proficiscens, etiam Crucesignatus, Exercitus in alienis, per quas transit Provinciis, habeat jus postulandi victualia. Verùm per emptionem. Secundò, quòd Provinciarum istarum Princeps teneatur istud forum 80.

pro-

procurare ac dirigere . Tertiò , quòd in hujus defectus casum exercitus gaudeat jure Principis terræ . Nempè Cruce-signatus Exercitus . Rationes sunt manifestæ . Quæ quia non militant pro alio quovis exercitu , non ausim ipsas ad alios extendere . Quartò docet , quòd in propria terra degens aut transiens cum exercitu Princeps habeat jus , ut victualia , si emptio denegetur , possit à quovis violenter accipere , verùm cum duabus conditionibus . Prima est , ut illa accipiantur sub proposito satisfaciendi . Ex quo lucet , quòd Princeps quælibet gratis extorquere non possit , sed debet multa emere . Nec enim Princeps habet dominium , aut liberam dispositionem in fortunas subditorum . Pontifex quintò docet hæc sanciri à jure civili . His enim de rebus sunt variæ Leges , tam in Theodosiano Codice , quàm in Justinianæo . Sextò Pontifex eadem confirmat ex Sacris utriusque Testamenti Literis . Et Antiqui Testamenti testimonia lucidè evincunt Provinciales , dum proprius Exercitus in offensivum hostem tendit , obligari ad ejus alimentitia adjutoria . Et Pontifex tandem concludit se hæc scribere , non ut rapiendi ansam præbeat aut fomenta , sed ut succurrat fidelis Exercitus necessitatibus .

CAPUT XVIII.

Exponuntur justa militum spolia .

EX spoliorum & prædarum amore ad bella procedere , immò & bella diligere , fuit commune quibusdam gentilibus . In libro de Germanorum moribus Cornelius Tacitus affirmat ipsorum Principes fuisse magni comitatus ac familiæ dilectores , ac in familiam fuisse eximiè mu-
12. 13. 14. nificos , atque adjungit : *Materia munificentiæ per bella & raptus . Nec arare terram , aut exspectare annum tam facilè persuaseris , quàm vocare hostes , & vulnera mereri . Pigrum , quin immò & iners videtur sudore acquirere , quod possis sanguine parare .* Et Imperator Maximinus , non solorum Afrorum , sed & Romani Senatus rebellione vexatus , ac ipsius Imperii declaratus hostis , dixit ad sibi fideles milites : *Ergo , si viri estis , si vires habetis , eamus contra Senatum & Afros , quorum omnium bona vos habebitis* . Ejus integram concionem refert
8. Julius Capitolinus . Et de Agathocle , Siculorum Rege cum Afris belligerante , scribit Justinus : *Agathocles in Africam reversus seditione militum excipitur . Nam stipendiorum solutio in adventum Patris dilata fuerat à filio . Igitur ad Concionem*
Lib 22. cap. 8. *vocatos blandis verbis permulsit , stipendia illis non à se flagitanda esse , sed ab hoste quærenda , communem victoriam , communem prædam futuram* . Quin & tales milites habemus inter Christianos . Etenim ad suos milites , belli pertæsos , ac prælia detrectantes dixit olim Theodoricus I. Francorum Rex : *Me sequamini , & vos inducam in Patriam , ubi aurum & argentum accipiatis , quantùm vestra poteſt desiderare cupiditas , de qua pecora , de qua mancipia , de qua vestimenta in abundantiam adsumatis : Tantùm me sequamini* . Ita refert Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus , & adjungit : *His promissionibus illectis , ejus voluntatem facere promittunt . Ille verò illuc , in Arvernos , transire disponit , promittens iterum atque iterum Exercitui cunctam Regionis prædam cum hominibus in suas Regiones transferri permittere* . Sunt plura ejusmodi similia pravorum Christianorum Exempla .

Non sine fundamento scribo ejusmodi milites esse pravos Christianos . Etenim in Sancti Augustini appendice eruditus Sermo declamat : *Non militare delictum est , sed propter prædam militare peccatum est . Nec Rempublicam gerere criminosum est ; sed ideo agere Rempublicam , ut rem familiarem potius augeas , videtur esse damnabile . Propterea enim Providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta , ne dum sumptus quæritur , præda grassetur . Illud autem quale est , quod cum ob errorem aliquem à Seniotribus arguuntur , & imputatur alicui de illis , cur ebrius fuerit , cur res alienas pervaserit , cædem cur turbulentus admiserit , statim respondeat : Quid habebam facere , homo secularis aut miles ? nunquid Monachum professus sum aut Clericum ?* Laudat Sancti Joannis Baptistæ de militum stipendiis judicium , & concludit : *Quicumque stipendia sibi publicè decreta consequitur , si amplius quærit , tanquam calumniator & concussor Joannis sententia condemnatur* . Quæ omnis Doctrina est benè notanda . Hæc præsertim verba : *Ideò agere Rempublicam , ut rem familiarem potius augeas , videtur esse damnabile* . De quo puncto quidquid sit ; de illis , qui non nisi ex prædarum amore dant nomen militiæ rectè scribit ad Esaiam Sanctus Isidorus Pelusiotes : *Eum qui pugnis gaudet , ac tumultibus delectatur , atque id studet ut omnibus odio sit , quonam cum nomine aptiùs & commodiùs quispiam appellat , quam si ipsum nequam atque improbum Dæmonem vocet , ut qui voluntate ac animi instituto naturam mutavit ? Quoniam igitur Christus & hic ante tempus Dæmones torquet , & in altero ævo sempiternum ipsis ignem unà cum ipsorum Patre promisit , aut tumultuariam vitam confectari desine , aut illud scito te & hic flagris obnoxium esse , & illic vindictam minimè esse vitaturum* . Et in litteris ad Alphium Monachum scripsit : *Qui bella suscipiunt rapiendi causſa , sunt volut pernicioſi Dæmones habendi* . Quod ipsum scripserunt etiam meliores Pagani . Lib. 1. Ep. 167. Lib. 5. Ep. 386.

Nihilominus in justo bello milites habent jus ad varia Spolia . Etenim & Patriarcha Abraham , dum in quatuor victores Reges processit , reportavit opima Spolia , & ad ipsum dixit Sodomorum Rex . *Da mihi animas , cætera tolle tibi* . Et de Propheta David , Amalecitas persequente , scribit primus Regum liber : *Quæcumque rapuerant Amalecitæ , reduxit David . Et tulit universos greges & armenta , & minavit ante faciem suam ; dixerunt que : hæc est Præda David . Venit autem David ad ducentos viros , qui lassi subsisterant , nec sequi potuerant David , & residere eos jusserat in torrente Besor ; qui egressi sunt obviàm David , & Populo qui erat cum eo . Accedens autem David ad populum , salutavit eos pacificè . Respondensque omnis vir pessimus & iniquus , de viris qui ierant cum David , dixit : Quia non venerunt nobiscum , non dabimus eis quidquam de Præda , quam ereximus : sed sufficiat unicuique uxor sua & filii : quos cum acceperint , recedant . Dixit autem David , non sic facietis Fratres mei , de his quæ tradidit nobis Dominus , & custodivit nos , & dedit latrunculos , qui eruperant adversùm nos , in manus nostras : nec audiet vos quisquam super sermone hoc . Æqua enim pars erit* Gen. cap. 14. Cap. 30.

descen-

descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas: Et similiter dividendum. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israel usque in diem hanc. Ad quæ verba scribunt apud Sanctum Hieronymum quæstiones seu traditiones Hebraicæ: *cum in Latinis Codicibus legatur lassos quosdam subsitisse ad sarcinas, & in Hebræo habeatur jussos fuisse ut residerent ad Sarcinas: Locus hic monstrat Hebraicam veritatem hoc loco sequi debere, quæ non lassos, sed jussos remanere ad Sarcinas dicit fuisse. Ait enim ita: Æqua pars erit descendentis ad Prælium & remanentis ad Sarcinas. Non ait, qui Lassi remanserunt ad Sarcinas, sed absolutè, remanentis ad Sarcinas. Quia si lassi remansissent, nulla eis deberetur de prædis portio.* Et in Quæstionibus ad librum primum Regum scribit Theodoretus: *ducentos viros, qui ex itineris cursu erant infirmi, mansisse dicit Aquila, quibus quidam improbi noluerunt tribuere partem convenientem. Sed Rex justissimus, non solum tunc dedit, sed etiam legem constituit, ut qui ferunt Sarcinas ac impedimenta, & apud ea manent, æqualem habeant partem tum eis qui sunt in acie.*

Quæst. 65.

Theodoretus adfirmat duo. Primò, quòd non soli per Regiam jussionem, sed etiam ob lassitudinem aut infirmitatem remanentes ad Sarcinas debeant ex Davidis Edicto habere æqualem spoliorum partem. Secundò, quòd idem jus David sanxerit portantibus Sarcinas aut alia impedimenta. At verò Sanctus Hieronymus, vel alius quicumque Scriptor, censet Davidem sanxisse pro solis remanentibus per Regiam jussionem. Theodoreti sententia est omninò vero-similior. Etenim Davidis Edictum ex lassis militibus sumpsit originem, & sanxit de cunctis, nisi forsan sine jussione aut venia per ignaviam remanentibus. Quidquid sit, Spoliorum justitia est de omni gentium jure & consuetudine. Et ipsa etiam probavit Ecclesia. Etenim de Ascalonitanæ Civitatis per Sacros Milites expugnatione scribit Guilielmus Tyriorum Archi-Episcopus: *Magister Militiæ templi, Bernardus de Trenmelai, cùm fratribus suis, aliot ante multò prævenientes aditum occupaverant, neminem nisi de suis intrare permittentes. Eos autem hac intentione dicebantur arcere, quatenus primi ingredientes spolia majora, & manubias obtinerent uberiores. Nam in violenter effractis urbibus id baccenus apud nos pro lege obtinuit consuetudo, ut quod quisque ingrediens sibi rapit, id sibi & hæredibus suis perpetuo jure possideat.*

Lib. 17. cap. 27.

Notanda sunt verba: *In violenter effractis urbibus, &c.* Est antiqua consuetudo, etiam Gentilium Romanorum. Hinc Imperatoris Vespasiani Milites adversantem sibi Cremonam violenter de nocte irrumpere ambientes, Cornelius Tacitus in tertio historiarum libro inducit hoc modo colloquentes: *Posse Coloniam planò sitam impetu capi. Idem audaciæ per tenebras irrumpentibus, & majorem rapiendi licentiam. Quod si lucem opperiantur, jam pacem, jam preces, & pro labore & vulneribus clementiam & gloriam inania laturos. Sed opes Cremonenſium in sinu Præfectorum Legatorumque fore. Expugnatæ urbis prædam ad milites, deditæ ad Duces pertinere.* Quia nempè expugnata datur militi in rapinam, dedita Civitas pacificatur, ac se redimit, & omne illud pretium spectat ad solos Duces. Expugnata, adeoque & miserimè exspoliata fuit bellis civilibus infelix Cremona, atque ideò de exercitus Duce pergit idem Historicus: *Antonius pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit, ne quis Cremonenses captivos detineret. Irritamque militibus prædam effecerat Italiæ consensus, emptionem talium manciporum adspernantis. Occidi cœpere. Quod ubi enotuit, à Propinquis, Affinibusque occultè redemptabantur.* Nempè ista Spoliorum Lex obtinebat in solas Civitates barbaras, non in Romanas. Animabat sola justa bella, non Civilia, aliaque injusta. Quod notent Christiani Principes, quorum bella sunt civilia. Et vide Paganorum justitiam & æquam conscientiam. Injustas prædas nemo Italus voluit emere. Et de Imperatore Severo, Crispiphonicm apud Parthos expugnante, scribit Ælius Lampridius: *Severus oppidum cepit, Regem fugavit, plurimos interemit, Donativum militibus largissimum dedit, concessa omni præda Oppidi Parthici, quod milites quærebant.* Et de Romanis Capsensem in Numidia Urbem cingentibus, ac tandem deditione occupantibus, scribit in Jurgurthino bello Crispus Salustius: *Oppidum incensum, Numidæ puberes interfecti, alii omnes venumdati, præda militibus divisa. Id factum contra jus belli, &c.* Nempè quod hostiles etiam Barbarorum civitates, dum se dedunt, spolientur. Et inter Julii Cæsaris crimina Svetonius Tranquillus hæc scribit: *Lusitanorum quædam Oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & adventanti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque Deum donis referta expilavit, Urbes diremit: Sæpius ob prædam, quàm ob delictum.* Proindè dedentes se urbes destruere, aut muris orbare est longè gravius crimen, quàm ipsas spoliare. Et de Neronis facinoribus habet idem Scriptor: *Nero Neapoli de motu Galliarum cognovit, adcoque lentè & severè tulit, ut gaudentis etiam suspitionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum Provinciarum.* Rebellantes ergò etiam Provinciæ à Romanis spoliabantur; nempè dum violenter deberent reduci ad obedientiam.

Lib. 1. cap. 54.

40.

Et hinc oritur prima quæstio an tales Civitatis exspoliationes liceant Christianis in Christianos? Dico *Christianis in Christianos*. Præfertim *Catholicis in Catholicos*. Etenim quod Christianis in Saracenos ac Turcos liceant, jam audivimus à Guilielmo Tyrio. Et jure merito. Etenim Barbari isti ita tractant Christianas civitates. Quin immò ipsorum Lex habet: *Quæcumque Civitas oppugnata, ferro capta sit, in ea Græcam Ecclesiam omninò nullam relinqui, aut exstare debere.* Hinc sub Jeremiæ Patriarchatu & Solimanni Imperio quidam omnes Constantinopolitanæ civitatis Ecclesias Christianas, ipsumque Patriarchale palatium censuerunt diruenda, quando urbem dicerent à Mahomete Rege fuisse vi interceptam. Quam cladem ut Christiani evaderent, post octoginta quatuor à re facta annos debuerunt probare, quod *humili deditione, non violenta expugnatione* veniſſent in servitutem. Ità habes in Patriarcharum Constantinopolitanorum Ecclesiastica post expugnatam Urbem historia, vulgata per Martinum Crusium. At verò Christiani omnes,

Cap. 19.

Cap. 21.

nes, præsertim Catholici, sunt fratres, & ipsorum bella sunt plusquam civilia. Et in violenter etiam captis civitatibus sunt semper longè plurimi innocentes. Hinc nec illæ possint expiari. Agnovit hoc, licèt barbarus ac Arianus,
cap. 39. Gothorum Rex Alaricus, de quo Romanam urbem violenter irrumpente, scribit in septimo Historiæ libro Paulus Orosius: *Alaricus trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto priùs, ut si qui in Sancta Loca, præcipuèque in Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inviolatos securosque esse finerent. Tum deindè in quantum possent prædæ inhiantes, à sanguine temperarent.* Edixit duo. Primò, ut cunctis Romanis permitteretur spatium fugiendi cum suis rebus ad Christianas Basilicas, fugientibus nulla fieret injuria aut violentia. Deindè, ut post elapsum istud spatium esset militi facultas reliquos spoliandi. Attamen citra cædem. Nemo poterat occidi. Nempe Alaricus noverat innocentes nec spoliari posse. Omnes ad Christiana templa confugituros censuit innocentes, ideoque & res ipsorum vetuit invadi. Orosius Edictum elucidat: *Personat latè in excidio Urbis salutis tuba, omnesque etiam in abditis latentes, invitat & pulsat. Concurrunt undique ad vasa Petri, vasa Christi. Plurimi etiam Pagani, Christianis professione, si non fide admiscentur. Et per hoc tamen ad tempus quò magis confundantur, evadunt. Quantò copiosius aggregantur Romani confugientes, tantò avidius circumfunduntur Barbari defensores.* Alaricus Edictum suum jussit in jam capta Urbe per tubam publicari, & omnes Confugientes, per suos Barbaros milites, à pecuniarium violentia defendi. Edixit pro solis Christianis: Attamen & Paganos, qui se Christianos mentirentur, adjungi permisit, eademque gaudere tutela. Quod ipsum in libris de Civitate Dei asserat, ac indè varia deducit Sanctus Augustinus. Alaricus nullum Christianum spoliari voluit. Etenim omnem veraciter Christianum credidit ad Sacras Basilicas confugiturum. Quare Christiani Principes, qui Christianas, licet violenter expugnatas, Civitates jubent, aut permittunt diripi, sunt isto Barbaro longè Barbariores.

Hæc sua verba: *Concurrunt undique ad vasa Petri, vasa Christi.* Orosius exponit: *Discurrentibus per Urbem Barbaris, fortè unus Gothorum, idem potens & Christianus, Sacram Deo Virginem jam ætate provectam in quadam Ecclesiastica domo reperit, cumque ab ea aurum argentumque honestè exposcveret, illa fideli constantia esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit.* Acta hæc sunt, dum Barbari in captam Urbem plena licentia grassarentur. Acta sunt non in aliqua Ecclesia, sed in aliqua Ecclesiastica domo. Ecclesiam Barbarus nec præsumpsisset ingredi. Et isti Domui detulit tantùm reverentiæ, ut aurum & argentum non extorqueret, sed honestè expoſceret. *Dumque expositis opibus, attentum Barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate videret, Virgo Christi ad Barbarum ait: Hæc Petri Apostoli Sacra Ministeria sunt: Præsume, si audes: de facto tu videris. Ego quia defendere nequeo, contendere non audeo. Barbarus verò ad reverentiam Religionis timore Dei & fide Virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit, qui continuò reportari ad Apostoli Basilicam universa, ut erant, vasa imperavit. Virginem etiam, simulque omnes, qui se adjungerent, Christianos eadem cum defensione deduci. Ea domus à Sanctis Sedibus longè, ut ferunt, & medio interjectis Urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, & super capita elata palàm aurea atque argentea Vasa portantur, exertis undique ad defensionem gladiis, pia pompa munitur. Hymnus Deo, Romanis Barbarisque concurrentibus, publicè canitur, personat latè in excidio Urbis salutis tuba. &c.* Proindè hoc fuit secundum Edictum, quo Alaricus etiam illis, qui ad Sanctorum Basilicas necdum confugerant cum suis rebus, novam fecit facultatem ad Vaticanam Basilicam confugiendi. Et hoc ob reportandorum, quæ, pia Sanctimonialis obsessæ Urbis tempore in sua domo absconderat, Sacrorum Vasorum reverentiam. Quantum nos hodie Romani & Catholici ab ista pietate distamus!

Quæstio secunda est, quomodò tractandæ sint Civitates se dedentes? Respondeo tractandas esse ad eum modum, quo captam Carthaginem fuisse ab Imperatoris Justiniani Duce Belisario tractatam scribit in libris de Bello Wandalico Procopius Cæsariensis: *Hoc die Belisarius laudem consecutus est tantam, ut gloriam non eorum modò, qui tum vivebant, sed & veterum etiam obscuraverit. Cùm enim Romanis militibus solemne sit, nunquam sine tumultu urbem sibi subditam ingredi, si vel tantum quingenti sint, præsertim quando ea profectio subitaria; ille suos omnes ita continuit in officio, ut nec contumeliæ, nec minæ usquam jactæ fuerit, nec impeditum civitatis commercium, sed in Urbe capta, quæ regnem dominumque mutaverat, tabernæ ubique patuerunt. Scribæ datis Libellis Hospitalibus, in domos pro more induxerunt milites; hi, coemptis, quæ quisque voluit, cibariis quievere. Post Wandalis, qui in templa confugerant, fidem publicam Belisarius dedit, antimumque ad Urbis muros instaurandos adjecit, cùm adeò neglecti fuissent, ut passim pervii aditum cuivis facilem præberent.* Proindè dedita Civitas victori militi nihil debet nisi hospitium: Ipse sibi debet emere cibaria. Et defensor ac hostilis miles, præsertim si ad Sacra Loca confugit, debet liber dimitti sub fide publica. Hujus singularis in Carthaginenses Disciplinæ & Clementiæ causas exponit idem Procopius. *Belisarius iter Carthaginem versus dirigit. Ubi proximè ventum est, mulcap. 20. tus fuit in commemorandis militi succesibus prosperis, quos exhibita Afris moderatio peperisset. Plurimùm hortatus est, ut Disciplinam præsertim Carthagine servarent, ac meminissent olim Afros, cùm omnes essent Romani, invitos jugum Wandalorum subisse, & à Barbaris iniquissimè fuisse habitos: Propterea Imperatorem arma movisse. Nefas esse molestiam illis facescere, quorum libertatis caussa bellum hoc susceperissent. Hac usus cohortatione Carthaginem ingreditur, ac nihil usquam hostile nactus, Palatium adscendit, ubi sedit in Gilimeris Solio. Huc Mercatores, aliique Carthaginenses, quorum ædes mare prætexebant, facto agmine vocifferantes convenium Belisarium, & se à nautis superiori nocte expilatos*

Lib. 1. cap. 21.

pilatos queruntur. Ille Calomynum jurejurando obſtringit ut bona fide in medium proferat quidquid raptum eſt. Juravit Calomynus, & perjurio pecunias tum quidem abſtulit, verùm aliquantò poſt Byzantii pœnas luit. Nam Apoplexia correptus y & alienatus mente, abeſa dentibus lingua, animam edidit. Notent hæc Reges, qui perditas ſuas Civitates & Provincias amant recuperare, ac liberare à ſervitute & tyrannide. Hic eſt unicus recuperandi legitimus modus. Ipſas expilare eſt flagella flagellis addere. Duriſſimo ſervitutis flagello dutius flagellum expilationis à proprio Domino. Porrò Calomynus erat vir Alexandrinus, Auguſtæ Claſſis Præfectus. Perjuri ſures notent ejus finale ſupplicium.

Quæſtio tertia eſt, an Rex victor captas alterius Regis civitates ac Provincias, dum deſerit, poſſit deſtruere aut expilare? Quomodo ex ipſis debeat excedere? Reſpondeo, illis excedendum ad eum modum, quo ex occupata Romanorum Antiochia, aliiſque Syriæ ac Meſopotamiæ Civitatibus exceſſiſſe Saporem Perſarum Regem ſcribit in Gordiano tertio Julius Capitolinus: *Rex ſanè Perſarum tantùm Gordianum Principem timuit, ut cum inſtructus eſſet & ſuis Copiis & noſtris, tamen Civitatibus ipſe præſidia ſponte deduceret, eaſque integras ſuis civibus redderet, ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret.* Longè minus ipſarum deſtruxit muros, portas, balnea, aut alia publica vel privata ædificia. Imperator Michael Palæologus cum Barbaris Æthiopibus iniit fœdus, ipſis per Pontum Euxinum permiſit tranſitum ad Scythas, & innumerorum iſtic mancipiorum emptionem. Hoc valdè improbat Georgius Pachymeres, & adjungit cauſſam: *Experientia docuit avitos & corroboratos Æthiopes iſto liberè conceſſo commeatu Puerorum è Borealibus Traclibus, qui deindè cælo mitiori adſuente victus copia in acres bellatores adoleſcerent formidabiles evaſiſſe, conſumptis exercitibus invictis, nec jam virtum conſcios ſuarum ſeſe intra cancellos olim fixos tenuiſſe, aut ſecura poſſeſſione propriorum contentos domi acquieviſſe; verùm auſos erumpere, ac ſæpe ſiultimis bella inferre, ſicque magno Rei Chriſtianæ damno famam ſibi paciſci bellicæ virtutis. Italis enim Oram Syriæ maritimam univerſam obtinentibus, Imperantibus etiam Phœnicia, & ipſi urbium olim Principi Antiochiæ dominantibus, & educiis indè validis Copiis proſperè ſubindè certare ſolitis de poſſeſſione locorum Palæſtinæ, antiquâ ſanctitatis fama meritò inclytorum, quod in iis verſatus, paſſus, & mira operatus fuerit Deus factus homo; illi de quibus agimus, Æthiopes exercitibus freti ex juventute, ut diximus, Scythica conflatis, erumpentes è ſuis latebris, ipſas Regiones univerſas Latrociniorum & prædarum campum habuerunt; ... Et tanquam de Myſis, quod dici ſolet, impunè ſpolia vaptantes. Donec paulatim, Italis abhorrentibus à fœdere cum ipſis icendo, utpote venerandæ Crucis noniſſimis & implacabilibus hoſtibus, quoad, inquam, paulatim poſt ejectos Chriſtianos ex maximis urbibus, ipſa Solo æquarint. Et nunc jacet quidem illuſtris illa Antiochia, jacet & Apamea. Deſtructa eſt Tyrus & Berytus. Sidon quoque ſimilia patitur. Alia ex parte luget Laodicæa. Tripolis & Ptolomais, magnæ Italorum urbes, ac ſi punquam. fuiſſent, reputantur. Pulcherrima etiam Damaſcus, terminus olim Romanæ ad Orientem Ditionis, verſa funditus eſt. Et omninò præter veſtigiales Armenis Regiones, nihil ibi ſubſiſtit.* Poſt ejectos ex terra Sanctâ Francos & Flandros, civitates Itali aut tenuerunt, aut recuperarunt. Eos jam dicto modo ejecerunt ſceleràti Æthiopes. Et omnes illas aut deſtruxerunt aut dehonеſtarunt. Quod pariter ſceleràti Saraceni & Turci nunquam tenuerunt. Quare Chriſtiani Principes qui paria æſtimant hoc noſtro ſæculo, æmulantur Æthiopes, & ſunt Saracenis & Turcis barbariores:

25. 7.

Lib. 3. c. 5.

Quæſtio quarta eſt, an omnia hoſtium bona cedant Militi in Spolia? Reſpondeo negativè. Etenim inſignem de hac re legem habemus in magni Imperatoris Caroli Capitularibus: *Si quis Meſſes aut Annonas in boſte ſuper hannum Dominicum rapuerit, aut furaverit, vel paverit, aut cum caballis voſtraverit, æſtimato, damno ſecundùm legem in triplum componat. Et ſi liber homo hoc fecerit, bannum Dominicum pro hac re componere cogatur. Servus verò ſecundùm ſuam Legem tripla compoſitione dominum in loco reſtituat, & pro damno diſciplinæ Corporali ſubjaceat.* Annonæ & Meſſes nec in hoſtili terra poſſunt rapi, furto auferri, vaſtari per equos: Imò nec accipi in equorum paſturam. Et jure merito; Etenim Annonæ & Meſſes paſſim ad privatos, adeòque ad innocentes ſpectant; ac proindè rapi nequeunt ac devaſtari. Deindè, etiam hoſtes debent vivere, nec poſſit Mundus redigi in ſolitudinem, ideoque ſementis aut Meſſis nequit impediri per milites, longè minùs invadi. Tertiò, Meſſes ac fruges ſunt ſummum Divinæ benignitatis miraculum ac beneficium, ſhinc ſinè ſummo crimine non deſtruuntur. Præſertim per Chriſtianos. Eiſdem de cauſſis invadi nequeunt armenta & pecora. Armenta ad agricuturam, pecudes ſunt neceſſariæ ad piſtum humani generis. Ad Milites ſpectare videtur & hæc laudari Caro i Lexis: *Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quidquid exindè per vim abſtulerit, aut rapuerit, vel furaverit, ſecundùm Legem & Erram illi, cujus domus fuerit infracta aut ſpollata, in triplum componat, & inſuper bannum Dominicum ſolvat. Si ſervus hoc fecerit, ſententiam Superiorum accipiat, & inſuper ſecundùm ſuam Legem compoſitionem faciat. Si quis homo liber aliquod tale damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compoſitionem ſatere non valeat, ſe-metipſum in Wadio pro ſervo dare ſtudeat, uſque dum plenam ſatisfactionem adimpleat.* Uti Reges Civitatum muros & publica ornamenta, ita Milites Ruſticorum ac præſertim nobilium, niſi fortè apud Regem in reatu ſint, Domos non poſſunt evertere. Bella ſiunt non ad evertendum hunc mundum, ſed ad injurias reparandas. Et reorum Nobilium Domus deſtrui non poſſint, ſine ſingulari Regis mandato. Omnis hæc præſcriptio obligat ad plenam reſtitutionem.

65.

Quod Ruſticorum armenta & pecora nequeant ab inimicis militibus invadi, quidam probant ex Tito Livio, ſcribente de cæſo & ſpoliato per Romanos Hannibale: *Præda omnis, præterquam hominum Captivorum, Militi conceſſa eſt. Et Pecus exceptum eſt, quod intrà dies triginta Dominî*

Dec. 3. Lib. 4. cap. 16.

cogno-

cognovissent. Respondeo testimonium non facere ad propositum, sed spectare ad aliam facti speciem. Romani enim non in Africa, sed intra Italiam, propriam Regionem, militabant, & gloriosè pugnarant, ideòque proprios Rusticos non poterant spoliare. Eorum Rusticos Afri spoliarant, & hæc spolia ipsi receperant. Hinc decretum à Victoribus, ut pecudes suis Dominis, qui intra triginta dies reclamassent & cognovissent, restituerentur. Hæc est Doctrina Livii. Et est benè notanda. Eam Romani constanter servaverunt. Et Gentiles & Christiani; Etenim de Imperatore Marco Antonino Philo-
21. sopho scribit Julius Capitolinus: *Antoninus Marcomannos in ipso transitu Danubii delevit. Et prædam Provincialibus reddidit*. Et de devictis, qui Gallias incursarant ac spoliarant, Germanis,
15. scripsit ad Senatum Probus Imperator: *Præda omnis recepta est; capta etiam alia, & quidem major quàm fuerat antè direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, & juga Germanica captiva præbent nostris colla cultoribus. Pascuntur ad nostram alimoniam gentium Pecora diversarum. Equinum pecus nostro jam fœcundatur equitatui. Frumento Barbarico plena sunt horrea. Quid plura, si illis sola reliquimus Sola, nos eorum omnia possidemus*.
14. Exstat Epistola apud Flavium Vopiscum. Et de devictis ab Imperatore Alexio, qui Romanos spoliarant, Comanis scribit in decimo Alexiados li-
Fol. 280. bro Anna Comnena: *Cum omni Præda, quam Barbari corraserant, potiti essent Romani, haud est passus eam Imperator, ut moris est, inter Victores dividi, quod ex victi ac finitimis agris raptam sciret à Barbaris; sed illam decrevit Dominis reddendam. Dispersa est volucri celeritate tam justi Edicti fama per circumjacentem Regionem. Et collecti ad castra viginti numero, ii qui passi rapinam à Comanis fuerant, sua quique vitè agnita recipiebant, tundentes pectora, & supplicibus in altum manibus sublatis, favilla omnia tam humano, tam benefico Imperatori precantes, adjurgente ad cœlum usque, mixtis vivorum ac mulierum votis ac vocibus, sono murmuris, aut potius vociferationis ingentis*. Quæ justitia est planè ab omni Christiano Rege ac milite servanda. Hinc ista militum spolia nemo possit emere, nec empta retinere. Fundantur hæc in Sacris Literis. Etenim Patriarcha Abraham omnia inimicis Regibus erepta spolia reddidit suis Dominis. Etiam Propheta David omnia quæ eripuit Amalecitis. Sunt res furtivæ & raptæ: Et neque furtum, neque rapina transferunt Dominium.

Adducta Probi Imperatoris Epistola docet nos quædam insuper alia. Primò, Quod Gentiles Romani suis Barbaris hostibus eripierent armenta & pecora. Etiam equos. Secundò, quod illis etiam frumenta & collectas Messes eriperent. Tertiò, quod eriperent omnia, ideòque nuda illis Sola relinquerent. Quartò, quod hæc omnia censerent legitima spolia. Sæva tamen & stantes Messes videntur non destruxisse. Erant Gentiles. Hinc longè aliud esse à Christianis observandum audivimus supra à Magno Imperatore Carolo. Verùm ista Justitia nequiit persuaderi omnibus. Hinc introductas existimo Exactiones & Contributiones, quibus infelices Rustici sua bona quasi redimunt ab hostibus. Has, quia jam communi Gentium jure quasi firmantur, uti probare nolim, ita nec damnare. Dominus Deus suo tempore judicabit. Certè durum est quod Christiani Reges ac ipsorum militares Ministri ditescant ac luxurientur de pauperum Rusticorum sanguine, & ex ipso bibant fomenta bellorum. Quod injusti belli Gestor ista nequeat percipere, ideoque ad plenam restitutionem obstringatur, est certum & manifestum. Quæstio est de proprio Rege, vexato per bellum injustum. Huc respicere videntur verba Clotharii II. Francorum Regis in Edicto confirmatorio quinquæ Parisiensis Synodi: *Et quæ unus de fidelibus, seu Leodibus, suam fidem servando Domino legitimo, Inter-Regno faciente visus est perdidisse, generaliter absque aliquo incommodo de rebus sibi justè debitis præcipimus vèveliri*. Mandat omnia damna, quæ Subditis ex bellos sustinent, facta pace, debere per Regem reparari. Loquitur de bellis, quæ non ob populi delictum, sed ob Regum quæstiones geruntur. Et recta loquitur. Etenim Rex sua à populo stipendia habet, ex ipsis debet explere suum officium, suaque caussas agere & defendere, ac populum servare indemnem. Boni ac justi Reges confueverunt istiusmodi populos ad annos aliquot liberare à vectigalibus, aliisque exactionibus. Proindè justa militum spolia sumi debent ex ipsorum ultrò citroque bellica supellectile, non ex Civium aut Rusticorum bonis.

Quæstio quinta est, an Spolia sint indifferenter cujusque rapientis? Respondeo negativè. Etenim quòd Sanctissimus Rex ac Propheta David sanxerit omnia spolia in unum conferri, & ex æquo non in solos præliantes, sed etiam in Sarcinarum ac aliorum impedimentorum Custodes jusserit dividi, suprà audivimus à Sacro Textu, sancto Hieronymo, ac erudito Cyrensium Episcopo Theodoreto. Antiquam Romanorum Disciplinam exponit de Probo Imperatore scribens,
Flavius Vopiscus: *Si quid prædæ fuit, ita divi-* 8.
sit, ut sibi nihil præter tela & arma servarent. Quin etiam cum de Prædato reperius esset equus non decorus, neque ingens, qui quantum captivi loquebantur, centum ad diem militaria currere diceretur, ita ut per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet servaturum, jam primùm dixit: fugitivo militi potiùs quàm forti Duci equus convenit. Deindè in unum Militares jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ducius acciperet. Probus tunc adhuc Dux erat, necdum Imperator. Hinc ex spoliis pro se accepit tela & arma, nempè distribuenda in milites, qui ipsis egerent. Christiani Imperatores aliquid immutarunt. Exponit in libro de Aulæ Constantinopolitanæ officiis Georgius Codinus: Ex spoliis Cap. 16.
primùm quidem quinta pars datur Imperatori. Secundò, ab universo Fossato, Magno Domestico; Tertiò, particularibus Capiranеis seu Ducibus à particularibus turmis, quibus quilibet præst. Et de summa Imperatoris Andronici II. Palæologi contra Albanos victoria ac præda scribit Imperator Joannes Cantacuzenus: *Confuerat an-* Lib. 2.
tea exercitus, aliqua præda capta, quantacumque cap. 32.
foret, quintam partem Imperatori in fortitudinis præmium seu honorarium offerre; ac secundùm illam æquè tantum Magno Domestico, veluti pari summo

totius Exercitus. Hanc consuetudinem tunc penitùs omisit. Neque fuit qui de quinta parte non reddita conquereretur, sed quasi è perennibus fluviis cuivis, quantùm sibi pro peculio vellet, tollere integrum erat. Præfatus Scriptor erat tunc magnus Domesticus; Ex more prædicat seipsum.

Novellæ Leonis Sapientis & Constantini Leges habent diversam utcumque Sanctionem: *Sextam partem spoliorum Fisco confectari oportet, & quidquid omninò superat, id populum universum ex æqua & in æquam portionem partiri, sive quis magnus, sive parvus sit. Sufficit enim Præfectis incrementum stipendiorum suorum. Quodsi reperti quidam Præfecti fuerint, qui viriliter in hostem ferantur, eis Prætor exercitus aliquid de judicata sexta parte Fisci largiatur, & ipsos ex ratione decorè sustentet. Cæterùm pro ratione portionis eorum, qui pugnæ interfuit, erit & illorum portio, qui ad Fulderum sive impedimentorum custodiam sese conferunt.* Extat Sanctio tit. 74. 2. apud fecundam juris Græco Romani partem in compendiatio Delectu Legum editarum à laudatis Imperatoribus. Sanxit plura. Primò, ut omnis spoliorum massa dividatur in sex partes, quarum una Fisco cedat, reliquæ omnes dividantur æquis portionibus in exercitum: in magnos, & in parvos. Secundò, ut majores militiæ Præfecti sint contenti majoribus suis stipendiis, ideoque in nullum hic admittantur Participium. Tertiò, ut hisce Præfectis, qui singularem in prælio virtutem præstiterunt, ideoque & singulare sint meriti præmium, aliquid donetur ex parte Fiscali. Quartò, ut illi qui ad Sarcinas ac alia impedimenta manserunt, æqualem partem habeant cum præliantibus. Juxta Leges Regis David. Fuit optima Sanctio. Proindè Græcorum mos vario tempore fuit varius.

Antiquum Francorum morem exponit in Remensis Ecclesiæ historia Presbyter Flodoardus. Lib. 1. cap. 13. Affirmat à Rege Clodovæo, licèt adhuc gentili, sanctum Remigium fuisse dilectum, ac prosequitur: *Clodovæo quondam secùs urbem Remorum transitum facienti, à quibusdam militibus ejus agminis ablata quædam Remensis Ecclesiæ vasa referuntur; Ea inter Urceus etiam magnus Argenteus, & decora pulchritudine conspicus, pro quo Beatus Remigius Legatos ad eum direxisse traditur, ut illum saltem recipere mereretur. Ast ubi ad locum divisionis prædæ ventum est, rogat Rex milites suos, ut ipsum sibi dare non renuant Urceum. Pluribus igitur annuentibus, quidam Francus bipenni percutiens Urceum, nihil hinc à Rege, nisi forte, tollendum proclamat. Obstupefactis hac temeritate cæteris, Rex injuriam patienter ad tempus tolerans, apprehensum, plurimis faventibus, vasculum Ecclesiastico reddidit Misso, iram suo corde tectam referens.* Lib. 2. c. 27. Quod ipsum pluribus refert in Francorum historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Et hinc plura discimus. Primò, quòd Francis novum non sit expilare Ecclesias. Secundò, quod suas tunc prædas sorte dividerent. Tertiò, quòd hac in re etiam Rex nullam haberet præferentiam. Quartò, quòd Clodovæus audacem militem postmodò propria manu occiderit, ideoque & videatur morem mutasse. Selecta sancti Theodori Archi Episcopi Cantuariensis Capitula habent hunc Canonem; *Qui pecuniam in prædam duxerit, tertiam partem eroget, & quadraginta dies jejunet.* Eroget in pauperes. Antiqui Canones mandant ex omni præda pendi Decimas, quadrisariàm ex more distribuendas. Omnis prædatio vix fieri solet sine peccato. Præsertim pecuniaria. Hinc illi, licèt justæ, Theodorus imposuit quadraginta dierum in jejunio pœnitentiam. Omnis injusta est obnoxia plenæ restitutioni. 70.

CAPUT XIX.

De Militum Furtis, Rapinis, aliisque Factnoribus.

AD milites rectè dixit Sanctus Joannes Baptista: *Neminem concusseritis.* Etenim concutere & excutere sunt apud milites antiquissima. De ipsis scripsit ad Tarsensem Ecclesiam gloriosus Martyr Ignatius: *A Syria Romam usque cum bestiis depugno. Non quòd à feris devorer, sed à feris humanam gerentibus formam, in quibus immitis illa fera cubat, quæ me quotidie pungit & vulnerat.* Et in Epistola ad Romanam Ecclesiam: *A Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt. Quibus & cum bene feceris, pejores fiunt.* Talis erat apud multos ferocissima Gentilium Romanorum militia. Et de ipsa jam Christiana scribit in Psalmorum Commentariis Sanctus Augustinus: *Omnes agricolæ formidant eos qui militant. Obsequuntur eis, tremunt eos. Hinc ipso tempore quidam apud se deliberant: Si furo Agricola, timebo Militarem: Si furo Militaris, timebor ab Agricola.* Et ad nescio quem inordinatè agentem Militem scripsit Sanctus Isidorus Pelusiotes: *Si gladiorum cuspides, & galeam, ac thoracem præsidio tibi ad benè vivendum esse existimas, prædas agens ac vias desertas reddens; hoc festo, multos firmius se septos & armatos miserrimam mortem retulisse.* Et demonstrat hoc multis Sacris & prophanis exemplis. Quod quidam milites sint nequam & improbi dæmones, scribit ad Esaiam militem. Et in literis ad illustrem Virum Calliopium: *Nos Urbes, ut tumultibus laborantes fugimus: atque in solitudine tumultus inventimus. Etenim Reipublicæ Duces, qui pro suo munere Urbibus tranquillitatem conciliare debent, nunc solitudines in Urbes commutant, earum videlicet incolas in exules convertentes, nobisque lugubres voces infundentes.* Exponit hæc in literis ad Joannem Militem: *Singulari tuæ audaciæ, ò Joannes, finem jam impone, ingentem atque circumactu difficilem operum tuorum improbitatem mentis oculis intuere, atque vel ut Miles ad conferenda cum Barbaris prælia te instrue: aut ut modestus Plebejus Urbi te ostende, atque ut par est, tegere. Monachorum ædiculas subis atque Agricolarum manipulos rapis, ut eos deprædereris: Ac præterea improbum Dogma ipsorum auribus insillas, illudque firmo animo tueris.* Joannes hic erat hæreticus; atque ita non tantum Rusticorum corpora vexabat, sed & animas. Et Monachos ejiciebat è suis Cellulis. Apud quemdam in Sancti Augustini appendice Sermonem Lattones isti adferunt se non esse Monachos, sed Milites, atque ita existimant omnia sua purgari facis- 3.

Epist. 7.

Epist. 4.

Ps. 136.

Lib. 1. Ep. 167.

Ep. 191.

Ep. 326.

Ep. 327.

facinora : Vanissimè . Etenim Decalogus , & omnis Lex Divina plenè obstringunt omnem hominem . Etiam Milites & Reges.

Insignem ac fundamentalem contra Militum furta Legem habemus in Francorum Regum Capitularibus : *Si quis in Exercitu infra Regnum sine jussione Dominica per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infringere, vel incendere ; hæc nè fiant , omninò prohibemus . Quod si ab aliquo præsumptuoso factum fuerit , sexaginta solidos , si liber est , sit culpabilis , & omnia similia restituat , aut cum duodecim testibus se purget . Si verò servus hoc fecerit , Capitali crimini subjaceat : Et Dominus omnia similia restituat , quia servum suum non correxit , nec custodivit , ut talia non perpetraret . Quoniam si nos ipsos comedimus , citò deficiemus . Unusquisque tamen custodiat exercitum suum , ne aliqua deprædatio infra Regnum fiat .* Iſtiusmodi rapinæ meritò dicuntur per hoſtilem vim fieri . Etenim ita tractare proprium Regnum , eſt non defenſorem militem agere , ſed hoſtem ac latronem . Et certè dum nos mec ipſos ità mordemus , non poſſumus non abſumi ac perire . Capitulum deſumptum eſt ex facto Primi Clodovæi , qui à ſuo intra Regnum militæ nihil permiſit accipi , niſi pro equis alimenta herbarum . Ita ſcribit Sanctus Gregorius, Epiſcopus Turonenſis . Et omnis injuſta ablatio ex naturali ac Divino jure obligat ad Reſtitutionem . Per minora pecora intelliguntur Gallinæ. Et propter iſtiuſmodi leviora etiam ſuita Capitulum decernit pœnam Capitalem .

Lib. 5. cap. 189.

Lib. 2. cap. 37.

Nec ſolus furis Dominus , Dux , aut Tribunus , ſed etiam ipſe dum talia non impedit aut caſtigat , Rex obſtringitur ad plenam reſtitutionem. Agnovit hoc Theodoricus Gothorum in Italia Rex , ſcribens ad neſcio quem Epiſcopum : *Quis melius ad æquitatis jura deligitur , quàm qui Sacerdotio decoratur ? qui amore juſtitiæ perſonaliter ſciat judicare , & diligens cunctos in commune , locum non relinquit invidiæ . Proindè aptam conſiderantes veſtris meritis actionem , ſignificamus nos per Montanarium Sanctitati veſtræ mille quingentos ſolidos deſtinaſſe , quos Provincialibus , pro ut quemque præſenti anno , Exercitu noſtro tranſeunte , diſpendium pertuliſſe cognoveris , hab.ta læſionis æſtimatione , diſtribuas . Ut nullus à noſtra Munificentia reddatur alienus , quem ſua damna gravaverunt . Nolumus enim ſub confuſione largiri , quod decet ſub ratione diſtribui . Nè quod neceſſariò nos tranſmiſiſſe conſtat affictis , ſuperfluò tribuatur illæſis* . Notanda ſunt verba : *Neceſſariò tranſmiſiſſe* . Profitentur rigidam obligationem . Notanda ſunt & verba : *Nolumus ſub confuſione largiri* . Edicunt hanc reſtitutionem juxta damni menſuram eſſe unicuique faciendam , ideòque iſtam obligationem denuò profitentur . Hinc providus Rex diſtributionem commiſit Epiſcopo . Exſtat Epiſtola apud Aurelium Caſſiodorum . Exſtat ibidem alia ejuſdem Regis Epiſtola ad Fauſtum Præpoſitum : *Melius eſt præſentia damna contemnere , quàm exiguo quæſtu perpetua commoda non habere . Atque ita illuſtris . Magnificentia tua Provincialibus Alpium Cottiarum aſſem publicum per tertiam Indictionem nos relaxaſſe cognoſcat , quos tranſiens noſter Exercitus , more fluminis , dum irrigat , oppreſſit . Nam licet pro generali ſecuritate frementi abundatione proruperit , præterens tamen iſtorum culta vaſtavit . Radit enim ſemper fluvius alveum ſuum , & licèt molliter egrediens vicina fœcundet , illud tamen reddit ſterile , quò collectus inſuxerit . Undè neceſſe fuit civica vaſtatione dejectis porrigere dexteram ſalutarem , ne ingrati dicant ſe periiſſe ſolos pro defenſione cunctorum . Miſceantur potiùs lætitiæ , qui viam Italiæ defenſoribus præſtiterunt* . Rex Theodoricus, licèt Arianus & Barbarus , omnia quæ tranſeuntes Milites Provincialium Satis ac aliis rebus intulerant, damna cenſuit à ſe reparanda . Quæ intulerant, & quæ non inferri tunc vix non poſſent , Milites Provinciæ defenſores . Notanda ſunt verba : *Melius eſt præſentia damna contemnere , quàm exiguo quæſtu perpetua commoda non habere* . Profitentur hanc Regibus obligationem eſſe ſub reatu ſempiternæ damnationis . Ejuſdem ſententiæ fuit Imperator Alexius Comnenus . Filia ejus Anna in primo Alexiados libro demonſtrat Divinæ gratiæ auxilia nulli mortali magis eſſe neceſſaria quàm Regibus , & profequitur de ſuo Patre : *Harum triſti cogitationum occurſu Alexius intimis mœrens ſenſibus , formidanſque & æſtuans animo , tanquam mox incubitura in caput ipſius vindicta Dei ſeverissima , quippè ob tantum & tam multiplex crimen expilatæ & deformatæ Civitatis . Nam quidquid illa colluvies mixtæ multitudinis fœdum ac improbum per victoriæ licentiam in capta Urbe deſignarat ac fecerat , imputabat ipſe ſibi , & tanquam proprius atque unus auctor & actor omnium talium . Sic convulnerabatur & urebatur imis præcordiis ingenti vi pœnitentiæ , quam non Imperium , non Purpura , non Diadema gemmarum contextu afloreſcens , non veſtis auro collucens & unionibus , ulla ex parte conſolabatur* . Conſtantinopolitanam civitatem milites, dum Alexius invaſit Imperium, ſpoliarant ac deformarant . Hæc peccata ille cenſuit ſua , ideòque ſuam nequiit pacare conſcientiam , uſque dum à Coſma Patriarcha publicam & ſibi & omni Aulæ ſupplicavit pœnitentiam , & humillimè peregit . Suppoſuit quòd Rex in Subditorum bona nihil habet juris , & uti quiſque privatus aut ſubditus , ita & Rex obligatur ſuis impenſis officium explere . Et pacis & belli officium : Hinc quidquid propter ipſum fuerint ab ejus milite , ſive ab hoſte paſſi , obligatur refarcire.

80.

Quod etiam in illatis per hoſtem damnis hoc habeat locum , eſt ſupra demonſtratum . Et profitetur Rex Theodoricus. Audi ejus litteras ad Gemellium : *Arelatenſibus , qui noſtris Partibus perdurantem gloriosæ obſidionis penuriam pertuleruntper Indictionem quartam Fiſcalia tributa relaxat humanitas , ita ut futuro tempore ad ſolitam vedeant ſanctionem . Quatenus & nos bene meritis viciſſitudinem reddidiſſe videamur , & ab illis , cum res poposcerit , ſolita devotio non negetur . Satientur in libertate , qui pro nobis in angustiis eſurire maluerunt . Sint læti , qui triſtitiam fideliter pertulerunt . Non decet ſtatim de Tributis eſſe ſollicitum , qui pro noſtra fidelitate caſum vix potuit declinare ſupremum . A quietis iſta , non ab obſcuris inquirimus . Quid enim à Domino Agri exigat , quem cum non colluiſſe cognoſcat ? Pretioſum veſtigal tam nobis dedecus , quàm ſuis* .

3. 32.

runt suæ fidei, Injustum est, ut viles pecunias exigamus ab illis, qui gloriosas conscientias obtulerunt. Eadem de re idem Rex scripsit ad omnes Galliæ
40. Provinciales : *Vobis hostili ferocitate vastatis pro qualitate læsionis per Indictionem quartam relaxatam agnoscitis tributariam functionem. Quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre. Ita tamen ut de illis, quæ constat intacta, exerciuales juventur expensæ. Quia illos in totum devotio non debet deserere, quos pro se laborare cognoscit. Invalidus si quidem est jejunus defensor. Nec animus mihi strat audaciam, cum virtus corporis fuerit destituta.* Notanda sunt verba. *Quid à Domino agris exigas, quem cum non coluisse cognoscas.* Altè clamant vacantes bellica ex violentia agros non posse compelli ad Regias exactiones. Quæ omnia utinam Reges, & supremi Regum Ministri maturè considerarent. Istud restitutionis onus est admodùm terribile. Quem non deterreret à gerendis, & præsertim ab inchoandis bellis? Etiam exactiones, quas ad iniqua bella inchoanda aut sustinenda Reges faciunt à suis Populis, sunt iniquæ, carent fundamento, & habent rapinæ speciem: hinc etiam omninò obligant ad plenam restitutionem. Esse Regem non est ludus.

Lib. 8. cap. 192. Insignem circa militum rapinas Legem habent Francorum Capitularia : *Siquis de fure nescienς aliquid comparaverit, quærat accepto spatio venditorem. Quem si non potuerit invenire, probet se cum Sacramento & testibus innocentem: Et quod apud eum cognoscitur, restituat, & furem quærere non desistat. Quod si furem celare voluerit, & perjurans postea detectus fuerit, tanquam fur, ità ipse in crimine damnetur.* Emptor ille jubetur furem venditorem quærere ob tres causas. Primò, ut constet de ejus simplicitate & bona fide. Secundò, ut fur puniatur. Tertiò ut à fure queat repetere pretium. Interim quidquid evenerit, tenetur emptor rem reddere Domino, nec ab ipso sperare aut repetere pretium. Hinc & alia Lex habet : *Universam*

Lib. 6. cap. 272. *rem nulli jugi jure liceat de incognito homine compavare nisi certe fidei jussorem adhibeat, cui credi possit, ut excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparaverit, à judice districtus auctorem præsentet infra tempus sufficienter à judice constitutum. Quem si non potuerit invenire, adprobet se aut Sacramento, aut testibus innocentem, quod eum furem nescierit. Et quod apud eum agnoscitur, accepta pretii medietate, restituat, atque ambo datis invicem Sacramentis promittant, quod furem fideliter quærent. Quod si omninò furem invenire nequiverint, rem tantum, quantùm empta est, Domino vel emptor ex integritate reformet. Si verò Dominus vel furem noverit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quietè possideat.* Hæc Lex moderatur priorem. Primò mandat, ut nullus ab ignoto homine aliquid emat, nisi accepto fide - jussore. Quod præsertim locum habet in Militibus, quorum mores cunctis novimus. Secundò, Lex mandat ut qui rem sine tali forma emerit, cogatur suis impensis furem quærere ac repræsentare; Et dum invenire nequiverit, se purgare Sacramento aut testibus. Reliqua Legis sunt lucida. Et hæc omnia sunt nostris Populis benè inculcanda.

Sub Sancti Gregorii Thaumaturgi Episcopatu Boiadi & Gothi incurrerunt Ponticam Regionem, & expilarunt; Et multos fideles præcipitarunt etiam in animæ mortem. Hinc laudatus Pater post ejectos Barbaros emisit Canonicam & Pastoralem Epistolam, cujus aliquot capita docere possint & nostrum Sæculum. Hoc est primum, *Quidam se ipsos seducunt, pro propriis, quæ* cap. 5. *perierunt, aliena, quæ invenerunt, detinentes. Ut quoniam Boiadi & Gothi eis hostilia fecerunt, ipsi sunt aliis Boiadi & Gothi. Propterea ergo fratrem & Consenem nostrum Euphrosinum ad vos misimus, ut secundam formam, quæ hic est ei similis, det, & quorum excusationes admittere oporteat, & quos à pretibus abdicare.* Hic est secundus Canon: *De iis, qui in agro vel in ædibus ea, quæ à Barbaris relicta sunt, inverunt: Eos autem qui in campo aliquid invenerunt, vel in suis ædibus à Barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similiter in eis qui substernuntur. Si autem se ipsos enunciaverint, & reddiderint, etiam pretiis digni habeantur.* Postrema hæc verba singulariter faciunt ad nostri sæculi ingenium. Ver- cap. 9. ba : *Si autem se ipsos enuntiaverint, &c.* Omninò laudant Sacramentalem Confessionem. Spontaneos fuorum furtorum Confessores & Restitutores statim admittunt ad Consistentiam, ad Communionem precum, ad Communionem sive oblationem. Nullam ab illis exigunt Pœnitentiam seu satisfactionem. Utique præviam. Illos sine istiusmodi pœnitentia mox admittunt ad Sacramentalem Reconciliationem, atque ita transmittunt ad Consistentes. Ex quo lucet, quod spontaneos & auriculares quorundam Mortalium pectatorum confessores statim ad Sacramentalem pacem sine prævia satisfactione admittere, sit antiquissima Ecclesiarum Lex & consuetudo.

CAPUT XX.

Quæstiones circa initam à Regibus Pacem.

QUæstio prima est, an Romanus Pontifex habeat jus se miscendi Regum Pacificationibus? Dominus Petrus de Marca, Archi-Episcopus Parisiensis, hac de re scribit in quarto libro de concordia Sacerdotii & Imperii : *Administrandi Regni sui Communionem denegavit Philippus* Cap. 14. *Augustus Romano Pontifici, cum ab Joanne Anagnino Cardinale ad Pacem cum Henrico Rege Angliæ ineundam ex authoritate Sedis Apostolicæ invitatus, legati minas, qui interdictio lato in universum Regnum, Regis contumaciam se castigaturum minabatur, hac responsione repulit, ut referunt Rogerius Hovedensis, & Matthæus Paris. Audi verba Rogerii : Quod sententiam suam non timeret, nec teneret, cum nulla æquitate niteretur. Dicebat enim, quod non pertinet ad Ecclesiam Romanam in Regnum Franciæ per sententiam vel alio modo animadvertere, si Rex Franciæ in homines suos demeritos, & Regno Rebelles, causa injurias suas & Coronæ dedecus ulciscendi, insurgit.* Sunt verba Philippi Regis ad Joannem Cardinalem. Pergit Petrus Archi-Episcopus: *Cum idem Philippus anno 1203. ad Pacis fœdus amplectendum cum Joanne Rege Angliæ ab Innocentio urgeretur, Odo Dux Burgundiæ & Proceres*

gni

Regni alterum à Dignitate Regis esse rati, ut Rex Pontificis Imperio ad paciscendum de pace aut induciis cum Anglo cogeretur, consilio suo Philippum monuerunt; ne se ad illa obsequia dimitteret, sequetotis viribus, si quid contra tentaretur, obstiturus. Vestigia Decessorum suorum premens Philippus IV. Anno 1297. *prudenti responsione Dignitati suæ cavit, cum Indictis à Bonifacio VIII. ad biennium induciis inter ipsum Regem, & Romanorum, Angliæque Reges, & Excommunicationis sententiis, adversùm refragantes latis, non acquievit. Administrationem Regni sui, quæ à suo solius arbitrio quoad temporalia penderet, neminiconcessurum, aut submissurum professus, sed jura Regni sui fortiter tuturum adversus hostes, quos sententiæ Excommunicationis potius implicent, quam Regem. In iis verò quæ spiritualia contingunt, se more Decessorum suorum, ut devotum Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Filium, in quantum tenetur & debet, monitionibus & Præceptis Pontificis pariturum.*

Dominus Archi-Episcopus subjungit: *Quin plures futuri sint, qui has Inductarum indictiones audaciæ adscribant, non dubito. Attamen si quis Mores illius Seculi investigaverit, ut Regum Causæ favebat, ità prætextu satis probabili Romanos Pontifices non omninò fuisse destitutos inveniet.* Etenim Romani Pontifices privatis mediorum sæculorum bellis indixerunt inducias, Treguas & Pacem. Et ad ipsarum plenam observantiam per Censuras compulerunt & alias pœnas. Eandem Potestatem exercuerunt Provinciales Synodi. Et nemo ipsas nunquam arguit de Attentato. Proindè & publicis Regum bellis Romanus Pontifex, immò & Provinciales Synodi se immiscere possint, ipsosque per Sancti Petri Gladium cogere ad pacem. Proindè Dominus Archi-Episcopus cessitat; & Pontificiam jussionem & Regum refragationem censet probabili fundamento niti, adeoque esse æquas & justas. Quæ doctrina an plenè cohæreat, permitto aliis judicandum. Et constanter adsero istam Potestatem semper fuisse Romanis Pontificibus. Hinc Eduardus I. Anglorum Rex, dum Philippum Pulchrum Francorum Regem nulla posset via ad pacem traducere, ad ipsum legavit Richardum Londinensem Episcopum, post varias conditiones hæc propositurum: *Quod si nec istud Rex Francorum acceptaverit, in summum Pontificem, cujus est inter Reges & Regna pacem fovere, transferatur de consensu mutuo negotium, ut litis & discordiæ fubmota materia, pax inter eos & eorum Populos reflorat; ut solebat.* Ità scribit Thomas Monachus Walsingamensis, & subjungit de eisdem Regibus ac Bonifacio VIII. Pontifice: *Eduardus fuit in Flandria apud Gandavum, ad quem venerunt Magister Ordinis Prædicatorum, & Minister Generalis Fratrum Minorum, qui ex parte Domini Papæ rogaverunt supplicantes, quatenus Nuntios solemnes ad Curiam Romanam, concessa eis potestate plena tractandi, ordinandi, & perficiendi omnia, quæ pacis reformationem tangerent, destinarent, & ipse Apostolicus, non tanquam judex, sed ut bonus pacis mediator in nullius præjudicium satageres ad pacem & tranquillitatem Regnorum, Regum amicitiam inflatum pristinum reformare. Et quia hoc absque Treguis fieri non posse judicavit Dominus Papa,*

Ad ann. 1294.

Ad ann. 1299.

ideo per nos Nuntios, biennales inducias quas per Cardinales imploraverat, indixit de novo sub pœna Excommunicationis & interdicti terrarum suarum. Et post quædam: *Transmittunt Reges utrique solemnes Nuntios cum plena potestate ad Curiam Romanam, ut per mediationem Apostolici non tanquam Judicis sed admicabilis Compositoris, discussis negotiis, Pax inter Reges & concordia reformetur.* Quod Pontifex non sit Regiarum quæstionum judex, est manifestum, & ab omnibus profitendum. Quod verò non solas Inducias indicere, sed etiam ad pacem posse per Censuras compellere, item est non ambigendum. Quod Gregorius IV. Imperatoris Ludovici Pii Filios ad ineundam cum Patre pacem compulerit per censuras, est omnibus notum. Istos eosdem filios ad inter se mutuò concordandum compulerunt Gallicani Episcopi. Etiam Carolum Calvum ad concordandum cum nepote & Imperatore Ludovico II. Et certè à bellis privatis ad publica ducitur legitima consequentia. Et Episcopalis authoritas potest per censuras compelliere ad cessandum à quibuslibet injuriis.

Adducta à Domino Archi-Episcopo exempla non faciunt ad rem. Audiamus Matthæum Parisiensem: *Cardinalis, Clementis III. Legatus, constanter asserebat, quod nisi Rex Franciæ & Comes Richardus cum Rege Anglorum ad plenum componerent, omnes terras eorundem sub Interdicto concluderet. Cui Rex Francorum respondit: Se ipsius sententiam nullatenus formidare, cum nulla æquitate se fulciretur. Addidit etiam ad Ecclesiam Romanam minimè pertinere, in Regem aliquem, maximè Francorum, per sententiam animadvertere, si Rex idem in homines suos demeritos, indomitos, & Regno suo rebelles, ulciscendi causa insurgere dispositerit. Adjunxit insuper, quòd Cardinalis jam desideratibles Eglerlingas Regis Angliæ olfecerat, quorum odore attractus, ipsi plus æquo, Romanorum more, existit favorabilis. Undè ipsum Judicem suspectum habebat.* Proindè Ludovicus Rex non de Potestate excepit, sed de causa atque persona. Causam incompetentem, personam dixit corruptam. Et reverà Regem, dum suos rebelles insequitur puniendos, Pontifex cohibere non potest. Ea cohibitio in destructionem tendit, non in ædificationem. Eadem eisdem ferè verbis scribit Rogerius Hovedensis. Cardinalis ille erat Joannes Anagninus. Philippi Pulchri Regis Acta sunt parvi ponderis. Ejus in Romanæ Ecclesiæ Dignitates violentia est omnibus abundè nota.

Ad ann. 1189.

Quæstio secunda est, An Reges alienas captas bello Civitates aut Regiones teneantur in pacis Tractatu restituere? Respondeo teneri. Etenim Reges tenentur communi naturæ & Evangelii Regula: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, dum restitui potest. Insigne exemplum refert Thomas Walsingamensis: *Henricus Lincolniensis Episcopus, cupidus & avarus, apud prædium suum de Tyngurst Parcum fecerat, & suorum terras contiguas ipsis junctis eidem Parco adjecerat, & sepibus & fossatis inclusserat, non sine diris illorum increpationibus ademerat terras suas. Post mortem suam apparuit cuidam ex armigeris suis quondam, cum pharetra & arcu, & sagittis, & cornu, indutus brevi tunica, & ipsa*

161.

viridi, & ait: Noſti quod non ſine Dei offenſa & injuria pauperum clauſerim iſtum Parcum. Datus ſum igitur non ſine pœna ad cuſtodiam hujus Parci, prout vides, quo uſque terræ iſtic incluſæ priſtinis poſſeſſoribus reſtituantur. Vade ergò ad Fratres meos Lincolnienſes Canonicos, & roga eos ex parte mea, ut hæc omnia pauperibus Poſſeſſoribus redonentur, à quibus ea cum injuria tuli. Canonici verò hæc audientes, & injuriam præſentem non ignorantes, miſerunt unum de Canonicis ad reſtituendum ſua ſingulis, & ſepes exſtirpandas, foſſataque complananda. Pitra ſunt authentica iſtiuſmodi exempla. Eadem eſt ratio de acquiſitis per injuſta arma.

Hinc de inita per Imperatorem Henricum VI. & Richardum Primum Anglorum Regem pace ſcribit Radulphus Dicetanus Decanus Londinenſis Eccleſiæ. *Pactiones initæ ſuns plures inter Imperatorem & Regem ad perſolvendam non ſpectantes pecuniam, ſed ad Statum Regis intervertendum. Inter quas quidquid infertum eſt ab initio vitioſum, quidquid contra Leges, contra Canones, contra bonos mores indubitanter conceptum, licet ex parte Regis & ſuorum fidelium ad hoc obſervandum fuerit juſjurandum adactum, emiſſa licet patentia Scripta, licèt in mundum univerſitatis recepta, licèt à particularibus abſoluta, quia tamen contra Jus elicita robur firmitatis obtinere non debent impoſterum, nec ullo tractu temporis convaleſcere.* Richardus, è Terra Sancta per Illyricum rediens, Viennæ fuerat agnitus, & captus à Duce Auſtriæ. Et quo ſe ex hiſce vinculis ſolveret, iniquam pacem inierat cum Henrico, injuriosam Regno ſuo: Pacem juratam, firmatam validiſſimis ſolemnitatibus. Ipſam, quia metu extortam, Radulphus affirmat fuiſſe nullius ponderis. Et rectè. Etenim loquitur ex Celeſtino III. Pontifice, qui caſſarat iſta omnia, & ob ipſa Auſtriam ſuppoſuerat Eccleſiaſtico Interdicto. Ex quo diſcimus pacificatoria Regum pacta poſſe caſſari per Romanum Pontificem: Imò oportere, ut per ipſum confirmentur. Hinc pax quam Eduardus III. Anglorum, & Joannes Valeſius Francorum Rex inierunt, habent hanc finalem clauſulam: *Et ſupponens ſe coercitioni & correctioni Domini Papæ.* Utique pacis violatores. Ejus inſtrumentum & Acta refert Thomas Walſingamenſis, & adjungit: *His ita geſtis, confeſtim mittuntur Nuntii Summo Pontifici pro pace, & pactis mutuis confirmandis.* Ad an. 1360.

Eduardus ille prætendit ſibi ex matre, Philippi Pulchri Regis Filia, competere Regnum Franciæ, atque ita ipſam vaſtavit multis cladibus, & plures civitates invaſit. Et ſe ſcripſit Galliæ & Angliæ Regem. Et aſſumpſit utriuſque Regni inſignia. Et Joannem Regem cepit prælio. Afflictiſſima tunc erat Gallia. Nam Regni pro captivo Rege Rectores, ipſum tractarunt non ex officio, atque ita flagella flagellis addidere. Hinc afflicti Franci impetrarunt ſordidiſſimam pacem. Grandem Regni partem ceſſerunt Anglis. Et ceſſionem confirmarunt horrendis juramentis. Et tamen pacem ſtatim poſt cenſuerunt nullius ponderis. Joannis Filius & Succeſſor Carolus V. mox cæpit repetere ſuas civitates, & Carolus VII. pleraſque ſibi per arma reddidit. Nempè ex graviorum malorum metu pax iſta proceſſerat, atque ita meritò cenſebatur nullius ponderis. Juramenta illa fuerunt perſonalia, ideoque ligare nequiverunt ſucceſſores. Et maturè videndum eſt, an ſint, aut non ſint iniquitatis vinculum. Hinc interim lucet, quod Reges alienas Civitates aut Provincias, injuſto bello captas, ſibi retinere non poſſint, & iſtiuſmodi pacificationes eſſe vanas & marcidas. Quin imò æquum videtur, ut etiam juſto bello captas, non teneant, niſi uſque ad reparatas injurias, ac refuſas belli impenſas. Hinc conſtituta Regna, aliæque ſupremæ Dynaſtiæ non ſunt ſine graviſſimis rationibus lanianda.

Etiam pacis articuli, per quos læditur Eccleſiaſtica Poteſtas aut Libertas, ſunt nullius ponderis. Iſtiuſmodi articulum in inita inter Francorum Regem Philippum Auguſtum, ac Richardum I. Anglorum Regem, edicit in litteris ad laudatum Radulphum Dicetanum Waltherus Rothomagenſis Archiepiſcopus, & adjungit: *Tam enormibus contra Dei Eccleſiam perſpectis & auditis, illicò in omnes inventores & fautores illius execrabilis Authentici, exceptis duabus tantùm Perſonis Regum, ſententiam excommunicationis tulimus, conſtanter Authentico contradicentes, & pro nobis, & Eccleſia, Provinciaque noſtra Univerſa appellantes.* Etiam coram Philippo Rege conſtantiſſimè locutus eſt pro Dei teſtimoniis, & nullis illius clamoribus ſe permiſit terreri aut inflecti. Et fugit ſpontaneus exul è Regno. Cameracum abiit cum unico Clerico & unico Famulo. Ejus verò Epiſcopalem Epiſtolam, legendam ab omnibus Eccleſiaſticæ libertatis Defenſoribus, Radulphus inſeruit ſuæ Hiſtoriæ. Hæc bene notanda ſunt noſtris temporibus, quæ quoſdam Catholicos, quoſdam Reges ac Dynaſtas habent Hæreticos. Serio curandum eſt, ut per eorum pacificationes non lædatur Chriſtiana Religio. Iſtiuſmodi Articulos caſſare ſpectat ad Epiſcopum, præſertim Romanum.

ANTIQUA ECCLESIÆ AC REIPUBLICÆ IN PELAGIANAM HÆRESIM DECRETA,

Breviter elucidata Scholiis Chronologicis.

LECTORI.

INter Eccleſiaſticæ antiquitatis monimenta vix quidquam ita involutum eſt atque confuſum, uti Concilia Africana. Neſcio quis illa nobis labyrinthum fecit, immò & chaos. A multis tentatum exitum nemo uſque huc invenit. Adversùm Pelagianos iſtic & alibi celebrata redire in ſuos annos & canones conati hic ſumus: Definitionis enim mentem qui aliter videas? Uſi ſumus Compendio, quod ſolis diſcipulis monſtremus obſcuri itineris exordia, & majus lumen accipere malimus, quàm demonſtrandum tentare.

SYNODUS CARTHAGINENSIS, AB AURELIO ARCHI-EPISCOPO HABITA ADVERSUS CELESTIUM.

ANno Domini qua dringentesimo decimo Roma capta est à Gothis, & Romanorum plurimi fugerunt in Africam. Eadem tempestas Pelagium & Celestium, gyrovagos, felicis culinæ sequaces, & multi erroris seminatores Monachos inde portavit Carthaginem. Effræni magis lingua blaterantem istic de originali peccato Celestium Paulinus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus Aurelio Episcopo suo, totius Africanæ Diœceseos Primati, detulit, obtinuitque præsentem Provinciæ Proconsularis Synodum, cujus hæc sola fragmenta exstant apud Sancti Augustini Librum de peccato originali. Habita fuit anno quadringentesimo duodecimo. Ei Augustinus, utpotè Numidiæ Provinciæ Episcopus, non adfuit: Postmodò tamen recensuit, & comprobavit.

Fuisse istic Celestium, *plurimis Episcopis judicantibus, proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumque ab Ecclesia ex Africa profugisse*, scribit in suo adversùs Pelagium apologetico libro Paulus Orosius. Et hæc adversùm Pelagianos est omninò prima Synodus & Censura. Nec in Carmine de Ingratis adversatur Sanctus Prosper: *Pestem subeuntem prima recidit Sedes Romana Petri*. Laudat enim Siricii & Anastasii Pontificum Decreta nupera adversùs Jovinianum ac Ruffinum, in quibus, uti in Patribus filii, Pelagius & Celestius fuere prædamnati.

FRAGMENTA SYNODALIA.

Aurelius Episcopus dixit: Sequentia recitentur. Et recitatum est: *Quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano*. Et cùm recitatum esset, Celestius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium esse; ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiæ confitentem, quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia Catholica constituti sunt Presbyteri*.

Paulinus Diaconus dixit: Dic nobis nomina ipsorum. Celestius dixit: *Sanctus Presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum Sancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quia traduex peccati non sit*.

Paulinus Diaconus dixit: Est aliquis alius? Celestius dixit: *Audivi & plures dicere*. Paulinus Diaconus dixit: Dic nomina ipsorum. Celestius dixit: *Non tibi sufficit unus Sacerdos?* Et post aliqua alio loco Aurelius Episcopus dixit: Reliqua libelli legantur. Et recitatum est: *Quod infantes, qui nascuntur, in eo flatu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem*. Usque in finem libelli minoris superiùs inserti.

Aurelius Episcopus dixit: Docuisti, Celesti, aliquando, ut dixit Diaconus Paulinus, *quod infantes, qui nascuntur, in eo flatu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem?* Paulinus Diaconus dixit: Tu nega hoc te docuisse. Unum est ex duobus, aut neget se docuisse, aut jam damnet istud.

Celestius dixit: *Jam dixi, exponat quomodo dixit, Ante transgressionem*. Paulinus Diaconus dixit: Negas te illa docuisse? Aurelius Episcopus dixit: Rogo, quid collegerim ego ex hujusmodi objectione. Dico, Adam constitutus in paradiso, quod antè dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis frater Pauline? Paulinus Diaconus dixit: Hoc, Domine. Aurelius Episcopus dixit: Status certè infantium hodie baptizandorum, utrùm talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat? Hoc vult Paulinus Diaconus audire. Paulinus Diaconus dixit: Utrùm docuit hoc, an non, neget. Celestius dixit: *Jam de traduce peccati dixi: quia intra Catholicam constituti plures audivi destruere, nec non & alios astruere, licèt quæ-*

quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis. Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari. Quid quæris aliud? Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundùm regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundùm Evangelii ſententiam confitemur: quia Dominus ſtatuit regnum Cœlorum non niſi baptizatis poſſe conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ libertatem.

Etiam cum aliis hunc articulum, *Homo poteſt ſine peccato eſſe, ſi velit, & facilè omnia Dei mandata ſervare*, ab hac Synodo fuiſſe damnatum teſtantur Oroſii Apologia, & ſexta Actio Synodi Dioſpolitanæ.

SYNODUS DIOSPOLITANA.

EX Africa pulſi, & in occidentali undique à Barbaris periclitante Imperio delicias ſuas nanciſci metuentes, Pelagius & Celeſtius abiere versùs Orientem. Hic in Rhodum & Siciliam, ille in Syriam: & ubique virus ſuum conſtanter vomuerunt. Heros Arelatenſis, & Lazarus Aquenſis Epiſcopus æmula factione pulſi è Galliis, ſeſe tunc ad ſanctæ Hieroſolymæ loca contulerant ſolatii gratia, atque ita noti ſibi Pelagii nugas detulerunt ad Eulogium Epiſcopum Cæſarenſem, primæ Paleſtinæ Metropolitam: Quod ipſum è Sicilia de Celeſtio apud Sanctum Auguſtinum per litteras fecit neſcio quis Hilarius. Sanctus ac eruditus fuit Eulogius, ideoque quatuordecim è tribus Paleſtinis Epiſcoporum Synodum convocavit in Civitatem Lidenſem, natalibus Jonæ Propheræ, Apoſtoli Petri miraculis, Sancti Georgii martyrio, Sede Epiſcopali, ac Juſtiniani Auguſti ædificiis poſteà claram: Ea eſt Paleſtinæ Dioſpolis.

Etiam hic ſe damnandum & fugandum videns Pelagius, non ad doloſas, cunctis ſemper hæreticis familiares, mentis reſtrictiones, ſed converſus eſt ad hanc Priſcilliani regulam: *Jura, perjura ſecretum prodere noli.* Omnes & ſingulos errores ſuos ſubjecit anathemati, unquam à ſe traditos pernegavit, atque ita à circumſcriptis Epiſcopis fuit abſolutus, & judicatus orthodoxus. Nempe ejus accuſatores Heros & Lazarus, quod alter lecto decumberet, adeſſe nequierant, & latini ſermonis ignara Synodus verſutum Scotum audierat per interpretem: Sic fuit circumventa. Hinc ipſam, præſens, & impoſtorem optimè noſcens Sanctus Hieronymus titulavit *Miſerabilem*, & ab ejus defenſoribus caninam facundiam eſt expertus. Et ejus ſanè auctoritatem, & ſuam ex ipſa integritatem ubique ebuccinavit Pelagius, ac multos ſefellit. Quod ipſam etiam Romanam Eccleſiam fallere, ſed fruſtra tentarit, adfirmat in Libro de peccato originali Sanctus Auguſtinus. Norat illa hominem, ideòque & iſtam Synodum non probavit. Eam tamen quoad Fidei judicium probavit, inſigni illuſtravit Commentario, & plurimis in locis laudavit Sanctus Auguſtinus, cujus judicium admiſerunt omnis Africa, in Libro contra Collatorem Sanctus Proſper, Facundus Hermianenſis Epiſcopus, in Bibliotheca Photius, & omnis tandem Eccleſia. *Illos Paleſtinos Epiſcopos*, inquit laudatus Facundus, *hæreticos non credit Eccleſia, quia de hæreticis bene ſenſerunt, ſed potiùs pro merito fidei ſuæ Catholicos judicat & honorat, quoniam non debet crimini deputari ſimplicitum non intellecta verſutia malignorum.* Nam & ſimilem à Marcello Ancyræ Epiſcopo dolum atque injuriam paſſa fuit magna Synodus Sardicenſis.

Acta fuit hæc Synodus menſe Decembri, anno Domini quadringenteſimo decimo quarto. Ejus Acta videntur fuiſſe ampla: Integram Actionem producit in Libro de peccato originali Sanctus Auguſtinus, reliquarum compendia in variis locis, præſertim in Libro de Geſtis Paleſtinis. Ex hocce ipſa tibi damus.

ACTA SYNODALIA.

A S. Auguſtino ducta in compendium.

ACTIO PRIMA.

RECitata ſunt objecta Pelagio. Illud eſt primum: Quod in Libro ſuo quodam ſcribit, non poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui Legis ſcientiam habuerit. Quo recitato, Synodus dixit: Tu hoc edidiſti, Pelagi? At ille reſpondit: Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt. Non dixi non poſſe peccare qui ſcientiam Legis habuerit, ſed adjuvari per Legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt: *Legem in adjutorium dedit illis.* Hoc audito, Synodus dixit: Non ſunt aliena ab Eccleſia, quæ dicta ſunt à Pelagio.

ACTIO SECUNDA.

Adjecit Epiſcopalis Synodus, & ait: Legatur aliud Capitulum. Et lectum eſt in eodem libro ſuo poſuiſſe Pelagium, omnes voluntate propria regi. Quo lecto, Pelagius reſpondit: Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor eſt eligenti bona, homo verò peccans ipſe in culpa eſt, quaſi liberi arbitrii. Quo audito, Epiſcopi dixerunt: Neque hoc alienum eſt ab Eccleſiaſtica doctrina.

ACTIO TERTIA.

Objectum eſt & illud Pelagio, tamquam in ſuo Libro ſcripſerit malum nec in cogitationem venire. Reſpondit autem: Hoc non ita poſuimus, ſed diximus debere ſtudere Chriſtianum, ne male cogitet. Quod, ſicut decuit, Epiſcopi approbarunt.

ACTIO QUARTA.

Recitatum eſt & aliud, quod in ſuo Libello ſcripſit: Regnum cœlorum etiam in veteri Teſtamento promiſſum. Ad quod Pelagius: Hoc & per Scripturas probari poſſibile eſt; Hæretici autem in injuriam veteris Teſtamenti id negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem ſecutus, dixi quoniam in Propheta Daniele ſcriptum eſt: *Et accipient Sancti Regnum Altiſſimi.* Qua ejus acceptâ reſponſione, Synodus dixit: Neque hoc alienum eſt à Fide Eccleſiaſtica.

ACTIO

ACTIO QUINTA.

Post hæc objectum est, quod Pelagius in eodem Libro suo posse hominem, si velit, esse sine peccato posuerit. Et quod scribens ad Viduam adulatorie dixerit: *Inveniat apud te pietas, quæ usquam invenit, locum; inveniat, ubique peregrinans; te sedem Justitiæ; Veritas, quam jam nemo cognovit, domestica tibi & amica fiat; & Lex Dei, quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur, à te sola honoretur.* Et iterum ad ipsam: *O te felicem & beatam, si Justitia, quæ in cælo tantùm esse credenda est, apud te solam inventur in terris.* Et in alio ad ipsam Libro, post orationem Dominicam & Salvatoris nostri, docens quemadmodum debeant Sancti orare, ait: *Ille ad Deum dignè elevat manus, ille orationem debitam conscientiæ effundit, qui potest dicere: Tu nosti, quàm sanctæ & innocentes, & mundæ sint ab omni malitia, & iniquitate, & raptu, quas ad te extendo manus; quemadmodum justa & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus effero tibi deprecationem, ut mihi miscreatis.* Ad hoc autem Pelagius respondens ait: Posse quidem hominem sine peccato esse, & Dei mandata custodire si velit, diximus. Hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia usque ad senectam, qui numquam peccaverit, sed quoniam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratia possit esse sine peccato, nec per hoc tamen in posterum inconversibilis. Reliqua verò, quæ subjecerunt neque in libris nostris sunt, neque talia unquam diximus. His auditis, Synodus dixit: Quoniam negas te talia scripsisse, anathematiza illos qui sic tenent. Pelagius respondit: Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos, siquidem non est dogma. Deinde judicaverunt Episcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizavit Pelagius insertum stultiloquium, rectè respondens hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse sine peccato, respondeat & ad alia capitula.

ACTIO SEXTA.

Hic sequuntur objecta Pelagio, quæ in doctrina Celestii discipuli ejus referuntur inventa. Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset, quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam Lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium. Ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per Resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Hæc ita objecta sunt, ut etiam apud Carthaginem ab Aurelio & aliis Episcopis dicerentur audita atque damnata.

Deinde objecta sunt & alia quædam, commemoratione beati Augustini interposita, quæ illi de Sicilia missa fuerant, cùm ibi Fratres Catholici hujusmodi quæstionibus turbarentur. Ista sunt autem: Posse hominem sine peccato, si velit, esse. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni nisi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse illos habere.

Ad hæc sibi objecta Pelagius ita respondit: Posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superiùs. De eo autem quod fuerunt ante adventum Domini homines sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm Scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua verò à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo, sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi, anathematizo illos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt. Post hanc ejus responsionem Synodus dixit: Ad hæc dicta capitula sufficienter & rectè satisfecit præfens Pelagius, anathematizans ea, quæ non erant ejus.

Actio hæc extat integra in Libro de peccato originali.

Synodus dixit: Nunc quoniam anathematizavit Pelagius insertum stultiloquium, rectè respondens hominem cum adjutorio Dei & gratia posse esse *anamarteton*, id est, sine peccato, respondeat & ad alia Capitula. Aliud Capitulum in doctrina Celestii, discipuli Pelagii, ex eis quæ Carthagine à Sancto Aurelio Carthaginensi Episcopo cum aliis Episcopis audita sunt, & commemorata: Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.

Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum.

Quoniam Lex sic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium.

Quoniam ante adventum Christi fuerunt homines sine peccato.

Quod infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurget.

Quoniam sanctus Episcopus Augustinus adversùm discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subjecta capitula scribens Librum, in quo ista continentur: Posse hominem sine peccato esse, si velit.

Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam.

Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni nisi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse illos habere.

Pelagius dixit: De posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superiùs. De eo autem, quod fuerint homines ante adventum Domini sine peccato, dicimus & nos, Quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm Scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua verò & secundùm ipsorum, *Heroris utique & Lazari*, testimonium, quia ista non sunt pro quibus ego satisfacere debeam, sed tamen

tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi anathematizo eos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.

ACTIO SEPTIMA.

Objectum est Pelagio, quod diceret Ecclesiam hic esse sine macula & ruga. Sed ad hoc objectum vigilanti circumspectione respondit: Dictum est à nobis scilicet ita, quoniam lavacro ab omni macula & ruga purgatur Ecclesia, quam velit Dominus ita permanere. Ad quod Synodus dixit: Hoc & nobis placet.

ACTIO OCTAVA.

Deinde objecta sunt de Libro Celestii, quid in unoquoque capitulo contineat, magis secundùm sensum, quàm secundùm verba, quæ quidem ille latiùs exequitur, sed tunc subjicere omnia illi, qui Libellum adversùs Pelagium dederant, se non potuisse dixerunt. Ergo in primo capitulo Libri Celestii hoc scriptum esse posuerunt. Quoniam plus facimus, quàm in Lege & Evangelio jussum est. Ad quod Pelagius respondit: Hoc quasi nostrum posuerunt, dictum est verò à nobis secundùm Apostolum de Virginitate, de qua Paulus dicit, *Præceptum Domini non habeo*. Synodus dixit: Hoc & Ecclesia recipit.

ACTIO NONA.

Hinc jam objiciuntur Pelagio alia Celestii capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset, cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Celestium, gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina. Et iterùm, Dei gratiam secundùm merita nostra dari, quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus. Et his verbis intulisse, propterea & ipsa gratia in mea voluntate est posita, sive ut dignus fierem, sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à tentatione, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodò, & non potuit. Et iterùm ait: Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergò ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omninò nos custodire aut non potuit, aut noluit. Ad ista Pelagius respondit: Hæc utrùm Celestii sint, ipsi viderint qui dicunt ea Celestii esse; ego verò numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent. Synodus dixit: Recipit te sancta Synodus, ita verba reproba condemnantem.

De quinto Capitulo libro Celestii fuit objectum, Quod affirmet unumquemque hominem omnes virtutes posse habere & gratias, & auferat diversitatem gratiarum, quam Apostolus docet.

Pelagius respondit: Dictum est à nobis, sed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem, sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere omnes gratias, sicut Apostolo Paulo donavit. Ad hoc Synodus dixit: consequenter; & Ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto Apostolo continentur.

Quibusdam autem Episcopis non suscipientibus, & susurrantibus quod sine gratia Dei diceret hoc posse fieri, id est, quod superius dixerat, esse posse hominem sine peccato, dixit Pelagius: Et ego sic credo. Anathema sit, qui dicit absque adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.

ACTIO DECIMA.

In sexto capitulo Celestii libri positum objectum est, filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti. Undè secundùm ipsum dictum est neque Apostolum Paulum esse filium Dei, qui dixit: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*.

In septimo, oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem. Cùm David dicat: *Delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantias*. Et cùm in Lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.

Et in decimo Capitulo, non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere.

In duodecimo Capitulo. Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio, quod inferre dictus est his verbis: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus; sicut è contrario nostrum est quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempsimus.

Et de Apostolo Petro posuit testimonium, Divinæ nos esse consortes naturæ. Et syllogismum facere dicitur: Quoniam si anima non potest esse sine peccato, ergò & Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est, anima peccato obnoxia est.

In tertio-decimo Capitulo dicit, Quoniam pœnitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.

His recitatis, Synodus dixit: Quid ad hæc, quæ lecta sunt, capitula dicit præsens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat sancta Synodus, sancta Dei Ecclesia.

Pelagius respondit: Iterùm dico, quia hoc est secundùm ipsorum testimonium. Non sunt mea, pro quibus satisfactionem non debeo. Quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo; quæ autem dixi non esse mea, secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, Anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundùm doctrinam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Si quis verò aliena ab hac sapit, Anathema sit.

Synodus dixit: Nunc quoniam satisfactum est nobis

nobis profecutionibus præſentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis conſenſit, contraria verò Eccleſiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis Eccleſiæ eum eſſe Catholicæ confitemur.

Articulorum ab hac Synodo damnatorum recapitulatio.

In hoc tota hæreſis iſta conſiſtit,

Exceptis ergo illis, quæ in adulatione neſcio cujus viduæ in libris ejus poſuiſſe dictus eſt, quæ ille neque in libris ſuis eſſe, neque talia unquam ſe dixiſſe reſpondit, & eos qui talia ſaperent, non tanquam hæreticos, ſed tanquam ſtultos anathematizavit; hæc ſunt quibus hæreſim illius quotidiè pullulare, imò jam ſylveſcere dolebamus.

Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.

Quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.

Quod lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium.

Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Quod neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per Reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.

Quod Infantes, etſi non baptizentur, habent vitam æternam.

Quod divites baptizati, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni niſi fuerint facere, non eis reputetur, neque regnum Dei poſſint habere.

Quod gratia Dei & adjutorium non ad ſingulos actus detur, ſed in libero arbitrio ſit, & in lege atque doctrina.

Quod Dei gratia ſecundùm merita noſtra detur, & propterea & ipſa gratia in hominis ſit poſita voluntate, ſive dignus fiat, ſive indignus.

Quod filii Dei non poſſunt vocari, niſi omninò abſque peccato fuerint effecti.

Quod oblivio, & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non eveniant ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem.

Quod non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habeat unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere.

Quod victoria noſtra ex Dei non ſit adjutorio.

Quod ex illo, quod ait Petrus, Divinæ nos eſſe conſortes naturæ, conſequens ſit, ut ita poſſit eſſe anima ſine peccato, quemadmodùm Deus.

Hoc in undecimo capitulo Libri, non quidem habentis auctoris ſui titulum, ſed qui perhibetur eſſe Celeſtii, his verbis poſitum ipſe legi.

Quomodo quiſquam, inquit, illius rei conſortium ſuſcepit, à cujus ſtatu & virtute eſſe extraneus definitur? Ideò Fratres, qui hæc objecerunt, ſic eum intellexerunt, tanquam ejuſdem naturæ animam & Deum, & partem Dei dixerit animam. Sic enim acceperunt, Quod ejuſdem ſtatus atque virtutis eam eſſe cum Deo ſenſerit.

In extremo autem objectorum poſitum eſt, Quod pœnitentibus venia non detur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.

DIOSPOLITANÆ SYNODI COMPENDIUM,

Quod ex Creſconii Cardinalis Collectione publicavit Cæſar Cardinalis Baronius.

Incipiunt capitula excepta ex geſtis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libellis ejus, quæ in Palæſtina Synodo ſibi objecta damnare compulſus eſt.

Quod ad Hieruſalem volentem colligere filios ſuos Dominus clamat, hoc nos clamamus adversùs eos, qui volentes filios Eccleſiæ colligi nolunt; nec ſaltem poſt judicium, quod de ipſo Pelagio factum eſt, collegerunt: De quo damnatus exjiſſet, niſi objecta contra Dei gratiam dicta, quæ obſervare non potuit, ipſe damnaſſet. Præter illa enim, quæ quoquo modo potuit, auſus eſt qualicumque ratione defendere, objecta ſunt quædam, quæ niſi remota omni tergiverſatione anathematizaret, ipſe anathema eſſet factus.

Primo, objectum eſt, quod diceret Adam mortalem factum; qui ſive peccaſſet, ſive non, mortuus eſſet.

Secundo, quod peccatum ipſius ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.

Tertio, & quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Quarto, & quod per mortem vel prævaricationem Adæ, non omne genus humanum moriatur, & quod per reſurrectionem Chriſti non omne genus humanum reſurgat.

Quinto, infantes, etiamſi non baptizentur, vitam æternam habere poſſunt.

Sexto, & divites baptizatos, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni niſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei.

Septimo, & gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus donari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina.

Octavo, & gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.

Nono, & filios Dei non poſſe vocari, niſi omni modo abſque omni peccato fuerint effecti.

Decimo, & non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio: Quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid, vel non facere.

Undecimo, & victoriam noſtram non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.

Duodecimo, & quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.

Hæc omnia Pelagius sic anathematizavit (quod satis ægre ita ipsi testantur) ut nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis attulerit. Unde fit consequens, ut quisquis sequitur Episcopalis authoritatem judicii, & ex ipsius Pelagii confessione tenere debeat, quæ tenuit Catholica Ecclesia.

Sequitur Catholica Pelagii confessio post recensita ex libello Adversariorum capita in eum objecta, quæ omnia confutavit.

Primò, quod Adam, nisi peccasset, non fuisset moriturus.

Secundò, quod peccatum ejus non ipsum solum læserit, sed & genus humanum.

Tertiò, quod infantes nuper nati, non sint in illo statu, in quo fuit Adam ante prævaricationem.

Quartò, quod ad ipsos etiam pertineat, quod breviter ait Apostolus: *Per unum hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

Quinto, quod infantes non baptizati non solùm regnum cœlorum, verùm etiam vitam æternam habere non possint.

Sexto, ut confiteatur divites baptizatos, etiamsi divitiis suis non careant, & sint tales, quales ad Timotheum describit Apostolus, dicens: *Præcipe divitibus hujus mundi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Non eos regno Dei posse privari.

Septimo, ut fateatur gratiam Dei & adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundùm merita nostra.

Octavo, ut revera sit gratia, id est, gratis data per ejus misericordiam, qui dixit: *Misere bor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero.*

Nono, ut fateatur filios Dei vocari posse illos, qui quotidie dicunt: *Dimitte nobis debita nostra.* Quod utique non veraciter dicerent, si essent omnino absque peccato.

Decimo, ut fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indigeat adjutorio.

Undecimo, ut fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam. Non enim aliter verum est, quod Apostolus ait: *Non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei.*

Duodecimo, ut fateatur secundùm gratiam & misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundùm merita eorum, quemadmodùm etiam ipsam pœnitentiam donum Dei dixit Apostolus, ubi ait: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.* Hæc omnia sine ullis fateatur ambagibus.

Si quis contra auctoritatem Catholicam, & ipsius Pelagii expressa Ecclesiasticis gestis verba consentit, atque in illa, quæ his sunt contraria, veraciter credit, anathema esse credendus est, nisi quæ illis contraria sunt, fido corde teneantur, & aperta confessione promantur.

SECUNDA SYNODUS CARTHAGINENSIS.

HUjus Synodi occasionem exponit ejus ad Innocentium Pontificem Relatio: *Cùm ex more ad Carthaginensem Ecclesiam solemniter veniremus, atque ex diversis causis congregata ex nobis Synodus haberetur, Compresbyter noster Orosius nobis litteras sanctorum Fratrum & Consacerdotum nostrorum dedit Heroti & Lazari. His ergo lectis, Pelagium & Cœlestium Auctores prorsus nefarii & ab omnibus anathematizandi erroris advertimus.* Paulus Orosius, Presbyter Hispanus, pro variarum circa Priscilliani & Origenis dogma quæstionum enodatione à suis Episcopis Legatus ad Sanctum Augustinum, ab hocce ad Sanctum Hieronymum, utpotè Origenianæ fabulæ callentissimum, fuit transmissus in Palæstinam, atque ita omnes Pelagii in Diospolitana Synodo strophas videtur testis oculatus. Ei per Africam ad suos reditum Acta ista Synodalia, & suas de ipsis ad Aurelium Carthaginensem Episcopum & Sanctum Augustinum literas dedere Herotes & Lazarus, Pelagii accusatores, & adversùs miserandam hanc tragœdiam postularunt medicinam. Norant Pelagium utrique notum, & ejus congerronem Cœlestium à paucis istic annis synodaliter damnatum. Et quidem Aurelium Provinciæ suæ Synodo ex more præsidentem reperit Orosius, atque ita temporis opportunitas ipsum insigniter adjuvit.

Pergit synodalis Epistola: *Undè factum est, ut recensendum peteremus quid antè ferè quinquennium super Cœlestii nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum.* Ea est superiùs adducta Synodus, in qua Cœlestium Paulinus Diaconus accusavit & convicit. Papale ad hasce literas responsum habet ad latus: *Quinto Calendas.* Et ad Milevitanæ, eodem tempore celebratæ, Synodi literas Responsum: *Datum sexto Calendas Februarias, Honorio & Constantio, viris clarissimis, Consulibus.* Hic est Domini annus quadringentesimus decimus-septimus, adeoque hæc Synodus facta est anni quadringentesimi decimi-sexti mense Septembri aut Octobri; Hoc enim tempus Provinciarum Synodis præfixit Synodus Nicæna. Habuit sexaginta octo Episcopos, ejusque Acta latent, aut perierunt. Inter sancti tamen Augustini Epistolas superest ejus ad Innocentium Pontificem Relatio, ex qua damus compendium Actorum.

Primò, Pelagium & Cœlestium tamquam novæ hæreseos Auctores, eorumque omnes Diospolli damnatos articulos Synodus anathematizat, rogatque judicium hoc confirmari.

Deindè, stabilitur victrix & liberatrix Jesu-Christi gratia, *qua & ipsum nostræ voluntatis arbitrium*

bitrium verè ſit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur.

Tertiò, damnatur hic articulus: Gratia Dei in eo deputanda eſt, quod talem hominis creavit naturam, quæ & naturaliter & poſitivam legem poſſit per propriam voluntatem adimplere.

Quartò, damnatur & hic: *Humana natura ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda poteſt ſibi ſufficere.*

Quintò, damnatur & hic: Lex, quia illam Deus dedit hominibus in adjutorium, ſpectat ad Chriſti gratiam.

Sextò, ad bene operandum definitur neceſſaria eſſe illa gratia, quæ dat nobis victoriam per Jeſum Chriſtum, & ſine qua nihil poſſit vel cogitari.

Septimò, ex Pelagii adſertionibus adfirmatur ſequi, quod orare non debeamus ne intremus in tentationem; Docet enim ille *negari liberum arbitrium, ſi hoc à Deo poſcitur, quod in noſtra eſt poteſtate.*

Octavò, damnatur hic articulus: *Virtute corroborari, ſi volumus, poſſumus ex poſſibilitate naturæ, quam nunc non accipimus, ſed cum crearemur accepimus.*

Nonò, definitur quod Pelagii adſertiones contradicant ſolemnibus Eccleſiæ orationibus & Sacerdotum benedictionibus, quibus Deo Opt. Max. ſupplicant, ut ipſorum populi rectè & piè vivant.

Decimò, damnatur error, quo Pelagius & Celeſtius ajunt in parvulis nihil eſſe vitiatum, nihil teneri ſub diaboli poteſtate captivum, nullum eſſe originale peccatum, adeoque illos licèt non baptizentur, futuros in vita æterna.

Undecimò, notatur vel contradictio vel dolus Celeſtii, utpotè qui nuper in prima Carthaginenſi Synodo confeſſus fuerit per Baptiſma fieri redemptionem etiam parvulorum.

Duodecimò, adferuntur errores hi acriter ſerpere, & à multis Pelagii & Celeſtii diſcipulis pertinaciter prædicari.

Decimo-tertiò, non ſolius Celeſtii, ſed & Pelagii converſio vocatur in dubium: Utpotè qui ſua cuncta & Dicta & Scripta inficientur eſſe ſua, ideoque de mendacio ſint palàm ſuſpecti.

Decimo-quartò, eodem ex fundamento Dioſpolitanæ etiam Synodi judicium vocatur in dubium: De obreptione & circumſcriptione eſt ſuſpectum. Rogatur Pontifex, ut ipſum diſcutiat, ac Pelagii abſolutionem confirmet aut exſufflet.

INNOCENTII PRIMI PONTIFICIS.

De hac Synodo judicium.

OMnis circa fidem quæſtio ſemper fuit de majoribus Eccleſiæ cauſis, ejuſque deciſio adeò privatè ſpectavit ad Sedem Apoſtolicam, ut nec ulla Patriarchalis Synodus ſine facta ad ipſam relatione potuerit definire. Hinc & præſens Synodus non ſolùm per literas, ſed & per Legatum Julium Epiſcopum retulit. Ejus omnia Acta probavit Innocentius Pontifex, ita inchoans: *Quid de his rectum mentibus exiſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quod boni ſunt, nec illum conſiderant, cujus quotidie gratiam conſequuntur?* Dogma iſtud barbarum ac totius religionis ignarum, ac ejus adſertores ait ab omni Divina Gratia vacuos eſſe ac extorres. Gratiam adfirmat eſſe non naturam, aut ullam ejus poſſibilitatem ſeu vires, immò nec remiſſionem peccatorum, aut juſtitiam habitualem, ſed quotidianum ad ſingulos actus neceſſarium adjutorium, & concludit: *Neceſſe eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Pelagio & Celeſtio infligitam excommunicationem etiam confirmat, & de ipſis, ſi forſan ex animo pœnitere contigerit, ſubjungit: *Veris ſe ſanandos Conciliis tribuant atque ſubmittant. Quod ſi fecerint, erit in poteſtate Pontificum iſtis aliquatenùs ſubvenire, & talibus aliquam curam præſtare vulneribus, quam ſolet lapſis, cùm reſipuerint, Eccleſia non negare.* Dioſpolitanam, quæ adeò miſerè ſe paſſa eſſet deludi, Synodum, ideóque etiam Pelagii atque Celeſtii innocentiam & abſolutionem pro non veris habet, ipſos tamen, ſi ex animo contigerit corrigi, per quamvis Synodum indulget in Laicam communionem reparari. Hæreſiarcharum Reconciliatio ſemper fuit reſervata Apoſtolicæ Sedi, atque ita iſtud Indultum fuit gratia magna. Etiam in ſuo ad quinque Epiſcoporum Conventum Reſcripto Dioſpolitanam Synodum, non veram, ſed à Pelagio fictam atque ſuppoſitam, aut ſanè miſerabiliter circumſcriptam exiſtimavit.

SYNODUS MILEVITANA.

SUam Dioſpolitanam victoriam abuccinavit ubique Pelagius. Etenim ad amicum, à quo anteà de cavenda hæreſi & non turbanda Eccleſia admonitus, neſcio quem Presbyterum de ſuis capitalibus erroribus ita ſcripſit: *Quatuordecim Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt. Quæ ſententia contradictionis os confuſione perfudit, & omnem in malum conſpirantium ſocietatem ab invicem ſeparavit.* Etiam Synodalium, & quidem inſigniter vitiatorum Actorum Compendium compoſuit, per aſſeclas diſperſit quaquaversùm, atque ita multos firmavit in errore, immò & in ipſum induxit. Etiam Sancti Auguſtini ad ſe amicas litteras produxerat in ipſa Synodo, clamans vel ejus ſolam communionem eſſe firmum ſuæ rectæ fidei argumentum. Pelagii enim ingenium, eruditionem, ac probabiles in vita monaſtica mores frequenter Auguſtinus laudarat. Quæ omnia cum Herotis, & Lazari literis etiam Sancto Auguſtino expoſuit Paulus Oroſius, atque ita Sylvanum Summenſem Epiſcopum, Numidiæ Primatem, induxit ad hanc Provinciæ ſuæ Synodum, ſcribentem ad Innocentium Pontificem: *Hæc ad Sanctitatem tuam de Numidiæ Concilio Scripta direximus, imitantes Carthaginenſis Provinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Facta ergo fuit ſtatim poſt Synodum Carthaginenſem. Habuit Epiſcopos

ſexaginta & unum. Acta latent, aut perierunt. Inter Sancti Auguſtini Epiſtolas ſupereſt ejus ad Pontificem Relatio, cujus ecce compendium.

Primò, queritur graſſari novam hæreſim, quæ nobis radat duas Dominicæ Orationis petitiones: *Dimitte nobis debita noſtra*; *Ne nos induças in tentationem*. Docet enim hominem per liberum ſine Dei gratia arbitrium pertingere poſſe ad tantam juſtitiæ perfectionem, ut ſit abſque omni penitùs peccato. Etiam ſuperandis tentationibus docet ipſam non eſſe neceſſariam.

Præterea, negat parvulis ineſſe originale peccatum, ideoque ipſos, licèt ſine Chriſti Baptiſmo diſcedant, futuros in vita æterna.

Secundò, errorís hujus Auctores Relatio dicit eſſe Pelagium & Celeſtium: Et hunc, à paucis annis damnatum Carthagine, jam Presbyterum degere in Aſia; illum hærere Hieroſolymis, fallere illic quoſdam, & à multis, ſancto præſertim Hieronymo, impugnari.

Tertiò, nec Pelagium nec Celeſtium damnat, nec ullam Dioſpolitanæ Synodi memoriam facit, ſed illos per ipſum Pontificem rogat corripi & moneri, credens Apoſtolicæ auctoritati planè ceſſuros.

Quartò, rogat damnari ſaltem jam dictos errores, ut ſic, licèt non ipſi auctores, ſaltem ab ipſis circumſcripti Fideles revocentur.

Exponitur Pontificis Reſponſum.

HUjus, uti & Carthaginenſis, Synodi Relationem Julius Epiſcopus unà Romam detulit, ſimul obtulit Pontifici, atque ita utramque Synodum lucet eodem tempore celebratam. Et hujus, novam hæreſim non damnantis, ſed ad Petri Apoſtoli judicium referentis, modeſtiam Pontifex laudavit plurimùm, adfirmans hunc eſſe veteſtum Eccleſiæ morem & canonem, ab omnibus utique Synodis ſervandum: Iſtius in Dioſpolitanam quoque Synodum modeſtiæ auctor omninò fuit ſanctus Auguſtinus. Acta omnia probavit Pontifex, primò dicens hæreſi hac nihil in Deum poſſe fingi acerbius, utpotè quæ caſtet divina adjutoria, dicendæ in dies Dominicæ Orationis neceſſitatem auferat, dicatque: *Quid mihi opus Deo?*

Secundò, definit tantam eſſe divinæ ad ſingulos actus gratiæ neceſſitatem, *ut ipſa privatum neceſſe ſit Diaboli laqueis irretitum occumbere. Cœleſtibus enim auxiliis deſtituta voluntas nihil poteſt.*

Tertiò, eam definit neceſſariam *etiam reſtituta nobis priſtini flatus libertate*. Id eſt, etiam poſt acceptam remiſſionem peccatorùm.

Quartò, ſtabilit originale peccatum, ſanctique etiam parvulos ſine Baptiſmo non poſſe habere vitam æternam, eò quòd ſcriptum ſit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Quintò, Pelagium & Celeſtium, tamquam novos Hæreſiarchas, quouſque reſipiſcant, privat omni Eccleſiæ communione.

Sexto, reſipiſcentibus, & prævaricationem ſuam ſolemni profeſſione damnantibus, promittit *ſolitam* Eccleſiæ *medicinam*, id eſt, laicam dumtaxat communionem. Hæreſiarchis enim aliud eò uſque non permiſerat Eccleſiæ diſciplina.

Porrò, per Innocentium laudata Dominici Corporis & Sanguinis ſumptio fit per ſuſceptam in Baptiſmo fidem.

Quod Sacramentalem Euchariſtiæ ſumptionem dogmatizarit parvulis neceſſariam, iniquiſſimè quidam blaterant: Apoſtolicæ Sedis auctoritatem evertunt.

AFRICANUS QUINQUE EPISCOPORUM CONVENTUS.

POſt Dioſpolitanam Synodum permanſit in Palæſtina, quaſi victor, Pelagius, ſeducens & ſeductus. Suæ etiam adversùs ſanctum Auguſtinum audaciæ protectorem habuit Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum. Coram hoc enim contigit famoſa illa concertatio de hiſce propoſitionibus: *Homo poteſt eſſe ſine peccato, & Dei mandata facilè cuſtodire, ſi velit. Homo nec cum Dei adjutorio poteſt eſſe ſine peccato*. Iſtam, Dei tamen adjutorium à ſe addens ſubintelligi, Pelagius, hanc defendit Paulus Oroſius. Nec malè. Intelexit enim de conſueto hujus vitæ adjutorio, quod numquam eſt tantum ſeu adeò plenum, ut à venialibus etiam lapſibus ſervet hominem. Hanc interim doctrinam adeò averſatus fuit dictus Joannes, ut Oroſium quaſi blaſphemum & divinæ gratiæ detractorem rejecerit, & ſecum in Sacrificio noluerit procedere. Poſt multa, ab utraque parte compromiſſum & quaſi appellatum fuit ad Innocentium Papam. Latiùs hæc in Apologetico ſuo libro exponit Oroſius.

An ante, an poſt Dioſpolitanam Synodum hæc geſta ſint, non plenè conſtat: In iſto tamen Apologetico, & in ſancti Auguſtini de Palæſtinis geſtis libro ſunt aliqua quæ ſuadeant ante Synodum, tamquam præludia & præparamenta, contigiſſe. Quidquid ſit, Pelagii patrocinium Joannes etiam poſt Synodum adeò non reliquit, ut de Pelagianis in ſancti Hieronymi Monaſterium violentiis, aut ſanè de nimia in ipſas conniventia fuerit & Romæ ſuſpectus apud Sedem Apoſtolicam. Inſignes item ad ipſum literas ſcripſit Auguſtinus, quibus eum de Pelagii Scriptis, moribus, dolis inſtruit, rogatque ſic ipſum diligi, ut veritas non offendatur. Etiam queritur ad alias ſuas literas à Joanne non fuiſſe reſponſum. Et hæ literæ ſunt Synodo lucidè poſteriores.

Etiam Romæ ante Gothicam captivitatem dudum vixerat Pelagius, & acriter impugnarat hanc ſancti Auguſtini jaculatoriam orationem: *Domine, da quod jubes, & jube quod vis*. Multos illic infecerat, & etiamnum habebat tot ſequaces, ut etiam Sixtus Romanæ Eccleſiæ Preſbyter, poſteà Pontifex, erroris ac erronis fautor palàm audiret. Quin & ipſe Innocentius Pontifex hinc inde erat ejuſdem famæ. Dioſpolitanæ item

item Synodo plurimùm deferebant Romani multi, credentes Pelagium falsò diffamari.

Quæ omnia & Aurelius & Auguſtinus videntur non niſi poſt Carthaginenſem ac Milevitanam Synodum intelleviſſe. Hinc Synodis iſtis non contenti cum Alipio Tagaſtenſi, Poſſidio Calamenſi, & Evodio Uzalenſi, doctiſſimis Epiſcopis, fecere novum extra-ſynodalem Conventum, & ab Innocentio Pontifice poſtulârunt ſequentia.

Sanctiſſimum Monachum ſimulabat, ad monaſticæ vitæ ſilentium cunctos adhortabatur, & ſub hoc melle virus ſuum aſtutè Pelagius inſtillabat. Ita apud Afros Timaſio ac Jacobo, ingenuis adoleſcentibus, & hæreſim perſuaſit & monaſterium, eis pro inſtructione relinquens librum ſuum *de Natura*, erroribus plenum. Gratiæ neceſſitatem illic penitùs exſufflat, & omnem juſtitiam noſtram tranſcribit in poſſibilitatem ſeu vires naturæ. Hiſce ergo ab adoleſcentibus, omne Pelagii myſterium enuntiantibus, acceptum Libtum laudati Epiſcopi miſerunt Romam.

Deindè, Dioſpolitanam Synodum non excuſant ſolùm, ſed & laudant: Utporè quæ licèt de Pelagii perſona, non tamen de Eccleſiæ dogmate erraſſet. Dei enim gratiam profeſſus iſtic fuerat doloſus hiſtrio, atque ita *Catholici Antiſtites nullam aliam intelligere potuerant, niſi quàm in libris Dei legere, & Dei populis prædicare conſueverant. Quapropter culpandi non erant Judices, quia Eccleſiaſtica conſuetudine nomen gratiæ audiebant, neſcientes quid hujuſmodi homines vel in ſuæ doctrinæ libris, vel in ſuorum ſolerent auribus ſpargere.* Mentales Pelagii reſtrictiones ajunt ab illis innoxiè non fuiſſe intellectas.

Tertiò, Pelagium rogant Romam evocari, *diligenter interrogandum, quam dicat gratiam, qua fateatur ad non peccandum, juſteque vivendum homines adjuvari. Aut hoc ipſum cum eo agendum per literas, & cùm inventus fuerit hanc dicere, quam docet Eccleſiaſtica & Apoſtolica veritas, tunc ſine ullo Eccleſiæ ſcrupulo abſolvéndus eſt, & reverâ de ejus purgatione gaudendum.*

Quartò, dictum librum examinari rogant ac damnari, cogique Pelagium & ut ipſe eum anathematizet, aut doceat non eſſe ſuum.

Quinto, à Paulo Oroſio & Joanne Hieroſolymæ Epiſcopo motam quæſtionem exponunt: Joannis adſertionem fatentur & ab aliis quibuſdam Catholicis ſuſtineri; Oroſii tamen ſenſum adfirmant veriſimiliorem, & Apoſtolicum de his poſtulane judicium.

Ex quibus omnibus inſigniter lucet Romanæ Eccleſiæ Primatus, Pelagius enim in Antiocheno hærens Patriarchatu; ſuadetur Romam evocandas, atque ita Patriarchatus ille non poteſt tunc Sedi Apoſtolicæ non ſubſuiſſe.

Exponit Pontificis Reſponſum.

HAſce per laudatum Epiſcopum Julium delatas literas plurimùm laudavit Innocentius Pontifex, ac reſpondit ſequentia.

Primò, urbem eſſe vaſtam & populoſam ideoque illic facile latere Errones, ejuſmodi tamen blateriationes impunè non permitti.

Deinde, Clerum ſuum diſcuſſit. Tunc enim Xiſtus Presbyter Pelagianis erroribus dixit publicum anathema, per ſingulas ad Carthaginenſem ac Milevitanam Synodos, & ad præſentem Conventum literas expurgavit ſe, quin & librum ſcripſit adverſùm eoſdem, atque ita omnem Eccleſiam mirè lætificavit. Et exinde Pelagiana factio fuit Romæ plurimùm compreſſa.

Tertiò, de Dioſpolitana Synodo hæſit Pontifex: Eam aut fictam credidit, aut certè Pelagii æquivocationibus miſerè deluſam, ideoque illum, licèt *Geſtorum judicio* non tamen *corde converſo* eſſe purgatum.

Quartò, hæc ait de evocando Pelagio: *Qui ſi confidit, novitque non noſtra dignum eſſe damnatione, quod dicat jam ſe totum hoc refutare quod dixerat, non à nobis accerſirí, ſed ipſe potiùs debet feſtinare ut poſſit abſolvi. Nam ſi adhuc taliter ſentit, quomodo ſe noſtro judicio, quibuſvis acceptis literis, cùm ſciat damnandum eſſe, committet?* Alludit ad ejus Magiſtrum Ruffinum, à quo per Anaſtaſium Pontificem evocato Romam plùs quàm barbaricam captivitatem fuiſſe formidatam, ſcribit ſanctus Hieronymus.

Quintò, tranſmiſſum librum, utporè blaſphemia plenum, ſancit ab omnibus damnandum atque calcandum.

Sextò, de defenſa ab Oroſio adverſùs Joannem Epiſcopum Propoſitione nullam facit memoriam, ideòque illa etiamnum probabilior dumtaxat manet, in fidei regulam non recepta. Ejus oppoſitum omninò docuit Sanctus Ambroſius.

ROMANA ZOZYMI PONTIFICIS

SYNODUS.

ACTIO PRIMA.

AMara hæc, & quidem per Apoſtolicam Sedem confirmata, judicia Pelagium & Celeſtium acriter pupugerunt. Laudatam Sedem, quaſi ab Afris circumſcriptam appellarunt, ipſi tentantes circumſcribere. Cœperunt linguæ ſuæ vela vertere, & non qualemcumque, ſed & Jeſu-Chriſti gratiam, ejuſque ad ſingulos actus neceſſitatem buccinare tanta mentiendi arte, ut de ipſorum recta mente ipſe, technarum plenè conſcius, Sanctus Auguſtinus quaſi hæſitaret. Et quidem Presbyteratu jam donatus, ideòque audacior Celeſtius acceſſit Romam, accuſatorem Paulinum Diaconum, juxta appellationis leges, poſtulans etiam evocari. Nec hunc ſolùm, ſed & Herotem ac Lazarum, à quibus accuſatus per literas, quin & ipſam Carthaginenſem Synodum traducens de multis, Sancti Innocentii literis parere profeſſus, obtulit fidei ſuæ libellum, cujus hæc fuit concluſio: *Si fortè ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.* Etiam *omnia, quæ Sedes illa damnaturum ſe promiſit.* Et à Pon-

tifice rogatus, *Illa omnia damnas quæ jactata sunt de nomine tuo*, respondit: *Damno, secundùm sententiam beatæ memoriæ Præcessoris tui Innocentii.*

His promissis, & acri hominis ingenio delectatus Zozymus admisit appellationem, ac in Sancti Clementis Ecclesia indixit Synodum, à qua Celestii Libellum fuisse probatum Catholicum testatur in secundo ad Bonifacium Pontificem Libro Sanctus Augustinus: *Cum originale peccatum Cœlestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè defuisse, sed detecta ac demonstrata respuere.* Non ejus errorem, immò nec ejus dubium, sed humilem solam ejus obedientiam ait, uti Catholicam, fuisse probatam. Nempè non dubium, immò nec error, sed sola pertinacia à Catholica communione excludit.

Varia rogatus fuit Celestius, verùm Acta perierunt. Rogatus fuit, Quomodò originale peccatum negans dixisset parvulos baptizandos in remissionem non idcircò dictmus, *ut peccatum traduce firmare videamur, quod longè à Catholico sensu alienum est, quia peccatum non cùm homine nascitur, quod postmodùm exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse monstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, & hoc prænuntiare necessarium, ne per mysterii occasionem, ad Creatoris injuriam, malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.*

Effrons & aperta fuit ista ettoris professio, idcòque Pontificis de ipsa judicium exponit ibidem Augustinus: *Multùm misericors Apostolicæ Sedis Antistes, ubi Cœlestium vidit ferri tanta præsumptione præcipitium, tamquam furentem, donèc, si posset, respiceret, maluit cum sensum suis interrogationibus, & illius responsionibus colligare, quàm districta feriendo sententia in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere.* Ejus præfatis professionibus & submissionibus Zozymus confidebat,

Pergit Augustinus: *Hanc ejus prælocutionem venerabilis Papa Zozymus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea, quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Præcessore manaverant, præberet adsensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed beatæ memoriæ Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere, immò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* Ejusmodi fucis Pontificem assiduè circumduxit.

In secundo ad Pontificem Bonifacium libro Dictum Apostolicum, *Quotquot perfecti, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit*, laudat Augustinus, & pergit de Celestio: *Hoc in illo factum esse putabatur, quando se literis beatæ memoriæ Innocentii Papæ, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.* Et in sequenti capite: *Zozymi Pontificis interrogationibus, & suis responsionibus, quibus se Papæ Innocentii literis consentire professus est, qui non videat quemadmodùm Cœlestius sit colligatus, & vinculo saluberrimo obstrictus, ne ulterius defendere auderet in Baptismate parvulorum non dimitti originale peccatum?* Etenim Innocentii literis consentire, & Paulini objecta non damnare, palàm repugnabant: Hinc priori professione correctum credidit benignus Pontifex, ideòque & pepercit.

In libro de originis peccato rursum Augustinus: *Velut Pyrrhenticus, ut requiesceret, tamquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondùm est creditus esse absolvendus.* Et jure merito. Latam enim, & quidem à quinquennio, excommunicationem subsecuta appellatio non suspendit, sed dumtaxat devolvit, ideòque ante ejus relaxationem Paulinus accusator, Aurelius judex, & omnis processus erant audiendi.

Pergit Augustinus: *Interposito duorum mensium tempore, donec referiberetur ex Africa, respiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est.* Apostolicæ ad Afros literæ Celestium & ejus acta laudant, Herotem autem & Lazarum ob varia in Galliis crimina ajunt & suo ipsorum proprio & Apostolico judicio degradatos, ideoque & ad accusandum fuisse ineptos; primam Carthaginensem Synodum arguunt præcipitantiæ & obscuritatis, & concludunt: *Quare intra secundum mensem aut veniant qui præsentem Cœlestium redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexuit, aut nullum post hæc tam aperta & manifesta, quæ protulit, dubium Sanctitas vestra resedisse cognoscat.* Appellatio priorem judicem transmutat in reum aut accusatorem. Hinc Afros ad hocce officium evocat Zozymus, idque intrà duos menses, eis lapsis minatus exsufflandum ipsorum judicium, & Celestium integritati suæ teddendum. Ejus mendaciis erat adeo circumscriptus.

Et quidem non à sola prima aut secunda Carthaginensi, sed etiam à Milevitana Synodo appellarat Celestius, ideoque ad Aurelium & universos Africæ Episcopos literæ Papales fuerunt directæ. Datæ sunt undecimo Consulatu Honorii Augusti, id est, Christi Domini anno quadringentesimo decimo septimo, primo Zozymi Pontificis. Tunc ergo habita fuit hæc Synodus. Adfuerunt diversarum regionum Episcopi. Papæ altera pro Pelagio ad Afros Epistola data est undecimo Calendas Octobris: Hoc enim est tempus Provincialium Synodorum.

ACTIO SECUNDA.

Pelagius in Palæstina mansit, dumtaxat per literas est appellationem prosecutus. Et imprimis Herotem & Lazarum de horrendis traduxit criminibus, ajens hunc esse vetustum calumniato-

niatorem, ob ficta in Sanctum Brixium Turonenſem Epiſcopum mendacia à Proculo Maſſilienſi Epiſcopo degradatum in Synodo Taurinenſi. Etiam Thimaſium & Jacobum traduxit tamquam adoleſcentes ex Monachis diſſolutos. Addidit & litteras, quibus & de originalis peccati, & de Divinæ gratiæ impugnatione expurgavit ſe doloſiſſimè in hunc modum: *Apud Beatitudinem Tuam Epiſtola iſta me purget, in qua purè & ſimpliciter ad peccandum & non peccandum, integrum liberum arbitrium habere non dicimus, quod in omnibus bonis operibus Divino ſemper adjuvatur auxilio.* Periit Epiſtola, ejus quædam fragmenta exſtant in Sancti Auguſtini Libro de Gratia Chriſti. Inſuper adjunxit fidei ſuæ profeſſionem, adeò doloſam, ut ipſam viti docti olim adſcripſerint Sancto Hieronymo, immò & Sancto Auguſtino. Acceſſit & Praylii, proximi poſt Joannem Hieroſolymitani Epiſcopi, commendatio, adfirmans ipſum germanè orthodoxum, ac Diospoli legitimè abſolutum.

Hæc omnia directa fuere ad Innocentium Pontificem, at ipſum repererunt mortuum, ideoque Zozymo ſucceſſori ſunt tradita. Ea ab omni fuco & pravæ interpretationis inſidiis aliena hic credidit, legi juſſit ad præſentem Synodum, ſcriptaque ad Epiſcopos Africanos: *Utinam ullus veſtrum recitationi intereſſe potuiſſet. Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gandium fuit, quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidam & lacrymis temperabant. Tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe?* Et Celeſtii & Pelagii rectam fidem mire extollit, admirans & indignans tantos viros ad neſcio quorum adoleſcentum, & Herotis & Lazari, *erubeſcendorum nominum*, delationem fuiſſe damnatos. Oportuiſſe ait, ut Herotes & Lazarus qui recuperandi Epiſcopatus libidine totum pervagarentur orbem, non in Palæſtina aut Africa per litteras, ſed Romæ præſentes accuſarent. Etiam arguit de abſentibus ac inauditis fuiſſe judicatum, & concludit: *Miſimus ad Dilectionem veſtram exemplaria ſcripturarum, quas Pelagius miſit, quarum lectione non ambigimus partem vobis de abſoluta ejus fide fore in Domino lætitiam.* Ex pravorum hominum teſtimonio damnatos vult, ex ſuo ac ſuæ Synodi teſtimonio abſolvi.

TERTIA CARTHAGINENSIS SYNODUS.

NOtanda eſt Sancti Auguſtini poſterior ad Valentinum Adrumetini Monaſterii Abbatem Epiſtola. Milevitanam ac ſecundam Carthaginenſem Synodum laudat, & pergit: *Item Papæ Zozymo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus.* Unicum ſub Pontifice Zozymo Africanum adversùs Pelagianos Concilium laudant paſſim moderni Scriptores: verùm duo, plenarium aliud, aliud non plenarium fuiſſe, Auguſtinus hic lucide adfirmat.

Præſens Synodus fuit non plenaria. Acta perierunt, eorum tamen compendium habemus ex laudati Pontificis ad ipſam Reſcripto: *Miſſæ per Marcellinum Subdiaconum veſtrum Epiſtolæ omne volumen volvimus, quo aliquanto perlecto, ita totum litterarum comprehendiſtis textum, quaſi nos Celeſtio commodavertimus in omnibus fidem, verbiſque ejus non diſcuſſis ad omnem ſyllabam præbuerimus adſenſum.* Et ex ſecundo Auguſtini ad Pontificem Bonifacium libro. Apoſtoli locum, *Quotquot perfecti, hoc ſapiamus, & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis revelabit*, rursùm laudat Sanctus Auguſtinus, & concludit: *Hoc ut plenius & manifeſtius in Celeſtio fieret, exſpectabatur venturis ex Africa litteris, in qua Provincia ejus aliquantò calliditas evidentius innotuerat. Quæ Romam litteræ poſteaquàm venerunt, id continentes, non ſufficere hominibus tardioribus & ſolicitioribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſcopi litteris conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere anathematizare quæ in ſuo libello prava poſuerat, ne ſi id non feciſſet, multi parùm intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat ejus libellum, eſſe catholicum, quam emendata propter illud quod ſe Papæ Innocentii litteris conſentire ipſe reſponderat.*

Hæc, inquam, Synodus Pelagii & Celeſtii Scripta omnia, ſua in prima & ſecunda Carthaginenſi, atque in Milevitana Synodo adversùm ipſos ſancita, aliaque ipſorum hæreſes & dolos concernentia documenta collegit, miſit Romam per Marcellinum Carthaginenſis Eccleſiæ Subdiaconum, duobus gyrovagis Erronibus tantam adverſus tantas Synodos fidem adhiberi queſta eſt: Queſta eſt in doloſis ipſorum profeſſionibus ac libellis non ſenſum, ſed ſyllabas dumtaxat fuiſſe attentas. Celeſtii libellum fuiſſe judicatum Catholicum, & Paulini Diaconi objecta non damnata, tulit iniquiſſimè, damnari hæc inſtitit, & ſuum judicium firmari.

Quot Epiſcopi interfuerint, ignoro. Et Milevitanæ & ſecundæ Carthaginenſis Synodi Epiſcopos pleroſque non dubitem adfuiſſe. Papale Reſcriptum datum eſt duodecimo Honorii Conſulatu, anno Domini quadringenteſimo decimo octavo, duodecimo Calendas Apriles, redditum autem tertio Calendas Majas, atque ita Synodus præteriti anni Autumno videtur celebrata.

ROMANÆ SUB ZOZYMO PONTIFICE SYNODI ACTIO TERTIA.

LAudata Afrorum Epiſcoporum Reſcripta legi huic Actioni juſſit Pontifex, & in ſecundo ad Pontificem Bonifacium libro pergit Sanctus Auguſtinus: *Tunc ergo cùm Celeſtii præſentia poſceretur, ut certis ac dilucidis reſponſionibus vel aſſutia hominis vel correctio diluceſceret, & nulli ambigua remaneret, ſe ſubtraxit & negavit examini. Nec differendum jam fuerat, ſicut factum eſt, quod aliis prodeſſet, ſi nimirum re-*

verſe-

verſorum pertinaciæ, dementiæque non poſſet. Et in capite ſequenti: *Si objecta Paulini, ſecundùm ſententiam Beati Papæ Innocentii veraci corde atque ore damnaret, quid ei remaneret deinceps, unde contenderet nullum eſſe ex præterita primi hominis tranſgreſſione in parvulis vitium, quod per novæ Regenerationis purificationem ſacro Baptiſmate purgaretur? Sed illud reſpondiſſe fallaciter, noviſſimo exitu oſtendit, cùm ſe ſubtraxit examini, ne ſecundùm Africana Reſcripta, ipſe omninò de hac quæſtione verba commemorare & anathematizare, quæ in libello ſuo poſuit, cogeretur.*

Pergit in libro de peccato originali: *Attendit etiam Beatiſſimus Papa Zozimus, quid de Pelagio ſentiret præcidanda in Domino Romanorum fides, quorum adverſùs ejus errorem pro veritate Catholica ſtudia conſonantia flagrare cernebat, inter quos ille diu vixerat, & quos ejus dogmata latere non poterant, qui Celeſtium ejus eſſe diſcipulum ſic noverant, ut fideliſſimum & firmiſſimum de hac re poſſent teſtimonium perhibere.* Adverſùs fugitivum ergò Celeſtium, uti convictum hæreticum, omnis Roma conclamavit. Hinc in libro ad Bonifacium Pontificem pergit Auguſtinus: *Quod à Zozymo poſteà Celeſtius & Pelagius repetita auctoritate damnati ſunt, paululum intermiſſæ, ſed neceſſariò proferendæ ratio ſeveritatis fuit.* Etiam alibi frequenter dicit Innocentii de Pelagio & Celeſtio judicium fuiſſe à Zozymo confirmatum.

Exceſſiſſe ſe vidit in Africanos Epiſcopos Zozymus. Hinc inſignem ad ipſos dedit Epiſtolam, inculcans Romanam Eccleſiam eſſe omnium afflictorum aſylum, nullius appellationem poſſe repelli, etiam Celeſtium ac Pelagium fuiſſe audiendos, Carthagine & Milevi data in ipſos judicia non caſſata fuiſſe, ſed ſuſpenſa dumtaxat, aliaque id genus. Exinde in Epiſcopos iſtos, Sanctum præſertim Auguſtinum, iſtarum Synodorum auctorem, adeò propenſus fuit, ut illum Apoſtolica ad Cæſareenſem Mauritaniæ legatione honorarit, per ipſum Auguſtinum laudata in litteris ad Optatum Epiſcopum, & in libris de Doctrina Chriſtiana.

Tres laudati Zozymi ad Afros Epiſtolas, è Vaticana Bibliotheca nuper vulgavit Cardinalis Cæſar Baronius, at ipſas quidam uti ſuppoſititias averſantur. Sine fundamento. Eas enim patenter in ſecundo ad Bonifacium libro Sanctus Auguſtinus laudat, adfirmans, inter Afros Epiſcopos & Apoſtolicam Sedem, non tantum ſub Innocentio, ſed etiam ſub Zozymo, varia Scripta & Eccleſiaſtica Geſta cucurriſſe & recurriſſe. Eaſdem in ſeptimo ſuo libro palàm laudat Facundus Epiſcopus Hermianenſis.

PAULINI
CARTHAGINENSIS DIACONI EPISTOLA,

Qua Zozymo Pontifici de ſuæ accuſationis in Celeſtium firmato judicio agit gratias.

APoſtolicas, quibus & Paulinus Diaconus, primus Celeſtii accuſator, & Milevitanæ ac ſecundæ Carthaginenſis Synodorum, quæ illum cum Pelagio damnarant, Vicarii ſeu Procuratores Appellatorio Romanæ Synodi judicio adeſſe intra duos menſes jubebantur, detulit ac reddidit Baſiliſcus Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus: Quin & iſtud Papale mandatum Paulino expoſuit viva voce. Hic Romam tunc accedere ex cauſis non potuit: Excuſatorium tamen libellum tranſmiſit, unaque liquidas inſtructiones, quibus doloſum Celeſtium dignaretur Pontifex ſuaviter ac fortiter ad mentis abyſſum retegendam traducere. Quod ſi nec ſic vulpes caperetur, promiſit adeſſe ipſe venaturus. Verùm capta illa fuit: jam audivimus ſucceſſum. Hinc Zozymo ſolemnes gratias egit Paulinus per novas Epiſtolas, quarum ſolarum, quod priores non reperiantur, hic damus copiam.

PAULUS DIACONUS ZOZYMO PONTIFICI.

BEatitudinis tuæ juſtitiam obſecro, Domine Zozyme Papa venerabilis. Numquam fides vera turbatur, & maximè in Eccleſia Apoſtolica, in qua pravæ fidei Doctores, ut deprehenduntur facilè, ita veraciter puniuntur, ut moriantur in illis, niſi correxit quod deteriùs perpetrarant; ut in illis vera ſit fides, quam Apoſtoli docuerunt, & Romana cum omnibus Catholicæ Fidei Doctoribus tenet Eccleſia. Quod ſi ut cæteri auctores hæreſeos, qui jam dudùm ab Apoſtolica Sede, vel à Patribus judicati, & extra ſinum matris Catholicæ Eccleſiæ effecti, perpetua morte pereunt, etiam hi, qui nunc deprehenſi ſunt, vel deprehenduntur, in perfidia ſua permanent, ſpirituali gladio, quo interimantur, tradantur. Ut nunc Pelagius Celeſtiuſque, qui à beatæ memoriæ Prædeceſſore Tuæ Beatitudinis Papa Innocentio (ſi rectam reſpuant fidem, & in ſua perverſa doctrina perdurent) damnati ſunt. Cujus ſententiam ſecuta Beatitudo Tua, Celeſtio, cùm à Sede Apoſtolica audiretur, inter cætera præcepit his verbis:

Damnas ergò illa omnia, quæ in libello Paulini continentur, hoc eſt, de quæſtionibus? Et in alio loco: Cognoviſti quales litteras dederit Sedes Apoſtolica ad Fratres & Coepiſcopos Africanæ Provinciæ? Et adjectum: Damnas illa omnia quæ damnavimus, & tenes quæ tenemus? Et iterum: Illa omnia damnas, quæ jactata ſunt de nomine tuo? Et iterùm: Vel ea, quæ in libello ſuo expoſuit Paulinus? Et cum me diceret poſſe ex his, quæ illi objecta ſunt, hæreticum approbari; Sancto repletus Spiritu, Apoſtolica authoritate reſpuiſti inſanientis & calumniantis verba, hujuſmodi proferendo ſententiam, qua ipſe Catholicus approbarer; illum, ſi ſanari vellet, curares. Quæ hujuſmodi eſt: Nolo nos circuitu ducas: Damnas ea omnia, quæ tibi objecta à Paulino, ſive per famam jactata ſunt? Cui non ſufficit iſta ſententia? Quis hanc tam ſalubrem, tam amplectibilem, tam piam reſpueret alius, niſi qui à fide devius eſt? Et ille, qui ſuperiùs profeſſus fuerat ſe quæcumque illi objecta fuerant, ſi contra fidem vindicares,

cares, esse damnaturum, audit, Damna, & non solum non damnat, sed ad injuriam tantis Sedæ contendit. Unde non ignorat jam Ecclesia Romana reum suum, qui tam audaci spiritu ausus est contradicere, & non damnare, quæ Beatitudo tua damnari decrevit.

Ego tamen Deo & Christo Domino gratias ago, quod Ecclesiæ suæ causam ita agi voluit, ut Sedes Apostolica, à qua oportuit ore duorum Pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præceperit, quæ a me Celestio fuerant objecta; cujus ego non damnationem, sed correctionem semper optavi & opto; cui nunc jam non mecum, sed cum universa Dei Ecclesia causa est, sicut data ad Beatitudinem tuam Scripta testantur, cùm contra Apostolicam sententiam venire nititur, negando originale peccatum quod in omnes homines pertransiit, & usque ad finem mundi tenet hæreditatem Adæ illius, qui primus peccavit; quod in infantibus nisi per Sacramentum Baptismi dimittitur, vitam æternam & regnum cœlorum habere non possunt. Contra quæ etiam Magister suus litigat Pelagius, qui illa ipsa damnavit in judicio Orientali, quæ iste in Sedis Apostolicæ cœtu conatur adstruere. Habet adversùm se etiam veteres Ecclesiarum Doctores Catholicos plurimos, Orientales & Occidentales, Meridianæ partis & Septentrionalis, qui in libris suis illum de originali peccato (si sanari desiderat) possunt docere.

Habet B. Cyprianum Martyrem, B. Ambrosium Confessorem, Gregorium Nazianzenum, B. Papam Innocentium. Habet etiam nunc, qui in corpore sibi colluctentur, si ille tamen hos tanto certamini habiles judicat, aut certe qui vos sequi debeat, qui vult magis recta discere, quàm prava docere. Habet (quod primum est) Beatitudinem tuam, cujus illum oportuerat obedire sententiæ, cùm audiret: Damna. Habet postremò ipsos lactantes, quibus misereri debeat, si sibi non vult; quibus (ut Martyris verbis utar) non propria, sed aliena dimittuntur peccata. Unde oro beatum Apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi jubeas, quo gratias referam tantæ Sedi, & sententiis justissimis pro parte mea latis: Quem idcircò direxi, quia licet sermone Basiliscus Subdiaconus a tua Beatitudine cum gestis Sedis Apostolicæ directis, Carthagine convenit quarto Nonas Novembris die, ut adesset ad Apostolicam Sedem & Tuæ judicio sanctitatis, ad quam me fugisse suggestum est, nec defuturum fore, promittere, si adversum me, & non pro me fuisset lata sententia. Ubi tunc igitur nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apostolicam provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita suæ appellationis adstruere; maximè cum nil agente appellatore, secundum etiam humanas leges, superior est semper ille, qui vicit. Quid enim jam mea intererat, ut etiam apud Vestram Reverentiam pravæ ejus doctrinæ adstipulator existerem, de quo congaudere possem, si damnatis his, quæ illi à me objecta fuerant, sic ea per Apostolicæ Sedis judicium roborati, meruissent absolvi, nec priùs se ordinari, quàm purgari patereturⁿ? Sed vulpecula fraudibus suis semper studens ingenium suum mutare nescit. Non se credidit posse deprehendi, quoniam confidentiam semper in foveis habuit, in quibus demersum caput conscientiæ suæ nititur occultare. Quod jam diutius latere non potuit, sed manifestiùs publicatum, spirituali per tuam Beatitudinem gladio resecatur, ne ampliùs ferinis dentibus grex Domini fecetur in partes, quem Pastor bonus solicita & pervigili cautela custodis. Hunc autem libellum direxi Beatitudini tuæ per Marcellinum Subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis. Datum sexto Idus Novembris.

QUARTA CARTHAGINENSIS SYNODUS.

HÆc est plenaria & famosissima totius Africanæ Diœceseos Synodus, de qua ad duodecimum Honorii & octavum Theodosii Consulatum, Domini annum quadringentesimum decimum nonum, Sanctus Prosper in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim Episcoporum, ad Papam Zozymum Synodalia Decreta perlata sunt, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Fuisse tot Episcopos affirmat et am in libro contra Collatorem. Et hinc hicce in carmine de Ingratis versus. *Et trecentenis Patrum fuit edita linguis*, mendosus videtur viris doctis, legendumque: *Et bis centenis*. Vitiosò item codice usus fuit Hermannus Contractus, scribens fuisse Episcopos septemdecim & ducentos. Male etiam in Bibliotheca Photius vult fuisse ducentos quatuor & viginti. Habitam addit in Ecclesia Primatiali, quam Acta Synodalia vocant Basilicam Fausti: Hanc enim fuisse Carthaginem, multis Sanctorum reliquiis opulentam, adfirmat Synodalis Relatio ad Papam Agapetum.

Pergit Photius: *Damnat hæc Synodus anathemate eos, qui asserverent Adam mortalem esse conditum, non autem prævaricationis causa morte multatum. Similiter & eos, qui recens natos infantes Baptismo minimè indigere dicerent, quod illos peccato originis ex Adamo non putarent obnoxios. Eos quoque, qui adfirmarent medio quodam loco Paradisum inter & inferos non baptizatos infantes beatè vivere. Sex item alia his adjuncta capita, quæ à Pelagianistis, & Celestianis tradutur, anathemate Patres jugulant.* Hæc sunt omninò Capitula illa, quæ moderna Conciliorum collectio perperàm adscribit Concilio Milevitano. Ea enim non Milevi, sed Carthagine edita per generalem Synodum, in literis ad Gallicanos Episcopos dissertè adfirmat S. Pontifex Celestinus.

Africani igitur Episcopi, de deducto per suas literas ad rectum de Pelagio & Celestio sensum Zozymo, suisque in istos judiciis per ipsum confirmatis læti, crescentem in dies hæresim censuerunt radicitùs evellendam. Non solùm suæ Proconsularis atque Numidiæ, sed etiam Byzacenæ & Tripolitanæ Provinciæ, item Cæsareensis & Sitifensis Mauritaniæ, nec non & Tingitanæ,

tanæ, ad Hiſpanicam Diœceſim ſpectantis, regionis Epiſcopos convocavit Aurelius, quorum omnium ipſius primatem ac Præſidem, ſanctum verò Auguſtinum fuiſſe ingenium ſcribit in laudato Carmine ſanctus Proſper. Et hinc in ſuis ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum literis clamavit Julianus: *Auguſtini dicta, inimici noſtri, in veritatis odium ſuſceperunt.* Acta fuiſſe brevia teſtatur in poſteriori ad Valentinum Adrumeti Abbatem Epiſtola laudatus Auguſtinus.

ACTA SYNODALIA.

HOnorio Auguſto duodecies Conſule, Kalend. Maiis, Carthagine in Baſilica Fauſti, cùm Aurelius Epiſcopus ſimul cum Donatiano Teleptenſi, primæ Sedis Epiſcopo Provinciæ Byzacenæ, & aliis ducentis tribus Coepiſcopis ſuis, tam ex Provincia Byzacena, quàm Mauritania Sitifenſi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæſareenſi, & Hiſpania, in Concilio conſediſſet, adſtantibus, Diaconibus, &c.

CAPITULUM I.

Placuit omnibus in ſancta Synodo Carthaginenſis Eccleſiæ conſtitutis, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.

CAPITULUM II.

Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde ſit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis, *In remiſſionem peccatorum*, non verè, ſed falsè intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; Niſi quemadmodum Eccleſia Catholica, ubique diffuſa, ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſe ipſis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

CAPITULUM III.

Item placuit, ut quicumque dixerit Gratiam Dei, in qua juſtificamur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.

CAPITULUM IV.

Item, quiſquis dixerit, eandem Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit.

Cùm enim dicat Apoſtolus, *Scientia inflat, caritas verò ædificat*, valdè impium eſt, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti, ad eam, quæ ædificat, non habere; Cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus; ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut enim de Deo ſcriptum. *Qui docet hominem ſcientiam*, ita etiam ſcriptum eſt, *Charitas ex Deo eſt*.

CAPITULUM V.

Item placuit, ut quicumque dixerit ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tamquam etiamſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.

De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilius poteſtis facere, ſed ait: *Sine me nihil poteſtis facere*,

CAPITULUM VI.

Item placuit, quod ait S. Joannes Apoſtolus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos-ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; Quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, non habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema ſit.

Sequitur enim Apoſtolus & adjungit: *Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, qui remittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate.*

Ubi ſatis apparet, hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos-ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. Sed cùm ait, *Nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ſatis oſtendit eum, qui ſe dixerit non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.

CAPITULUM VII.

Item placuit, ut quicumque dixerit, in Oratione Dominica ideò dicere Sanctos, *Dimitte nobis debita noſtra*, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideò non dicere unumquemque Sanctorum, Dimitte mihi debita mea, ſed, *Dimitte nobis debita*

bita noſtra, ut pro aliis potiùs, quàm pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit.

Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Jacobus, cùm dicebat: *In multis enim offendimus omnes.* Nam quare eſt, *Omnes*, niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſalmo, ubi legitur: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Et in oratione ſapientiſſimi Salomonis: *Non eſt homo qui non peccet.* Et in libro Job: *In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam.* Unde etiam Daniel ſanctus & juſtus, cùm in oratione pluraliter diceret, *Peccavimus, iniquè egimus, impiè fecimus*, & cætera, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodùm quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſteà dicit: *Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro:* noluit dicere, *Peccata noſtra*, ſed & populi ſui dixit, & ſua, quia futuros iſtos, qui tam malè intelligerent, tamquam Propheta prævidit.

CAPITULUM VIII.

Item placuit, ut quicumque verba ipſa Dominicæ Orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra*, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, ſe debita non habere?

RELATIO SYNODI ET CONFIRMATIO.

AN & qui morum Canones ſint editi ab hac Synodo, eſt alia quæſtio. Lucet interim fidei Capitula eſſe truncata. Photii enim codex habuit novem, nobis ſunt ſolùm octo. Nempè tertium de Parvulorum inter Paradiſum & Inferos medio loco eſt ſublatum. Etiam Synodalis ad Pontificem Relatio nos latet. Ejus fragmentum exſtat apud ſanctum Proſperum in Libro contra Collatorem: *Conſtituimus in Pelagium atque Cœleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium do beatiſſimi Apoſtoli Petri Sede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateatur Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Et hæc in Pelagium & Cœleſtium iterata ſententia nobis etiam deeſt.

Et hanc Synodum à Zozimo fuiſſe confirmatam, jam & à Photio audivimus & à S. Proſpero. Quod ipſum in literis ad Gallicanos Epiſcopos teſtatur diſertè S. Cœleſtinus Pontifex, & frequenter S. Auguſtinus. Et quidem confirmatio fuit inſigniter ſingularis: Utpotè facta per Encyclicam ad univerſos ſub cœlo Epiſcopos Epiſtolam, qua ſingulos erroris articulos expreſſim damnavit. Grandi Eccleſiæ damno illa latet, eam tamen frequenter laudat S. Auguſtinus, & inſigne ejus fragmentum ſuis ad Opratum Epiſcopum literis inſeruit: *Fidelis Dominus in verbis ſuis, eiſque Baptiſmus ve & verbis, id eſt, opere, confeſſione, ac remiſſione vera peccatorum, in omni ſexu, ætate, & conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum ante fuerit captivus, &c.* Eidem Sacramenti verbis & parvulos & majores baptizandos Pelagius in ſuo libello, per Baptiſma fieri etiam parvulorum redemptionem dixerat dolosè apud Carthaginem Celeſtius. Has fraudes damnat Pontifex, ſanciens Baptiſma & in parvulis & in majoribus fieri non ſolùm eiſdem verbis, ſed & eodem effectu: Nullum item poſſe redimi, niſi ſub peccato captivum.

Articulum, quo ſine animarum traduce peccati traducem ſtare non poſſe blaterabat Pelagius, fuiſſe hic etiam damnatum, ibidem Auguſtinus adfirmat. Alia ejus fragmenta habes in Celeſtini ad Gallicæ Antiſtites Epiſtola, & in Sancti Proſperi libro adverſùs Collatorem.

Hæc eſt Epiſtola, adverſùs quam Pelagianorum Goliath Julianus ſcripſit ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem: *Romam clerici juſſionis terrore perculſi, non erubuerunt prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam, qua Geſtis Catholico dogmati adſuerant, poſteà pronuntiarent malam hominum eſſe naturam.* Terrorem illum evenire vult à juſſione Papali, cui non tantummodo in ſuum Clerum, ſed & in ſuam etiam Patriarchalem Synodum ſunt ſemper plena atque irrefragabilis poteſtas, admodum exoſa Pelagianis. Epiſtolæ Clerus ſubſcripſerat: Quod enim ſine Dominis Cardinalibus Pontifex nihil ſanciat, eſt antiquiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudo.

Acta hæc ſunt modico ante Zozymi mortem tempore. Hinc in iſtius prævaricationis pœnam Julianus blateravit Bonifacii ſucceſſoris electioni obvenìſſe ſchiſma Eulalianum. Auguſtinus verò reſpondit: *Quænam tandem Epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zozymi, quæ interlocutio reperitur, ubi præciperet credi oportere ſine ullo vitio peccati originalis homines naſci? Nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquàm omninò conſcripſit.* Locis in variis iſtud ipſum inculcat. Adſeverat & in libro contra Collatorem Sanctus Proſper. De ſola doloſi Celeſtii perſona; non de Eccleſiæ dogmate Pontificem fuiſſe circumſcriptum, facundè in ſeptimo ſuo libro demonſtrat Facundus Epiſcopus Hermianenſis.

Prima Honorii ac Theodoſii Auguſtorum adverſùm Pelagianos Lex.

PElagianæ perfidiæ ſectatores adeò fuerunt multiplicati per Eccleſiam, ut ad Innocentium Pontificem ſcripſerint ſanctus Auguſtinus: *Illis undequaque plena ſunt omnia.* Etiam Romæ fuiſſe plures docuit eventus. Laudatis enim Zozymi literis hi offenſi provocarunt ad Honorium Auguſtum, Ravennam abiere ad Comitatum, Romanam fidem eſſe læſam ſunt queſti, & Auguſti brachii poſtularunt medicinam: Zozymum auctoritate Auguſta ad retractandum & tecantandum hocce judicium cogi flagitarunt.

Lu-

Lucent hæc & Zozymi literis ad Clerum Eccleſiæ Ravennatis. Verùm preces non ſucceſſerunt. Etenim ab Archidamo, Romanæ Eccleſiæ Presbytero ac Legato, inſtructus Princeps ad Palladium Italico Prætorio Præfectum ſcripſit germane orthodoxam legem, qua Zozymi de originis peccato, necnon & de Celeſtio ac Pelagio firmavit judicium, hoſce cum ſuis ſequacibus proſcripſit ad Hæreticos, & perpetuò ab alma urbe exilio damnavit. Eam immortale hujus Lovanienſis ſcholæ decus, & Eccleſiaſticæ antiquitatis Doctor peritiſſimus, Henricus Gravius è Vedaſtini apud Atrebates Monaſterii Bibliotheca eruit, & dum ſub Xixti V. ac XIV. Gregorii Pontificatu degeret Romæ, Cardinali Cæſari Baronio communicavit inſerendam ejus Annalibus, ex quibus ipſam hic damus.

Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Palladio Præfecto Prætorio.

AD conturbandam catholicæ ſimplicitatis lucem, puro ſemper ſplendore radiantem, doloſæ artis ingenio, novam ſubitò emicuiſſe verſutiam, pervulgata opinione cognovimus: Quæ fallaciis ſcientiæ obumbrata mendaciis, & furioſò tantùm debacchata luctamine, ſtabilem quietem cœleſtis conatur attrectare fidei, dum novi acuminis commendata vento, inſignem notam plebeiæ æſtimat vilitatis, ſentire cum cunctis, ac prudentiæ ſingularis palmam fore, communiter approbata deſtruere. Cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Celeſtiùmque percrebuit exſtitiſſe. Hi parenti cunctarum rerum, Deo, præcipuæque ſemper Majeſtati, & ter Omnipotenti ultra omne principium tranſeunti tam trucem inclementiam fœvæ voluntatis aſſignant, ut cum formandi Mundi opificem curam ſumeret, qualitatemque hominis ſtruendi profunda ſpiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordium, & mortem præmitteret naſcituro, non hanc inſidiis vetiti fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe periclis legem immutabilis conſtituti: Ad declinandum lethi exitialis incurſum nihil prodeſſe abſtinentiam delinquendi, cujus ita vis putatur adſtricta, ut non poſſit aboleri deinceps: Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cœcitas irruiſſet, dilapſum ad poſteros non fuiſſe, tantùmque apud eum, quem malæ ſuadæ gratiæ infelix rapuiſſet illecebra, tranſgreſſionem interdicti extitiſſe & diſcriminis: Cùm evidens Catholicæ legis omniſaria teſtetur authoritas, illum interitus omnium fuiſſe veſtibulum, quem divinæ præceptionis ſedulum liqueat corripuiſſe mandatum. Aliaque quàm plurima, quæ ſermo reſpuit, lex refutat, quæ perpetuò cum ſit recordari etiam ſub diſpoſitione plectendi: Quæ maturato remedio & celeritate feſtina oporteat intercipi, ne corroborato uſu nequitiæ adoleſcentes vix valeant coerceri: Siquidem aures Manſuetudinis noſtræ recens fama perſtrinxerat, intra ſacratiſſimam urbem noſtram, aliaque loca hoc peſtiferum virus quorundam inoleviſſe pectoribus, ut interrupto directo credulitatis tramite, ſciſſis in partes ſtudiis diſſerendi monſtra implacatæ diſſenſionis inducta ſint, novoque ſcandali fomite concitato, beatiſſimæ Eccleſiæ hactenus nutet intentata tranquillitas, aliis iter aliud ancipiti interpretatione ſectantibus.

At abſoluta Sanctorum apicum claritas, ac dilucidè quod univerſitas ſequi debeat, explanans pro captu verſipellis ingenii profanam novorum more anſerum moventibus quæſtionem, Palladi Parens Chariſſime atque amantiſſime.

Ob quam rem illuſtris Tua Auctoritas victura in omne ævum lege nos ſtatuiſſe cognoſcat, ut pulſis ex urbe primitùs capitibus dogmatis execrandi, Celeſtio atque Pelagio, ſi qui hujus de cætero ſacrilegii ſectatores quibuſcumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursùs proferre ſermonem, à quocumque correpti, ad competentem judicem pertrahantur: Quos, ſive Clericus, ſive Laicus fuerit, deferendi habeat poteſtatem, & ſine præſcriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis ſententiæ luce, novæ diſputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apoſtolicam ſcilicet diſciplinam, Evangelicamque claram & ſine errore ſententiam, vafra rudis ſectæ calliditate pugnantes, involventeſque ſplendentem fidem veri, ambagibus differendo.

Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam nefando ſcelere conferentes à quibuſcumque jubemus corripi, deduƈtoſque ad audientiam publicam, promiſcuè ab omnibus accuſari, ita ut probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis: Decet enim originem vitii à conventu publico ſequeſtrari, nec in communi eos celebritate conſiſtere, qui non ſolùm facto nefario deteſtandi, verùm etiam exemplo venenati ſpiritus ſunt cavendi. Juvat autem per omne penè Imperium noſtrum, quà mundus extenditur, hujuſmodi promulgata diſſondi: Ne ſcientiæ fortaſſis diſſimulatio paſtum præſtet errori, atque impunè ſe quiſque putet audire, quod condemnatum vigore publico, ſeſe finxerit ignorare. Data pridie Kalendas Maias, Ravennæ, DD. NN. Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. Conſſ.

CONSTANTINOPOLITANA

ATTICI EPISCOPI SYNODUS.

HAnc Synodum in prioris adversùs Julianum operis tertio libro laudat ſanctus Auguſtinus: *Chriſti exercitus apud Carthaginem debellavit Celeſtium, & rurſùs Conſtantinopoli, tam longè à regionibus Africanis.* Et in carmine de Ingratis S. Proſper: *Quid loquar & curam, magnæ quam geſſit in urbe Conſtantinopoli docto bonus ore Sacerdos Atticus, antiquâ Legatos Hæreticorum confutando fide? De qua tunc impia corda, quamvis ſe obducta tegerent velamine forma, Judicii & tacitæ tulerant tormenta repulſa.* Et in literis ad Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, jam delirare incipientem, ſanctus Pontifex Celeſtinus: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum & ſæpè damnatum dogma Pelagii atque Celeſtii, Catholica Fi-*

Fides quletem habuit, quando eos cum ſuæ opinionis ſequacibus, telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſit. Denique ſanctæ recordationis Atticus, Catholicæ Magiſter Fidei, & verè Beati Joannis Chryſoſtomi etiam ad iſta ſucceſſor, ita eos perſecutus eſt pro Rege communi, ut iis nec ſtandi quidem illic copia præſtaretur. Et infrà: *Legimus quàm benè teneas originale peccatum, qualiter ipſum naturam adſeras debitricem, & ejus debitum merito reddere, qui deſcendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt qui ſunt hæc negando damnati. Numquam ea ſine ſuſpicione, quæ ſibi ſunt adverſa, convenunt. Ejicerentur, ſi tibi quoque ſimiliter diſpliceret. Cur tamen ea, quæ in hos tunc ſunt acta, quæruntur, cùm certum ſit illinc ad nos à Catholico Antiſtite Actico Geſta directa?*

Pelagianam Sectam tunc diligebant multi etiam in Italia Epiſcopi, quos inter fuit Julianus, Memorii Capuani Epiſcopi filius, quem in virorum illuſtrium catalogo Gennadius Maſſilienſis ſcribit etiam fuiſſe Epiſcopum Capuanum: Quidam mendum putant, ac legendum: *Epiſcopus Campanus*. Varii variam illi in Campania adſcribunt ſedem. Erat juvenis, ingenio acer, eloquio germanè Romanus, Græcè ac Latinè doctus, tantuſque amator pauperum, ut de ipſo pergat Gennadius: *Julianus tempore famis & anguſtiæ, indigentibus omnibus ſuis prorogatis, multos miſerationis ſpecie, nobilium præcipuè Religioſorum, illicitens, hæreſi ſuæ ſociavit.*

Pelagii & Celeſtii cauſam per laudatas Zozymi Encyclicas literas ac Honorii legem videns Romæ deſperatam, ipſique reparandæ nec hujus, utpotè ſimplicis Monachi, nec iſtius, utpotè pauperis Presbyteri, ſufficere humeros, ſuos ſuppoſuit: A laudatis literis ad generalem appellavit Synodum. Verùm ad iſtam, utpotè totius mundi commotricem, Romanus Pontifex non niſi ſacra Auguſti Principis juſſione compelli poterat. Hinc Conſtantinopolim ad Theodoſium Auguſtum Julianus Legatos miſit, in Romanam & Africanam Eccleſiam criminationibus onuſtos, dictam Synodum poſtulaturos. Legatorum unus videtur ipſe fuiſſe Celeſtius.

Porrò in ſecreta, quam ſuis ad Anaſtaſium Auguſtum Legatis dedit, inſtructione ſcribit Hormiſda Pontifex: *Eſt conſuetudo per Epiſcopum Conſtantinopolitanum omnes Imperatori* advenas *Epiſcopos*, adeoque & Clericos *præſentari*. Advenas Epiſcopos & Clericos diſcutiebat Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & ſacras Principis aures incongruis precibus moleſtari non permittebat. Hinc Juliani Legatos diſcuſſit Atticus, eorum ſuſpectas preces deduxit ad ſuam Synodum, damnavit dogmata, Apoſtolicæ Sedis firmavit judicium, ipſos removit à Principis aure, & uti manifeſtos ac turbulentos hæreticos Regia civitate ejecit. Acta periere.

Tunc in rabiem actus Julianus omnes facundæ ſuæ maledicentiæ laxavit habenas, tunc famoſas illas ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum, Apoſtolicæ Sedis in Illyrico Vicarium emiſit literas, quibus non Africanam tantùm, ſed & Romanam Eccleſiam ab Auguſtino, vilis in Africa oppiduli Epiſcopo, in horrendos errores & prævaricationis crimen eſſe circumſcriptam vociferatus eſt. Vociferatus eſt catholicam veritatem opprimi, denegari Synodalem audientiam, palàm prædicari Manicheiſmum, ideòque omnes ubique Epiſcopos obteſtatus eſt, ut à contagioſa iſtorum Prævaricatorum communione ſe ſecernerent, ſervarentque immaculatos.

Et tunc factum eſt, quod in libro contra Collatorem ſcribit S. Proſper: *Bonifacius Papa Zozymi ſucceſſor, cum eſſet ipſe doctiſſimus, adversùs libros tamen Pelagianorum Beati Auguſtini Epiſcopi Reſponſa poſcebat.* Ex ejus juſſu literas ſuſtas quatuor libris revicit Auguſtinus, oſtendens poſt definitivum Romanæ Eccleſiæ judicium non eſſe poſtulandam audientiam, ſed ſolam reſtare pœnitentiam: Nec ex victoriæ fiducia, ſed ex ſola nominis libidine peti illam à Juliano, ut ſaltem de commoto Romano orbe gloriari poſſet, & juvenilem ſuam animoſitatem iſto ſumo conſolari. Romanam Eccleſiam in dirimendis fidei quæſtionibus eſſe infallibilem, lucidè & conſtanter docuit Auguſtinus. Hinc & unanimem Sanctorum Patrum conſenſum mirè in libris adversùs Julianum exaltat: Ejus, adeòque & Apoſtolicæ Sedis, ex ipſo definire conſuetæ, auctoritatem oſtendit omni generali Synodo eſſe firmiorem.

Hinc item intelliges ea, quæ in laudatis ad Neſtorium literis proſequitur Celeſtinus: Romanam Eccleſiam de Attici defuncti ſucceſſore dicit fuiſſe admodum ſollicitam, gaviſamque ſucceſſiſſe Siſinnium, virum quidem ſimplicem, ejuſdem tamen fidei & zeli. Ne quis, forte Conſtantinopolitanus Epiſcopus Pelagianos induceret ad Principem, & ipſum ad generalem Synodum indulgendam circumſcriberet, metuebat Apoſtolica Sedes, ideoque de bono Siſinnio fuit lætata. Generalem enim Synodum eſſe motum totius mundi, ideòque ſine extrema neceſſitate non oportere concedi, ad Gratianum Auguſtum rectè ſcripſit ſanctus Ambroſius.

Honorii & Theodoſii Auguſtorum ſecunda Lex adversùs Pelagianos.

EOdem tempore factum eſt, de quo rursùm laudatus Proſper: *Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum devotione gaudebat, & contra Inimicos gratiæ non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regiis utebatur Edictis.* Superiùs laudata adversùm Pelagii & Celeſtii perſonas ac ſectatores lex providebat ſoli Romani Urbe & locis ſuburbicariis, atque ita aliæ Provinciæ videbantur ejus beneficio non poſſe nuti. Hinc Alipium Tagaſtenſem in Numidia Epiſcopum Aurelius primas Carthaginenſis legavit Romam ad ſacrum Comitatum, quo lex iſta etiam ad Africam, Pelagianis Laicis, Clericis, immò & Epiſcopis infeſticem, extenderetur. Legationem ſuam Alipius juxta Sardicenſem Canonem expoſuit Pontifici, atque ita ab illo adjutus impetravit præſentem legem, qua Aurelius Primas quoſvis Pelagianos Epiſcopos poſſit uti hæreticos degradare, ac in ipſorum ſedes conſecrare alios. Et hæc eſt lex, quam in ſancti Auguſtini vita laudat Poſſidius, ac in Bibliotheca Photius. Data eſt Monaxio & Plintha Conſulibus, anno Domini quadringenteſimo decimo

nono, Bonifacii Pontificis primo. Eam per omnes Africæ Provincias publicavit Aurelius: Edictum item hinc damus. Quæ omnia debemus etiam eximio Henrico Gravio.

Imperatores Honorius & Theodosius Augusti, Aurelio Episcopo salutem.

DUdum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Celestius, nefandi dogmatis repertores, ab urbe Roma, veluti quædam catholicæ veritatis contagia, pellerentur, ne ignorantium mentes leva persuasione perverterent. In quo Clementia nostra secuta est judicium Sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut consistutio geminaretur, cogit, recenti quoque sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacumque Provinciarum parte latitare non neticrens aut propellere, aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes tacito consensu asserunt, vel publica oppugnatione non destruunt (Pater Charissime atque Amantissime) Sanctitatis tuæ authoritate moneri convenit, quatenùs in abolitione præposteræ hæresis, omnium devotio Christianorum consentiat. Religio itaque tua competentibus Scriptis universos faciat admoneri, scitutos definitione testimonii tui, hanc tibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum (quo pateat mens pura) subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, interdicta in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur. Nam cùm ipsi nos juxta Synodum Nicænam confessione sincera Conditorem rerum omnium Deum, Imperiique nostri veneremur Auctor m, non patietur Sanctitas tua sectæ detestabilis homines, in injuriam religionis, nova & inusitata meditantes secretis tractatibus occultare sacrilegium, publica semet authoritate damnatum. Una enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint. *Et aliâ manu.* Divinitas te per multos annos servet incolumen, Pater charissime atque amantissime Data quinto Idus Junias, Ravennæ, Monaxio, & Plintha Consf.

Sequebantur hæc in codice: Eodem tenore etiam ad S. Augustinum Episcopum datum Rescriptum.

His acceptis, Aurelius Carthaginensis Episcopus ad Episcopos sibi subditos dedit Epistolam, cui hujusmodi legebatur in codice inscriptus titulus.

Epistola S. Aurelii Carthaginensis Episcopi ad omnes Episcopos per Byzacenam & Azuritanam Provinciam constitutos de damnatione Pelagii & Celestii hæreticorum.

DIlectissimis ac desiderabilissimis Fratribus ac Consacerdotibus, Donatiano primæ Sedis, Januario, Felici Palatino, Primiano, Gajano, & aliis Gajano, Januario, Victoriano, & cæteris per tractum Provinviæ Byzacenæ & Azuritanæ constitutis, Aurelius Episcopus.

Super Celestii & Pelagii damnatione, eorumque dogmatibus, participem sanctam Dei Dilectionem vestram in plenario Concilio fuisse commemini, Dilectissimi ac desiderabilissimi Fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor Regis est constitutum, gloriosissimorum Principum Christianorum, fidem rectam & Catholicam custodientium, accessit auctoritas, quam per Humilitatem meam universis Coepiscopis meis voluit intimari: Idcircò honestabilem Fraternitatem Vestram, missis exemplaribus, instruere festinavi, ne quid mali in aliqua parte Provinciæ ex supradictorum fertentina persuasione, ab universali Ecclesia totius orbis excluså, fortasse subrepat Ob hoc ergo tam necessaria concertatio Christianorum Principum Charitatem Vestram latere non debuit, & ad me ab his datæ literæ: Quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisque vestrum debeat, Dilectio vestra cognoscat, sive quorum Synodalibus gestis subscripto jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ interesse Concilio. Quo cùm in supradictorum hæreticorum damnatione omnium vestrum fuerit integra subscriptio, nihil omninò sit, unde ullius dissimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forsitan pravitatis aliqua videatur meritò remanssise suspicio. *Et alia manu:* Opto, Fratres, benè vivatis mei memores. Data Kalend. Augusti, Carthagine, Monaxio & Plintha Cõsulibus.

Constantii Augusti Lex adversùs Pelagianos.

PErgit Phorius: *Etiam Constantius, Placidiæ conjux, Valentiniani minoris Pater, de Coelestio hæretico in exilium pellendo scripsit Decretum ad Volusianum urbis Præfectum. Qui quidem Volusianus, Sanctæ Melaniæ Patruus, cum Gentilibus tunc sentiebat, at dum eum mors Legatum Constantinopoli agentem invaserat, ad Orthodoxam fidem transiit, baptizatusque est à S. Proclo Constantinopolitano.* Hic est nobilissimus ille Volusianus, ad quem varias de fide nostra Epistolas dedit S. Augustinus. Et hanc legem è tenebris eruit eximius Henricus Gravius. Data est Theodosii nono, tertio Constantii Consulatu, anno Domini quadringentesimo vigesimo; Tunc enim Constantius è Cæsare exaltatus fuit in Augustum.

Quidam per Aurelium Primatem degradati Episcopi & Clerici, nec non & ipse Celestius, denuò accessere Constantinopolim, à novo Principe Constantio sperantes Synodi generalis solatium: Novus enim Princeps solet in supplicantes esse pronior. Etiam Volusianus, utpotè gentilis ideòque originale peccatum, ac ejus medicinalem JESU-CHRISTI gratiam non penetrans, videtur negligentior, immò & indulgentior in ipsos fuisse. Hinc ab Attico Episcopo monitus, & avitæ pietatis memor Constantius, rigidissimam in ipsos edixit legem, omnem ejus prævaricationem sanciens esse capitalem. Et hæc quidem in Hæreticos capitalis lex est omnium Romanorum prima.

An-

Antiqua Gratiani Imperatoris lex degradatum Epiſcopum, quo turbas ciere non valeat, mandat ad centum à ſua civitate milliaria relegari. Hæc lex quemvis Pelagianum totidem milliaribus abeſſe mandat à civitate Conſtantinopolitana. Ita omnem illis eradicat ſpem ac viam generalis Synodi deinceps poſtulandæ.

Regiæ urbis Præfectus Divales leges ſolebat publicandas mittere ad Prætoriorum Præfectos, hi ad Provinciarum Rectores. Amborum programmata ſeu Edicta hic item habes.

Imperator Conſtantius Volusiano Urbis Præfecto.

CUm tùm præteritæ ſuperſtitionis, tùm recentis plena vanitatis jam dudum corrigi juſſerimus, quotidianis inſinuationibus major fieri denunciatur. Et quoniam diſcordia animas commovet populorum, ea quæ jam dudum juſſeramus, præcepimus iterari. Undè his lectis, Eximietas Tua, omnes qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat ſtatim muris urbis expelli, ita tamen, ut ne intra centeſimum quidem lapidem habeant licentiam conſiſtendi. Celeſtium quoque magis ac magis ex urbe expelli mandamus. Conſtat enim, iiſdem è medio ſublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps ſi tale quippiam fuerit nunciatum, officium Præſtantiæ Tuæ capitali ſententiæ ſubdendum eſſe cognoſcat. Non enim patimur impunitum eſſe, præcepta noſtra executionis negligentia protelari. Vale Patens chariſſime & amantiſſime. *Et adjecta ſubſcriptio.* Impleatur quod juſſimus, quia hoc famæ tuæ expedit.

Volusianus Præfectus Urbis dixit.

HActenùs Celeſtium, divinæ fidei & quietis publicæ turbatorem, judiciis amica reis ſecreta ſubduxerunt. Jam leges etiam Edicti perſequentur abſentem. Cui, quod primum eſt, æternæ urbis negatur habitatio: ut ſi vel in proximis fuerit diverſatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque auſus ſui, cunctos hujus Edicti cautione præmonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet eſſe præbendam, ne cum hujuſmodi ſit poſita pœna, ſupplicium ac ſtylum neceſſe ſit proſcriptionis incurrere, quiſquis reum divinis humaniſque legibus apud ſe putaverit occultandum.

Junius Quartus, Palladius, Monaxius & Agricola, iterùm Præfecti Prætorio dixerunt.

ADversùs Pelagium atque Celeſtium, catholici dogmatis fidem ſævis tractatibus deſtruentes, ſententia principalis invaluit, ut venerabili urbe ſummoti bonorum conſortio multarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet Edicto, ne quis ſiniſtræ perſuaſionis erroribus credulum præſtet aſſenſum. Et ſi ille ſit plebeius, aut Clericus, qui in caliginis hujus obſcæna reciderit, à quocumque tractus ad Judicem, ſine accuſatricis diſcretione perſonæ, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exilium. Nam ſuperna Majeſtas ut colligit ex ſecreti ignoratione reverentiam, ita & inepta diſputationi injuriam eximit per Edictum.

Duodecim Articuli, quos in hac materia eſſe fidei Regulas judicavit Sanctus Auguſtinus.

VItalis quidam, Eccleſiæ Carthaginenſis neſcio an Laicus, an Clericus, Semi-pelagianæ factionis fuit primus præcurſor & auctor. Ejus errorem laudatus Auguſtinus exponit in hæc verba: *Te audio dicere, ut recte credamus in Deum, & Evangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt, & propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe. Et ad hoc, cum audieris: Quid eſt ergo quod ait Apoſtolus:* Deus in nobis operatur & perficere, *reſpondes, per legem ſuam, per ſcripturas ſuas Deum operari ut velimus, quas vel legimus vel audimus, ſed eis conſentire vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippè ille, dicis, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cùm nobis nota fiunt ejus eloquia; ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficimus.* De ſolo fidei ac bonæ voluntatis primo exordio errabat Vitalis, qui poſteà fuit etiam ex erroribus Maſſilienſium. Eum lucidè revicit Auguſtinus in Epiſtola centeſima ſeptima, & homini firmando fixit hæc duodecim materiæ hujus fundamentalis capita.

CAPITULUM I.

1. QUoniam, propitio Chriſto, Chriſtiani Catholici ſumus, ſcimus nondùm natos nihil egiſſe in vita proprii boni ſeu mali, nec ſecundùm merita prioris alicujus vitæ, quæ nulla propria ſinguli habere potuerunt, in hujus vitæ venire miſerias; ſed tamen ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari ſupplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes tranſiens juſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto.

2. Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus ſecundùm merita noſtra dari.

3. Scimus majoribus ad ſingulos actus dari.

4. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolùm ſecundùm merita operum non dari, ſed non ſecundùm merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.

5. Scimus eis quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari.

6. Scimus eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.

7. Scimus quod omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, non ſecundùm ea quæ ſi diutiùs viveret geſturus fuit, ſive bonum ſive malum.

8. Scimus etiam parvulos ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos quibus pro illis reſpondentibus & renun-

tiare diabolo dicuntur, & credere in Deum, unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Undè & ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt; id eſt, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducaverunt vel non manducaverunt, quando & ſanguinem biberunt vel non biberunt, ſecundùm hæc ergò quæ per corpus geſſerunt, non ſecundùm ea quæ ſi diu hic viverent geſturi fuerant, judicantur.

8. Simul felices eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, ſi tempore diuturniore vixiſſent.

10. Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere voluntate ac libero arbitrio.

11. Scimus pro eis qui nolunt credere, nos qui jam credimus, rectà fide agere cùm Deum oramus ut velint.

12. Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis rectè atque veraciter & debere nos Deo agere gratias & ſolere.

Valentiniani tertii Imperatoris adversùm Pelagianos Lex.

ETiam Gallicanam Eccleſiam, & quoſdam ejus Epiſcopos invaſit hæc lues, ideoque Patroclus Arelatenſis Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis per Galliam Vicarius, Domini anno quadringenteſimo vigeſimoquinto impetravit à Valentiniano tertio legem, cujus hæc eſt pars.

Imperatores Theodoſius Auguſtus, & Valentinianus Cæſar Armatio, viro illuſtri, Præfecto Prætorio Galliarum.

DIverſos Epiſcopos, nefarium Pelagiani & Celeſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctæ legis Antiſtitem præcipimus conveniri. Quos quia confidimus emendari, niſi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeque Catholicæ Fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco Sacerdotum fidelis ſubrogari, quatenùs præſentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum diſciplinæ reſtituatur. Data VII. Idus Julias Aquilejæ. Conſſ. D. N. Theodoſio Aug. XI. & Valentiniano Cæſ. Conſ.

ROMANA S. CELESTINI PONTIFICIS

SYNODUS.

HAnc Synodum laudat in libro contra Collatorem S. Proſper : *Venerabilis memoriæ Pontifex Celeſtinus, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentia remedium eſſe præſtandum, Celeſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi. Adeo & Præceſſorum ſuorum Statuta, & Decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò ſegniori cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare Catholicam etiam barbaram fecit Chriſtianam.* Quæ cuncta eadem Synodo videntur geſta. Eam ejuſdem Proſperi Chronicon quadringenteſimo trigeſimo, Hermanno Contracto adſcribit anno quadringenteſimo vigeſimo nono.

ACTIO PRIMA.

PER laudatam Conſtantii legem ad centum à Regia urbe millia extruſus Celeſtius rediit in Italiam, cauſam ſine examine deciſam blaterare, & provocare ad Synodum perrexit, & cum Collegis Epiſcopis egit turbas. Hinc ipſum regradavit Pontifex, proſcripſit ab Italia, & ubicumque proſcribi mandavit.

Nec ſolùm ipſum, ſed etiam Julianum, Florum, Fabium, Orentium, Marcellinum, Perſidium, & ſimiles neſcio quarum in Italia Sedium dejecit Epiſcopos : Nec tantùm juxta Gratiani legem ad centum ab ipſorum civitate millia, ſed extra omnem item Italiam abjecit.

Hinc & ipſi reſumpſere appellationem, intrarunt Conſtantinopolim, à Neſtorio ejuſdem commatis Epiſcopo fuere introducti ad Principem, ut orthodoxis temporibus paſſi perſecutionem, quin & Celeſtino Pontifici commendati. Verùm hic reſcripſit Atticum fuiſſe imitandum, & effrontes hæreticos juxta Principum leges intra Regiam civitatem nec admittendos. Amborum literas habes in prima parte Conciliii Epheſini.

Hac item Actione factum eſt, quod ad Julianum, Collegæ ſui Turbantii virtutes extollentem, in primo noviſſimi operis libro ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Utinam imiteris Turbantium, à veſtro errore liberatum.* Regradari ac deportari hic metuens, hac in Synodo valedixit Pelagio, atque ita ex diſpenſatoria Catholicæ Matris gratia Epiſcopus manſit.

ACTIO SECUNDA.

HAnc actionem ad quadringenteſimum trigeſimum Domini annum laudat S. Proſperi Chronicon: *Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani Epiſcopi filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui in-*

insinuatione corrumpit. Sed actione Palladii Diaconi Papa Celestinus Germanum Antissiodorensem Episcopum vice sua mittit, ut deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat. Pelagium ex Cambrensi apud Britannos Monacho fuisse Bannachorensis ibidem Cœnobii ac Gymnasii Præfectum, ipsique Romam digresso successisse Leporium Agricolam, adserunt vetusti Britonum Annales. Damnatis item Pelagianis iteratas toties sententias non sufficisse, sed remotas etiam Provincias & gentes fuisse ab ipsis infestatas, scribit ad Maximianum, degradati Nestorii in Constantinopolitano Episcopatu successorem, noster Pontifex Celestinus. Hinc quidam suum etiam natale solum invaserunt, corrupete laudatum Cœnobium, & Apostolicam Sedem ad hanc Synodum coegerunt.

ACTIO TERTIA.

UTraque Scotia erat tunc adeò barbara, ut humanas adhuc carnes voraret. Ita adfirmat S. Hieronymus. Vicinæ Britanniæ adflictio eam duxit in Synodi hujus memoriam, atque ita factum est, quod in Chronico laudat S. Prosper: *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papa Celestino Palladius, & primus Episcopus mittitur.* Sic barbara Insula profecit in Christianam.

GALLICANA INCERTI LOCI SYNODUS.

HAnc Synodum laudat in primo Anglicanæ historiæ libro venerabilis Beda: *Hæresis Pelagiana, per Agricolam illata Severiani Episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœda peste commaculaverat. Verùm Britanni, cùm neque susciperè perversum dogma gratiam Christi blasphemando, ullatenùs vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent, inveniunt salubre consilium, ut à Gallicanis Antistitibus auxilium belli spiritualis inquirant. Quam ob causam collecta magna Synodo, quærebant in commune, qui illuc ad succurrendum fidei mitti deberent, atque omnium judicio eligebantur Apostolici Sacerdotes, Germanus Antissiodorensis, & Lupus Tricassinæ Civitatis Episcopus, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœlestis Britannias venirent.* Quod ipsum in Sancti Germani vita Constantius Presbyter, ac in Eutropii supplemento adfirmat Paulus Diaconus.

Postulatum à Romana Ecclesia auxilium Britonibus visum fuit moras nectere, ideoque ad vicinos Galliæ Collegas habuere refugium: & hi magna collecta Synodo, Apostolicam Sancti Germani legationem probarunt, & Sanctum Lupum adjunxerunt. Annum ignoro. Quin utraque in Synodo Pelagiani errores denuò damnati fuerint, non est ambigendum.

GENERALIS EPHESINÆ SYNODI ADVERSUS PELAGIANOS ACTA.

IN apertam ac pertinacem hæreseos prædicationem lapso Nestorio præcepit Celestinus Pontifex, ut intra decem dies meliora saperet ac solemniter profiteretur, alioquin eo ipso Episcopatum amitteret & Christianam communionem. Amici varii, præsertim Joannes Patriarcha Antiochenus, ipsum ad obediendum, & multa Ecclesiæ mala redimenda sunt ferió adhortati; verùm Julianus ac alii præfati Pelagianorum Episcopi ad generalem provocare Synodum ei persuaserunt, in turbida hac aqua sperantes & ipsi aliquid piscari.

Synodus hæc habuit tres Primates Episcopos: Sanctum Cyrillum, Alexandriæ Patriarcham, Celestini Papæ Vicarium, Joannem Patriarcham Antiochenum, ac ipsum Nestorium. Hinc & dolosi isti in tres se divisere classes, & quidam huic, quidam istis adhæsere, turbarum ansam ubique venantes. Et è Joannis Patriarchæ Episcopis aliquos omninò seduxerunt. Lucet ex Synodali in ipsos sententia: *Quidam ex ipsis Celestis sententias sequi sunt deprehensi.* Et in sua ad Rufum Thessalonicensem Episcopum relatione idem Joannes accusavit Sanctum Cyrillum, quod adhærentes haberet homines ob hæresim degradatos, Enthusiastas ac Pelagianos. Quin & Divalis sacra, quam per Joannem sacratum largitionum Comitem Theodosius Augustus misit ad Synodum, non solis legitimis, sed & hisce Pelagianis Episcopis fuit inscripta. Aliud enim isti non egerunt, quam ut hujus Synodi & Nestorianæ appellationis aliqua portio crederentur.

Miserandam fcissuram passa fuit hæc Synodus. Multi enim Sanctum Cyrillum, multi Episcopi secuti sunt Joannem Antiochenum: Adversas fecere Synodos, ac degradationis elogio invicem fœdarunt. Pelagiani videntur tunc tertium agitasse conventiculum, & conflasse illa Pseudo-Acta, quibus damnatur originale peccatum, & Catholica doctrina traducitur ut Manichæa, & quæ uti legitima ad sanctum Gregorium magnum misit Joannes Neusletta, Patriarcha Constantinopolitanus. Ejusmodi fucis hæreses passim promoventur.

Adversùs illius Divalis inscriptionem omnis Synodus fuit protestata. In eximia item illa, quam pro omni Africana Ecclesia per Basilam Diaconum misit Capreolus Carthaginensis Episcopus. Epistola obtestatur Synodum, ne damnatis hæresibus alteras indulgeat disputationes, quibus lucida veritas denuò inquietetur. Palam loquitur adversùs Pelagianos. Et ita omninò jubebat factæ per Apostolicam Sedem decisionis auctoritas.

Istorum tamen importunitas aliud extorsit. Lucet ex Synodali ad Celestinum Pontificem Relatione: *Porrò perlectis in sancta Synodo commentariis Adlorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum, Celestii, Pelagii, Juliani, Perfidii, Flori, Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium, quæ à Pietate Tua de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida, firmaque permanere debere, & idem omnes Tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Ipsorum ergò causa istic retractata fuit, ac iterum damnata. Eam damnarunt Canon primus & quartus.

Et hinc in Bibliotheca rectè scribit Photius: *Pelagiana hæresis anathemate damnata est in sacra Ephesina Synodo.* Et in Carmine de Ingratis S.


image
not
available

Dilectiſſimis Fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Silluctо, & cæteris Galliarum Epiſcopis
Celeſtinus.

APoſtolici verba præcepti ſunt, apud Judæos atque Gentiles ſine offenſione nos eſſe debere. Hoc quiſquis Chriſtianus eſt, tota animi virtute cuſtodit. Quod cùm ita ſit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, iſta contriſtent, quæ auctoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos, Dominicus in Evangelio ſermo teſtatur. Ait enim ipſe Salvator, quod expediat ſcandalizanti unum de puſillis, in maris profundum demergi. Ideò quæ ſit jam ejus pœna quæramus, cui tale ſupplicium legimus expedire.

CAPITULUM I.

FIlii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſolicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati. Sed veſtræ Dilectioni juſtiùs imputamus, quando illi ſupra vos habent copiam diſputandi. Legimus ſuper magiſtrum non eſſe diſcipulum, hoc eſt, non ſibi debere quemquam ad injuriam Doctorum vendicare doctrinam. Nam & hos ipſos à Deo noſtro poſitos novimus ad docendum, cum ſit dicente Apoſtolo eis tertius locus intra Eccleſiam deputandus. Quid illic ſpei eſt, ubi magiſtris tacentibus hi loquuntur, qui ſi ita eſt, eorum diſcipuli non fuerunt? Timeo ne connivere ſit hoc tacere. Timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori. Ergò corripiantur hujuſmodi. Non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. Conantur ſæpè naufragio mergere, quos intra portum ſtantes ſtatio facit ſida ſecuros. Fida quippè eſt omnium ſtatio, quorum perfectis greſſibus veſtigia non moventur. Recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti Sedem, hæc ipſa nobis quæ tentat perturbatio conquerentes. Habetote, Fratres chariſſimi, pro Catholicæ plebis pace tractatum. Sciant ſe, ſi tamen cenſeantur Presbyterii dignitate, vobis eſſe ſubjectos. Sciant omnes qui malè docent, quod ſibi diſcere magis ac magis competat, quam docere. Nam quid in Eccleſiis vos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi? Niſi fortè illud obſiſtat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui è Fratrum numero, nuper de Laicorum conſortio in Collegium noſtrum fortaſſe admiſſi, neſciant quid ſibi debeant vendicare. Super his multa jam dicta ſunt eo tempore, quo ad Fratris Tuentii dedimus Scripta Reſponſum. Nunc tamen repetentes ſæpiùs admonemus ut vitentur hujuſmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noſter juſſit Agricola, ſeminare. Nec tamen mirari poſſumus, ſi hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcientium fratrum memoriam diſſipare.

CAPITULUM II.

AUguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt; utpotè qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde reſiſtatur talibus, quos malè creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoque convenit macerari: Quamvis maneat hos beatitudo promiſſa, quicumque probantur perſecutionem propter juſtitiam ſuſtinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, ſequens ſermo declarat. Non eſt agentium cauſa ſolutum, quando univerſalis Eccleſia quacumque novitate pulſatur. Intelligamus hæc ipſa vobis, quæ nobis non placent, diſplicere. Quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio de tali re impoſterum querela ceſſaverit. Dominus incolumes vos cuſtodiat, Fratres chariſſimi.

Sanctorum Proſperi ac Hilarii per Celeſtini Epiſtolam confirmata Capitula.

QUæſtio eſt, An undecim, quæ Celeſtini Epiſtolæ adnecti paſſim ſolent, Capitula ſint etiam Celeſtini? Petrus Diaconus, Orientalis Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem Legatus in libello de Gratia & Incarnatione, quem ſancto Fulgentio, & aliis Afrorum Epiſcopis obtulit, lucidè adfirmat. Adducit varia Romanorum Pontificum Decreta, & pergit: *His congruè Beatiſſimus Celeſtinus in Epiſtola ad Gallos data.* Adducit octavum & nonum Capitulum. Ejuſdem ſententiæ fuit in libro adversùs Joannem Erigenam Florus Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, ejus item Epiſcopus Sanctus Remigius in libro de tribus Epiſtolis, & in libro de tenenda ſacræ Scripturæ veritate: Hincmarus item Remenſis Metropolita doctiſſimus, Cardinalis Creſconius, & Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Et antiquiſſimi codices Celeſtini Epiſtolam, & hæc Capitula in unum libellum paſſim jungunt.

Verùm verba, hæc Epiſtolæ, *Dominus incolumes vos cuſtodiat, Fratres chariſſimi*, aliud omninò edicunt. Sunt lucidus Epiſtolæ ſuis: Plura iſtud ipſum omnibus Eruditis jam pridem perſuaſere. Et hinc rectè in Annalibus ſcribit Cardinalis Baronius: *Putantur iſta Capita eſſe Proſperi, qui, ut profiteri videtur, ea collegit ex Decretis Romanorum Pontificum, ſimulque Concilii Africanis.* Quidam exiſtimant ea libello, quem Sedi Apoſtolicæ obtulerunt Proſper & Hilarius, fuiſſe adnexa, ab illis impetratam iſtam Celeſtini Epiſtolam,

lam, atque ita ipſa eſſe per eam confirmata. Et id non caret fundamento.

Quæſtio eſt, Ex quo fonte prodierit tanta erroris antiquitas? Etenim laudatus Petrus Diaconus fuit Celeſtino Pontifici ferè coævus. Reſpondeo non eſſe errorem. Proſper quippè & Hilarius ſua illa Capitula laudatis literis mox adjunxere, & vulgarunt non uti ſua ampliùs, ſed uti ſancti Celeſtini: quoniam quod confirmat Romanus Pontifex, facit eſſe ſuum. Et hinc de eiſdem ad Poſſeſſorem Epiſcopum ſcripſit Hormiſda Pontifex: *De Arbitrio libero & Gratia Dei in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa Capitula continentur.* Ea non dicit eſſe Romanæ Eccleſiæ, ſed uti per ipſam confirmata in ejus ſcriniis cuſtodiri.

CAPITULORUM PRÆFATIO.

QUia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, id damnatis hæreticorum ſenſibus, ſeu pravitate, ſeu imperitia demorantes, piiſſimis diſputatoribus obviare præſumunt; & cùm Pelagium atque Celeſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, eaque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit: Neceſſarium igitur fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrii defenſores quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint, ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cùm probarunt. Ut ergo plenìùs qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo. Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat.

CAPITULUM PRIMUM.

Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi gratia poſſe ſalvari.

IN prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in Epiſtola ad Carthaginenſe Concilium: *Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demerſus eſt, & nihil quemadmodum exindè reſurgere poſſet invenit, ſuaque in æternum libertate deceptus, huic ruinæ ſubjacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſtea Chriſti per ſuam gratiam revelaſſet adventus, qui per novæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium ſui baptiſmatis lavacro purgavit.*

II.

Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus.

NEminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus, Quod in eiſdem Scriptis ejuſdem Pontificis ſententia proteſtatur, dicens: *Nam quid nos de eorum poſt hæc rectum mentibus æſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quòd boni ſunt, nec illum conſiderant, cujus quotidie gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt?*

III.

Quòd niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus.

NEminem etiam baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. Quod ejuſdem Antiſtitis in eiſdem paginis doctrina confirmat, dicens: *Nam quamvis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterùm poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodùm poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, quotidiana præſtans illi remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

IV.

Quòd per Chriſtum libero benè utamur arbitrio.

QUòd nemo niſi per Chriſtum libero benè utatur arbitrio, idem magiſter in Epiſtola ad Milevitanum Concilium data præcat, dicens: *Adverte tandem, ò præviſſimarum mentium perverſa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentiùs frænis ejus utitur, in prævaricationis præſumptionem concideret. Nec ex hac potuit erui, niſi providentia ei regenerationis flatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus.*

V.

Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.

QUòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt, quia nemo aliundè ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit. In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zozymi regularis auctoritas, cùm ſcribens ad totius Orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, undè naſcuntur) ad Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus.* Hunc autem ſermo-

ſermonem, ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem, tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum reſcriberent: *Illud verò quod in literis, quas ad univerſas Provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens*, Nos tamen inſtinctu Dei, &c. *Sic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium exſtollunt humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſientes, amputares. Quid enim tam libere feciſti arbitrio, quàm quod univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fideniterque dixiſti. Ideò utique, quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt: Ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ fingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

V I.

Quòd omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.

QUòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſſionem idem Doctor inſtituit, qui cùm ad totius orbis Epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur, *Quod ergò tempus*, ait, *intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, ut quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo*, Non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aeris hujus, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. *Et ſicut ipſe iterùm dicit*: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM-CHRISTUM Dominum noſtrum. *Et iterùm*: Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

V I I.

Quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adjuvat ne committantur, & præſtat ut lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facilè, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.

ILlud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi Decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis Decretum ampleƈtimur, quod ſcilicet tertio Capitulo definitum eſt: *Ut quicumque dixerit gratiam Dei, qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Et iterùm Capitulo quarto: *Ut ſi quis dixerit gratiam Dei per Jeſum Chriſtum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus*, Scientia inflat, charitas verò ædificat, *Valdè impium eſt, ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædificat non habere; cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt*, Qui docet hominem ſcientiam, *ita etiam ſcriptum eſt*, Charitas ex Deo eſt. Item quinto Capitulo: *Ut quiſquis dixerit, ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa divina implere mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, Sine me difficilùs poteſtis facere, ſed ait*, Sine me nihil poteſtis facere.

V I I I.

Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.

PRæter eas autem Beatiſſimæ & Apoſtolicæ Sedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos piiſſimi Patres, peſtiferæ novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam, ad Chriſti gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo tradita, atque in omni Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud divinam Clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum congemiſcente Eccleſia poſtulant & precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut Idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut Hæretici Catholicæ Fidei perceptione reſipiſcant, ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant, ut Lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœleſtis aula miſericordiæ reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus: Quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferas in regnum Filii charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ. Quod adeò totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

IX. *Quòd*

IX.

Quòd gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflatione Spiritus ab eis abiguntur.

ILlud etiam, quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu : Cùm ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorciſmis & exſufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur ; ut tunc verè appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo priùs alligetur Fortis, & deinceps vaſa ejus diripiantur, in poſſeſſionem translata victoris, qui captivam duxit captivitatem, & dat dona hominibus. His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati ſumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum fateamur Auctorem, & non dubitemus ab ipſius gratia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur ; ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum. Tanta enim erga omnes homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus. Nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid in nobis ex noſtra videremus remiſſione langueſcere, ad illum ſollicitè recurramus, qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidie dicimus, *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.*

X.

Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitùs afferendæ.

PRofundiores, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere : Quia ad confirendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos Scripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

ROMANA XIXTI TERTII PONTIFICIS SYNODUS.

OMnem in Neſtorianos ac Pelagianos clementiam Epheſino Concilio commendarat Celeſtinus Pontifex. *Habent*, inquit, *ſi reſipiſcant, copiam revertendi. Quod his ſolis non permittitur, quos propria cum auctoribus hæreſes omnium Fratrum conſtat ſubſcriptione damnatos. Per Dei enim miſericordiam aliquos ex eorum numero ad nos jam rediiſſe gaudemus.* Quæ Romana clementia animavit etiam Julianum, de quo S. Proſper in Chronico : *Hac tempeſtate Julianus Heclanenſis Epiſcopus, jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in Eccleſiæ communionem ſubrepere. Sed his inſidiis Xixtus Papa, Diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit. Et ita omnes Catholicos dejectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim apoſtolicus gladius detruncaſſet.* Non Laicam, ſed Epiſcopalem dumtaxat communionem denegavit : Quod nempè Julianus eſſet & unus ex Sectæ auctoribus, & omnium Epiſcoporum ſubſcriptione apud Epheſum damnatus.

Et tunc adimpleta fuit ſpes illa, quam de laudato Pontifice habuit adverſùm Hypocritarum inſidias S. Proſper : Quod in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Celeſtino operatus fuerat, Dominus operatus eſt & in Xixto, & *in cuſtodia Dominici gregis, hæc fuit pars gloriæ reſervata huic Paſtori, ut ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depelleret occultos.* Factum id fuit anno Domini quadringenteſimo quadrageſimo.

In libro cui titulus, *Dimidium temporis*, laudatus Proſper, aut alius quis ejus auctor pergit : *Nobis apud Campaniam conſtitutis, Venerabilis Papa Leo Manicheos ſubvertit, & contrivit Pelagianos, & maximè Julianum.* Repulſam à Xixto paſſus Julianus abjit in natalem Campaniam, nec à turbis ceſſavit. Hinc eò acceſſiſſe videtur Succeſſor Leo, & ſuprà laudatam Gratiani Auguſti legem eſſe in ipſum executus. Quare deſperatus ille dicitur transfretaſſe ad Siculos, omnium rerum inopia fuiſſe iſtic compulſus ad pueris tradenda prima literarum elementa, miſerabilis ibidem ſenuiſſe, & objiſſe. Ibidem objerat & Pelagii magiſter Ruffinus.

AQUILEJENSIS SYNODUS.

PEr omnes vagari Provincias, & ſibi ab Epheſino Concilio indultæ reparationis gratiam venari ab incautis Epiſcopis, non deſiit Pelagiana factio, *hinc maximè expetens fructum, ut ſub velamento communionis plures domos adeat, & per falſi nominis ſcientiam multorum corda corrumpat.* Et reperit Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum, Veneriarum Metropolitam, à quo non Laicos tantùm, ſed & plures Presbyteros, Diaconos, alioſque Clericos fuiſſe fine profeſſione in gradum receptos, permiſſuſque liberè vagari, apud S. Leonem Magnum queſtus eſt Septimius Epiſcopus Altinenſis.

Nicetam Pontifex corripuit, juſſitque fieri Provincialem Synodum, decreturam ſequentia. Primò, ut nullus deinceps, ſeu Laicus ſeu Clericus, Pelagianus in communionem admittatur aut gradum, niſi *apertis profeſſionibus damnent ſui ſuperbi*

superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit detestentur, omniaque Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, completi se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.

Secundò, ut omnes huc usque sine tali professione suscepti evocentur ad ipsam coram Synodo faciendam, & data ipsis reparatio sit eò usque suspensa. Nullum enim Hæreticum aliter recipi mandat antiquissima Patrum disciplina.

Tertiò, ut nullus, ex Pelagianis præsertim, Clericus permittatur vagari, sed cuncti ad fixum sui cituli ministerium cogantur. Ita enim mandat Apostolicus Canon, firmatus per Synodum Nicænam.

Latiùs hæc habes in Jaudatis Pontificis literis ad præfatos Septimium ac Nicetam. Episcopatum hic iniit anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono, Synodi annus ignoratur.

S. GELASII PONTIFICIS DECRETA.

E Venetorum Provincia ejecti Pelagiani abiere ad Dalmatas, recidiva illic feminarunt zizania, corrupere multos, rursus appellarunt ad generalem Synodum, instantes causam suam retractari. Superbissimi erroris primum auctorem fuisse ipsum in cœlo Luciferum, ac ex illo ipsum rebellasse in Divinam Majestatem, eique voluisse esse similem, insigniter in literis ad Demetriadem ostendit S. Prosper. Hinc ejus sequaces post tot Patrum Synodos, etiam post Ephesinam generalem, post tot Apostolicæ Sedis Decreta, post tot Augustorum Principum leges, appellasse adhuc, & perstitisse rebelles, ne admireris. Ea interim omnia per graves ad Honorium Salonitanum Episcopum, Dalmatiæ Metropolitam, querelas & literas ursit S. Papa Gelasius, multis ostendens damnatæ toties blasphemiæ non posse indulgeri examen novum, & adjungens. *An fortassè nescitis hanc hæresim & ab Apostolica dudum Sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deindè Zozymum, Bonifacium, Cœlestinum, Xistum, Leonem, continuis & incessabilibus sententiis fuisse proscriptam? Nec tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed Principum quoque Romanorum eo tempore damnatam, ut nusquam terrarum vivendi locum Sectatores ejus habere finerentur.* Data est Epistola quinto Kalendas Augusti, Albino Consule, Domini anno quadringentesimo nonagesimo tertio.

Eo tempore Gothi, Ariani & Barbari, vexabant Italiam, atque ita languebat istic Ecclesiastica disciplina. Apud Picenos nescio quis *miserabilis senex, Seneca nomine*, ordine Presbyter, *totius eruditionis ignarus*, Pelagiano in cœno fœtebat totus, docuitque sequentia.

Primò, *in matrum uteris opere Divino creari infantes, ideoque justum non videri, quod factura Dei sine ullis propriis actionibus culpam peccato gignatur obnoxia.*

Secundò, Decedentes sine Baptismo infantes non intrare quidem Dei Regnum, attamen non mitti in damnationem, sed admitti ad vitam æternam.

Tertiò. *Quòd homo per liberum arbitrium, bono suffragante naturæ, beatus*, seu justus *effici latur.*

Quarto, *beatæ memoræ Hieronymum & Augustinum, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, in Sacerdotum præsentia lacerabat.*

Hæc omnia Episcoporum sacordiæ ad cripsit Gelasius, & eruditis literis singulos damnavit errores. Originale peccatum ostendit esse ex primo Protoplastorum verso in naturam delicto contagium, ideoque Divinæ justitiæ per omnia conforme. Ecclesiæ fidem vatè firmat.

Ad secundum, ait à parvulis istis manducatam non fuisse Filii hominis Carnem, nec bibitum Sanguinem, ideoque ipsos excludi etiam à vita æterna, & concludit: *Tollant de medio nescio quem tertium, quem decipiendis parvulis faciunt, locum.*

Capitulum tertium dicit esse *toti mundi cognita atque convicta Pelagianorum deliramenta.* Ait *liberum*, id est operandæ justitiæ validum, *arbitrium* primo peccato esse *corruptum, fœdatum, perditum*, ideoque reparari oportere, & reparari non posse, nisi per gratiam ejus, qui dixit: *Cùm vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Etiam *illud peculiare, olimque detritum Pelagianorum virus, quo putant gratiam Dei secundùm merita hominum posse conferri*, iterùm damnat, sanciens etiam primum fidei exordium esse Dei donum.

Sanctos Hieronymum & Augustinum à moritura musca lacerari dicit esse scelus summum, & ab Episcopis non tolerandum. Data est Epistola eodem Consule, verùm Kalendis Novembris.

Anno sequenti Romanam septuaginta Episcoporum Synodum fecit idem Pontifex, in qua authenticorum & prohibendorum librorum condidit catalogum, & in primo hæc posuit: *Opuscula sancti Augustini, Item Opuscula Prosperi.* In secundo hæc: *Opuscula Cassiani Presbyteri. Opuscula Fausti Rejensis.* Ea sancit apocrypha. Sancit adversùs Gennadii Massilienlis Catalogum, qui Fausti opuscula plurimùm laudans putatur Pontifici nostro fuisse inscriptus.

ARAUSICANA SYNODUS.

FAustus, ex Lerinensi Monacho Episcopus Rejensis, tres edidit Epistolas. Primam ad Lucidum Presbyterum, Prædestinationæ hæreſis fectatorem, in qua singulos hujus erroris articulos edicit, & Errorem ad ipsorum ejurationem seriò hortatur. Altera est ipsius Lucidi ad Synodum Arelatensem: Hac Fausto ille obedit, & Synodo se plenè submittit. Tertia est rursùm Fausti ad sanctum Leontium Arelatensem Archi Episcopum, & ipsi in Lugdunensi Synodo adlidentes Collegas, qua Synodalium apud Arelatum Actorum digestionem sibi gloriatur delegatam, & adjungit: *In quo quidem opusculo post Arelatensis Synodi subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.* Quæ, quales, quo tempore fuerint istæ Synodi, dudùm quæsierunt Eruditi, & necdum invenerunt. Nec mirum. Quod enim non est, quomodò reperias? Quò Augustinianam à Romana Ecclesia tunc sæpius vindicatam, doctrinam Prædestinatianæ fabulæ

fabulæ calumnia denuò macularet, Lucidum Presbyterum finxisse creditur Fauſtus, duaſque de ipſo Synodos, ſuum iſtic probatum opuſculum, & datum mandatum ipſi adverſùm novos errores aliqua addendi. Quam impoſturam eruditus Vir nuper demonſtravit lucidè, ac revicit.

Ex iſto interim imaginario mandato Fauſtus edidit duos libros de Gratia & Libero arbitrio, atque ita omnem rursùs, Gallicanam præſertim, Eccleſiam graviſſimè inquietavit. Operis enim iſtius patrocinium ſuſceeperunt Gennadius Presbyter Maſſilienſis, Sidonius Apollinaris Epiſcopus Arvernenſis, aliique viri clari: Etiam Conſtantinopoli ob gentis ſuæ negotia apud Juſtinum Auguſtum degens Poſſeſſor Africanus Epiſcopus, addens tamen à ſe lecta octo ſolùm priora Capita, ideòque de toto corpore ſe non judicare. Et reverà virus maximè latet in Capitibus poſterioribus. Iſta etiam in urbe fuiſſe graves de his libris motus, teſtatur Poſſeſſor in literis ad Pontificem Horſmiſdam.

Eos verò ad apocrypha proſcripſit Sanctus Papa Gelaſius, ſeptem libris revicit Sanctus Fulgentius Ruſpenſis in Byzacena Africa Epiſcopus, & Gelaſii judicium in ſuo ad Poſſeſſorem Reſcripto firmavit laudatus Hormiſda. Verùm Joanni Maxentio, ſuſpecto licèt de occulta Eutychetis perfidia, erudito tamen apud Thracum Schytas Monacho, cenſura iſta viſa eſt nimiùm gratioſa, ideòque & Papale Reſcriptum, uti ſuppoſititium, invaſit Scythico impetu, lucidè oſtendens Fauſti Opus non dumtaxat apocryphum eſſe, ſed plenè hæreticum, & Auguſtinianæ de Gratia doctrinæ capitaliter adverſum. Ei ſe junxit in libello de Gratia ac Incarnatione, Africanis Epiſcopis oblato, alter Scythiæ Monachus Petrus Diaconus, Orientalis Eccleſiæ ad Romanam Legatus.

Adverſùm eoidem libros, ac ex ipſis perſeverantes in Gallia motus S. Cæſarius, è Lerinenſi item Monacho Arelatenſis Archi-Epiſcopus, ſcripſit librum illum, de quo in virorum illuſtrium Catalogo præfatus Gennadius: *Cæſarius de Gratia & Libero arbitrio edidit teſtimonia Divinarum Scripturarum, & SS. Patrum judicia munita, ubi docet hominem de proprio nihil boni agere, niſi eum Divina Gratia prævenat.* Palmaris enim cum Fauſto & omnibus Semi Pelagianis quæſtio erat de primo fidei & bonæ voluntatis exordio, ſeu de Gratia præveniente. Pergit Gennadius: *Quod opus etiam Papa Felix per ſuam Epiſtolam roboravit, & in latius promulgavit.* Fuit is Felix quartus.

Verùm neque ſic motus ceſſarunt. Illuſtris vir, Patricius ac Galliarum Prætorio Præfectus, Liberius in Arauſicana Civitate exſtruxerat novam Baſilicam, & ad ejus dedicationem non ſolùm S. Cæſarium, ſed & omnes vicinos invitavit Epiſcopos: Ita tunc erat in more. Auguſtinianæ non tantùm doctrinæ, ſed & perſonæ amantiſſimus erat Cæſarius: Nam & illo, quo Auguſtinus obierat, proximo die mori & ipſe petiit à Deo, ac impetravit. Authentica de Gratia Dei & Libero arbitrio Capitula in Romanæ Eccleſiæ ſcriniis ſervari didicerat ex Hormiſdæ ad Poſſeſſorem Epiſtola; Ipſa ſibi à laudato Papa Felice tranſmitti flagitavit, ex laudatæ dedicationis occaſione facturus Synodum, & motum omnem compoſiturus. Alii volunt non ad ejus preces, ſed proprio Pontificis motu tranſmiſſa. Non conſtat: Et non refert.

Quæſtio prima eſt, An hæc Capitula ſint ea ipſa, quæ in literis ad Poſſeſſorem laudavit Hormiſda? Reſpondeo eſſe incertum. Eruditorum verior opinio cenſet laudata per Hormiſdam Capitula eſſe illa, quæ ſibi à Proſpero ac Hilario oblata confirmavit S. Celeſtinus, adeòque ab his diverſa: Illa enim ſunt ſolùm undecim, hæc viginti quinque. Alii putant à Proſpero, dum Sancto Leoni Magno fuit à conſcribendis Epiſtolis, collecta & Romanæ Eccleſiæ archivis indita fuiſſe è S. Auguſtini libris longè plura Capitula: Quò etiam ad futuros Semi-Pelagianorum motus Apoſtolicam Sedem armaret. Alii volunt collecta ab ipſo Papa Felice. Quidquid ſit ex Auguſtini partim libris, partim ex Proſperi ſententiis ſunt deflorata, fuere viginti quinque, & ipſa per hanc Synodum admitti juſſit Cæſarius, ac probari.

Altera quæſtio eſt, Quo tempore fuerit celebrata hæc Synodus? Majores noſtri celebratam credidere circa tempora Sancti Leonis. Verùm adpoſitus Conſul evincit aliud. Habita eſt Conſulatu Decii Junioris, qui eſt Chriſti Domini annus quingenteſimus vigeſimus nonus, Felicis quarti tertius, tertius item Auguſti Juſtiniani. Et Sanctum Cæſarium à quingenteſimo ſecundo uſque ad ejuſdem ſæculi quadrageſimum tertium annum ſedìſſe Epiſcopum, docent tabulæ Eccleſiæ Arelatenſis. Nec à S. Leone, aut ejus ſucceſſore Hilaro, ſed à Felicis quarti ſucceſſore Bonifacio ſecundo Synodus noſtra fuit confirmata.

Apoſtolica confirmatio non erat neceſſaria. E Romanæ enim Eccleſiæ ſcriniis tranſmiſſa Capitula hìc dumtaxat fuerant acceptata. Confirmationis cauſam edicunt in S. Cæſarii vita Annales Lerinenſes: *Multi æmuli* adverſùs Cæſarium & hanc ejus Synodum *inſurrexerunt, qui ejus reſſiterent doctrinæ de Gratia, & mala interpretatione quorumdam oberitur in Gallicanis partibus contra præditionem hominis Dei finiſtra ſuſpicio.* Quod prima etiam fidei ac bonæ voluntatis exordia eſſe Dei dona definiſſet hæc Synodus, omninò averſabantur. Hinc ad nuper defuncti Felicis ſucceſſorem Bonifacium retulit omnia Cæſarius, ſuæque Synodi obtinuit novam confirmationem, de qua Foſſatenſis ac Laudunenſis Cœnobiorum antiquus ad Jacobum Sirmondum Codex: *In hoc Codice continetur Synodus Araufcana, quam per auctoritatem S. Bonifacii Papa confirmavit, & ideò quicumque aliter de Gratia & Libero arbitrio crediderit, quàm vel iſta auctoritas continet, vel in iſta Synodo conſtituum eſt, contrarium ſe Sedi Apoſtolicæ, & univerſæ per totum mundum Eccleſiæ eſſe cognoſcat.* Confirmatricem, quæ dudùm latuit, Epiſtolam hic etiam damus.

At ecce necdum quies. Etenim quidam laudatæ confirmationis ignari Epiſcopi in Valentina Gallorum Civitate fecerunt Synodum, ſuum de primo fidei ac bonæ voluntatis exordio errorem adverſùs noſtram Synodum firmaturi. Æger Cæſarius eo accedere non potuit, ideòque vice

ſua

sua legavit de suæ Provinciæ Episcopis & Clericis viros præstantissimos, quorum os erat Cyprianus Tolonensis Episcopus, de quo laudati Annales Lerinenses : Errantium Episcoporum *intentionibus Vir Dei Cyprianus dedit veram & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam bonæ memoriæ Bonifacius, Romanæ Ecclesiæ Papa, eadem collucutione cognita, calcata intentione jurgantium, professionem S. Cæsarii Apostolica auctoritate firmavit. Ita donante Christo, paulatim Ecclesiarum Antistites receperunt, quod optaverat Diabolus repentina animositate cessare.*

ACTORUM SYNODALIUM PRÆFATIO.

CUm ad dedicationem Basilicæ, quam Illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Araufica Civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta conlatio; pervenit ad nos esse aliquos, qui de Gratia & Libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm Fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde id nobis, secundùm admonitionem & auctoritatem Sedis Apostolicæ, justum ac rationabile visum est, ut pauca Capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de Gratia & Libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.

CAPITULUM PRIMUM.

Quòd per peccatum Adæ non solùm corpus, sed anima etiam læsa fuerat.

SI quis per offensam prævaricationis Adæ, non totum, id est, secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti : *Anima quæ peccaverit ipsa moritur.* Et, *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis ?* Et, *A quo quis superatur, ejus & servus addicitur.*

II.

Quòd peccatum Adæ non ipsi solùm nocuit, sed ad posteros quoque transiit.

Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

III.

Quòd Gratia Dei non ad invocationem detur, sed ipsa faciat ut invocetur.

Si quis ad invocationem humanam Gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocentur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : *Inventus sum, à non quærentibus me; palàm apparui his, qui me non interrogabant.*

IV.

Quòd Deus, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram non expectet, sed præparet.

Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsis Spiritui sancto per Salomonem dicenti : *Præparatur voluntas à Domino.* Et Apostolo salubriter prædicanti : *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate sua.*

V.

Quòd initium fidei non ex nobis, sed ex gratia Dei sit.

Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem sacri Baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente : *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* Et illud : *Vobis datum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et, *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis : Dei enim donum est.* Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

VI.

Quòd sine gratia Dei, credentibus & petentibus misericordia non conferatur, cùm gratia ipsa faciat, ut credamus & petamus.

Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus,

per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse contentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti? Et, Gratia Dei sum id quod sum.*

VII.

Quòd viribus naturæ bonum aliquid, quod ad salutem pertineat, cogitare aut eligere sine gratia non possimus.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli: *Non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

VIII.

Quòd per liberum arbitrium ad gratiam Baptismi nullus pervenire possit.

Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam Baptismi posse venire contendit, à rectâ fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et Apostolus: *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu Sancto.*

IX.

De adjutorio Dei, per quod bona operamur.

Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur operatur.

X.

De adjutorio Dei omnibus semper implorando.

Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

XI.

De obligatione votorum.

Nemo quicquam Domino rectè voverit, nisi ab ipso acceperit quod voveret, sicut legitur: *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

XII.

Quales nos diligat Deus.

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

XIII.

De reparatione liberi arbitrii.

Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Undè veritas ipsa dicit: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

XIV.

Quòd ut liberemur à miseria, misericordia Dei prævenimur.

Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia ejus prævenit me.*

XV.

Quòd per gratiam Dei in melius mutatur fidelis.

Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam, ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi; hæc secundùm Psalmistam, *Mutatio est dexteræ Excelsi.*

XVI.

Quòd ex eo quod habemus non sit gloriandum, cùm ex Deo sit.

Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit, aut ideò se putet accepisse, quia litera extrinsecùs, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Porrò autem si non gratis mortuus est, ascendens in altum captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet quicumque habet. Quisquis autem se inde habere negat, aut verè non habet, aut id quod videtur habere, auferetur ab eo.

XVII.

De Fortitudine Christiana.

Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

XVIII.

Nullis meritis gratiam prævenire.

Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.

XIX.

Neminem nisi Deo miserante salvari.

Natura humana, etiamsi in illa integritate, in

in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Undè cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

XX.

Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat ut faciat homo.

XXI.

De natura & gratia.

Sicut eis qui volentes in lege juſtificari, & à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus, *Si ex lege juſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*; ſic eis qui gratiam, quam commendat & percipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſſimè dicitur, *Si per naturam juſtitia eſt, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt.* Jam hic enim erat lex, & non juſtificabat: jam hic erat & natura, & non juſtificabat. Ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, ut & lex per illum impleretur qui dixit, *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*: Et natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit veniſſe ſe quærere & ſalvare quod perierat.

XXII.

De his quæ hominum propria ſunt.

Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.

XXIII.

De voluntate Dei & hominis.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſpliceat. Quando autem id faciunt quod volunt ut divinæ ſerviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo & præparatur & jubetur quod volunt.

XXIV.

De palmitibus vitis.

Ita ſunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, ſed inde accipiant undè vivant. Sic quippe vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipuli prodeſt utrumque, non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viva radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, ſine radice non poteſt vivere.

XXV.

De dilectione qua diligimus Deum.

Prorsùs donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Diſpliceantes amati ſumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffudit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

Ac ſic ſecundùm ſupraſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ divinæ prævenerit. Unde & Abel juſto, & Noe, & Abrahæ, & Iſaac, & Jacob, & omni antiquorum Patrum multitudini, illam præclaram Fidem, quam in ipſorum laude prædicat Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam. Quam gratiam, etiam poſt adventum Chriſti Domini, omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio haberi, ſed Chriſti novimus ſimul & credimus largitate conferri; ſecundùm illud quod ſæpè jam dictum eſt, & quod prædicat Paulus Apoſtolus: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et illud: *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Et illud: *Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt.* Et quod de ſeipſo ait Apoſtolus: *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Non dixit, *Quia eram*, ſed *ut eſſem.* Et illud: *Quid habes quod non acceperiſti?* Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quicquam, niſi illi datum fuerit deſuper.* Innumerabilia ſunt ſacrarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſunt ad probandam gratiam proferri; ſed brevitatis ſtudio prætermiſſa ſunt, quia & revera cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundùm fidem catholicam credimus, quod acceptæ per baptiſmum gratiæ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat, ut & baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adjutorio, ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Undè manifeſtiſſimè credendum eſt quod & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zacchæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum. Et quia definitionem antiquorum Patrum, noſtramque, quæ ſupraſcripta eſt, non ſolùm Religioſis, ſed etiam Laicis medicamentum eſſe, & deſideramus & cupimus; placuit ut eam etiam & illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad

præfatam feſtivitatem convenerunt, propria manu ſubſcriberent.

Dilectiſſimo Fratri Cæſario Bonifacius.

PEr filium noſtrum Armenium Presbyterum & Abbatem literas Tuæ Fraternitatis accepimus, quas ad nos ſub ea qua in Deo tenemur charitate direxeras, quibus credideras poſtulandum, ut id quod à beatæ recordationis Deceſſore noſtro Papa Felice pro Catholicæ fidei popoſceras firmitate, mea explicaretur inſtantia. Sed quia id voluntas ſuperna diſpoſuit, ut quod per nos ab illo ſperaveras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei ſolliciti dine conceſſi, Catholicum non diſtulimus dare reſponſum. Indicans enim, quod aliqui Epiſcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantùm quà in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint, non gratiæ, & hominibus ex Adam, quod dici nefas eſt, in libero arbitrio remaniſſe, non etiam nunc in ſingulis miſericordiæ divinæ largitate conferri: Poſtulans, ut pro ambiguitate tollenda, confeſſionem veſtram, qua vos è diverſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, juxta catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirati, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus. Atque ideò, cùm de hac re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & majores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſima, ut nulli ulterius deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia, ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici, maximè cùm ſecundùm eas, quas ex Apoſtolo direxiſti ſententias, quibus dicit, *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem*; Et alibi, *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, verùm etiam ut pro eo patiamini*; evidenter appareat fidem, qua in Chriſto credimus, ſicut & omnia bona, ſingulis hominibus ex dono ſupernæ venire gratiæ, non ex humanæ poteſtate naturæ. Quod etiam Fraternitatem Tuam, habita conlatione cum quibuſdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus ſenſiſſe Catholicam: In his ſcilicet, in quibus uno, ſicut indicaſti, conſenſu definierunt fidem, quà in Chriſto credimus, gratia divinitatis præveniente conferri: adjicientes etiam, nihil eſſe prorſus ſecundùm Deum boni, quod ſine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſſit, dicente ipſo Salvatore noſtro, *Sine me nihil poteſtis facere*. Certum eſt enim, atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput eſt fides, nolentes nos miſericordia divina præveniat, ut in fide duremus, ſicut David Prophetа dicit: *Deus meus miſericordia ejus præveniet me*. Et iterùm: *Miſericordia mea cum ipſo eſt*. Et alibi: *Miſericordia ejus ſubſequetur me*. Similiter & Beatus Paulus dicit: *Aut quia prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Unde nimis eos qui contra ſentiunt, admiramur uſque eo vetuſti erroris adhuc reliquiis prægravari, ut ad Chriſtum non credant Dei beneficio, ſed naturæ perveniri; & ipſius naturæ bonum, quod Adæ peccato noſcitur depravatum, auctorem noſtræ fidei dicant magis eſſe quàm Chriſtum, nec intelligant ſe Dominicæ reclamare ſententiæ dicenti: *Nemo venit ad me, niſi datum fuerit illi à Patre meo*. Sed & Beato Paulo ſimul obſiſtere clamanti ad Hebræos: *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei conſummatorem Jeſum Chriſtum*. Quæ cum ita ſint, invenire non poſſumus quid ad credendum in Chriſto, ſine Dei gratia humanæ deputent voluntati, cùm Chriſtus auctor conſummatorque ſit fidei. Quapropter affectu congruo ſalutantes, ſupraſcriptam confeſſionem veſtram conſentaneam catholicis Patrum regulis adprobamus. Illos autem, qui præceden e fide, cætera, ſicut indicas, volunt gratiæ deputare, ſua profeſſione conſtringimus, ut multò magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adſcribere, præter quam nihil eſt boni, quod ſecundùm Deum quilibet valeat operari, ſicut Beatus Apoſtolus dicit: *Omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt*. Quod cùm ita ſit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, ſi ei fidem ſubtrahere moliuntur; aut ſi quod bonum eſſe dicunt de gratia, ipſa neceſſariò fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni eſt ſine fide, fides autem ipſa venire negetur ex gratia, nullum, quod abſit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Jacobus Apoſtolus: *Omne donum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Et ipſi fatentur, ut dicis, dona cætera donari per gratiam; ipſa autem bona fide ſubſiſtere non ambigunt. Univerſa ergo neceſſariò fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum quod gratiæ tribuunt, ſeparare non poſſunt. His itaque breviter adſignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur Epiſtola continere, quàm à quodam tibi mandaſti Sacerdote tranſmiſſam, reſpondendum non duximus, quia ſperamus de miſericordia divina, quod ita per miniſterium Tuæ Fraternitatis atque doctrinam, in omnium quos diſſentire mandaſti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex ſe, ſed ex divina credant gratia proficiſci, cùm ſe ſenſerint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum eſt enim: *Præparatur voluntas à Domino*. Et alibi: *Scio quia non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet donum*. Deus te incolumen cuſtodiat, Frater chariſſime. Data viij. Kalend. Februarias, Lampadio & Oreſte VV. CC. Conſulibus.

CARISIACA SYNODUS.

POſt dictam Valentinam Synodum omnes de Gratia ac libero arbitrio quæſtiones per duo ſecula ſiluerunt uſque ad tempora Severini Pontificis. Tunc enim apud Hibernos reſurgere malum tentavit. Lucet ex literis, quas ſucceſſor Joannes IV. ſcripſit ad iſtius Eccleſiæ Clerum: *Cognovimus quod virus Pelagianæ hæreſeos apud vos denuò revivíſcit*. Eam dicit à ducentis annis aboli-

tam,

tam, & Romæ adhuc in dies damnari & concludit: *Hortamur ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres resuscitentur.*

Successere Hispanorum lites de duplici Prædestinatione, de quibus inter Adriani primi Pontificis Acta exstat Epigraphe litterarum, quibus *Egilam in Hispania Episcopum* dicitur *monuisse de Prædestinatione hominis, sive ad bonum, sive ad malum*. Eandem modico post tempore quæstionem acerrimè movit Godescalcus, Orbacensis apud Svessiones Cœnobii Monachus, adseverans non solùm ad vitam æternam, sed ad gebennas à Deo prædestinari homines. Ad istam gratis, ad has ex prævisis meritis. Etiam alia, vera quidem, sed eruditori stylo docuit, ob quæ à Rabano Moguntino, Hincmaro Remensi, aliisque istius sæculi clarissimis Episcopis damnatus, carceratus, punitus fuit, tamquam Hæreticus Prædestinatianus. Alij illum operosissimè expurgant. Videant eruditum opus Gilberti Mauguin. Quidquid sit, acerbissimè usque ad mortem tractatus, ideoque *Monachus miserabilis* fuit meritò dictus. Anno octingentesimo quinquagesimo tertio præfatus Hincmarus in Carisiaco Regum Galliæ Palatio fecit Synodum, & adversùs Godescalci doctrinam edidit quatuor Capitula, de quibus Bertiniani Francorum Annales: *Carolus* Calvus Francorum *Rex Carisiacum veniens, cum quibusdam Episcopis & Abbatibus monasticis, quatuor Capitula edidit, & propria subscriptione roboravit.*

CAPITULUM PRIMUM.

Quòd una tantùm sit Prædestinatio Dei.

DEus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè utens peccavit & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & justus elegit ex eadem massa perditionis secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit æternam; cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit, pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit, æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.

II.

Quòd liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur.

Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: Et habemus liberum arbitrium ad bonum, præventum & adjutum gratia; & habemus liberum arbitrium ad malum, destitutum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

III.

Quòd Deus omnes homines velit salvos fieri.

Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quòd autem quidam salvantur, salvantis est donum; quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

IV.

Quo Christus pro omnibus hominibus mortuus sit.

CHRISTUS JESUS Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quòd verò omnes passionis mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretii copiositatem, sed ad infidelium, & ad eos credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, efficit partem, quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

VALENTINA SYNODUS.

CApitula hæc graviter displicuerunt Sancto Remigio Archi-Episcopo Lugdunensi. Et ipsius & ejus Clerus varii ipsa libris impugnavit, ac tandem anno octingentesimo quinquagesimo quinto fecit hanc è suæ Lugdunensis. Viennensis, ac Arelatensis Provinciarum Episcopis Synodum, & edidit hæc sex adversa Capitula.

CAPITULUM PRIMUM.

Quod novitates vocum omni studio vitandæ sint.

QUia Doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee, Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et iterùm: *Profana autem & inaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Et iterùm: *Stultas autem & sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites; Servum autem Domini non oportet litigare.* Et iterùm; *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Paci, quantum Deus dederit, & charitati studere cupientes, attendentes pium ejusdem Apostoli consilium, *sollicite servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, novitates vocum, & præsumptivas garrulitates, undè potiùs inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quàm ædificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus. Indubitanter autem Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus, id est Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, cæterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum, & obtemperanter intellectum submittimus, & pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur. Nam de præscientia Dei, & de prædestinatione, & de quæstionibus aliis, in quibus Fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantùm firmissimè tenendum esse credimus, quod ex ma-

ternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

II.

De æterna Dei præscientia bonorum & malorum.

Deum præscire & præcisisse æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus, *Deus æterne, qui absconditorii es cognitor, qui posti omnia antequam sunt*, fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præcisisse omninò per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos; malos præcisisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos, ut secundùm Psalmistam, *Quia potestas Dei est, & Domini misericordia, reddat unicuique secundùm opera sua.* Et sicut Apostolica Doctrina se habet: *His quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam; his autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem sensu idem alibi: *In revelatione*, inquit, *Domini Jesu Christi de cælo cum Angelis virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorsùs ulli malo præscientium Dei imposuisse necessitatem ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præscivit ex sua omnipotenti & incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

III.

De Prædestinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.

Sed & de prædestinatione Dei placuit, juxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi & statim subjungit: *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata, sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituro rum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundùm Scripturam dicentem: *Qui fecit quæ futura sunt.* In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse, & prædestinasse, quia justus est, apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum: *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum: *Cognovi quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum.* Non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.

IV.

De redemptione Sanguinis Christi, & de quatuor & novemdecim Capitulis.

Item de redemptione Sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud Propheticum, *Ero mors tua à mors, ero morsus tuus inferne;* illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Apostolus: *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum nostrorum minùs prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, sed & alia XIX. syllogismis inepissimè conclusa, & licet jactetur, nulla sæculari literatura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitùs explodimus, & ut talia & similia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus, novarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus.

V.

Quod omnes regenerati à peccatis ablui sint, non tamen omnes salvi fiant.

Item firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo Fidelium ex aqua & Spiritu sancto

cto regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, & juxta doctrinam Apoſtolicam in morte Chriſti baptizata, in ejus ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta: Quia nec in eis potuit eſſe vera regeneratio, niſi fierat & vera redemptio, cùm in Eccleſiæ Sacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium, ſed prorsùs totum verum, & ipſa ſui veritate ac ſinceritate ſubnixum. Ex ipſa tamen multitudine Fidelium & redemptorum, alios ſalvari æterna ſalute, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent, ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes, *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*; alios quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, redemptioniſque gratiam potiùs irritam facere prava doctrina vel vita, quam ſervare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque ſi quidem doctrinam pii Doctoris habemus: *Quicumque baptizati ſumus in* CHRISTO JESU, *in morte ipſius baptizati ſumus*: Et: *Omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Et iterùm; *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei adſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem*. Et iterùm: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Et iterùm: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

VI.

De Gratia & libero Arbitrio.

Item de Gratia, per quam ſalvantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, ſed per gratiam Domini Jeſu fidelidus ejus redintegrato & ſanato, idipſum conſtantiſſimè & fide plena fatemur, quod SS. Patres auctoritate ſacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arauſica Synodus profeſſa eſt, quod beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholica fide tenuerunt: Sed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præſumentes. Ineptas autem quæſtiunculas, & paniles penè fabulas, Scotorumque pultes, puritati fidei naufeam inferentes, quæ periculoſiſſimis & graviſſimis temporibus, ad cumulum laborum noſtrorum, uſque ad ſciſſionem charitatis miſerabiliter & lacrymabiliter ſuccreverunt, ne mentes Chriſtianæ inde corrumpantur, & excidant à ſimplicitate & caſtitate fidei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, penitùs reſpuimus, & ut fraterna charitas cavendo à talibus auditum caſtiget, Domini Chriſti amore monemus. Recordetur Fraternitas malis mundi graviſſimis ſe urgeri, meſſe nimia iniquorum & paleis levium hominum ſe duriſſimè ſuffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, & ſuperfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret; ſed potiùs certa & vera fide, quod à Sanctis Patribus de his & ſimilibus ſufficienter profecutum eſt, amplectatur.

SANCTI NICOLAI PRIMI PONTIFICIS

De his quæſtionibus Decretum.

REmigius & Hincmarus erant grandes in Gallia Epiſcopi: Arietarunt ſeſe invicem, adeoque & omnem iſtic Eccleſiam & Regnum. Finem dedit Sanctus Pontifex Nicolaus, anno dicti ſæculi quinquageſimo nono emittens Decretum, cujus huc uſque magno Chriſtianæ eruditionis damno latentis Compendium habes apud memoratos Annales Bertinianos: *Nicolaus Pontifex Romanus de Gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ Prædeſtinationis, & Sanguine Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & catholicè decernit*. Valentinæ Synodi Decreta firmavit. Quæ ipſa verba ſuis, memoratis ab Hincmaro in litteris ad Egilonem Archiepiſcopum Senonenſem Annalibus inſeruit etiam Sanctus Prudentius Epiſcopus Trecenſis. Peſſimæ lites ſic iterum ſiluerunt: Quod nempè de Apoſtolicæ deciſionis infallibilitate nemo tunc in Dallia dubitaret.

DISSERTATIO DOGMATICA

DE GERMANO AC AVITO SENSU

SANCTORUM PATRUM,

UNIVERSÆ SEMPER ECCLESIÆ,

A C

SACROSANCTÆ PRÆSERTIM

TRIDENTINÆ SYNODI

CIRCA CHRISTIANAM

CONTRITIONEM

E T

ATTRITIONEM.

ADMODUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS,

NOBILIBUS DOMINIS,

DOMINIS,

PRÆPOSITO,

DECANO,

CANONICIS,

Exemptæ Eccleſiæ Cathedralis ſancti Bavonis Gandavenſis.

ADM. REVERENDI, AMPLISSIMI, NOBILES DOMINI,

Enerales Eccleſiæ Synodos in deviæ ſuæ mentis patrocinium detorquere, atque ita incruſtare calumnijs, eſt antiqua Errantium machina & conatus. Etenim Apollinarius Laodicenſis in prima Syria Epiſcopus, dum ex Nicænæ fidei verbis, *Conſubſtantialem Patri*: humanæ ac Divinæ in Chriſto Domino naturarum confuſionem ſtabilit, magnum Athanaſium in literis ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum coegit cum ſtomacho exclamare: *Quis infernus iſta eructavit?* Neque enim adſumptum hominem, ſed adſumens Verbum eſſe Patri conſubſtantiale definierat ſacroſancta Synodus Nicæna. Longè majorem injuriam paſſa ſunt glorioſa Sancti Cyrilli, Patriarchæ Alexandrini, adversùs Hæreſiarcham Neſtorium Capitula, eorumque comprobatrix & confirmatrix ſacroſancta Epheſina Synodus, dum ipſa non Errones aut Hæretici, nec ſolus cum cætera Joannis Antiocheni Patriarchæ inquieta Factione Theodoretus Cyrenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, ſed etiam cum magnis in Orthodoxo dogmate & pace Collegis S. Gennadius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, adſertæ in Chriſto Domino confuſionis infamavit, atque ita & Arianis & Apollinariſtis præbuit fomenta, Oecumenicam Synodum reddidit ſuſpectam prævaricationis, ac ſemetipſum ſtatuit ejuſdem inimicum & defenſorem. Eumdem hodie impetum patitur ſacroſancta Synodus Tridentina. Caſtam Dei dilectionem eſſe unicum novi à vetere Teſtamenti diſcrimen, unicam Chriſtianæ vitæ regulam, unicum legis & Prophetarum finem, unicum Dominici Sanguinis & Paſſionis fructum, unicam Juſtitiæ & peccatorum remiſſionis obtinendæ januam, cujus ſervilis gehennæ aut aliarum pœnarum metus ſit quidem quandoque utile, quandoque neceſſarium, ſemper tamen extrinſecum dumtaxat exordium, ex Apoſtolica & perpetua omnium ſub cœlo Eccleſiarum traditione docet laudata Synodus, & declarat diſertiſſimè; & ecce à quibuſdam, ſimplicitate aut imperitia circumſcriptis, in Eccleſiæ nobis pace dilectis Fratribus dicitur & proclamatur ſolum ſervilem gehennarum metum, adeòque ſolum judaicæ ſervitutis ſpiritum, quem Apoſtolus ac ipſe in Evangelio Dominus conteſtantur infirmum, impetrandæ per mortuorum Sacramenta Juſtitiæ adſe-

rere

rere ſufficientem: Aſſerere, quod ipſa adversùm Martini Lutheri calumnias nunquam ſenſiſſe aut docuiſſe palam proteſtata eſt, peccatores ſine bono converſæ mentis, ſeu caſtæ in Deum dilectionis motu per Pœnitentiæ Sacramentum juſtificari. Non eſt quæſtio de tribus capellis, aut de lana caprina. Solo namque ſervili metu actos peccatores eſſe marſurpia vacua, ac vivificantibus Domini noſtri Jeſu Chriſti Signaculis perperàm inſigniri, olim ad ſanctum Petrum, Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarcham & Martyrem, iſtiuſmodi Catechumenos ex cauſſis baptizantem, clamavit à ſancto Sophronio, Patriarcha Hieſolymitano, in Prato ſpirituali laudatus Angelus: *Quamdiu huc mittitis marſupia iſta, ſignata quidem, inania autem prorſus, vacua, & nihil intùs habentia?* Et quidem hunc; quandoquidem evenire oporuerit, ſimplicitatis lapſum, *Viri Adm. Reverendi* gaudeo in creditam vobis Eccleſiam irruiſſe. Hæc enim non ſuper arenam, ſed ſuper ſolidiſſimam Evangelicæ Prædicationis & veſtri Apoſtolici Pectoris petram ædificata circumferri non metuit omni vento doctrinæ: Nullus motus, nullus fluctus, nullus impetus, nulla inferorum porta ſperet adversùs ipſam prævalere. Hæc eſt Eccleſia, quæ Francorum olim ſub Carolo magno & ejus pio Filio Ludovico Epiſcopis, ſacras imagines definito per ſeptimam Synodum cultu partim ſpoliantibus, partim cum Claudio Taurinenſi damnantibus uti idola, & frangentibus, conſtantiſſima reſtitit, laudataſque Synodum ac imagines multorum ſuorum Clericorum & Monachorum ſanguine defendit. Quæ Philippi primi Burgundiæ Ducis, Principis ſui, & Philippi ſecundi Tornacenſis ſui Epiſcopi, Pſeudo-Clementis ſeptimi Factionem & Schiſma ſequentium, maculoſam communionem abjecit intrepida, & proprium ſibi Epiſcopum, Urbani ſexti legitimi Pontificis & Paſtoris verba audientem, elegit & conſecravit. Quæ inter varias ſædiſſimarum hæreſeon in Flandria procellas ſemper ſtetit illæſa, Romanæque communioni ac fidei immota adhæſit. Abſit ut talis, quam ſpiritus unctione doctam lucet, Eccleſia egeat literis foris ſonantibus. Quocirca quorumdam dumtaxat circumſcriptæ ſimplicitati inſtruendæ, & ſacroſanctæ Tridentinæ Synodo à pravis ipſorum ſuſpicionibus liberandæ conflavi Scriptum hoc ex antiquis Eccleſiæ Patribus, de quibus ad neotericos ſui temporis Doctores comparatis inſigniter ſcripſit ad Pharitium, Habendonenſis Cœnobii Abbatem, in literis apud Lucam Dacherium exſtantibus, Theobaldus Stampenſis: "*De nativitate ſententiarum* „ *hoc ſolum vobis reſpondeo, quia multò magis gratulor imitari non erubunda priorum* „ *Doctorum vigilantium veſtigia, quam modernorum dormitantium ſequi falſas opinio-* „ *nes & ſomnia. Quod enim veteres Doctores vix pertingere potuerunt vigilando, hoc* „ *quoque juniores docere præſumunt dormitando. Vigilantes autem Doctores dicuntur, qui* „ *ſanè referunt quod à ſanctis Patribus rationabiliter audierunt. Doctores verò dormitan-* „ *tes appellantur, qui ex parte ſua ſemper aliquid novitatis adferre laborant. Vadè Hi-* „ *larius Pictavienſis ait in libro, quem de Trinitate compoſuit*: Optimus quidem Le- „ *ctor eſt qui refert. Sciatis igitur me, non de aſſerentibus, ſed de referentibus eſſe; &* „ *quamdiu vita comes fuerit in hoc diligenter perſeverare.* „ Studium hoc meum boni conſulere, & comprobare dignemini, *Viri Ampliſſimi & Admodum Reverendi*, quos Deus opt. max. ad Eccleſiæ tutelam & lumen dudum cuſtodiat. *Datum Lovanii, Kalendis Junii, Anno Domini 1666.*

Minimus veſter in Domino famulus,

Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

DISSERTATIO DOGMATICA DE CHRISTIANA CONTRITIONE ET ATTRITIONE.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur definitio Contritionis generatim sumptæ, tradita per sacrosanctam Synodum Tridentinam: *Contritio est dolor animi ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Sess. 14. cap. 4.

INiqui cordis Pœnitentiam & conversionem ad Deum, quam nos Latini passim Contritionem, Græci Metanoiam vocant, Martinus Lutherus aliud non esse vult quàm novam vitam, juxta vocem popularem: *Optima Pœnitentia est nova vita.* Sensum suum edicit in sermone de Pœnitentia: *Plus tibi discutiendum confessuro, quantùm diligas Justitiam, quàm quantum odias peccatum, multoque majore, immò solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodò futuram vitam agas bonam, quàm quomodò odias aut defleas præterita mala. Verissimum est enim proverbium, & omni doctrina huc usque de Contritionibus tradita præstantiùs:* OPTIMA POENITENTIA EST NOVA VITA. Et in suorum à Leone X. Pontifice damnatorum articulorum Apologia scribit in suos adversarios: *Mirum, quid illis acciderit, ut contra omnium sensum & sententiam audeant damnare* jam dictam totius mundi paræmiam. Fluctuat tamen, & in omne se versat latus, modò adferens veram Contritionem non esse aliud quàm novam vitam, modò ipsam dumtaxat non posse esse sine nova vita, id est, sine veterem hominem innovante ac reformante charitate. *Planè*, inquit, *Apostolus docet omnia vana esse, nisi sinus nova creatura in Christo: At pœnitentia, quæ sine amore Justitiæ agitur, vetus adhuc est creatura, non plus valens quàm circumcisio aut præputium.* Errorem verò refforbet in suarum resolutionum prima conclusione: *Non ergo in usu Scripturæ Pœnitentia dolor dicitur, sed mutatio mentis & consilii.*

Error Lutheri de Contritione.

Art. 7.

Hoc ergo novæ doctrinæ monstrum eversura sacrosancta Tridentina Synodus sancit Contritionem generatim sumptam non tantùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum ac inchoationem, sed veteris etiam odium & detestationem esse, atque ita incipit ejus definitionem: *Contritio est dolor animi.* Loquitur cum Tertulliano in libro de Pœnitentia: *Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, mandat animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare.* Ejus opus esse dicit *tugemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum.* Quod ipsum in moralium sententiarum regulis tradit magnus Basilius ex facto Apostoli Petri, qui post negatum Dominum statim exivit foras ex atrio Pontificis, & pœnitens flevit amarè. Palmaris item, quam in incœtuoso Corinthio excitare conatus est Paulus Apostolus, Pœnitentiæ pars fuit mentis tristitia, & quidem tanta, ut timuerit idem Apostolus, ne ipsa ille absorberetur. Nihil frequentiùs ac ferventiùs quàm lacrymas, & mœrorem Divina Scriptura peccatoribus inculcat. Apud omnes olim sub cœlo Ecclesias prima Pœnitentium ac Pœnitentiæ clarius fuit Flentium ac dolorosus Fletus. Et hinc in libris de Pœnitentia scribit sanctus Ambrosius: *Qui agit Pœnitentiam, diluere lacrymis debet peccatum suum. Ergo lapsus nostros mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus noster ingemiscentes.* Et in literis ad Comitem Bonifacium sanctus Augustinus: *Nisi egeris Pœnitentiam, salvus esse non poteris. Quomodò enim gaudebis te esse correctum, nisi doleas fuisse perversum?* Et infrà: *Habeant Donatistæ de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem.* Et Severo Milevitano Episcopo, qui Lutherano dogmati quid in speciem simile inconsideratus scripserat, respondet: *Quasi non sint dolenda quæ malè gesta sunt, etiamsi quantùm possunt possea corrigantur.* Paradoxum & tot verbis indignum est istud Lutheri dogma: Nam & ipsi hodie Lutherani illud abominantur.

Cap. 9.

Reg. 1. cap. 3.

Lib. 2. c. 5.

Ep. 50.

Ep. 240. Et odii peccati.

Pergit sancta Synodus: *Et detestatio.* Alibi dicit: *Odium & detestatio peccati.* Rursùm loquitur cum Tertulliano in libro de Pœnitentia: *Pœniteat errorum reperta veritate; pœniteat amasse quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimus, non odisse permittimus.* Consonat in regulis brevioribus magnus Basilius *Primùm anima malè ante actam vitam suam odisse debet,*

Sess. 6. cap. 6.

Cap. 4.

Contritio debet esse dolor.

debet, ejusque memoriam abhorrere & detestari.

Reg. 11. Loqui te adfirmat ex Regio Propheta: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Et in literis

Epist. 4 ad Rusticum Monachum sanctus Hieronymus: *Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus.* Et quidem mali odium & boni amor gaudent correlativorum privilegio, sese mutuò ponunt & tollunt, remittunt & intendunt, atque ita in unum præ alio exaltare Martinus Lutherus est frustrà conatus.

Profequitur sacrosancta Synodus: *De peccato.* Etenim peccatum est unicum & adæquatum veræ pœnitentiæ objectum, & actum de boni operis officio pœnitentiam esse pestimam rei & nominis prævaricationem, rectè scribit in libro de pœni-

Cap. 2. tentia Tertullianus, declamans in Gentiles: *Quam in Pœnitentiæ actu irrationabiliter diversentur, vel uno ipso satis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis suis adhibent Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ: Prout quid in ingratiam accidit, semetipsos execrantur quia bonfecerunt, eamque maximè pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde fovunt, meminisse curantes ne quid boni rursùm præsciant; contra pœnitentiæ malorum lævius incubant.* Etiam in sequenti capite eleganter ostendit nequaquam de bono, sed de solo malo opere, seu peccato esse pœniendum. Noto interim hæc verba, *Seipsos execrantur*; Adfirmat pœnitentiam debere esse odium ac detestationem.

Esse debet odii peccati actualis.

Addit sacrosancta Synodus: *De peccato commisso.* Etiam hic cum Tertulliano loquitur in libro de Pudicitia: *Contendunt* Psychici *non comCap. 10. petere Ethnicis pœnitentiæ denunciationem, quorum delicta obnoxia ei non sunt, ignorantiæ scilicet imputanda, quam sola natura ream Deo facit. Porrò nec remedia sapere quibus pericula ipsa non sapiant, illic autem constare Pœnitentiæ rationem, ubi conscientia & voluntate delinquitur, ubi & culpa sapiat & gratia; illum lugere, illum volutari, qui sciat & quid admiserit, & quid sit recuperaturus, si pœnitentiam Deo immolarit, utique eam magis filius esse renti quàm extraneis.* Orthodoxos calumniosè appellat psychicos seu animales, perperam de erroneo taxat dogmate, rectè tamen adseverat de naturalibus seu originalibus, ideoque non voluntaria actione commissis, sed necessariò contagio contractis

Cap. 8. peccatis non esse veram pœnitentiam seu Contritionem. Quod ipsum apud sanctum Augustinum multis eleganter tradit Auctor libri de vera & falsa pœnitentia, aiens originalis peccati contagium dolendum omninò ac detestandum, at dolore qui ex intentata in nosmet-ipsos &

Cap. 6. proprium nostrum opus vindicta non procedat, 14. 16. adeoque non spectet ad solius proprii facti detestatricem & destructricem pœnitentiam. In libro de Correptione & Gratia idem docet etiam

Contritio debet esse propositum deinceps non peccandi.

ipse sanctus Augustinus. Ex hisce fontibus sacrosancta Tridentina Synodus sanxit Contritionem oportere esse dolorem ac detestationem de peccato, non quovis, sed commisso.

Concludit definitionem: *Cùm proposito non peccandi de cætero.* Loquitur ex avito Ecclesiarum ritu, quo ipsi sancti Apostoli Baptizandos ac reconciliandos jusserunt coram electis testibus solemniter diabolo, ejusque cultui, pompis, & operibus renunciare, ac plenam sub Deo & Christo ejus obedientiam atque subjectionem profiteri. Esse Apostolicum institutum adfirmat discrte in libro de Spiritu Sancto magnus Basilius, ac in libro de Corona Militis Tertullianus. Diaboli cultum & pompas esse idololatriam ac spectacula scribit in prima mystagogica catheclesi sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus, & addit de operibus: *Opera Sathanæ sunt cujusvis generis peccata, quibus te renunciare necesse est, ut cùm aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare studet. Omne igitur genus peccati sub hoc operum diaboli nomine comprehenditur.* Esse nostram cum Deo confœderationem, verba tremenda, horrendæ initiationis leges, pacta jurata, eisque ejerari Episcoporum etiam vanitates, verba & cantica impudica, omne peccati genus & speciem declamat frequenter S. Joannes Chrysostomus, & pergit in vigesimaprima Homilia ad populum Antiochenum: *Sicut servos ementes, ipsos ut venditur priùs interrogamus, an nobis servire velint, ita facit & Christus, quando debet te in servitutem capere. Priùs interrogat, an velis illum crudelem tyrannum dimittere: Et ad fœdera suscipit.* In oratione de Christi Domini Baptismo addit sanctus Gregorius Episcopus Nyssenus: *Pactum in traditione mysterii cum Deo homo facit, cùm omnem pœnam, eruciatum, & voluntatem pro illius dilectione se neglecturum esse promittit.* Hæc igitur renunciatio aliud non est quàm firma promissio, & stipulatorium cum Deo optimo maximo propositum deinceps ex nulla penitùs causa, & in nullo penitùs genere peccandi. Porrò ipsam non in solo Regenerationis, sed & in Reconciliationis Sacramento olim fuisse adhibitam, lucet ex regula, quam suis Canonicis scripsit sanctus Crodogangus Episcopus Metensis. Ejus, in Baptismo præsertim adhibitæ, causa cunctis fidelium lapsus nova & singulari malitia aggeri adiri-

Olim fiebant etiam ante Reconciliationem. Cap. 32.

mant passim Patres, intigniterque ostendit in libris de laicali institutione Jonas Episcopus Aurelianensis. L. 1. c. 3.

Etiam Patres ad Contritionem requisse dolorem de peccatis, & propositum emendationis C. 9. 11. Hom. 34.

Hinc item Ecclesiæ Patres passim adseverant utrumque jam à Tridentina Synodo laudatum actum omninò requiri ad Contritionem. In oratione de Sancto Philogonio Patriarcha Antiocheno sanctus Joannes Chrysostomus: *Discede, utique per gemitus & fletus, à malo, desine à pravitate, pollicere te posse ista non commissurum. Ego testificor & fide jubeo fore, ut si quis recedens à priscinis malis, ex animo promittat Deo se nunquam ad illa rediturum, nihil aliud requirat Deus ad excusationem majorem.* Et in libro de fide & operibus sanctus Augustinus multis probat ad Pœnitentiam requiri veteris expoliationem seu detestationem, ac novæ vitæ indumentum, seu *discessionem à peccatis, quam baptizandi profitentur.* Et in Homilia super Evangelia Gregorius magnus: *Pœnitentiam verè agere est perpetrata mala plangere, & plangenda*, falsem promissione & proposito, *deinceps non perpetrare.* Quem locum suis de laica institutione libris, & suis ad Henricum Senonensem Archi-Episcopum literis inseruerunt, & insigniter exponunt Jonas Aurelianensis Episcopus, & sanctus Bernardus. Quare eorum, qui de uno dumtaxat è pluribus commissis peccato dolent, fia-

Cap. 27. Baptismales Renunciationes exponuntur.

Ep. 42.

fraternum odium in corde retinent, aut quovis alio ex capite plenum deinceps non peccandi propositum non habent, Pœnitentiam uti falsam meritò damnarunt in quinta & septima sua Romana Synodo Gregorius VII. Pontifex, in Synodis Melphitana, Placentina, & Claromontana Urbanus II. & Innocentius II. in Synodo sua Lateranensi. Et hinc rectè dicit Tridentina Synodus de Contritione: *Voluntatem peccandi excludat.* Et iterùm: *Ac propterea moventur adversùs peccata sua per odium aliquod & detestationem.* Declarat Contritionem esse oportere, non de uno dumtaxat aut altero, sed de cunctis commissis mortalibus peccatis. Dico, *Mortalibus:* Agitur enim hic de sola illius, quæ Sacramenti Pœnitentiæ est essentialis pars, Contritionis necessaria materia, quam constat esse sola mortalia peccata.

Sess. 14. c. 4. Sess. 6. c. 6.

Propositum illud esse debet de solis peccatis mortalibus.

Porrò de mortalium peccatorum detestatione & odio scribit in libris de nuptiis & concupiscentia sanctus Augustinus: *Multum fallitur homo, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere & statuens, putat sibi esse dicendum,* NON EGO OPEROR ILLUD, *etiamsi oderit quia consentit. Simul enim est utrumque: Et ipse odit quod malum esse novit, & ipse facit quia facere statuit.* Et tales pravæ suæ voluntatis & operationis osores novimus multos. Verùm ista detestatio, illudque odium nequaquam sufficiunt ad Contritionem. *Multum interest,* inquit in libris de Sermone Domini in monte laudatus Augustinus, *quali Pœnitentiæ ignoscat Deus.* Eorum, qui statim se peccasse fatentur, & ita sibi succensent ut peccasse se vehementer nollent, & tamen quampiam iniquitatis suæ affectionem retinent, pœnitentiam damnat gravissimè, esse dicens non fidelis Christiani, sed Judæ proditoris. Quod ipsum alii Patres inculcant frequentissimè, atque ex eadem regula requirit etiam Tridentina Synodus, ut germana Contritio peccatum mortale non dumtaxat oderit, sed & excludat omnem ejus affectum.

Excludere debet affectum omnis peccati mortalis. L. 1. c. 22.

Non omnis peccati venialis.

Dico rursùs, *Affectum peccati mortalis.* Quod enim charitas illa, quæ nobis Christum Dominum ponit in fundamento, ideoque & ad justificationem omninò sufficit, ligna, fœnum, stipulas, id est, leviores creaturæ amores & ad venialia peccata affectus sibi compatiatur, manifesta est Apostoli in prioribus ad Corinthios literis doctrina. Quis non solùm Catechumenus aut Pœnitens, sed & electus fidelis semet-ipsum, propriam vitam aut famam, uxorem, filios, possessiones, aut alium quemvis humanum diem adfixiva etiam, quæ sine dolore fructari non possit, cupiditate non diligit? Nec perfecta hujus vitæ charitas possit omnem istum, salem volaticum, adsensum excludere, adeoque si ea exclusio sit de Contritionis essentia, omnes adhuc fumus in peccatis nostris, nullusque aut certè rarissimus adultus per Regenerationis ac Reconciliationis Sacramenta justificatur. Et hinc in libro de decem Cap. 11. chordis declamat S. Augustinus: *Quotidiana peccata non possunt non surrepere in animam propter fragilitatem humanam. Aliud est ubi mutes, aliud ubi toleres vitam. Illa mutanda est, si eras mœbus, noli esse mœchus, &c.* A quovis mortali purgandum, in quibusdam venialibus amoribus ac peccatis dicit vitam patienter tolerandam, istudque esse notabile inter ista peccata discrimen. Porrò patientia non est sine odio & dolore. Et hinc venialibus istis amoribus omninò debemus istud ipsum, quod involuntariis libidinum motibus nos debere scribit in libris de nuptiis & concupiscentia idem Augustinus: *Ut nec ipsi fint velle debemus, etiamsi in corpore mortis hujus id obtinere non possimus.* Motus istos debemus detestari, & in illos clamare cum Apostolo: *Quod odi illud facio, Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et hinc Contritio esse omninò debet etiam de venialibus peccatis & ad illa affectibus dolor, detestatio, odium, sed quod ipsos excludi solummodò optet & expoſcat, cunctos non excludat. Item eorumdem omnium cavendorum nobis esse nequit efficax propositum, sed desiderium solummodò & votum. Et hinc Græci illis, dum sola subjicuntur clavibus, non sacramentalem Absolutionem, sed solam admonitionem impendunt: Quod nempè ipsa aliis etiam præter Absolutionem vis remitti Dominus concesserit, & concepta de illis Contritio ex jam dictis causis quandoque vacilleat. Quare nos Latini Sacerdotes, dum ipsa sola nobis aperiuntur, sedulò agamus ut addit firma Contritio, firmum ipsa deinceps vitandi propositum, plenaque cunctì ad ipsa affectus exclusio: Hæc enim omnia spectant ad Contritionis essentiam, ideoque & ad essentiam Pœnitentialis Sacramenti.

L. 1. c. 11.

Græci peccatis venialibus non impendunt absolutionem.

Quomodo sit à Latinis impendenda.

CAPUT II.

Exponuntur Contritionis necessitas, & virtutes adnexæ.

Error Martini Lutheri.

UNdecimus Martini Lutheri per Leonem decimum Pontificem damnatus articulus est hic; *Nullo modo confidas te absolvi propter tuam Contritionem, sed propter Verbum Christi,* QUODCUMQUE SOLVERIS. *Hæc, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te esse absolutum, & absolutus verè eris, quidquid sit de Contritione.* Hinc quidam existimant quod ad obtinendam peccatorum remissionem negarit Contritionem esse necessariam. Falluntur. Lucet ex articulo duodecimo: *Si per impossibile confessus non esset contritus, si tamen credat sese absolutum, verissimè est absolutus.* Exponit articulum ipse Lutherus in Apologia. *Dixi, Per impossibile. Quia satis supra dictum est fidem sine Contritione esse non posse, cùm gratia non infundatur sine magna concussione animæ. Volui enim fidei virtutem declarare, quoniam sola facit remissionem peccatorum. Quod dico, ne quis me putet Contritionem seu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum suscitatam negare. Volo eam, sed dico eam non operari justificationem seu remissionem peccatorum. Fides enim seu Verbum Dei justificat & purgat.* Ecce in justificationis opere necessitatem Contritionis nequaquam negat, sed solam causalitatem, hanc plenè adtribuens soli fidei, qua Divinæ, per hæc verba, *Quodcumque solveris*, factæ promissionis fidis, & ejus vigore credis te absolutum. Hinc & Leonis Pontificis diploma arguit, quod *doceat super arenam ædificare, & abjecta fide, super*

Et Jo. annis Calvini L. 3. cap. 4.

Contritionem, opus hominis, plusquam super Dei Verbum confidere. Adstipulatur in Institutionum libris etiam Joannes Calvinus: *Dicimus & nos quodam loco cum pœnitentia obvenire remissionem peccatorum, sed simul additimus pœnitentiam non esse causam remissionis peccatorum.*

Sess. 14. cap. 4. Ambrorum erroremque Synodus dampat.

Adversùm ambos Errores edixit sacrosancta Synodus Tridentina: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius.* Definit non quovis modo, sed ad impetrandam, utique incongruè meritorii ac dispondentis principii genere, peccatorum veniam semper fuisse necessitatem, ideoque ejus non solam necessitatem, sed & caussalitatem spectare ad immobile dogma Christianum. Ejus dignitatem ac meritoriam caussalitatem exponit

Contritio est caussa justificationis. c. 6.

elegantèr in libro de Pœnitentia Tertullianus: *Quàm inceptum, quàm iniquum, pœnitentiam non ad implere, & veniam delictorum sperare? hoc est, pectum non exhibere, & ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hanc pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum, quo pacisscuntur, examinant, ne scalpens, neve rasus, ne adulter, etiam Dominum credimus Pœnitentiæ præstationem prius inire, tantam nobis mercem, perennis scilicet vitæ, contesturum.* Nequaquam de Pœnitentium satisfactione agit, sed de Catechumenorum Contritione. Quod ipsum in libro de Æthiopis Baptismo tradit sanctus Fulgentius, aiens ad peccatorum veniam requiri & Contritionem & Baptisma, & hoc illius esse mercedem: *Ideò quisque dignus Baptismo judicatur, quando præcedit fidei confessionisque meritum, cui tanquam in mercedem sancti Baptismatis acbitat tribui Sacramentum.* Et iterùm: *Qua*

Cap. 5.

Cap. 14.

ille Justitia, qui creditultatis & confessionis perfolvit officium, non consequeretur sanctæ Regenerationis effectum? Quæ omnia adeo clara sunt, ut in libro de duabus animabus scribat sanctus Augustinus: *Vox est ista naturæ, nullum stultum vel hujus notitia deservit. Hoc nobis etiam nisi penitùs insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere se non peccare, non autem sibi esse, si peccaverit, pœnitendum, nulla Barbaries dicere audebit.*

Contritio debet procedere ex fide. Sess. 6. cap. 6.

Porrò Contritioni huic, ut ad peccatorum remissionem præparet, sacrosancta Synodus mandat adesse varias virtutes. Prima est *concepta ex auditu fides*, qua credamus *vera esse quæ Divinitus revelata sunt & promissa, atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Licet istic de sola Catechumenorum Contritione loquatur, eamdem tamen fidem in Pœnitentibus palàm supponit. Loquitur adversùs Martinum Lutherum, blaterantem à nobis abjici fidem ac Dei verbum, confidi in humano Contritionis opere, ideoque super arenam ædificari. Ait fidem esse primum Contritionis exordium & imum fundamentum, proindeque nec istam à nobis abjici, nec hanc esse arenam humani operis, sed cordibus nostris per Jesum-Christum à Deo infixam petram solidissimè charitatis.

Et habere adjunctam spem.

Altera Contritionis comes debet esse spes veniæ, & Divinæ misericordiæ fiducia, qua fidamus *Deum propter Christum fore nobis propitium.* Loquitur Synodus ex prima ad Corinthios Epistola, ubi Apostolus linguarum, Prophetiæ, virtutum, aliorumque id genùs charismatum gratias gratis datas adleverat esse dumtaxat usque ad firmè plantatam ac radicatam Ecclesiam temporales, ideoque suo tempore cessaturas, at verò fidem, spem, charitatem esse excellentiorem, perpetuam, & immobilem totius Ecclesiæ viam, quæ semper maneant, & sine quibus nec acquiri valeat justitia, aut peccatorum remissio, nec contervari. Et hinc ad impetrandam peccatorum veniam, non solam pœnitentiam requirit in libro de fide & operibus sanctus Augustinus, sed & illam de Divina bonitate fiduciam, qua *omnium omnino pœnitentium remissionem in Baptismo non dubitet se acceptaturum.* Ejus absentia fratricidæ Cain & Judæ proditoris Pœnitentiam demutavit in intolerabilem conscientiæ torturam, & laqueum temporalis ac sempiternæ damnationis. Hinc Fietui, primo Pœnitentiæ gradui, solemnem deprecationem veniæ, firmæque in Deum & Ecclesiam spei professionem primitivus Patrum Canon meritò adjunxit,

Cap. 20.

Tertia Contritionis comes deber esse *votum præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum* Pœnitentiæ seu etiam Baptismatis *Sacramentum requruntur.* Sacra-Utique dum & Catechumeni & Pœnitentes *proponunt inchoare vitam novam, & servare Divina mandata.* Loquitur Synodus ex sancti Matthæi Evangelio, ubi Dominus mandat Apostolis, ut tionis baptizandos doceant omnia sua præcepta. Et hinc comes quod antiqua baptizandorum professio non solùm debet hæc, *Renuncio Diabolo, omnibusque ejus pompis & operibus*, sed & hæc contineret verba, *Et conjungor Christo*, testatur in pluribus locis sanctus Joan nes Chrysostomus. Omnem Christi legem plenè omnia servandam solenni pacto ac stipulatione spondebant, Et hinc quasdam Ecclesias, professionem manifestam non plenè exigentes, de Sancto canibus data, dato & grandi Apostolicæ disciplinæ neglectu culpat graviter & meritò in libro de fide & operibus sanctus Augustinus. Ex eodem principio Contritionem pallim appellat conversionem cordis, quod nempe per ipsam mens nostra à creaturæ dilectione transferri debeat, non solùm ad peccati dolorem, odium, detestationem, & melioris vitæ desiderium, sed etiam ad puram Dei charitatem, & firmam de ejus mandatis exequendis contestationem & votum, de quo scribit in literis ad sanctum Paulinum. *Nostrum votum maxi-*

Votum est, quo non novimus in Christo esse manfuros. Ep. 59. quæst. 5.

mum est, quo non novimus in Christo esse manfuros.

Quarta tandem Contritionis comes esse debet firma voluntas & ardens desiderium suscipiendi Baptismatis, aut Reconciliationis, de quo sacro-comes sancta Synodus: Catechumeni *proponunt suscipe-* est desire *Baptismum.* Et lapsorum Pœnitentia *continet* derium *non modò cessationem à peccatis, & eorum detestati-* Sacra-*onem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam* menti *eorundem sacramentalem Confessionem, saltem in vo-* Sess. 6. *to, & suo tempore faciendam & Sacerdotalem absolu-* cap. 6. *tionem.* Loquitur ex sancti Augustini ad Vitalem Sess. 14. Carthaginensem Epistola, laudante Ecclesiam, cap. 4. orantem solemniter pro Catechumenis, *ut eis Rege-* Ep. 107. *nerationis desiderium*, atque ita inchoatæ Contri- Lib. 4. tionis plenitudinem *inspirer.* Et in libris de Baptismo cap. 25. adversùm Donatistas scribit idem Augustinus: *Bapti-*

ptissimus poteſt ineſſe ubi converſio cordis defuerit; converſio autem cordis poteſt ineſſe non percepto Baptiſmo, ſed contempto non poteſt. Neque enim ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur, id eſt, negligitur, ac non deſideratur. Et ad Regii Prophetæ verbum, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*, ſcribit in explanationibus Pſalmorum: *Non male intelligitur vox eſſe eorum, qui cùm ſint Catechumeni, ad gratiam ſancti lavacri feſtinant. Unde & ſolemniter*, utique in Sabbatho Sancto ad regenerantis fontis conſecrationem, *cantatur hic Pſalmus, ut ita deſiderent remiſſionem peccatorum, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*. Hocce deſiderium adeò neceſſarium ſemper judicavit Eccleſia, ut ſupremam Catechumenorum claſſem ex Apoſtolico inſtituto vocarit *Competentes*, id eſt, unum aliquid ſimul petentes, de quo laudatus Auguſtinus in Sermonibus de diverſis: *Quid eſt illud unum, quod petunt vel concupiſcunt? Baptiſmi Sacramenta: Ut qui erant vaſa Diaboli, mereantur eſſe vaſa Chriſti*. Parem ſemper de Reconciliationis Sacramento fuiſſe rationem, lucet ex Sancto Cypriano, multis in locis adſeverante ipſum nulli lapſorum poſſe impendi, niſi qui ejus diſpenſatricem & cuſtodem Eccleſiam ferventer ac frequenter pulſaſſet. Rationem dant in libro de Baptiſmo Tertullianus, & in laudatis de eodem Sacramento libris laudatus Auguſtinus, adferentes Regenerationis, adeoque & Reconciliationis Sacramenta ex Chriſti Domini inſtituto eſſe fidei & Contritionis veſtem, ſubſidiarium auxilium, & neceſſariam noſtræ juſtificationis concauſam, adeoque ſine ejus ſaltem voto & deſiderio nullum poſſe eſſe Contritioni effectum, nullam veram Contritionem.

Pſal. 41.

Serm. 8. cap. 1.

CAPUT III.

Exponitur Contritionis actus fundamentalis, de quo ſacroſancta Tridentina Synodus: *Deum tamquam omnis Juſtitiæ fontem diligere incipiunt, &c.*

Seſſ. 6. cap. 6.

Omnis Contritio eſſentialiter eſt Dei dilectio.

OMnem veram, licet imperfectam, quæ paſſim Attritio dicitur, Contritionem eſſe eſſentialiter puram Dei charitatem, lucidè edicunt verba iſta. Et licet de ſola Catechumenorum contritione loquantur, eandem tamen eſſe de Pœnitentium Contritione rationem, lucet ex ejuſdem Synodi de ipſa verbis: *Continet ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem*. Utique deteſtationem ortam ex juſtitiæ dilectione. Item ex hiſce verbis: *Quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Utique proximè & ſufficienter. At verò proximam, & licet non niſi cum Sacramento ſufficientem iſtiuſmodi diſpoſitionem debere eſſe charitatem definit alibi eadem Synodus: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Voces, *Sicut oportet*, deſumptæ ſunt ex Sancti Auguſtini Enchyridio: *Omnis Præcepti finis eſt charitas, id eſt, ad charitatem referatur omne Præceptum. Quod vero ita ſit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum ſit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur*. Eundem in ſenſum exponit eaſdem voces in libro adverſùs ſermonem Arianorum. Quocirca quemadmodum oportet pœnitere eſt ex fide & charitate peccatum odiſſe ac deteſtari, quod quicumque necdum fecerit, juſtificationis gratia necdum eſt dignus. Dicit namque Sanctus Joannes Apoſtolus: *Qui non diligit, manet in morte*.

Seſſ. 6. Can. 3.

Sess. 14. cap. 4.

Cap. 25.

Contritionem omnem eſſe eſſentialiter Dei dilectionem clamant Scripturæ omnes Canonicæ, omnes Eccleſiæ Patres, omnes Synodi, quorum omnium cuncta teſtimonia ſi velim adducere, opportebit grandia volumina complere. Et in re lucida piget & memetipſum & Lectorem quaſi fruſtra fatigari. Nonne Propheta dicit voculam; *Dilige*, eſſe breve verbum, in quo omnem legis ſuæ amplitudinem Deus concluſit? Hinc frequentiſſimè edicit Auguſtinus: *Dilige & fac quod vis*. Eandem fuiſſe Sancti Joannis Apoſtoli adſiduam atque extremam vocem adfirmat Sanctus Hieronymus in commentariis Epiſtolæ ad Galatas. Et ipſe Dominus dicit: *Qui non diligit, ſermones meos non ſervat*. Dei & proximi dilectionem ait eſſe unicum ſuum Præceptum, unicum ſuæ prædicationis & paſſionis finem & fructum, unicum ſuarum ovium ab hædis diſcrimen, & in illo omnem pendere Legem ac Prophetas. Et Apoſtolus Paulus: *Plenitudo legis eſt dilectio. Qui diligit, legem implevit. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus*, ABBA, PATER. Quæ plurima iſtiuſmodi loca conſiderans Tertullianus ſcribit in libro de Patientia: *Dilectio ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, quem Apoſtolus totis viribus Sancti Spiritus commendat*. Sine hac nullam impleri legem, nullum ſervari Domini mandatum, nullum mentis noſtræ opus aut motum eſſe quemadmodum oportet bonum clamat adſiduè Sanctus Auguſtinus. Cùm Apoſtolo adfirmat antiqui & novi Teſtamenti palmare diſcrimen eſſe timorem & amorem, ideoque cunctos, qui Deum adhuc uti Dominum dumtaxat metuunt, & non uti Patrem caſtè diligunt, etiamnum errare & hærere in veteri teſtamento, ac eſſe carnales minarum ſervos, à Divinæ, quæ ſola dilectione acquiritur, adoptionis & filiationis, ſeu Chriſtianæ juſtificationis gratia multum alienos. Et hinc Dominicam, *Pater noſter*, quam laudata Apoſtoli verba, *Abba Pater*, omnino reſpiciunt orationem non fuiſſe in veteri Teſtamento, & à ſolis Deum caſtè diligentibus poſſe veraciter dici, frequenter leges apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum. Proindè & per timorem non ſolum citra charitatem de peccatis concepta Contritio eſt Contritionis ſucus, non eſt quemadmodum oportet, Evangelicæ Pœnitentiæ legem non adimplet, eſt dolor ſervilis & judaicus, non filialis & Chriſtianus.

Probatur ex Scripturis.

Et quia omnia Dei lex eſt de charitate.

Cap. 12.

Probatur ex Baptiſmali profeſſione.

Quod Baptiſmatis effectum ſine caſta Dei dilectione non poſſe accipi docuerint conſtanter Apoſtoli, lucet ex Baptiſmalibus per ipſos inſtitu-

tis professionibus, per quas omnis baptizandus solenniter profiteri debet se credere, non tantummodò Deum, aut Deo, sed etiam in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Professionem istam frequenter laudat & exponit Sanctus

Psal. 77. Augustinus: *Credere in Deum plus est quam credere Deo. Nam & homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergò credere in Deum, credendo adhærere ad bene operandum operanti Deo*, QUIA SINE ME, *inquit*, NIHIL POTESTIS FACERE. Et iterùm: *Omnes qui credunt in Christum, sic credunt ut diligant. Hoc est enim credere in Christum, diligere Christum, non quomodò dæmones credebant, sed non dilig*ebant,

Psal. 77. *& ideò, quamvis crederent*, QUID NOBIS ET TIBI, FILJ DEI. Hinc etiam scribit de carnali Judæorum populo: *Credidit Deo, sed non credidit in Deum.* Et in tractatibus super Sancti Joannis Evangelium: *Dei opus est ut credatis in eum,*

Tract. 29. *quem Deus misit, Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei, non autem continuò qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursùs etiam de Apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari Ipsa est fides, quam de nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Non qualiscumque fides, sed quæ per dilectionem operatur.*

Serm. 60. cap. 2. Et in Sermonibus de verbis Domini: *Multum interest, utrùm quis credat ipsum esse Christum, & utrùm credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum venit in Christum, & quòdam modo unitur in eum, & membrum in ejus corpore efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat & charitas.* Ex quibus lucidè vides eos, qui Baptizandis sine Dei dilectione promittunt remissionem peccatorum, longissimè abire à doctrina Patrum atque Apostolorum, qui suo à cunctis Catheçumenis ante Baptismum reddendo Symbolo dedere hoc caput: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Eadem est ratio Contritionis ad Reconciliationis Sacramentum requisitæ: Quod enim etiam hoc præcedere olim consuerit similis fidei professio, nobis suprà dixit Sanctus Episcopus Crodogangus.

Et ex natura Sacramenti Pœnitentiæ. Serm. 8. cap. 1. Quod ipsum lucidissimè patet ex natura istius Sacramenti, ex natura præsertim sacramentalis confessionis & absolutionis, quam præfiguravit Dominus, dum sua virtute suscitatum ò mortuis Lazarum Discipulis tradidit à cadaveribus institis & ligamentis solvendum. Confessionem à solo jam per Deum vivificato ac suscitato peccatore fieri posse tradit Sanctus Augustinus in Sermonibus de verbis Domini: *Quare jam confiteris in accusatione peccati tui, nisi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippè ait*: A MORTUO, QUASI QUI NON SIT PERIT CONFESSIO. *Si perit à mortuo confessio, qui confitetur, vivit. Et si peccatum confitetur, utique a morte revixit. Si enim cari confessione revixit à morte, quis etiam vivificavit? Spiritu mortuum quis suscitavit, nisi qui remoto Lapide clamavit*, LAZARE VENI FORAS? *Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non potest, nisi resuscitatus esset.* Et in explicatione Psalmorum: *Dominus Lazarum voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulchro imposuit, ipse, & processit ille vinctus. Fit hoc in corde Pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit: Cum audis hominem confitendo profere conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est.* Et in alio de Domini Verbis sermone: *Vide genus resuscitationis. Processit Lazarus de monumento vivus, & ambulare non poterat Et Dominus ad discipulos*: SOLVITE EUM. ET SINITE ABIRE. *Ille suscitavit mortuum, illi solvuntur ligatum.* Pergit de quibusque Pœnitentibus: *Resurrexerunt jam isti. Revixerunt quibus dispicet quod fuerunt. Sed reviviscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opùs est ergo ut qui revixit solvatur, ut abire permittatur. Hoc officium Discipulis dedit quibus ait*, QUÆ SOLVERITIS IN TERRA, SOLUTA ERUNT IN CŒLO. Quæ est frequentissima & constantissima Sancti Augustini doctrina. Eandem in litteris ad Franconem Tungrensem Episcopum sequitur Nicolaus primus Pontifex: *Postquam vivificante gratia te foras vivificatum per confessionem excuntem adspicimus, quem introrsus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus.* Et in litteris ad Lotharingiæ Episcopos: *Waldrada*, Lotharii II. Reg. pellex, *meritò inter mortuos reputata est, quæ nimirum neque ut viva vocem prædicantium audit, neque in suis penetralibus occultata, immò jam fœtida jacens, per confessionem foras egreditur.* Apud Baldricum Noviomensem Episcopum in Ecclesiæ Cameracensis historia exstat eruditissima Epistola, qua Gerardus Cameracensis Episcopus scribit ad Archi-Diaconos Ecclesiæ Leodiensis: *Tunc vera est absolutio Præfidentis, cum interni arbitrium sequitur Judicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet monstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit dicens*, LAZARE VENI FORAS, *& postmodum qui vivus egressus fuerat, à Discipulis est solutus. Illum porrò Discipuli viventem solvunt, quem Magister resuscitavit mortuum. Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua confideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per resuscitantem gratiam vivificare. Quò contra confidexandum est nostro non posse arbitrio solvi, quos internus arbiter nullo spiritu satisfactionis animavit.* De verbo ad verbum hæc desumpsit ex undecima Sancti Eligii Noviomensis seu Tornacensis Episcopi ad Pœnitentes homilia, quæ & ipse cap. 6. Eligius adfirmat se à Sancto Gregorio Magno mutuatum. Quoad substantiam extant apud Gregorium in morali expositione Prophetæ Job, de verbo autem ad verbum in Sancti Paterii Collectaneis super Evangelium Sancti Joannis. Eodem exemplo & doctrina utuntur in libris

Ps. 102. Ser. 44. cap. 6. Ep. 43. Ep. 65. Lib. 3. cap. 28. Lib. 1. Lib. 21. cap. 9.

de

Lib. 2. cap. 16. de Lotharii Regis divortio etiam Hincmarus Metropolita Remensis, & in litteris ad Gouherium Bonæ Spei Presbyterum Sanctus Ivo Episcopus Ep. 228. Carnutensis. Hanc à solo Domino resuscitati, Lib. 2. cap. 7. & per Apostolos soluti Lazari allegoriam esse etiam Sancti Ambrosii in libris de Pœnitentia, ab omni semper Ecclesia fuisse probatam, ideoque C. 143. 144. hæreticas Joannis Wicleffi nugas etiam ab ipsa efficaciter expugnari, insigniter & amplè ostendit in opere de Sacramentis Thomas Waldensis. At verò vitam illam, quam non Discipuli per Ecclesiæ claves, sed secreto suæ Majestatis opere solus in Pœnitentibus operatur Deus, esse castam Divinæ justitiæ dilectionem, natamque inde peccati detestationem & odium, tradit in Psal. 54. Psalmorum Commentariis Sanctus Augustinus: *Vita nostra dilectio est.* Adiidua & nimium manifesta est, hæc ejus doctrina, desumpta ex Cap. 8. Sancto Joanne Apostolo: *Qui non diligit, manet in morte.* Qui ergò diligit, jam vivere cæpit. In tractatu de utilitate jejunii dicit id esse adeò lucidum, ut etiam diabolus sciat & *sentiat vitam nostram esse charitatem.* Hanc doctrinam non penetravit auctor aut conflator horum à Pio V. Pontifice justissimè proscriptorum, articulorum: *In peccato sunt duo, actus & reatus. Transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Undè in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solum liberat à reatu. Peccator Pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.* Vera animæ nostræ vita est illi & per actualem charitatem, & per habitualem gratiam unitus Deus: Habitualis gratia, quia non à solis pœnæ, sed etiam à culpæ reatibus liberat, plenamque confert remissionem peccatorum, est unio, inhabitatio, & vita principalior; atque ita peccator, quod illa per Sacramentum diffundatur in nostris cordibus, nequaquam vivificatur à solo Deo, sed etiam à ministerio Sacerdotum. Solus sine adsumpto in ministeriale adjutorium Sacramento Deus solam actualem suæ dilectionis & contriti cordis vitam peccatoribus inspirat, recipiendæ jam laudatæ habituali vitæ dispositionem penitùs necessariam: Atque ita lucet sine hac ad istam nemini patere ingressum.

Probatur ruræum ex Tridentino Concilio

Eamdem veritatem palàm prædicat sacrosancta Tridentina Synodus, definiens Contritionem esse dolorem, odium, & detestationem de peccato commisso. Esse debet non de incursu peccati supplicio, aut ejus reatu, sed de ipso peccato, adeoque Dei ac Justitiæ dilectio. Etenim odium infamiæ ex dilectione famæ, morbi odium ex sanitatis dilectione, odium captivitatis aut servitutis ex dilectione libertatis, & generatim quodvis cujusvis mali odium nascitur ex dilectione oppositi boni. At verò bonum commisso peccato directè adversum est Divina justitia, seu animam nostram sua inhabitatione justificans Deus, adeoque iniquitatis detestatio & odium nasci non possunt, nisi ex ipsius casto amore. Et hinc ad nescio quem Anastasium scribit beatus Augusti- Ep. 144. nus: *Inimicus Justitiæ est qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Est Regis Prophetæ Philosophia: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Pergit Augustinus; *Tantùm peccatum odit, quantùm Justitiam diligit.* Et in libris de Dei Civitate scribit: *Quod quis sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit. Ex ejus* Lib. 21. *amissione tantùm necesse est ut urat dolor, quantùm* cap. 16. *hæserat amor.* Et de fidelibus Romanis, qui in Gothica urbis deprædatione amiserant suæ omnia, ait in alio ejusdem operis libro: *Quantùm hæc* Lib. 1. *amando peccaverint, perdendo senserunt. Tantùm* cap. 10. *quippè doluerunt, quantùm se doloribus inseruerunt.* Loquitur ex Apostolo: *Omnium malorum radix est cupiditas, quam quidam appetentes inseruerunt se doloribus multis.* Dolor & odium sunt proprius, parenti inseparabiliter nexus, & adæquatè semper commensuratus, dilectionis fœtus, ideoque commissæ iniquitatis dolorem, detestationem, & odium ex Justitiæ dilectione & nasci oportet, & ejusdem cum ipsa esse modi, ponderis, mensuræ. Adeò fundata est definitio Tridentina. Quod sola Dei dilectio Domini Discipulos & filios à mundi seu diaboli discipulis ac filiis discernat, quod sola ab hædorum sinistra ad ovium dextram transferat, quod sola nobis Sacramenta prodesse faciat, atque ita illam esse palmarem & fundamentalem Contritionis & pœnitentiæ actum, incessanter Augustinus, Patres omnes, ac res ipsa clamant; verùm in re lucida nolim ego Lectorem pluribus fatigare.

CAPUT IV.

Sacræ Synodi verba, *Deum tamquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt*, largiùs exponuntur.

Ep. 221. 222. OMnibus fidelibus immò omnibus hominibus nihil magis in voto est quàm Deum optimum maximum, licet non intueri, saltem apprehendere, & nihil nobis est magis impossibile. Hanc infirmitatem adjuturus S. Augustinus, ne- Deus est scio cui fratri Consentio suadet priùs concipere suprema. Justitiam, & ad ejus tunc speciem seu similitudi- Justitia. nem concipere Deum. At ecce hinc novus error. *Mihi*, respondit ille, *qui subtilitatem disputationis tepido percipere corde vix possum, videbatur nihil vivum secundùm substantiam inesse Justitiæ, ideoque non possum adhuc Deum, id est, viventem naturam, Justitiæ similem cogitare, quia Justitia non in se, sed in nobis vivit, nisi fortè non hujus humanæ æquitatis, sed illa, quæ Deus est, sola afferatur esse Justitia.* Existimavit Justitiam non esse vivam atque incommutabilem substantiam, sed inhærens nobis accidens & mobilem qualitatem, ideoque illi cum Deo nihil esse similitudinis aut paritatis. Repositi verò S. Augustinus aliam esse participatam & cuivis homini propriam, aliam supremam & omni homini communem Justitiam, cujus æquali aut inæquali participatione æqualiter aut inæqualiter justi aut justa sint justi omnes & justa omnia: Eam esse in-

com-

commutabilem, ac mente nostra longè superiorem omnium justorum regulam, de qua nemo possit, & secundùm quam omnes debeant judicare. *Est planè*, inquit, *ille summus Deus vera Justitia, vel ille verus Deus summa Justitia, quam profectò esurire & sitire, ea est nostra in hac peregrinatione Justitia, & qua posteà saturari, ea nostra est in æternitate plena Justitia*. Este dicit & vitam quandam, quæ essentialiter vivat, & sui participatorie vivere faciat vivia omnia, quæ sit omnis vitæ fons & vita vitarum. Dari item quandam supremam, subsistentialem, atque incommutabilem bonitatem, pietatem, veritatem, temperantiam, castitatem, sanctitatem, pulchritudinem, cujus participatione & dono sint bona, pia, vera, temperantia, casta, sancta, pulchra, quæcumque sunt talia, & de quibus nemo judicet, sed secundùm quas judicari oporteat de istis omnibus, est sublimis & constans sancti Augustini Theologia. Eam non intellexerunt etiam Sophistæ illi, qui apud Matthæum Parisiensem docuerunt *multas ab æterno fuisse veritates, quæ non sunt Deus*. Propositionum, quas Dialectici vocant æternæ veritatis, multitudo dedit ansam errori. Rectè verò repoluerunt synodaliter adunati Episcopi: *Hunc errorem prohibemus, & asserimus ejus ac defensores excommunicamus. Firmiter enim credimus & asserimus, quod una sola veritas fuit ab æterno, quæ Deus est, & nulla quæ non sit Deus*. Ea est incommutabilis ac suprema veritas, quæ omnes laudatas propositiones sui participatione facit ab æterno veras.

Deus est suprema vita, & omnis virtus.

Et suprema veritas. Anno 1243.

Cap. 50. Omittere nolim quædam sancti Augustini verba in libro de vera Religione: *Quærendum est cur nos offendat, si duobus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minore sit, cùm æquales esse potuerint, si verò super invicem fuerint, ambæque de medio quamvis impares, non ita offendat ipsa inæqualitas, & cur non multùm curemus, quantò sit una earum aut major aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus videtur expetere, ut aut impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, ut tantò præcedat minorem, quantò à majore præceditur*. Plures adducit ædificiorum ac fabricarum figuras & proportiones, quarum congruitate aut incongruitate ipse statim sensus delectatur aut offenditur, judicatque rectas esse aut vitiosas. Judicari id dicit ex quadam suprema supra omnem intellectualem creaturam lu-

Cap. 31. cente regula & arte, de qua concludit: *Ambigendum non est incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse, & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis ver tas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis*. Hanc artem, hanc veritatem, hanc justitiam, hanc castitatem, hanc quamvis regulam adeò nulla humana iniquitas aut machina possit evertere, ut etiam grandes in propriis oculis Theologi, dum quidquam adversùm illas conantur facere probabile, revincantur à simplicibus rusticis & imperitis cerdonibus, utique per lumen istud, de quo scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quocirca Deum optimum maximum tamquam omnis justitiæ fontem diligere est lumine isto adflari, suprema justitiæ & bonorum operum regula delectari, amplecti, & sequendam decernere, omniaque adversùs illam facta à nobis flagitia seu facinora odisse, & detestari. Hoc, inquam, est Deum Patrem diligere, ejusque cum Spiritu Sancto Divinum Verbum, de quo ad Corinthios scribit Apostolus: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, sanctificatio, & redemptio*.

Quid sit diligere Deum ut omnis justitiæ fontem.

Epist. 1. cap. 1.

Hanc esse veram & germanam Dei dilectionem tradit frequentissimè laudatus Augustinus. In libris ad sanctum Pontificem Bonifacium: *Quid est boni cupiditas, nisi charitas!* Et in libris de sanctissima Trinitate: *Quid est dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura commendat, nisi boni amor?* utique non boni Angeli, boni hominis, bonæ animæ, aut cujusvis alterius privati, sed generalis & supremi boni, de quo pergit, *Amandus est Deus, non hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervoleat judicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus, non bonus Angelus, aut bonum cælum, sed bonum bonum*. Hoc est, ipsum supremum & incommutabile bonum, fontem omnis boni & bonitatis. Hunc amorem alibi vocat dilectionem & suavitatem justitiæ, bonam voluntatem, amorem honesti, dilectionem gratis amplectendæ pulchritudinis, veri concupiscentiam, amplexum castitatis. Omnia sunt ejusdem rei varia dumtaxat nomina: Sunt vera & casta Dei dilectio, at secundùm aliud & aliud ejus attributum seu perfectionem. Opera nostra, ut bona sint & Dei legem impleant, ex fontium istorum quopiam debent omninò procedere.

Ea est vera Dei dilectio. L. 2. c. 9. L. 8. ca. 10. Cap. 3.

Sufficit & requiritur ad implendam Dei legem.

Quæstio est, An talis dilectio sufficiat etiam ad Contritionem? Quæro, *Ad Contritionem?* Quod enim ad cuncta extra Contritionem bona opera, Divinarumque de ipsis legum adimpletionem sufficiat, non possum hærere vel dubitare. Et hinc eos, qui expressàm Dei sub excipicita Dei ratione dilectionem requirunt, existimo falli. Eorum unus fuit Joannes de Rockyzana, Hussitarum in Bohemia Princeps, ajens hominem omni temporis momento, incessanter & sine interpolatione, sub præcepto teneri ad Deum elicito & expresso actu contemplandum ac diligendum. Eamdem Divinæ contemplationis ac dilectionis perpetuitatem in literis apud Lucam Dacherium exstantibus admodùm commendat Odo, vir insignis ter erudius & sanctus, nescio cuius in Gallia cœnobii Clericus Regularis, scribitque: *Hoc quod dico senserunt esse verissimum, qui dixerunt fornicationem esse momentaneum à Christi contemplatione recessum. Perfecti etenim viri internæ dulcedini tanto dilectionis ardore per contemplationem adhærent, ut cùm per desidiam, seu per negligentiam, vel modicum ab ea recesserint, fornicatos se judicent*. Scribit ex Divina S. Augustini Patris sui doctrina, rectèque adjungit: *Sed hujusmodi castitatem tenere fragilitati nostræ est valdè difficile, & penè impossibile*. Eam hac in vita esse dicit rem optationis & voti, non nostrarum virium, aut Divini Præcepti. Joanni item Rockyzanæ in Synodo Basileensi rectè respondit Fr. Joannes Ragusinus, Ordinis Prædicatorum tunc Procurator generalis, postea Basileensis

Sufficit licet non fit expressa.

Tom. 2.

Epist. 1.

leensis Episcopus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: *Hoc est proprium Angelorum & Comprehensorum in patria*. Sufficere aderit supremi justi aut boni dilectionem virtualem, quæ quid sit exponi non possit uno verbo, nec est hujus loci. Expressam tamen Dei dilectionem requiri affirmo ad Contritionem. Requiritur enim expressa professio, qua Catechumenus credere se contestetur in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; qua expresse contestetur se conjungi Christo, & legem ejus in perpetuum servare; qua tamquam filius prodigus revertatur ad Patrem. Et hinc disserè ait sacrosancta Tridentina Synodus: *Deum diligere incipiunt*.

Ad Contritionē requiritur expressa Dei dilectio.

Psal. 53. Deum ut omnis justitiæ fontem diligere & ipsum diligere gratis.

Verùm quare addit, *Tanquam omnis justitiæ fontem*? Respondeo quod velit dilectionem illam esse gratuitam & castam, de qua in Psalmorum commentario sanctus Augustinus: *Deus noster laudetur voluntate, auctur charitate. Gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, & non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubescéres, si te uxor tua propter divitias amaret, & fortè, si tibi paupertas contingeret, de adulterio cogitaret. Cùm ergo te à conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es à Deo, o avare? Non tibi terram, sed ipsum servat, qui fecit cœlum & terram*. Quis Judæus, quis Samaritanus, quis Platonicus, quis Marcionista non amat Deum? Verùm de judaico amore dicit Regius Propheta: *Velut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Exponit in libris de Dei civitate laudatus Augustinus: *Velut pecus*, seu jumentum, *dicit, utique non intelligens. Ea quippe à te desiderare debui, quæ mihi cum impiis non possunt esse communia. Tamen ego semper tecum, quia etiam in carnalium rerum desiderio Deos alienos non quæsivi*. Canis dominum adeò diligit, ut ipsi non solùm adsit semper & adhæreat fidelissimè, sed & invasores pro ipso pugnet usque ad sanguinem. Nempe ossam sibi diligit, & à domino sperat, ideòque illum non diligit, sed seipsum. Eodem modo idola fugit, & apud quæ vitæ æternæ Domini altare fidus manfit carnalis Judæus: poterit Ut pecus ob terrena gaudia & semetipsum, carnalium non ut homo ob bona rationalia & ipsum Deum, ter diligi. quem proinde tractabat non uti supremum suum Dominum, sed uti satellitem suarum cupiditatum. Eodem modo illum diligunt Platonici, Marcionitæ, immò & Calvinistæ, Lutherani, & cuncti generatim hæretici, qui sanctorum Angelorum in futuro sæculo æqualitatem, & alia spiritalia bona ab ipso quidem sperant, verùm ad illam formam, de qua in libris de libero arbitrio sanctus Augustinus: *Qui æqualitatem Angelorum desiderant propter inanem gloriam suam, non ideò volunt esse æquales Angelis, sed Angelos sibi. Itaque in tali voluntate perseverantes æquabuntur supplicio prævaricatoribus Angelis, potestatem potiùs suam, quam Dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad finistram constitutis, quia non quæsierunt Deum per humilitatis januam, & immisericordiæ superbèque vixerunt, dicetur*: ITE IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PRÆPARATUS EST DIABOLO ET ANGELIS EJUS. Æqualitatem istam ambiunt, non ut Deo, in quem rebelles & blasphemi sunt, per ipsam plenè subjiciantur & serviant, sed ut curiosæ ac elatæ suæ mentis libidinem expleant, ideòque semetipsos diligunt, non Dominum Deum, eumque & ipsi demutare conantur in ministrum & executorem suarum cupiditatum. Non castam benevolentiam, sed impuritissimam avaritiam & concupiscentiam esse istiusmodi dilectionem ostendit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius: *Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum amare convin tur, sed commodum. Et ideò Deus, quo nihil est majus aut melius, propter quid diligitur? Propter seipsum perfectè diligitur. Si verò saltem propter illa, quæ præstat, amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas est, antefertur*. Quam germanè Christianam doctrinam in literis ad fratres Carthusienses multùm prædicat, & infigniter elucidat etiam S. Bernardus. Hinc ergo sacrosancta Tridentina Synodus illum diligendum definit, non propter nostrum temporale vel æternum commodum, sed propter illuminetipsum, tamquam omnis Justitiæ fontem, tamquam supremam & incommutabilem, cui nos plene subjiciamus & perpetuum servire profiteamur, disciplinæ & vitæ humanæ regulam, & ex hac dilectione concipiendum commissorum peccatorum odium & detestationem: Hæc est pœnitentia, quam agi oportet ante Baptismum.

L. 3. c. 25.

Ep. 11.

CAPUT V.

Exponuntur varii Divinæ dilectionis gradus seu species.

Cap. 70. Diversi Divinæ dilectionis gradus.

VArias Divinæ dilectionis classes seu gradus distinguit in libro de natura & gratia sanctus Augustinus, dicens aliam charitatem esse inchoatam, aliam provectam, aliam magnam, aliam perfectam. In quinto & sexto super Joannis Apostoli literas tractatu distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, & perfectam. Adultam, robustam, ac perfectam laudat in literis ad Anastasium: Nunc hanc, nunc illam laudat ubique passim. Etiam nata seu inchoata charitas est illi duplex; Nempè & prima, qua legi Dei secundùm interiorem hominem condelectari incipimus, charitatis scintilla, seu prima & adhuc bonæ voluntatis exordia; nec non & prima Divinæ bonitatis super omnia, non quoad vires, & effectum, sed quoad solum affectum dilectio. Grande est inter hasce charitates discrimen, utramque tamen quandoque ex aliis & aliis principiis vocat natam dumtaxat & inchoatam. Priorem subindè etiam vocat solummodò conceptam.

dilectionis gradus dilectionis nis gradus.

Ep. 144.

Alia quo ad vires

Dei item super omnia charitatem in eam, quæ & essentialis sit, distinguit admodùm frequenter, præsertim in libro de gratia & libero arbitrio: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cùm magnam habuerit ac ro-*

viribus & effectu, & in eam quæ solo adfectu, aliaquoad solum affectum super omnia.

ac robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt, magna charitate fecerunt, de qua charitate ipſe Dominus ait: MAJOREM HAC CHARITATEM NEMO HABET, QUAM UT ANIMAM SUAM PONAT PRO AMICIS SUIS. *Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando temerè ter Dominum negavit. Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino*: ANIMAM MEAM PRO TE PONAM. *Putabat ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat.*

Quid ſit Dei ſuper omnia quoad ſolum adfectum dilectio per omnia dilectis, & mori potiùs quàm in eorum prævaricatio quotionem labi volumus & ſpondemus; qua item ad ſolum mandata illa, dum nulla fortioris tentationis iladfectum lecebra aut violentia nos pulſat, omninò adimplemus, verùm tentationum iſtarum vincendarum vires necdum habemus. Aptiſſimum ad hæc exponenda eſt ſancti Petri Apoſtoli exemplum. Etenim in noviſſima cœna, dum pedes ſeu leviores delictorum reſtantium reliquias à Domino ablutus ſpondebat eum eodem in carcerem & in mortem ire, Dominum ſuper omnia omninò diligebat; verùm adfectu tantùm, necdum viribus & effectu: Quod enim quæ volebat ac ſpondebat necdum poſſet ſeu valeret, oſtitaria judaici Pontificis ancilla oſtendit. Eandem diſtinctionem ſanctus Auguſtinus laudat in libro de Paſtoribus: *Attendite illos homines volentes benè vivere, jam ſtatuentes benè vivere, & minùs idoneos mala pati, ſicut parati ſunt bona facere.* Et de ſancti Petri promiſſione rurſùm dicit in ſermonibus de tempore: *Petrus necdum vires acceperat, quibus impleret promiſſum.* Et iterum in alio ſermone: *Fuit quidem* Domini dilectio *in voluntate, ſed non fuit in virtute, ſicut ipſe Dominus dixit*, SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST, CARO AUTEM INFIRMA. Etiam apud ſanctum Paulum Apoſtolum alia velle dumtaxat, alia gratia in nobis operatur & perficere; alius adhuc infirmus eſt in fide, alius autem adhuc robuſtus & firmus, ut neque mors, neque vita, neque infernus, neque Angelus, neque Poteſtas, neque ullius creaturæ amor aut metus ſeparare poſſit à charitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Et hinc ſacroſancta Tridentina Synodus rectiſſimè in fidei Canonem recepit hæc Auguſtini verba: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Hæc charitatis diſtinctio eſt benè notanda.

Cap. 6.

Serm. 149. cap. 2. Ser. 127.

Quid ſit adulta charitas, quid robuſta.

Quas nutritæ charitati vires ſanctus Auguſtinus præcisè adſcribat, longa eſt diſcuſſio, & noſtro propoſito non neceſſaria. Adultam verò & robuſtam charitatem patenter exponit in literis ad Anaſtaſium Epiſcopum, de Apoſtoli verbis: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad immunditiam, ita nunc exhibite membra veſtra diſervire juſtitiæ ad ſanctificationem*, ſcribens in hunc modum: *Quid eſt ſicut illud, ita & hoc, niſi quemadmodùm ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati, ſic ad juſtè vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio charitaſque juſtitiæ. Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum eſt perfecta, ſed quodammodò adulta juſtitia.* De verbis, *Humanum dico*, pergit: *Non fruſtrà præmiſerat Apoſtolus*, HUMANUM DICO PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ, *niſi quia plus aliquid dicendum fuit, ſi jam illi, Romani, fideles, ferre potuiſſent. Plus quippe ſervitutis debetur juſtitiæ, quam peccato ſoleant homines exhibere. Nam pœna corporis, etſi non à voluntate, tamen vevocat ab opere peccati. Nec facilè quiſquam eſt qui committat quo immundam percipiat voluptatem, ſi cruciatus vindictæ certum eſt continuò ſecuturos. Juſtitia verò ſic amanda eſt, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporales nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſunt, glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Sicut ergò ille eſt nequiſſimus, qui nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus ſordidæ voluptatis, ita ille juſtiſſimus, qui nec pœnarum corporalium terrore revocatur à ſanctis operibus luminoſiſſimæ charitatis.* Eam, quæ ſolas mundi ſuaves libidines, adultam; quæ inſuper tormentorum quorumvis atque ipſius etiam mortis terrores & violentias ſuperare poſſit, ait eſſe charitatem robuſtam. Denſiſſima & luciditſſima eſt hæc Auguſtini doctrina, cujus teſtimonia omnia qui deſcribere voluerit, implebit grande volumen. Et hanc charitatem habuere Martyres omnes, habereque debent Eccleſiæ Paſtores, utpotè quorum ſit pro fratribus animas ponere, & habere non vana martyrii deſideria, ſed fidem Martyre dignam.

Ep. 144.

Perfectam hujus vitæ charitatem exponit idem doctor in tractatibus ſuper Epiſtolam ſancti Joannis Apoſtoli: *Sunt homines qui cum patientia*

Noſtro in corpore robuſta ætas ſemper ſupponit ac includit adultam, nemoque eſt plenè validus, niſi plenè adultus: Non ſic in charitate. Plures enim eſſe ac fuiſſe mulieres, quæ martyres eſſe poſſint, & tamen nequeant Virgines permanere, advertit in libro de bono conjugali, & in libro de ſancta virginitate B. Auguſtinus. Quoſdam item in equuleo, unguliis, cataſta, & aliis exquiſitis gentilium tormentis fuiſſe conſtantiſſimos, ad Regii autem ſiſci minas, & inde ſecuturam ſuarum prolium perpetuam paupertatem defeciſſe à Divini nominis confeſſione, authentica Martyrum Acta teſtantur. Et adversùs Dioſcorum, qui Orthodoxos Epiſcopos ſub impoſitæ hæreſis fuco tamquam Orthodoxiæ Præſes damnarat in Epheſino latrocinio, in Synodo Chalcedonenſi exclamavit Baſilius Seleucienſis Epiſcopus, Iſaurorum Metropolita: *Si apud Judices habuiſſem, martyrium ſuſtinuiſſem.* Quod ipſum ad Conſtantium Auguſtum dixit Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. Maluiſſent à gentilibus tyrannis tamquam Chriſtiani trucidari, quam à ſimulantibus Orthodoxiam Epiſcopis aut Regibus tamquam hæretici damnari: Vita quam fama iniquè ſpoliari. Ejuſmodi varias adultæ & robuſtæ charitatis permixtiones in humanis mentibus figit ex occultis ſuæ providentiæ rationibus Divina Majeſtas, ſcribitque de illis in libro de Sancta Virginitate Beatus Auguſtinus: *Latent iſta in facultatibus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur.*

Subindè inter ſe variè cõmiſcentur. cap. 23. & cap. 44. & 47. Act. 1. cap. 47.

Quid ſit perfectæ charitas. Tract. 9.

tia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat ipsam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana. Ex desiderio vitæ præsentis fit luctatio cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, ut æquo animo moriatur. Ipse patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur. Et in libro de Pastoribus : *Nunquid frumenta timent ne mittantur in horreum? Immò optant vehementer ac desiderant. Nunquid oves timent ne ponantur ad dexteram? Immò nihil eis tam*

cap. 6. *tardum est, quam donec fiat.* Et in commentariis Psalmorum : *Si veniat tentatio martyrii ducendi. Perfecti quid dicunt ex hac opportunitate? Bonum est mihi dissolvi, & esse cum Christo. Alacres currunt, aut nihil aut modicè de terrena fragilitate contristantur.* Loquitur ex Apostolo loquente ad Philippenses : *Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo multò magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos.* Et hæc charitas tam adultam quam robustam semper includit. Etenim qui omnia mundi delectabilia & terribilia cum delectatione & desiderio perdit ac subit, nulla eorum cupiditate aut metu posse à Dei dilectione superari.

cap. 4. Idem in libro Apologetico tradit Tertullianus : *Nos* Christiani per quæris mundi hujus

cap. 18. mala *nullo modo lædimur, quia nihil nostra refert in hoc mundo, nisi de eo celeriter exedere.* Et in libro de spectaculis : *Mori cum voluptate debemus. Nam quid est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi ad Dominum?* Et hinc primitivos fideles, quod admiranda hac flamma passim arderent, à gentilibus appellatos fuisse dicit *Expeditum mortis genus*. Integras sanè civitates quandoque ad martyrium se obtulisse, & quasi ad solennes epulas gaudenter properasse, scribit in libro ad Scapulam, & plures alii authentici Scriptores confirmant. Christi Domini Sanguis in ipsorum præcordiis tunc bulliebat : ideoque cum Apostolis gaudebant, quoniam digni habebantur pro nomine Jesu contumelias, carceres, mortem pati. Abstrusum istud & admirabile gaudium animalis homo non percipit : Solus expertus potest credere quid sit Jesum diligere. Quod item in terræ motibus, horrenda mortis causa, parentes nostri non timerent, ideoque gentilibus admirationi essent, adferit in secunda Apologia Martyr Justinus. Defunctum fratrem suum Satyrum, ut sese brevi ad Dominum sequi impetret, obtestatur S. Am

Epist. brosius. Et ad Ecclesiæ Thessalonicensis Cle-
22. rum de defuncto nuper eorum Episcopo S. Acholio scribit : *Cupitbat Apostolico Spiritu jam dudùm terras relinquere, sed tenebatur votis universorum, sicut de Apostolo legimus, quia remorari cum dilu-*

Epist. *tius in carne erat Ecclesiæ necessarium.* Et in literis
44. ad Horontianum Episcopum : *Ubi perfecta charitas, ibi omnis fides, omnis spes. Hanc charitatem habens nihil timet. Non potest timere martyrium.* Infigniter id ostendit.

Patienter vivere est ad ipsam omninò necessarium : Futuræ vitæ desiderium debet ista patientia, quam patenter requirit & Apostolus, esse omninò temperatum. Et hinc ad sanctum Antonium, cæleste is regni songè cupidissimum, apud sanctum Hieronymum dixit S. Paulus Eremita : *Non debes quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi, sarcina carnis abjecta, Agnum sequi, sed & cæteris expedit fratribus, ut tuo instituto maneant exemplo.* Et ad Ancyranam Ecclesiam de defuncto ejus Episcopo Athanasio scribit Basilius magnus : *O quoties animum meum non nihil contra hunc virum indignationis subiit, quod totus hoc desiderio tenebatur, ut dissolveretur & esset cum Christo, nec hoc plures faciebat, ut diutius propter nos in carne maneret.* Et hinc ad lacrymosas filiorum voces. *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Salva sunt tibi præmia, nostri potius miserere quos deseris*, respondit jam cœlo vicinus sanctus Martinus : *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Juxta Apostolum charitas patiens est, & omnia suffert, ideoque nimium Christi Domini & futuræ vitæ sine laudata jam patientia desiderium nescio quid vitii aut imperfectionis habet. Quærit quæ sua sunt, & oritur ex proprio sui amore, qui est venenum charitatis. Esse nos oportet imitatores sancti Salvii Albigensis Episcopi, quem defunctum è cœli gaudiis ad Gallicanas, quod illis à sanctis Angelis judicaretur necessarius, Ecclesias ac vitæ præsentis ærumnas prompte rediisse laudat in Francorum historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Esse item imitatores Apostoli, qui pro fratribus suis judæis paratus erat separari à futura in perpetuum beatitudine, & à Christo esse anathema : Ita locum ipsum, adseverans fuisse excessivam charitatem, sanctus Joannes Chrysostomus adfiduè exponit. Perfecta charitas est perfecta sub Deo obedientia, ideoque ad omnem ejus nutum debet esse expedita.

Omnem adfixivum creaturæ amorem non solummodò vincere, sed etiam excluderè à nobis debet atque exstinguere. Adfixivum porrò amorem exponit sanctus Augustinus in libris de doctrina Christiana : *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam.* Et in trigesimaseptima homilia. *Ad usum adsumenda sunt bona temporalia, non eis vinculo amoris quasi glutino inhærendum. Non faciat tibi membra, quæ cum cæperint præcidi, dolebis atque cruciaberis.* Et in libris de libero arbitrio : *Inhæremus ac implicamur subditi eis rebus, quas nobis subditas esse oportet, quia eis conglutinamur, atque velut membra animi facimus, quod fit amando.* Adfixivus ergo amor est ille, quo possessis seu speratis temporalibus rebus, contra Regis Prophetæ mandatum, cor apponimus, quo eas menti nostræ adglutinamus, & quasi membra facimus, ideoque perdere aut non adipisci non possumus sine dolore. Ejusmodi rerum amissio est quasi ani mæ ex abscisto membro vulnus, ideoque illa statim gemitus aut lacrymas fundit quasi suum sanguinem, atque ita indiget medicina officiosæ consolationis. Est Apostoli ad Corinthios doctrina, amores istos eleganter vocantis ligna, fœnum, stipulas. Divino nostro fundamento superædificata seu adfixa, ideoque per pœnalem nati ex ipsorum amissione doloris ignem exurenda. Istiusmodi amo-

Patientiam vere vinere omninò requirit. Lib. 7. cap. 1.

Perfecta charitas excludit omnem adfixivum creaturæ amorem. Lib. 1. cap. 4. Quid sit amor adfixivus. cap. 4. Lib. 1. cap. 15.

amores omnes perfectæ charitati repugnare, & ab ipsa, ut perfecta sit, debere abfumi, non solus Augustinus docet, aut Apostolus Paulus, sed res ipsa clamat: Ea namque charitas debet delectabiliter mori, ideòque non solùm aurum, argentum, uxorem, filios, possessiones, sed & propriam vitam cum gaudio & desiderio deponere, quod fieri non possit, nisi extinctus sit omnis amor adfixivus.

Perfecta charitas expellere debet omnem timorem servilem. cap. 33.

Et hinc in prima sua Epistola scribit etiam sanctus Joannes Apostolus: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Bonorum ac malorum temporalium timorem, de quo Augustinus in libro de Agone Christiano: *Perfecta charitas nec cupiditatem habet fœcull, nec timorem, id est, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat. Per quas duas januas intrat & regnat inimicus, qui prius Dei timore; deinde charitate pellendus est.* Notanda sunt verba, *Prius Dei timore, acinde charitate pellendus est.* Per Dei quippe timorem intelligunt servilem gehennarum metum, adfirmantque etiam illum pelli à perfecta

Tract. 9. charitate. Quod ipsum lucidiùs idem Augustinus adseverat in tractatibus supra laudatam S. Joannis Epistolam, & adjungit causam: *Perfecta charitas facit perfectum justitiam, & non habet quare timeat, immò habet quare desideret, ut transeat iniquitas, & Regnum Dei.* Dat omnium peccatorum remissionem, ideoque & bonam ac securam conscientiam, cui firma fit in Deum fiducia, proindeque nullus metus servilis gehennarum. Est porrò alius timor castus, quem in sæculum sæculi permanere adfirmat Regius Propheta: Est charitatis non minister, sed propria germana proles, ideoque ab illa nequaquam pellitur aut evacuatur.

Volaticos creaturæ amores non excludit.

Dixi solos rerum temporalium adfixivos amores pelli à perfecta hujus vitæ charitate. Volaticos enim, quorum objecta sine doloris sensu amittimus, illa non pellit. Quis enim hujus vitæ justus necessariam alimentorum mensuram quandoque non excedit? Quis amæna aura, eleganti fabrica, picto prato, aliisque elegantissimis Dei operibus, quandoque non delectatur? Nemo adeò sanctus est, qui vario venialium peccatorum pulvere in dies non maculetur, & singulis momentis ad cœlestem Patrem gemere non debeat: *Dimitte nobis debita nostra.* Etiam in bono nos immobiliter & indeclinabiliter non sigit hîc perfecta dilectio, ideoque qui per ipsam stat, adsiduus vigilare debet ne cadat; cùm timore & tremore operari salutem suam, ne quando irasceatur Dominus, & pereamus de via justa. Et hinc ad præsentem vitam reditum sancto Salvio Dominus merito promisit & fecit mali istius securitatem: *Ego sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum.* Inter nostram, licèt perfectam, & vitæ futuræ charitatem est grandissima distantia: Hæc nos non solùm à volaticis etiam amoribus, seu ingeneratæ nobis concupiscentiæ adsentibus levissimis, sed insuper ab ejus motibus integrè liberabit, ideoque erit plenissima ex toto penitùs corde. Adeò firmè nos Deo ac ejus legibus adfiget, ut ipsas infringere nec voluerit simus, nec valuerit. Et has & alias utriusque charitatis differentias insigniter & amplè illustrant Sanctus Augustinus, sanctusque Bernardus. Verùm hæc necessaria non sunt proposito præsenti.

CAPUT VI.

Quanta & qualis charitas requiratur ad Contritionem generatim sumptam.

Quidam requirunt charitatem robustam. Aliqui Fundare se possint in Sancti Joannis Chrysostomi ad populum Antiochenum homilia, di- ad Con- tritionis- cens de prærequisita ad Baptismum Pœnitentia: nem re- *Pœnitentiam agens non eadem amplius attingit nego-* quirunt *tia, quorum penituit, ideòque jubemur dicere,* AB- charita- RENUNCIO TIBI SATHANA, *ne amplius ad* tem ro- *eum revertamur.* Per Baptismum deleri dicit sola bustam. peccata seu culparum reatus, nequaquam vitia aut Homil. vitiosas consuetudines, ideoque illas longa virtu- 21. tum ante Baptismum exercitatione delendas, parandasque vires, quibus petcipiendam in Baptismo gratiam & vestem nuptialem custodire valeamus. Eadem vires in homilia de non contemnenda Dei Ecclesia ac Divinis Misteriis requirit ad legitimè percipiendam Eucharistiam, utpotè ignem Tom. 7. cœlestem & arcanam flammam, de qua pergit in homilia de sancto Philogonio Patriarcha Antiocheno. *Ne igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non fœnum, ne augeat incendium, exuraſque animam, sed accedens feras lapides pœtiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam; multoque cum lucro discedas.* Et in homiliis supra primam ad Corinthios Epistolam mandat communicationem esse à cupiditatibus immunem. At verò à ligno, fœno, stipulis, seu adfixivis creaturæ amoribus immunis, soloque bonorum operum auro, argento, & pretiosis lapidibus ornata charitas est patenter ad minus robusta. Et ipsa profectò naturalis ratio portandum in vase fictili thesaurum nemini credat, nisi qui habuerit prudentiam & vires illius ab omni periculo conservandi. Et hinc Regi, qui volens committere bellum adversùs alium Regem, sedens priùs computat sumptus necessarios, si possit cum decem millibus occurrere millibus viginti, ne fœdam postea pacem cogatur supplicare. Baptizandum comparat in Evangelio Dominus, mandatque illi ad pugnandum cum diabolo & ejus Angelos expugnandos adesse non solummodo voluntatem & adfectum; sed etiam robur & vires. Parabolam istam Sancti Ecclesiæ Patres ita passim exponunt, & nominatim in literis ad Hilarium Syracusanum Sanctus Augustinus. Epist. Hinc item Cathecumenos & Pœnitentes multis 89. per annos probationibus exercuit olim & scru- quæst. 4. tata est Ecclesia, ut nempè illis validam, qua percipiendum donum custodirent, charitatem conciliarer. Hinc item proximè ante doni impartitionem illos Sathanæ & ejus operibus renuntiare, & cum Deo Patre ac Filio ejus JESU-CHRISTO solenniter coram multis testibus stipulari jussit, non solum de prompta ad Evangelicæ vitæ custodiam voluntate, sed & de futura ejus sub horrendis reatibus custodia. Quæ stipulatio palàm videtur supponere sufficientes vires. Quis enim stipuletur rem, cujus sibi non spe-

sperent adesse potestatem ? Et hinc illos, qui postea lapsi declararunt laudatas vires sibi stipulantibus defuisse, Sanctus Cyprianus & alii Patres passim dicunt solis verbis, & non factis, adeoque dolosè & mendaciter renuntiasse. Hinc item Godefscalcus, monachus miserabilis, sacratissima & verissima Exorcismi, Baptismi, Chrismatis, Eucharistiæ, & manus impositionis Sacramenta illis, qui post eorum perceptionem pereunt, dixit frustratorie & perfunctorie fuisse data, ipsosque per illa nec justificatos, nec redemptos. Ita eum asseruisse scribit in literis per Jacobum Sirmondum publicatis Sanctus Amulo Archi-Episcopus Lugdunensis. Et apud Sanctum Augustinum incognitus, vetustus tamen, de salutaribus documentis libri Auctor scribit: *Charitas, quæ deseri potest, non fuit vera*. Exponit in litteris ad Henricum Senonensem Archi-Episcopum Sanctus Bernardus: distinguens fidem mortuam, seu vivificantis dilectionis anima orbam; probatam, seu in bonis operibus finaliter perseverantem, & fictam de qua pergit: *Fictam ego arbitror illam vocari fidem, quæ suscepta quidem ex charitate moveri vita incipit ad operandum, sed non perseverans deficit ac moritur tamquam abortiva. Eo utique sensu fictam dixerim nominatam, quo vasa figuli vocamus fictitia, non quia utilia non sint quamdiu durant, sed quia fragilia cùm sint, diu minimè durant. De hac fidei fictione puto illos notari, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Ex hoc principio scribit in Præscriptionum libro Tertullianus: *Nemo Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit*. Fragilis ergo, licet adfectu ad omnem Dei legem prompta, sine viribus & robore charitas est etiam ficta, & nunquam videtur fuisse vera, id est, sufficiens ad effectum Sacramenti.

cap. 7. Ep. 42. cap. 3.

Sufficit quævis licet solo adfectu, Dei super omnia charitas,

Respondeo tamen omnino sufficere. Etenim Sanctum Petrum Apostolum, dum cum Domino in carcerem & mortem ire spondebat, & pedes ablutus Eucharistiam à Domino perceperat, quis dubitet fuisse in vera charitate, & ejus virtute in Baptismo justificatum? Quod tamen fragilis, parva, infirma, & solo adfectu, non robore & viribus super omnia fuerit, supra audivimus à Sancto Augustino, adfirmatque ipse Dominus; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Eidem infirmitati omnes usque ad accessum in Pentecoste Spiritum Sanctum fuisse subjectos Apostolos, constantissimè laudatus Augustinus tradit, & vario documento possit lucidè ostendi. Non solis aurum, argentum, ac lapides pretiosos, sed & ligna, fœnum, stipulas superædificantibus, variæque adhuc infirmam charitatem habentibus, Christum Dominum esse fundamentum, id est, justitiæ & sempiternæ vitæ per Sacramenta sua impartitorem, scribit ad Corinthios Apostolus Paulus. Et Regius Propheta cantat: *Imperfectum meum viderunt oculi tui & in libro tuo omnes scribentur*. Exponit in libris de Baptismo laudatus Augustinus: *Sicut in Sacramentis veteris Testamenti vivebant quidam spirituales, ad novum scilicet testamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes; sic & nunc in Sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est plerique vivunt animales. Qui proficere si nolunt ad percipienda quæ sunt Spiritus Dei, ad vetus Testamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant ipso profectu & accessu ad novum pertinent, etsi priùs, quam spirituales fiant, ex hac vita rapiantur, custoditi per Sacramenti sanctitatem in terra viventium computantur, ubi est spes nostra & portio Dominus. Nec invenio, quid verius intelligatur in eo, quod scriptum est*, IMPERFECTUM MEUM VIDERUNT OCULI TUI, ET IN LIBRO TUO OMNES SCRIBENTUR. Solum proficiendi studium & promptum adfectum requirit, non robur aut actualem profectum. Istud verò proficiendi studium & charitatis adfectum esse Patrizandis ac Reconciliandis penitùs necessarium affirmat palam & in hoc ipso loco, & in aliis infinitis. Eandem semper fuisse universalis Ecclesiæ immobilem fidem edicunt ac evincunt Baptismales Renuntiationes, quas ex casto in Deum & ejus legem adfectu oportere, ac semper oportuisse fieri, nemo Christianus ausit vel ambigere, longè minùs inficiari. Et hinc de Cathecumenis dicit sacrosancta Synodus Tridentina: *Donec tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata*, utique omnia, *per odium aliquod & detestationem*. Hanc dicit esse pœnitentiam, quam ante Baptismum oportet agi.

Et omnijuno requiritur.

Sancti Joannis Chrysostomi in oppositam partem adducta testimonia continent consilium, non præceptum. Loquitur ex illis principiis, ex quibus parvulorum & Clinicorum Baptisma non plenè probavit, quod ambo passim tepidè viverent postmodò, & à percepta gratia frequenter laberentur, utique ob non peracta Catechumenatus exercitia, præceptumque Sacramentum ante roboratam ac valide radicatam Dei ac Divinæ legis dilectionem. Et quidem Clinicos eodem ex fundamento suspectos olim habuit omnis sub cœlo Ecclesia, ideoque irregulares censuit, & arcuit à Clero. Eveniebat enim passim ipsis, quod evenire hodie videmus illis monachis, quibuscum dispensatur in tempore aut rigore Novitiatus. Eos tamen fuisse, licet cum infirma & quoad solum adfectum super omnia charitate, fructuosè Baptizatos ac Reconciliatos, donatosque pleno utriusque Sacramenti effectu, palam agnoscit laudatus Chrysostomus, multis ostendit in litteris ad Magnum Episcopum Sanctus Cyprianus, credidit que semper Ecclesia universa. Memoratum Chrysostomi consilium quidam hodie Pœnitentiales Presbyteri æmulantes, grandes peccatores sibi confessos ad Reconciliationis, ac præsertim ad Eucharistiæ gratiam non statim admittunt, sed prius in meliori vita roborari, à semetipsis in isto robore probari, & tunc ad suas aures & manus reverti jubent. Quæ disciplina est omninò probanda: Opùs tamen omnino est etiam spiritu discretionis.

Sanctus Joannes Chrysostomus exponitur.

Et ab hoc consilio & sensu, longè abfuit miserabilis monachus Godefscalcus, redargutus descalgraviter à laudato Amulone Archi-Episcopo Lugdunensi. Redargutus fuit delirare cum impuro Joviniano, adversùs quem scribit Sanctus Hieronymus: *Secunda Joviniani propositio est*,

Et Godescalcus.

eos, qui fuerunt baptizati, à diabolo non posse tentari. Et ne hoc stultè dicere videretur, adjecit: Quicunque autem tentati fuerint, videndi eos aqua, & non spiritu baptizatos. Quod & in Simone mago legimus. Fundamentum ejus erat malè intellectus Sanctus Joannes Apostolus: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & peccare non potest, quia ex Deo natus est.* Quem errorem Joviniano adscribit in libro de hæresibus etiam Sanctus Augustinus. Eos ergo, qui post Baptismatis tentantur & cadunt, non solùm robusta, sed omni penitùs charitate & justitia carnisse semper, homo imperitus deliravit. Et hinc Sancti Augustini de victrice Dei gratia & efficaci Prædestinatione doctrinam de eodem errore infamare nitens Semi-Pelagiana Gallorum factio, ei apud Sanctum Prosperum impegit hunc articulum: *Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam æternam, non auferat peccata Baptismi gratia originale peccatum.* Eandem infamiam quin & omnem tunc nati Prædestinatiani erroris fabulam, Augustini discipulis improperare perrexit ejusdem factionis progenies, atque hinc aliqui impactam volunt etiam miscrabili Godescalco. Est quæstio inter eruditum Gilbertum Manguinium & Ludovicum Cellotium acriter agitata. Ex ipsa quicunque illorum vincat, nihil educi possit adversùs nostram adfectionem.

CAPUT VII.

Exponuntur verba sacrosancti Tridentini Concilii: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contigat, hominemque Deo reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, ipsa nihilominùs Reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda.*

AN sola sine actuali Sacramento contritio quandoque justificet, donerque Catechumeno aut Pœnitenti remissionem peccatorum, est antiqua quæstio, de qua in generali totius mundi historia scribit, de Valentiniano II. Imperatore agens, Otto Episcopus Frisingensis: *Hic est Valentinianus, qui à Sancto Ambrosio Catechumenus factus, antequam gratiam Baptismi perciperet, morte præventus est. Qua de re prædictus Episcopus Epistolam lugubrem dictavit. In qua ab eodem reperitur dictum*: QUIA QUEM IN CHRISTO REGENERATURUS ERAM, AMISI, IPSE VERO GRATIAM, QUAM POPOSCERAT, NON AMISIT. *Ex qua auctoritate quidam nostri temporis Theologi divinantes post promulgatam sententiam Evangelii qua dicitur*, NISI QUIS RENATUS FUERIT &c. *aliquos sine Sacramento Baptismi, vel effusione Sanguinis ob testimonium Passionis Christi, vel attestatione Dominica posse salvari, sic ratiocinantes, quod non alligavit Dominus Sacramentis potentiam suam. Non bene considerantes quid secundùm quid loquantur auctores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando. Quod tamen etsi verum sit, Dei potentiam regulis Ecclesiasticis vel Sacramentis non cobiberi, mihi tamen, qui Christiana regula stringor, necessarium erit credere, præter hoc neminem posse salvari. Quare quamvis Deo, tamquam omnipotenti, Judæum vel gentilem, vel non baptizatum sine effusione sanguinis vel attestatione propria possibile, & ita Divina potentia in talibus, non sibi, sed mihi alligatur. Et mirum, si hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de parvulis sentiunt. Quod si objiciant, quod isti tamquam adulti credere possunt, quod non illi; audiant quod illi solo delicto originali obligati tenentur, quod non isti. Restat ergo ut nos cum illis, & illi nobiscum Divinam admiremur in talibus, non discutiamus potentiam, exclamantes cum Apostolo* O ALTITUDO. Loquitur adversùs Sanctum Bernardum, qui ex laudato Sancti Ambrosii sermone, & Sancti Augustini de Baptismo libris, tamquam ex duabus Christiani dogmatis immobilibus columnis, opposita sententiam in litteris ad Hugonem de Sancto Victore constanter defendit. Verum uterque Doctor de solo mortis articulo, & obtinenda tunc per solam sine actuali Sacramento Contritionem justificatione disputat, atque ita & anterioribus & posterioribus temporibus mota fuit & alia quæstio, An detur quæpiam adeo perfecta Contritio, quæ sola sine Sacramento ex statu Dei lege justificet, donetque remissionem peccatorum.

Lib. 4. cap. 18.

Otto impugnat Sanctum Bernardum Ep. 78.

Apud Tertullianum in libro de Baptismo Caiani, apud Sanctum Augustinum Manichæi, & apud Theodoretum in quarto hæreticarum fabularum libro Messaliani sacrosanctum Aquæ Sacramentum exsufflarunt nti superfluum, salvari nos & justificari volentes sola fide & charitate. Errorem resumpsit Almaricus, Theologus Parisiensis, qui tria tempora, primum veterum, secundum novorum Sacramentorum, sine Sacramentis tertium distinguens, suis diebus dixit currere tertium, ideoque Baptismum, Confessionem, Eucharistiam, aliaque externa salutis adjutoria cessare, & homines justificari per solam charitatem. Ita in Philippi Augusti, Francorum Regis, vita scribit Rigordus. Et septimus Joannis Wiclefi per Synodum Constantiensem damnatus articulus est: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est superflua & inutilis.* Errorem latiùs exponit Thomas Waldensis. Etiam Petrus Osma, per Xixtum IV. Pontificem damnatus, sacramentalem peccatorum confessionem garriit esse humani dumtaxat juris, ideoque solam Contritionem justificare. Et ab hisce fabulis Martinus Lutherus & Joannes Calvinus admodùm modicè recedunt: Baptismi enim & Pœnitentiæ Sacramenta omni in nostram justificationem causalitate spoliare conantur, eamque transcribere solam fidem.

Error variorum hæreticorum.

A. 1209.

C. 1147.

Quidam porrò hodie in Ecclesia Theologi, licet laudata Sacramenta profiteantur media necessaria, Cathecumenos tamen ac Pœnitentes quavis, quæ Dei dilectionem adfectu super omnia & suscipiendi suo tempore Sacramenti votum includat, Contritione existimant ftata æque infallibili lege justificari, & hanc esse quam sacrosanctæ Tridentinæ Synodus dicit esse charitate perfectam. Fundant se in variis Divinæ Scripturæ testimoniis. In Regii Prophetæ pœnitentiali voce, *Peccavi Domino*, cui statim Prophetæ Nathan

Opinio quorundam Theologorum.

Nathan subjunxit : *Dominus transtulit peccatum tuum.* Et trigesimo primo Psalmo : *Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Ex Esaja Propheta Cap. 18. Cap. 30. juxta septuaginta editionem : *Si reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Ex Propheta Ezechiele: Cap. 8. *Si impius averterit se ab injustitia sua, iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Ex Proverbiis: Epist. 1. cap. 4. *Ego diligentes me diligo.* Ex Sancto Petro Apostolo : *Universa delicta operit charitas:* Ex Sancti Joannis Apostoli litteris: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ex Domini verbo apud Sanctum Lucam Evangelistam : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ex alio ejus apud Sanctum Joannem verbo : *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Adducunt loca similia plura, atque ex illis sibi persuadent nullam esse veram Dei super omnia charitatem, cui statim Deus non retribuat remissionem peccatorum.

Cap. 7.

Quædam Dei charitas sine Sacramento omninò justificat.

Dari talem charitatem, omninò profiteor. Dissertè enim sacrosancta Tridentina Synodus docet definitam à se Contritionem aliquando esse charitate perfectam, hominemque per ipsam Deo reconciliari, priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur. Notanda est vox, *Aliquando*: Edicit perfectionem istam non semper Contritioni, seu non omni, quæ veram tamen Dei super omniam charitatem includere debet, Contritioni adesse. Dei super omnia quoad affectum dilectio inesse debet ac semper inest etiam imperfectæ ex gehennarum aut aliarum pœnarum servili metu conceptæ Contritioni, quam tamen sine Sacramento non justificare, eadem Synodus diserte definit. Et quod aliquando dumtaxat fit: raro fit. Quæ omnis doctrina est Sancti Augustini. Non omnis id facit

Etenim in libris de Baptismo adversùm Donatistas dicit quosdam Catechumenos esse *Divina charitate flagrantes*; in libro de fide & operibus scribit plerosque diebus illis, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutinia subeunt, & præfertim quibus sacrum Fontem competunt, esse vigilantissimos, charitatis studio fervere, omni cura pendere ab ore Sacerdotum; in Confessionum libris collegam suum Alipium laudat tanta Divinæ dilectionis flamma caluisse, ut juvenis nobilis & Aster, frigoris per naturam impatiens, glaciatum Mediolanensis territorii solum per omnem Quadragesimam ausu insolito calceret & ambularet nudis pedibus; etiam seipsum adsirmat fuisse amarissima cordis Contritione donatum, sagittatum Dei charitate, liberatum fœdis cupiditatibus, & anteà tenaciter dilectas suavitates cum gaudio dimisisse; in sexto adversùs Julianum Pelagianistam libro ait Cathecumenos plures esse correctos à vitiis & rectè vivere; in quarto super Sanctis Joannis Evangelium tractatu adseverat quosdam abstinere ab omni concubitu, vale facere sæculo, renunciare possessionibus in pauperes distributis, esse insigni Ecclesiasticorum dogmatum peritia instructos, & multis fidelibus per omnia meliores: Multos etiam cum Catechumenatu etiam monachismum percepisse, & eumdem cum Christianitate fuisse professos in Baptismo, laudati Augustini, Paulini Nolensis Episcopi, & aliorum exempla demonstrant. Quin & plures certasse usque ad mortem pro Christo Domino, fuisseque gloriosos, ac in Dei dilectione non solùm adultos, sed & robustos Martyres quis Theologus ignoret? Et tamen de hisce omnibus in adducto super Sancti Joannis Evangelium tractatu pergit laudatus Augustinus : *Omnia peccata super illos sunt, & nisi venerint ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non possent intrare in regnum cœlorum.* Et in tertio decimo tractatu : *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi venerit ad Baptismum.* Et in laudato adversùs Julianum libro pergit de Ca echumeno : *Necdum per remissionem peccatorum est liberatus.* Et in libris de Symbolo ad Catechumenos : *Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata illorum.* Etiam semetipsum, quem divina dilectione & peccatorum Contritione insigniter arsisse jam audivimus, non nisi in Baptismo fuisse à peccatorum maculis seu reatibus liberatum, palàm profitetur in libris Confessionum. Lucida sunt ejus verba : *Ea per superiùs laudatam charitatem operans fides me securum non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.* Et iterùm : *Nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in Aqua sancta ignovisti, & remisisti mihi?* Et rursùm: *Baptizati sumus, & fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ.* Utique propter illic primitùs perceptam remissionem peccatorum. Hic est enim magnus Baptismi effectus, quem etiam Reconciliationis Sacramento adserbit Sacrosancta Tridentina Synodus: *Res & effectus hujus Sacramenti est reconciliatio cum Deo, quam interdum in viris pis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, consolationis dos & securitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* Pergit Augustinus in quarto super Sancti Joannis Evangelium tractatu : *Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cùm veniret ad mare rubrum, ita præsurit peccatorum nemo caret, nisi cùm ad Sanctum Baptisma pervenerit.* Et in libro de fide & operibus: *Non sufficit professio necessionis à* peccatis mortalibus, *nisi etiam lavacro Regenerationis cuncta præterita, quæ velut persequuntur, peccata deleantur: sicut non sufficit Israelitis recedere ab Ægypto, nisi ea, quæ insequebatur, bostium multitudo ejusdem maris fluctibus interiret, qui Dei populo transituro, liberandoque patuerunt.* Qua allegoria frequentissimè utitur non solus ipse, sed omnis Sanctorum Patrum chorus, constanter adieveians Catechumenorum reatus, ad Ægyptiorum persequentium exemplar, nonnisi in aquis mori & suffocari.

Lib. 4. cap. 21.

Ostenditur ex D. Augustino.

Lib. 1. cap. 8.

Lib. 9. cap. 4.

Cap. 2.

Sess. 14. cap. 3.

Cap. 11.

Cap. 19.

Palmare hujus veritatis fundamentum producit Sanctus Augustinus in libris de Baptismo adversùm Donatistas adserens cordis conversionem & Baptismatis Sacramentum esse duas invicem necessarias humanæ justificationis concausas, & adjungens : *Alterum sine altero parum est, utrumque perficit æternæ* possessionis *hæredem.* Et in libris adversùs Petilianum Constantinensem Donatistarum Episcopum : *Alterum sine altero non perducit ad regnum cœlorum.* Et in libro de unitate Ecclesiæ: *Utrumque necessarium est ad Dei regnum capessendum, & Baptismus & Justitia.* Ambas concaussas ait esse Evangelicam

Datur ratio à priori.

Lib. 4. cap. 21.

Lib. 3. cap. 56.

Cap. 22.

Divinæ Majestatis legem, ideoque sine juncto utriusque concursu neminem regulariter justificari. Et jure merito. Etenim qui dixit. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum*, etiam dixit, *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quo argumento adfiduè utitur sanctus Augustinus. Quod ipsum adversùs Cajanos, garrientes, homi nem sola fide justificari tradit in libro de Baptif-

Cap. 13. mo Tertullianus: *Ubi fides aucta est credendi in Nativitatem, Passionem, Resurrectionemque* Christi Domini, *addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodò fidei, quæ retrò* in antiquo Testamento *erat nuda, nec potest jam* justificare *sine sua* additi Baptismi *lege*. Et in libro

Cap. 12. de Spiritu Sancto magnus Basilius: *Fides ac Baptisma sunt duo mala parandæ salutis, inter se cognati & inseparabiles. Nam fides perficitur per Baptismum, Baptismus verò fundamento fidei nititur, & utraque res per Evangelicas* trium Divinarum Personarum invocatrices *voces impletur*. Et in tertia catechesi sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus: *Neque si quis aqua baptizatur atque Spiritu, perfectam habet gratiam, neque si quis etiam benè compositis probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum per aquam, introbit in Regnum cœlorum. Audax est hic sermo, sed non meus: Jesus enim est, qui hanc tulit sententiam*. Vario id Divino testimonio confirmat. Et illis qui adolescentem Æthiopem, non per Baptismatis Sacramentum, sed per prævia Catechumenorum mysteria, seu cæremonias vol-bant fuisse justificatum, respondit Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus: *Magna sequitur absurditas, ut puteur, illis tantum mysteriis sufficientibus & plenam salutem conferentibus, aqua fontis æterni non renascituram suscipere, sed renatum*. Adolescens ille plenè catechizatus, ac infigniter contritus, antequam ad sacrum Fontem perveniret, ex morbi violentia incidit in mentis impotentiam, in ipsa fuit baptizatus, & defunctus. Hinc quidam, Baptisma in amente operari non posse rati, illum per laudatos Catechumenorum mysteriosos ritus opinati sunt justificatum. Necessariam Baptismi causalitatem credierunt ab his suppletam. At credulitatem istam uti absurdam, utpuré quæ non renascituram, sed jam renatum suscipi à sacro fonte doceret, abjecit Ferrandus, istamque abjectionem san-

Cap. 9. ctus Fulgentius omninò probavit: *Ea mysteria, quæ ante Baptismum in Ecclesia geruntur, concipi Spiritualem hominem faciunt, non renasci. Hinc est quod perveniet ad salutem, si quem secunda natvitas educet ad lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur, sed Baptismatis Sacramento perductus. Hoc est, quod superiùs dixi, illis mysteriis esse salutis officium, in Baptismate salutis effectum.* Actualis Sacramenti causalitatem impetrandæ justificationi docet adeò necessarium, ut à nullo Vicario possit suppleri. Et hinc parvulorum, qui per solùm fine propria fide & charitate Baptismum, & quorumdam agonizantium adultorum, qui per solam fine Baptismo aut reconciliatoria Absolutione Contitionem justificantur ob extremam necessitatem, justificationem esse quasi heteroclytam, irregularem, privilegiatam, & singulam gratiam, multis in laudato adversùm Donatistas libro ostendit S. Augustinus. Et hanc esse avitam & unanimem omnium sub cœlo Ecclesiarum doctrinam, possit etiam ex aliis lucidis principiis demonstrari.

Sola perfecta charitas justificat sine Sacramento.

Quocirca charitas, quæ etiam sine actuali Sacramento hominem Catechumenum aut Pœnitentem infallibili legi donet remissionem peccatorum, easque vires etiam Contritioni communicet, est sola charitas perfecta, qui vivit patienter, delectabiliter moritur, & omnem rerum creatarum adfixivum amorem in nobis exstinguit. Hanc enim solam patenter laudat sacrosancta Tridentina Synodus, audiens Contritionem aliquando esse charitatem non solum adultam aut robustam, sed etiam perfectam, ideoque tunc hominem Deo, etiam ante susceptum Sacramentum reconciliare. Loquitur ex Sancto Augustino in commentario sexti Psalmi: *Perfecta nostra conversio paratum invenit Deum, sicut Propheta dicit*, TAMQUAM DILUCULUM PARATUM INVENIMUS EUM. *Dum enim nos convertimur, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus Spiritum nostrum, durum sentimus & laboriosum ad ferenitatem & tranquillitatem Divinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine reverqueri, & in tali difficultate dicimus*, CONVERTERE DOMINE, *id est, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio, quæ te paratum invenit, & fruendum te præbet dilectoribus tuis. Et idcò postquam dixit Propheta*, CONVERTERE DOMINE, *addidit*: ET ERUE ANIMAM MEAM, *tamquam in hærentem perplexitatibus hujus sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem*. Aliam, quæ Deum ad nobis donata peccatorum remissione & reddito suæ fruitionis jure misericordiam faciat, aliam cordis conversionem seu Contritionem, quæ illum ad gratias istas mox impartiendas non inveniat aut faciat paratum, palàm distinguit Augustinus, & istam dicit esse solam conversionem perfectam, quę animam eruat ab omni adfixiva cupiditate. Quousque ad gradum istum non pertingit anima, quamvis gemebunda & contrita ad peccatorum remissionem anheler, addit Deum, licet non donet, non esse crudelem, quod nondum anima tam perfectè oret, ut ei dicat: *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum*. In nono super sancti Joannis Apostoli literas tractatu dicit non ab inchoata, sed à sola perfecta charitate pelli omnem, etiam gehennarum & futuri Divini judicii timorem, & dat causam: *Perfecta charitas perfectam facit justitiam, & non habet quare timeat, immò habet quare desideret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Torquet cor conscientia peccatorum? Nondum facta est justificatio. Est ibi quod titillet, quod pungat. Idcò in Psalmo de ipsa perfectione justitiæ quid dicit?* CONVERTISTI LUCTUM MEUM IN GAUDIUM MIHI: CONSCIDISTI SACCUM MEUM, ET CINXISTI ME LÆTITIA, UT CANTET TIBI GLORIA MEA, ET NON COMPUNGAR. *Quid est*, NON COMPUNGAR? *Non fit quod stimulet conscientiam meam*. Peccatorum remissionem stata atque infallibili lege semper dari Contritioni perfectè non possit lucidiùs pronunciare. Per-

fe-

ectam charitatem esse perfectam justitiam affirmat etiam in libro de natura & gratia, item frequenter aliis in libris adversùm Pelagianos.

Cap. 70. Eamdem esse dicit laudatam à Sancto Petro Apostolo *bonam conscientiam*, *& spem in Deum*, id est; conscientiam ab omni peccatorum reatu liberam, quæ cum fiducia expectet à Domino vitam æternam. Ex eodem principio Dominicam orationem, non à Catechumenis aut Competentibus, sed à solis iam per sanctam Aquam regeneratis dici permisit antiqua Ecclesia. Quod nempe articulus, *Adveniat regnum tuum*, summum perfectæ charitatis votum, secure dici non posset, nisi à Donatis remissione peccatorum. Et hinc articulos varios, qui perfectam charitatem seu Contritionem sine peccatorum remissione, seu cum peccatorum reatu adserebant posse consistere, optimo jure Pius quintus Pontifex damnavit, abolevit, circumscripsit.

Perfecta Contritio, ut justificet, requirit Sacramenti votum L. 6. c. 25.

Recte verò sacrosancta Tridentina Synodus addit: *Ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Loquitur rursùm ex sancto Augustino in libris de Baptismo adversùm Donatistas: *Deus sanctificat Sacramentum suum, ut homo, sive antequam baptizetur, sive cum baptizatur, sive postea quandocumque ad se veraciter converso idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret.* Cordis conversionem & Baptismatis, adeoque & Reconciliationis Sacramentum dicit esse duas justificationis nostræ necessarias concausas, istamque mutuam necessitatem esse tantam: ut etiam illi, qui ante aut post susceptum Sacramentum justificantur, justificentur per ipsum quod necdum est aut jam præteriit: Quia nempe nulla cordis conversio quidquam prodest sine ipsius voto. Hocce adseverat esse adeò necessarium, ut etiam bono latroni non possit defuisse. An actu baptizatus ille fuerit, fatetur ambiguum, definit tamen *sine Sacramenti sanctitate non fuisse, quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ forsan necessitas adfuit.* Baptismi susceptio est solemnis ac Divinitùs instituta Dominicæ Passionis profitendæ formula, ideóque ejus saltem votum omni penitùs Contritioni, uti nobilis portio, debet esse inclusum. Etiam Contritioni Catechumenorum Martyrum. Hinc enim ad sanctam aquam, tamquam cervi ad fontes, semper ardentissime anhelarunt, & ipsam sibi per summa licet discrimina impendi procurarunt etiam intra carceres: Plurimis exemplis id possit ostendi. Martyrium non est nisi Baptismi Vicarium, ideoque ejus per votum adjutorio habet omnino opus. Vicarium sine Principalis influxu nequit operari.

L. 4. c. 23.

Contritio imperfecta sine Sacramento quandoque justificat.

CAPUT VIII.

Quæstiones quædam circa justificationem per solam sine actuali Sacramento Contritionem.

PRima quæstio est, An imperfecta Contritio nunquam ante susceptum actualiter Sacramentum conferat remissionem peccatorum?

Respondeo adfirmativè. Etenim Sacramentorum effectus quandoque sine ipsorum concursu dari à solo Deo, multis tradit in quæstionibus suis per Numerorum librum, in libris adversùs Parmenianum, & in libris adversùs Petilianum, qui sola Pontificiæ manus impositione dixerat Spiritum Sanctum inseri, Sanctus Augustinus. Factum id adfirmat & in veteri, & in novo Testamento. Et singulariter de peccatorum remissione dicit in libro Homiliarum: *Qui dimittit per hominem potest dimittere & præter hominem. Neque enim minùs idoneus est per se dare, quam per alium.* Et ita frequenter, immò semper adultis factum fuit in veteri Testamento: *Retrò*, inquit in libro de Baptismo Tertullianus, *erat salvus per nudam fidem ante Domini Passionem.* Per hanc addit fidei, utique per dilectionem operanti, accessisse Sacramentum tanquam vestimentum: Vestimentum efficax, quod fidei ad hominem Christo Domino induendum ac ejus justitia vestiendum infirmæ atque insufficienti præberet adjutorium ex opere operato. Antiqui ergo ante Domini in carne adventum homines erant in statu illo, in quo Pœnitentes quosdam posuit in libro de Pudicitia lapsus ad Montanum Tertullianus: *Et nos pœnitentiam deberi agnoscimus, sed veniam Deo reservamus.* Debebant de peccatis per charitatem & varia fatisfactionis opera conteri, at nullus erat in terris Sacerdos, nullum Sacramentum aut Sacrificium, quod eis daret veniam, quam sibi soli Deus reservabat. Perfecta per statam legem, imperfecta Contritio eos per arbitrariam, cujus consilia nemo hominum penetrat, Divinæ Bonitatis gratiam justificabat, uti factum existimo in Rege David, homicida & adultero, quem in charitate perfectum non fuisse plures existimant, nec sine fundamento. Et peccati translatio, & translationis factæ revelatio fuerunt illi Dei beneficium singulare. Et hinc novi, quod infirmæ nostræ contritioni Baptismi, & Reconciliationis Sacramenta, obtinendæ justificationis efficacia & infallibilia adjutoria providit; per JESUM CHRISTUM Testamenti gratia est incomparabiliter magna.

Quæst. 84. L. 2. c. 15. L. 2. c. 35. Hom. 23. c. 10. Frequenter id sed cit in antiquo Testamento. Cap. 13. Cap. 19.

Quæstio secunda est, An aliqui etiam in novo Testamento fuerint per solam sine actuali Sacramento Contritionem, imperfectam justificati? Respondeo adfirmativè. Quidam id probant ex novo muliere Samaritana, Zacchæo, Maria Magdalena, bono latrone, & aliis id genùs, quos Dominus omninò videtur sine Sacramento justificasse. Res tamen incerta est, & in utramque contradictionis partem ab antiquis Ecclesiæ Patribus disputatur. Quidquid sit, ad propositum nostrum non faciunt exempla ista, duas ob causas. Primò, quod Pœnitentium istorum Contritioni, licèt non alicujus Sacramenti, tamen Divinæ vocis, *Hodie mecum eris in Paradiso; Remittuntur tibi peccata tua*, adjutorium accesserit, omninò æquivalens Sacramento. Deindè, necdum tunc, uti in libris adversùs Parmenianum sanctus Augustinus advertit, erat *constitutus ordo Ecclesiæ*: Ex atbitrio, non ex regula Dominus Jesus agebat. Quocirca quærendum est, an post institutum istum ordinem, fixoque no-

Quæst. 15. L. 2. c.

bis novorum Sacramentorum Divinos Canones aliqui unquam fuerint juſtificati per ſolam ſine Sacramento actuali imperfectam Contritionem? Et reſpondeo adfirmativè. Pergit enim laudatis adversùs Parmenianum libris S. Auguſtinus: *Conſtituto jam ordine Eccleſiæ, Centurionem Cornelium ante ipſum Baptiſmum, ante impoſitionem manus, cum eis qui ſecum aderant, Spiritu ſancto repletum Petrus ipſe miratus eſt.* In Cornelio hoc diſtinguenda ſunt duo tempora; primum à prima ejus fide uſque ad acceſſitum & præſentem Apoſtolum Petrum, ſecundum à præſente Apoſtolo uſque ad actualem Baptiſmum: Nequaquam in primo, ſed ad ſecundi dumtaxat temporis exordium fuiſſe peccatorum remiſſione donatum, eſt conſtans doctrina ſancti Auguſtini. Et tamen non ſine fundamento donum iſtud Petrus Apoſtolus & omnis cum illo novella Eccleſia ſunt admirati: Quod nempe extraordinarium, & Divini novelli Canonis diſpenſatorium eſſet, tantæque diſpenſationis cauſas & laudara Eccleſia, & ipſe etiam Apoſtolus ignorarent. Nullus uſque tunc incircumciſus fuerat donatus Baptiſmo, & è fidelibus Judæis plures circumciſionem eſſe neceſſariam ad Baptiſma viam opinabantur, ideoque errorem ſanaturus Deus optimus maximus Cornelio cuncta Chriſtianiratis chariſmata impartivit ante Baptiſmum, atque ita oſtendit circumciſionem illi non debere præmitti. Hanc fuiſſe germanam iſtius diſpenſationis cauſam lucidè tradit in libris de ſanctiſſima Trinitate, in commentario Pſalmi nonageſimi ſexti, & in vigeſima tertia Homilia laudatus Auguſtinus, eique alii Patres conſtanter adſtipulantur, atque ita adſeverant ab ipſo Deo factam Divini Canonis ex tanta totius Eccleſiæ communi cauſa diſpenſationem non poſſe à nobis in regulam verti. Nihilominùs Dominum Deum hac diſpenſatione fuiſſe etiam ex minoribus quandoque cauſis uſum ſuadent varia per varios graviſſimos Scriptores laudata exempla, quibus alibi producendis ego nec velim nec auſim refragari. Domini miſerationes ſunt ſuper omnia opera ejus. Sunt interim diſpenſationes atque exceptiones, atque ita laudaram ſuperiùs Evangelii regulam ſtabiliunt ac firmant. Et hinc in eruditis ad Theodoſium Epiſcopum de Pythoniſſa literis rectè ſcribit ſanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus: *Poſtremum caput propoſitarum quæſtionum, quomodo Spiritus ante Baptiſmum adveniat, ampliori indiget diſquiſitione atque conſideratione.* Quod nempe non regulare, ſed diſpenſatorium ſit opus iſtud, ideoque non fiat paſſim, ſed rarò ex gravibus cauſſis.

Lib. 15. c. 19. Cap. 12.

Tom. 2.

Tertia quæſtio eſt, An in mortis articulo pius Dominus Deus per ſpecialem quandoque miſericordiam ſuppleat neceſſariam cauſalitatem ſine culpa noſtra deficientis Sacramenti, noſque juſtificet & ſalvet ex ſola imperfecta Contritione? Antiquiſſima eſt hæc quæſtio, orta vel potiùs aucta inſigniter ex errore ſancti Cypriani, volentis datum in hæreſi Baptiſma eſſe irritum & exſufflandum, ac inſuper fatentis quod exſufflandi ac repetendi mos ab Agrippino Antecеſſore ſuo per Tertullianum, qui Presbyter ejus fuiſſe exiſtimatur, perſuaſo & circumſcripto originem duxiſſet. Hinc enim quæſtio Jubajani Epiſcopi: *Quid ſiet de his, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine Baptiſmo admiſſi ſunt?* Damnatos eſſe & periiſſe videntur in erroneæ Cypriani Synodo docuiſſe Nemeſianus Tubunenſis, Sedatus Tuburbenſis, & Secundianus Epiſcopus Tambeenſis, utique ex Evangelica regula, quæ cordis converſionem & Baptiſmatis Sacramentum ſanxit eſſe neceſſarias ac individuas humanæ juſtificationis cauſas. Ad eandem ſententiam ex eodem fundamento accedit in oratione adversùm moroſos Baptiſmi in vitæ finem dilatores ſanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, argumentum ipſorum, quo ſuſceptum in viridi ætate Sacramentum à ſe lapſibus maculandum formidare allegabant, refutans: *In electione malorum magis eſt eligendum, ut ſaluatare lauacrum adſecutæ, rursùm ſit in peccato, quam ut gratiæ expers vitam ſinat. Nam peccatum quidem veniam fortaſſe conſequetur aut clementiam, cujus magna eſt ſpes apud bonos; alteri autem eſt omninò vetita ſalus ex certa & definita ſententia. Nam cùm audiero vocem, quæ non mentitur, dicentem,* AMEN, AMEN, DICO VOBIS, NISI QUIS NATUS FUERIT DESUPER, NON POTEST VIDERE REGNUM DEI, *nihil bonæ poſſum exſpectare eis, qui myſteriis non ſunt initiati. Quamnam enim reverè veniam æquum eſt impartirè eis, qui Regis gratiam adſecuti contumelia, erùe alieni non admittentes recluſionem, nec amplectentes libertatem, quæ ſuâ ſponte ad eos è cœlo deſcendit, per doni autem contemptum, eum qui donavit probro, & dedecore adfecit? Animam minimè illuminatam, & Regenerationis gratia non ornatam, neſcio an Angeli ſuſcipiant, poſtquam fuerit ſeparata à corpore. Quomodo enim, cùm non ſit obſignata, nec ullum ferat ſignum ſui Domini, quam eſt verſimile per aerem ferri errantem & vagantem, & minimè quæſtam, ut quæ Domino careat, quærentem quietem & locum in quo maneat, & non invenientem, fruſtra deſentem, & inutiliter pœnitentem, non ſecùs atque divitem qui induebatur purpura & byſſo, quemque lautus & delicatus omni generis cibus alebat, materiam ignis, qui non poteſt extingui.* Agit in nobilem virum & ſtrenuum militem Archiam, natum apud Pontícos in civitate Comanorum, qui Catechumenus ex inita adversùm Scythas Nomadas pugna læthalier læſus pro communi patriæ ſalute, & in extremis clamans, *Montes & ſilvæ baptizate, arbores & rupes date gratiam* ſine Baptiſmi gratia fuerat defunctus. Et adjungit Gregorius: *Quas miſerabiles voces cùm reſeiſſet Comana, pro cujus ſalute pugnabat, civitas eas magis deflevit, quam caſum belli.* Quod nempe crederet Archiam per ſolam Contritionem ſuam, licèt ardenti Baptiſmatis deſiderio veſtitam, non potuiſſe in extremo mortis articulo ſalvari. Pergit Gregorius: *Huic ſimiles ſunt ii quoque, qui à morbis repentè opprimuntur*, qui oppreſſi ſanctam Aquam, Sacerdotem, aliaque ad Baptiſmum neceſſaria inclamantes ſine ipſo exſtinguuntur. Hinc ut omnes illuminationis Sacramentum ſani accipiant ſuo tempore, concludit & ſerió hortatur. Favet item in libro de adoleſcentis Æthiopis, qui poſt peractos exorciſmos, ſcrutinia, catechiſmum, poſt acceptum cum Dominica Oratione Symbolum, adeoque

adeoque & post competitum Sacramentum subito ex infirmitate obmutuerat, amiserat sensum, atque ita baptizatus obierat; in libro, inquam, de hujus adolescentis Baptismo favet sanctus Fulgentius, Ferrando Ecclesiæ Carthaginensis Diacono roganti. *Ergo salvus esset*, per propriam utique Contritionem & peractos in ipso laudatos ritus Sacramentales, *Si nec ad ipsam corporis tinctionem pervenisset*, respondens: *Ne quis dicat quod ille salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset, cùm utique non dicamus illum sine Baptismi Sacramento sola confessione potuisse salvari.* QUI ENIM CREDIDERIT ET BAPTIZATUS FUERIT, SALVUS ERIT. *Illum utique adolescentem, quia credidisse & confessum fuisse novimus, ideò per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solùm nesciens, sed etiam sciens, nullatenùs salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in Baptismate.* Et in libro de fide ad Petrum scribit: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis fuerit per fidem pœnitentiamque conversus, & per Sacramentum fidei & pœnitentiæ*, id est, Baptismum, *liberatus*. Eandem sententiam tutatus est ille, de quo ad Hugonem de Sancto Victore rescripsit sanctus Bernardus: *Scribis quemdam asserere, ex quo primùm dictum à Domino legitur*, NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA & SPIRITU SANCTO, NON INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM, *ex eo nominem absque eodem actualiter percepto Sacramento, vel ejus vice martyrio, ullatenùs potuisse salvari. Sed etsi fortè illud quispiam cum vera fide & Contritione cordis expeteret, sed præventus mortis articulo adsequi quod cuperet, non valeret, tamen omninò damnari.* Doctor ille videtur fuisse Otto Episcopus Frisingensis, à quo notatum fuisse sanctum Bernardum, est suprà dictum. Ambo fuerunt Cisterciensis Ordinis grandia luminaria, at non per omnia concordes. Et videtur Otto Catechumenis aut Pœnitentibus, cum sola imperfecta Contritione fine actuali Sacramento morientibus, æternam salutem definitivè non negasse, sed uti de re incerta & intra Divinæ miserationis secretissimos thesauros occultata dumtaxat hæsitasse. Duram tamen à sancto Bernardo memoratam opinionem videntur omninò tenuisse nescio qui Doctores, quos in literis ad Cremonenſem Episcopum, apud Gregorium IX. extantibus, Innocentius III. Pontifex reprehendit.

Ad nostram ergo, etiam sibi propositam à dicto Episcopo, quæstionem respondet laudatus Innocentius adfirmativè: *Presbyterum, quem sinunda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudia esse adeptum adsevimus incunctanter. Lege super octavo libro Augustinum de Civitate Dei, ubi inter cætera legitur.* BAPTISMUS INVISIBILITER MINISTRATUR, QUEM NON CONTEMPTUS RELIGIONIS, SED TERMINUS NECESSITATIS EXCLUDIT. *Librum etiam sancti Ambrosii de obitu Valentiniani, idem adserentis evolve. Sapitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Circa Augustini locum, qui non in libris de Dei civitate, sed in libris de Baptismo adversùm Donatistas exstat, eruditissimus Pontifex fuit memoria lapsus. Ejus autem definitioni non solus Augustinus & Ambrosius adstipulantur, sed & sanctus Cyprianus, Jubajani Episcopi. Quid de hæreticis pœnitentibus, & sine Baptismo usque ad Agrippini Episcopatum in Ecclesiam admissis credendum esset, interrogationi respondens: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus, non separare.* Quod Responsum magnis encomiis sanctus Augustinus in sui adversùm Donatistas Scriptis frequenter exornat. Laudat & aliam sancti Cypriani doctrinam, qua ex boni latronis, cui non baptizato dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*, salute concluſit Baptismi vicem aliquando suppleri à martyrio, & adjungit in laudatis de Baptismo libris: *Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Latronem illum nequaquam Martyrem, sed dumtaxat Confessorem fuisse ostendit insigniter, & pergit: *Sed tunc impletur invisibiliter, cùm ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Eadem Evangelica lex, quæ Contritionem & Baptismum sancit esse duas humanæ salutis necessarias concausas, per solum sine propria Contritione Baptismum dignatur salvare parvulos, & hanc exceptionem statuit in aliam legem. Hinc simílem etiam miserationem impendi imperfectè contritis, & Sacramenti copiam non habentibus moribundis adultis sotidè Augustinus concluditi. Amborum justificationem fieri dicit aliquid necessarium per singularem misericordiam *complente Deo*, atque ita esse privilegiatam quasi irregularem, aut certè factam ex regula speciali. Quam omnem doctrinam in laudatis ad Hugonem Victorinum literis eximiè illustrat & confirmat sanctus Bernardus.

Confirmat & quarta Synodus Carthaginensis: *Pœnitentes, qui attentè leges Pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non potest, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Et prima Vasensis: *Pro his, qui Pœnitentia acepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinate nonnumquam transitu in agris aut itineribus prævenuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Ecclesiastico officio prosequendam.* Et secunda Aurelianensis: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint intercepti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem prabuerint propriis manibus intulisse.* Quales Canones adduci possunt multi. Quod istud in subſtantia ipsum pro Catechumenis defunctis fieri possit, & rectè fiat, circa Valentinianum II. Imperatorem docuit S. Ambrosius verbo & exemplo. Neque adversatur prima Bracarensis Synodus: *Placuit ut Catechumenis sine Baptismi*

Cap. 8.

Cap. 30.

Ep. 77.

Lib. 3. tit. 43. cap. 2.

Imperfecta Contritio sine actuali Sacramento justificat in articulo mortis.

Lib. 4. cap. 23.

Lib. 4. cap. 22.

Epist. 77.

Cap. 79.

Cap. 2.

Cap. 15.

Cap. 3.

ptissimi redemptione defunctis neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Num & hoc per ignorantiam usurpatum est. Nequaquam pro illis sacrificia aut alia Ecclesiæ suffragia vetat, sed dumtaxat ipsorum nomina, quod certum adversari antiquo Canoni, recitari. Neque id existimo factum à sancto Ambrosio. Nec item pro Presbytero non baptizato fieri jussum ab Innocentio III. Etenim etiam hodie ipsum non facit Ecclesia Romana. Alia est Catechumenorum causa, alia Pœnitentium. Hi quandoque obtulerunt, perceperunt Eucharistiam, & plena communione fuere gavisi, ideoque tamquam in eamdem per extremam in vitæ extremo Contritionem, & à Divina miseratione adjunctum deficientis Sacramenti supplementum restituti, possint facta ad recitatum ipsorum nomen oblatione honorari; at verò Catechumeni morientes, licet eadem via justitiam acquirant, non acquirunt characterem Baptismalem, omnium Sacramentorum januam, ideoque pro ipsis offerri non licet, seu ipsorum nomen in sacrificio recitari. Quidquid sit, adducti Canones lucidè confirmant nostram hic adsertionem.

Effectus hic videtur non dari infallibiliter.

Quarta quæstio est, An istud deficientis Sacramenti supplementum Divina miseratio per statam atque infallibilem legem faciat omni Contritioni imperfectæ, cunctisque Catechumenis ac Pœnitentibus, licèt tantùm imperfectè, contritis? Hæc est quæstio inter Ottonem Frisingensem Episcopum & sanctum Bernardum mota præsertim, cujus hic adfirmativam partem tenuit, ille negativam. Nec aliud sensisse existimo S. Fulgentium, aut sanctum Gregorium Nyssenum. Agit enim hic adversùm morosos Baptismi ultra consuetum Catechumenatus terminum dilatores, & de ipsorum dumtaxat, licèt converso ad Deum corde Sacerdotem & Sacramentum moribundi inclamet, salute se mulcùm dubitare dicit, ipsam eis diserte non abjudicat. Et quomodò sanctus Fulgentius, cujus tamen verba duriora fateor, possit à sancto Augustino discordare? Sanctus quippe Augustinus pro solis illis, quos non contemptus seu gravis neglectus, sed mera citra culpam necessitas Sacramento spoliat, in suprà adductis locis definit, adeoque de negligentibus, licèt in extremis negligentiam purgent, & ex animo ad Dominum clament, videri possit etiam ipse dubitasse. Sanè in literis ad Honoratum Thabennensem Episcopum docet hostilis incursionis tempore, quo plurimi Contritione ad Deum conversi Regenerationem aut Reconciliationem, omnes consolationem solent exposcere, Sacerdotes ac alios Ecclesiæ Ministros non posse fugere, & adjungit causam: *Si Ministri desint, quantùm exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?* Eos à vita æterna non excludit, sed ad Divinæ miserationis incertum dumtaxat suspendit. Etiam in literis ad Theodorum Forojulien sem Episcopum scribit de infirmis Pœnitentiæ actionem & Reconciliationis gratiam simul poscentibus, & ante hujus perceptionem defunctis, S. Leo Magnus: *Non necesse est nos eorum, qui sic obierint, meritæ actusque discutere, cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ Justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* In Synodalibus item ad sanctum Cornelium Papam literis omnes lapsos instante nova persecutione reparandos & reconciliandos censuit sanctus Cyprianus, additdque causam: *Si quis relictis omnibus rebus suis fugerit, & in latebris atque solitudine constitutus in latrones fortè incurrerit, aut in febribus aut in languore decesserit, nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, & contempta domo, & parentibus, ac liberis, sequi Dominum maluit, sine pace & sine communicatione discessit?* Acriter urget ejusmodi Confessores, licet insigni charitate contritos, mori cum damnationis periculo, ideoque eorum, qui forsàn perierint, animas à durioribus, Reconciliationis Sacramentum illis opportunè denegantibus, Episcopis in Divino Judicio requirendas. Neque refert quod in aliis ad Thibaritanam Ecclesiam literis adfirmet fugitivos istos Confessores, ac in fuga morientes, esse verè ac plenè Martyres: Loquitur enim de fugitivis integris, quibus Reconciliatione non sit opùs. Quare videtur incerta esse hæc res, neque profundè nimis inquirenda. Omni cura fatagere nos oportet, ut neque sine necessario Sacramento ad Dominum abeamus ipsi, & nemo per nostram negligentiam abire cogatur.

Ep. 180.

Ep. 91.

Ep. 54.

Ep. 59.

Attamen apud Lucam Dacherium exstat Theobaldi Stampensis, qui sub Paschali II. Pontifice floruit, ad Lincolnien sem Episcopum non inrudita Epistola, cujus hoc exordium: *Si quis prædicat, & prædicando temerè diffiniat aliquem non posse salvari, quacumque bora manus suas Pœnitentiæ dederit fallitur, nec Catholicè sentit.* De justificonsequenda per solam sine Sacramento in extremo vitæ spiritu Contritionem salute palàm agit, suamque adsertionem vult esse certam, & adeò universalem, ut adjungat: *Augustinus de Sodomitis in lacu submersis tractans dicit, quod quidam ex illis salvati sunt, per bonam compunctionem, & verum cordis gemitum, quia non solùm super fluxa cogitationes, sed etiam pravæ actiones ante vim compunctionis fugiunt.* Verùm non memini me istud in Augustino legisse. Multò interim Patrum testimonio omnia hæc confirmat Theobaldus, & concludit: *Patet quod quicumque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter & gloriam consequetur in cœlis. Amen. Si quis hanc Epistolam improbare voluerit, & hos præfatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percussus comminuatur, comminutus in pulverem redigatur.* Eandem sententiam in opusculo de forma sacramentalis Absolutionis tradit Joannes Gerson, & in suprà laudatis ad Cremonensem Episcopum literis Innocentius III. Pontifex videtur supponere. Quidquid sit, pium hunc de Divina in nos peccatores clementia sensum passim omnes hodie tenemus.

Imperfecta Contritio tritio in articulo semper justificat. Tom. 3

CAPUT IX.

Discutitur doctrina Eminentissimi Domini Cardinalis Roberti Bellarmini.

Exponitur sententia Cardinalis Bellarmini.

DOminus Cardinalis Robertus Bellarminus, Ecclesiasticæ non solùm dignitatis, sed etiam eruditionis ac omnis scientiæ eminentissimo gradu illustrissimus, nostræ, qua solam charitate perfectam contritionem sine suscepto actualiter Sacramento justificare dicimus infallibili extra Martyrii etiam aut extremæ necessitatis articulum lege, adsertioni plenè concordat, agens adversùs Martinum Kemnitium, hominem Lutheranum, & nescio quem alium in Catholica Ecclesia Doctorem ante annos paucos, *qui in libro, quem de charitate conscripsit, adversùs communem sententiam docuit Catechumenis & Pœnitentibus, quamvis perfectè conversis, & charitate flagrantibus, non remitti peccata, sive reatum mortis æternæ, nisi cùm vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi forte in articulo mortis.* Etiam nos improbamus Doctorem istum, ejusque dogma detestamur, atque ideò cum Domino Cardinali plenè convenimus. Quia tamen inter veram, flagrantem, & perfectam, seu inter natam, nutritam, adultam, robustam, & perfectam charitatem, varioque isto ejus gradu variè formatam Contritionem laudatus Antistes apertè & diserte non distinxit, sed ex quibusdam verbis videri possit confudisse, labendi quasi ansam quibusdam præbuit, ideoque omninò opùs est, ut ejus argumenta, quæ ad lapsum illum purgandum ponderè & fundamento non penitùs carent, adducam, enodem, aut potiùs exponam, ostendamque Dominum Cardinalem solis verbis, non sensu mihi adversari.

Exponitur Augustini locus ex 13. tractatu super Joannem. Tom. 3. Centr. 4. l. 2. c. 14.

Ad productum ergo S. Augustini ex tertio decimo super sancti Joannis Evangelium tractatu locum respondet Dominus Cardinalis: *Dico Augustinum loqui de eis Catechumenis, qui negligunt ad Baptismum accedere. Tales enim, quantumvis proficiant, nunquam sunt verè justificati cùm nec in re, nec in voto Sacramentum Baptismi habeant, nec vera charitate flagrent. Vera enim charitas, & verum Baptismi votum non permittunt hominem esse negligentem, aut Baptismi contemptorem. Quare locum Augustini, QUAMTUMQUE CATECHUMENUS PROFICIAT, ADHUC SARCINAM INIQUITATIS SUÆ PORTAT, NON EI DIMITTITUR, NISI CUM VENERIT AD BAPTISMUM, intellige de re aut ardenti & vero desiderio. Nam apud Deum animus pro facto reputatur. Quare idem Augustinus scribit latroneni, qui cum Christo crucifixus fuit, non caruisse Baptismo, quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit.*

Aug. l. 1. de orig. præjudicium captatur, *five tentatur contra Baptismatis Sacramentum*, Baptisma esse incertum: Variat non solus Augustinus, sed Patres passim omnes. Ut ut sit, non facit ad rem præsentem. Ejus enim, qui in Dominum Crucis maledicto adfixum, & omni ludibrio expositum credidit, fidem mirè & meritò extulit semper omnis Ecclesia, credidit perfectam fuisse, ideòque aptam justificare sine Sacramento. Deindè, Domini ad illum gratiosa vox, *Hoc die mecum eris in Paradiso*, Sacramenti vicem possit omninò suppleviſſe. Præterea, necdum tunc erat constitutus ordo Ecclesiæ, ideòque nec Baptisma obligabat. Addo de Baptismi contemptoribus aut neglectoribus Augustinum nequaquam loqui: Loquitur enim de Catechumenis Divina charitate flagrantibus, in operum justitia insigniter proficientibus, & multos fideles præcedentibus, quorum justitia jam superet Scribarum ac Pharisæorum justitiam, & cui ad capessendum regnum cœlorum desit solum Sacramentum. At vero *in contemptore Baptismi*, Cap. 22. inquit in libro de unitate Ecclesiæ, *non potest esse Justitia.* Et in quæstionibus super Exodum: *Contemptor Sacramenti invisibiliter sanctificari nullo modo potest.* Nequit habere charitatem, Q. 84. aut veram Contritionem: Quod ei Sacramenti votum sit omninò pars essentialis. Longè minùs possit charitate flagrans esse, aut in operum justitia fideles superare. Immò Augustinus loquitur etiam de Competentibus, quos novimus tamquam cervos ad sanctum Fontem anhelare. Et boni operis votum, non nisi dum facti deest facultas, pro facto reputatur. Notanda sunt Augustini verba, *Quantumcumque Catechumenus proficiat*: Ajunt solam, quæ necdum perfecta sit, tendentem adhuc & proficientem charitatem sine actuali Sacramento passim non justificare.

Exponitur Augustini locus ex libris de Baptismo.

Pergit Dominus Cardinalis de aliis sancti Augustini locis: *Ad secundum dico Catechumenum charitate flagrantem non carere remissione peccatorum. Quod autem dicit ille Baptismi susceptio ad capessendum regnum cœlorum, non ideò est quia non habeat remissionem peccatorum, sed quia tenetur Baptismum suscipere, nisi necessitate aliqua excludatur. Et si contempserit vel neglexerit accipere, reus est, & damnabitur, non quia nunquam habuerit remissionem peccatorum, sed quia Sacramentum contempsit, in cujus virtute & voto justificatus erat.* Ita Augustinus ibidem inquit: VERUNTAMEN CORNELIUS, SI ETIAM SPIRITU SANCTO ACCEPTO BAPTIZARI NOLUISSET, CONTEMPTI TANTI SACRAMENTI REUS FIERET. Respondeo Catechumeno peccatorum remissionem habenti nihil deesse ad capessendum Dei regnum. Sola enim peccata separant inter hominem & Deum, & ab ejus regno excludunt. Profiteor Baptisma esse ab ipso suscipiendum, & sine grandi crimine non posse negligi, longè minùs contemni, verùm antequam ita delinquat, & quamdiu charitate flagrat, quid ei, si peccatorum remissionem habeat, ad capessendum Dei regnum possit deesse? Aliquid tamen Baptismo acquirendum deesse adfirmat constanter sanctus Augustinus: Utique remissionem peccatorum. Quare hæc Augustini verba: *Catechumenum charitate flagrantem*, rectiùs expositerunt nostri olim Scholastæ Lovanienses: *Augustinus* Ad l. 4. de Bapt. c. 21. *charitatem generatim accipit pro dilectione, qua de Deum tamquam omnis Justitiæ fontem, summumque bonum diligimus, cujusmodi & ante justificationem requirit Concilium Tridentinum. Eamdem tamen à charitate distinguens, ut quæ sit amicitia cum Deo, qua eum puro corde in nobis jam habitantem, ut Patrem nostrum, summumque ac beatificum bonum diligimus. Hæc justorum tantùm est & filiorum Dei*,

Pſal. 54.

Dei, quoſque jam tota Trinitas inhabitat. Non ergo ante juſtificationem reperiri poteſt vel in Pœnitente, vel in Catechumeno, cui ad capeſſendum regnum cœlorum deſit adhuc peccatorum remiſſio, Abſolutione vel Baptiſmo conferenda. Habitualem & actualem charitatem diſtinguunt, & hanc licet flagret, dummodò adulta dumtaxat aut robuſta, & nondùm perfecta ſit, adſirmant in Pœnitente aut Catechumeno eſſe ante & circa remiſſionem peccatorum.

Ad adducta Sancti Auguſtini è Confeſſionum libris loca Dominus Cardinalis hæc ſcribit: *Ad locum ex Confeſſionibus dico, meritò Auguſtinum ante Baptiſma nunquam fuiſſe ſecurum, quia non certò ſciebat ſeveram charitatem & Contritionem habere. Nec fecerat totum quod poterat ad remiſſionem peccatorum accipiendam: Cùm autem dicit* PECCATA MEA NONDUM REMISERAS, *loquitur ſecundùm ſuam conſcientiam: Ipſe enim ita exiſtimabat, nec poterat homo pius & humilis aliter exiſtimare. Non tamen probatè ſequitur id verum fuiſſe. Nam & plerique Sanctorum dicunt ſe maximos peccatores eſſe, & dignos gehenna. Et licèt mendaces non ſint, quia dicunt quod ſentiunt, falſum tamen ſine dubio dicum.* Reſpondeo Auguſtinum de vera ſua charitate & Cap. 12. Contritione fuiſſe omninò certum. Adſirmat id ipſe in octavo Confeſſionum libro: *Dicebam hæc,* Cap. 2. *& flebam amariſſima Contritione cordis mei.* Et in ſequenti libro: *Sagittaveras tu cor meum charitate tua*: Et in libro de fide & operibus: *An uſque adeò diſſimulamus à ſenſibus noſtris, ut vel nos ipſos non recordemur, quam fuerimus attenti atque ſolliciti, quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cùm Fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob id* COMPETENTES *etiam vocaremur?* Et in ſolloquiorum Catechumenatus tempore ſcriptis libris, illuſtratæ Divinitùs rationi ajenti, Lib. 1. *Mulium profeciſti*, reponit: *Quamquam tibi reſpondere non poſſim, nunquam tamen tibi perſuadebis, ut hac affectione mentis, qua nunc me eſſe ſentio, nihil me profeciſſe arbitrer.* De ſua igitur vera in Deum charitate & Contritione erat certus ac ſecurus. Quocirca dum peccata ſua ante Baptiſmi ſuſceptionem tibi necdum fuiſſe remiſſa, ſcripſit poſtea Epiſcopus, nequaquam ex errante olim privata conſcientia, ſed ex communi totius Eccleſiæ ſenſu ſcripſit, ex quo & prædicavit: *Quan tumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non ei remittitur, niſi dum venerit ad Baptiſmum.* Et ſanè, fletus, cilicia, cineres, nudi pedes & cervices, ſubſtrationes, ſcrutinia, manus impoſitiones, & iſtiuſmodi varia pluriumannorum duriſſima paratura, quam uti neceſſariam pec atorum remiſſioni accipiendæ præparationem, & juſtum tantæ mercis pretium exegit & à Catechumenis & à Pœnitentibus olim Eccleſia, lucidè evincunt, quod tantum donum ad quemvis imperfectæ charitatis ſeu Contritionis actum dari ipſa non cenſuerit, adeoque & Auguſtini conſcientia nunquam erravit. Hinc & ſuprà laudatam cum ſemetipſa pacem, quam eſſe effectum remiſſionis peccatorum definit Sacroſancta Tridentina Synodus, illa non ſenſit, niſi poſt egreſſum è ſalutaribus aquis.

CAPUT X.

Examinantur alia Domini Cardinalis fundamenta

PAlmare Domini Cardinalis fundamentum ſunt ſuperiùs adducta, & alia plura ſimilia Divinarum literarum teſtimonia, quæ ad converſum peccatorem adſirmant ſtatim converti etiam Divinam miſericordiam, & omnem veraciter pœnitentem ac diligentem rediligi mox à Domino Deo, adeòque & donari remiſſionem peccatorum. Reſpondeo omnia ejuſmodi loca exponi à ſancto Leone Magno in literis ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum: *Hîs, qui in tem-* Epiſt. *pore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia,* 91. c. 3. *præſidium Pœnitentiæ & mox Reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec Reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempore definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio.* Nullas patitur veniæ moras, non ut ipſa per ſemetipſam ſtatim conſequatur remiſſionem peccatorum, ſed ut in ſupremæ neceſſitatis gratiam mox veſtiatur Sacramento, per quod iſta remiſſio detur. Omnia, inquam, Divinarum Scripturarum, contritis & ad Deum diligendum converſis peccatoribus dandam mox peccatorum veniam promittentium adducta teſtimonia ſoli, ſi quidem imperfecta ſit, Evangelicis novorum Sacramentorum veſtibus adjutæ charitati & Contritioni promittunt: Ea quippè ſola eſt quemadmodum in novo Teſtamento oportet. Aliam expoſitionem in libro de gratia & libero arbitrio adverſùm Pelagianos, hocce Divino teſtimonio, *Si volueris conſervabis mandata*, ad errorem ſuum abutentes, tradit ſanctus Auguſtinus: Per Jeſu Chriſti gratiam fit, *Ut bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna ſit, ut poſſit implere Divina mandata quæ voluerit, cùm plenè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt*, SI VOLUERIS CONSERVABIS MANDATA, *ut homo, qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantùm ſufficit, & volendo faciamus.* Sola robuſtiſſima ac plena voluntas eſt valida ad omnes Dei leges. Etenim montium tranſlatio, & alia fidei per Dominum Jeſum promiſſa chariſmata fieri non poſſunt, niſi ab ampla illa quam in ſæculi fine vix inveniendam idem Dominus prædixit. Ita & peccatorum remiſſio eſt fructus & effectus nudæ etiam charitatis & Contritionis; non cujuſcumque, ſed ſolius perfectæ: Imperfecta omnis etiam adulta & robuſta, eget adjutorio actualis Sacramenti. Solius nobilioris ſpeciei dignitatem in totum genus tranſcribere eſt genus probatiſſimæ locutionis.

Laudatam ſancti Leonis Epiſtolam, hæc præſertim ejus verba, *Nullas patitur veniæ moras vera converſio*, adducit etiam pro ſe Dominus Cardinalis. Reſpondeo antiquum, qui Pœnitentiæ pro gravibus peccatis actionem ſeu ſatisfactionem non unà cum data Abſolutione imponi poſtea

ſtea adimplendam, ſed ante ipſam plenè expleri juſſit, Eccleſiæ rigorem fuiſſe quoad moribundos mitigatum à tertio decimo Canone Nicæno, mandante nullum deinceps neceſſario, quod tribus antea peccatis fuerat uſque tunc negatum in quibuſdam Eccleſiis, poſtulatæ Reconciliationis viatico deinceps fruſtrari. Verùm rigidiores quidam Epiſcopi mandari dixerunt de ſolis Pœnitentibus, qui ſani maternam Eccleſiæ pietatem implorarant, Pœnitentiam acceperant, & diligenter peregerant uſque ad infirmitatis adventum, ideòque ad alios, quos ſolus mortis timor ad Dominum coegerat, Lapſos gratiam iſtam non poſſe extendi: Eis Pœnitentiæ actionem & Reconciliationis donum non poſſe ſimul impendi, ſed quædam interſit itia etiam ab his eſſe ſervanda. Fundabant ſe in ſancto Cypriano, qui pacem Lapſis moribundis dum dandam ſanxit, ſanxit de ſolis qui vivi Eccleſiæ fores ad miſericordiam pulſarant flentes, addens in Epiſtola ad Antonianum Epiſcopum de cæteris: *Non eſt dignus in morte accipere ſolatium, qui dum vixit non cogitavit ſe meriturum.* Hanc duritiem improbat & proſcribit ſanctus Leo, dicens veræ, quæ etiam in taliter Pœnitentibus præſumi debet aut ſperari, converſioni nullas à Deo optimo maximo fieri veniæ moras, non ut ipſa per ſemetipſam ſine Sacramento acciſiat veniam, ſed ut ſatisfactionis & Reconciliationis, à quibus illam accipiat, Sacramento & adjutorio veſtiatur. Veſtimentum illud & adjutorium ait illi eſſe adeò neceſſarium, ut dum non per contemptum aut gravem negligentiam, ſed per improviſam neceſſitatem adhiberi non potuerit, laudatæ converſionis fructus & ſucceſſus ſit nobis incertus, & Divino Judicio reſervatus. Proindè ſanctus Leo palam eſt nobiſcum.

Etiam totius Eccleſiæ conſenſum ptoducit Dominus Cardinalis, & ſcribit: *In Eccleſia ſæpè concedunt a Pontificibus indulgentiæ habentibus Contritionem peccatorum ſuorum cum propoſito Confeſſionis Sacramentalis ſuo tempore faciendæ. Et eædem Indulgentiæ à fidelibus toto orbe libenter & cum gratiarum actione ſuſcipiuntur. At certum eſt indulgentias hoc requirere, ut qui eas ſumit jam ſit in ſtatu gratiæ, & liber à reatu mortis æternæ, & ſolum pro temporalibus pœnis ſatisfacere teneatur. Indulgentiæ enim à temporalibus pœnis homines liberant, ſi tamen prius ab æternarum reatu liberati fuerint. Quare univerſa Eccleſia credit per Contritionem cum voto confeſſionis à reatu peccato mortalis hominem liberari, atque in gratiam cum Deo redire.* Reſpondeo aliud eſſe indulgentiam, aliud ejus fructum ſeu effectum. Eam poſſe in ſtatu peccati mortalis donari atque acceptari, nemo dubitavit unquam: Eam enim ante Reconciliationem paſſim dedit Eccleſia antiqua Sacramentales ſatisfactiones uti paſſim ante Reconciliationem impoſuit atque expleri juſſit, ita quoque indulſit & relaxavit. Verùm tam expletionis quam relaxationis fructus ſeu effectus non niſi poſt remotum reatus ſeu peccati obicem in Reconciliatione, & per ipſam dato gratiæ ſtatu ſumebatur. Eodem modo fit etiam in laudatis per Dominum Cardinalem indulgentiis.

Dominus Cardinalis adducit etiam varia ſancti Auguſtini loca, ſimilia huic in quinto ſuper ſancti Joannis Apoſtoli literas tractatu: *Si quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit quia jam tranſiit a morte ad vitam, jam in dextera eſt.* Et adjungit: *At num in dextera eſſe dici poteſt, qui adhuc reus eſt gehennæ & filius iræ ac perditionis?* Adducit & alium ex laudato tractatu locum: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli.* Et hæc omninò adſidua eſt ſancti Auguſtini doctrina. Reſpondeo primum cum aliis ſimilibus locum intelligendum & de perfecta charitate, & de imperfecta. Quod enim, quævis etiam hæc, præſertim ſi adfectu ſit ſuper omnia, peccatorem reſuſcitet, vivere faciat, adeòque & à morte ad vitam transferat, ſuper ex authenticis teſtimoniis oſtendi. Transfert à morte, non quidem ad habitualem remiſſionis peccatorum, tamen ad actualem fidei & boni operis vitam. Eadem, licet non ſola, tamen per Sacramentum, quod Auguſtinus nequaquam excludit, adjuta, omninò transfert à ſiniſtra ad dexteram. Poſſit tamen & ſolam perfectam charitatem ſanctus Auguſtinus in iſtis verbis reſpicere: Quod enim perfectæ charitatis laudes & vires toti generi frequenter adſcribat probatiſſimum Canonicæ etiam locutionis genus, dixi jam ſupra, & eſt manifeſtum. Alium à Domino Cardinali adductum locum exponit frequenter ac patenter ipſe Auguſtinus, dicens Dei filios à diaboli filiis nec per Sacramenta, nec per Eccleſiaſticas dignitates, nec per gratis data chariſmata, ſed diſtingui per ſolam charitatem, quod nempe alia omnia ſine hac ſint inutilia, & non profint. Quocirca exinde non probes quamvis ſolam ſine Sacramento charitatem juſtificare, ſed ſine charitate neminem ab ullo juſtificari Sacramento, quod hoc in Scripto præſertim nitor perſuadere.

Pergit & urget Dominus Cardinalis: *Qui charitatem habet, legem implet, ut Auguſtinus oſtendit ex verbis Apoſtoli,* PLENITUDO LEGIS EST DILECTIO. *At nemo reſtè vivere, & legem implere poteſt, niſi regeneratus, & juſtificatus, & filius Dei effectus, dicente Auguſtino:* NON BENE VIVUNT HOMINES, NISI EFFECTI FILII DEI. *Sequitur igitur, ut qui charitatem habent, liberi fiant à peccato, quandoquidem ſancti ſint, & legem impleant, quod nemo poteſt, niſi à peccato juſtificatus.* Reſpondeo hæc Apoſtoli verba: *Qui diligit, legem implevit, Plenitudo legis eſt dilectio,* eſſe non cujuſcumque, ſed ſolius, utpotè quæ ſola totius legis adimplendæ vires habeat, perfectæ charitatis encomium. Etenim Divina, quam in hac vita à nobis completam oportet, lex eſt, *Poſſ concupiſcentias tuas non eas,* ſeu nulli cupiditati adſenſum, adfixivum præſertim, præbeas: Quod lucet fieri non poſſe, niſi per perfectam charitatem, quæ ſit patiens, fortis, benigna, non agat perperam, non cogitet malum, omnia ſufferat, credat, ſperet, & quam neque mors, neque vita, nec ulla creaturæ dilectio poſſit à Chriſto Jeſu ſeparare. Quare omninò profiteor legem adimpleri, ſeu integrè obſervari non poſſe, niſi à regeneratis ac juſtificatis. Quiſquis enim legem adimplet, jam perfectam charitatem habet, adeoque eſt juſtificatus. Verùm quod longè aliud ſit legem adimple-

re, seu totius legis adimplendæ viribus pollere, aliud rectè vivere, suprà abundè ostensum est, & res ipsa clamat. Petrus quippe Apostolus, licet viribus istis nondum instructus, usque ad ancillæ ostiariæ interrogationem & metum rectè omninò vixit. Quinimmò plurimi, quos nempe à tentationibus infirma sua charitate fortioribus custodit Divina protectio, usque ad extremum spiritum rectè sine illis agunt, sanctè moriuntur, feliciterque decedunt, licet non plenè puri, tamen purgandi, ad Dominum Deum & ejus regnum. Et de illis ait Augustinus in libris
Lib. 6. cap. 19. adversùs Julianum: Potest homo *esse correctus, & rectè vivere, necdum tamen remissione peccatorum liberatus*. Quosdam Catechumenos multis fidelibus vivere sanctiùs, apertè docet in nonagesimi Psalmi commentario, in quarto tractatu super sancti Joannis Evangelium, ac aliis in locis, & adjungit: *Et tamen omnia peccata super illos sunt, & nisi venerint ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni* vitæ & morum *excellentia sua non possint intrare in regnum cœlorum*. Quod nempe ista excellentia sit dumtaxat bona citra justam de gravibus lapsibus querelam vita, necdum totius legis adimpletio, seu perfectio charitatis. Et talis jam est filius Dei: Non per peccatorum remissionem, sed per actualis exordia charitatis. Varia apud antiquos Ecclesiæ Patres est Dei filiatio, variique ipsius gradus: Nam & hæretici sunt illis filii Dei, sed rebelles:

Audiamus & ultimum Domini Cardinalis argumentum: *Posiremò opponimus id, quod etiam adversarius*, suprà memoratus nescio quis Doctor Catholicus, *admittit, in articulo mortis, si non adsit qui reconciliet Pœnitentem vel baptizet Catechumenum, posse eos per veram Contritionem cum desiderio Sacramentum percipiendi, non solùm justificari, sed etiam continuò ad æternam gloriam pervenire. At certè non est articulus mortis, qui homines justificat, sed vera conversio & cordis contritio cum desiderio Sacramenti percipiendi. Articulus enim mortis à prævaricatione præcepti excusat, & facit ut non sit reus Sacramenti non percepti, qui ideò Sacramentum non habuit, quia noluit, sed quia non potuit. Ergo ubicumque eadem caussa reperietur, id est, vera contritio cum voto Sacramenti susciendi, idem etiam continuò sequetur effectus*. Respondeo necessitatis arti ulum nec plenam esse, nec partialem nostræ justificationis causam, sed esse occasionem seu rationem Divinæ dispensationis & gratiæ, qua nostrum figmentum miseratus Deus optimus maximus legi suæ quasi deroget, suppleatque Sacramenti per necessitatem sine culpa nostra deficientis causalitatem. Deus enim, uti providus familiæ Pater, in Evangelicis suis legibus non solet fine competenti causa dispensare. Egregia & omni laude dignissima est hæc Domini Cardinalis Confessio: *Multæ sunt objectiones & graves adversùm ea, quæ disputata sunt.* Sunt omninò gravissimæ atque irrefragabiles; verùm quæ per adductos variæ charitatis gradus, vires, seu species facillimè concilientur. Gradus istos quisquis cum Augustino benè distinxerit, non potest nobiscum non sentire.

CAPUT XI.

Elucidantur quædam per Dominum Cardinalem adducta loca sacrosancti Concilii Tridentini.

DOminus Cardinalis adsertionem suam fundat etiam in tribus locis sacrosanctæ Synodi Tridentinæ. Primus est ex Sessionis sextæ capite quarto: *Concilium Tridentinum declarat post Evangelium promulgatum neminem justificari fine Baptismo aut ejus voto; quo loco admittit posse hominem per veram Pœnitentiam cum voto Baptismi Deo reconciliari antequam Baptismum corpore recipiat*. Respondeo id omninò posse fieri, & actu fieri in casu martyrii, in extremæ necessitatis casu, in casu perfectæ charitatis, & in quibusdam etiam casibus charitatis imperfectæ. Extra istos dico votum non sufficere, sed actuali Baptismatis aut Reconciliationis Sacramento esse omninò opus. Actuale Sacramentum cunctis imperfectè contritis judicatum olim semper fuit adeo necessarium, ut de laudata per sanctum Jacobum Apostolum, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, Sacramentali oris Confessione scribat ad Lincolnienses Episcopum etiam Theobaldus Stampensis: *Hac auctoritate, sicut quidam putant, non lædimur, quia hoc tantùm sanè de valentibus & confiteri nolentibus intelligitur. Quia nimirùm si aliquis pro aliqua infirmitate, sive etiam ab ipsa nativitate confiteri ore impotens efficiatur, cùm bonam & discretam confitendi ore habeat voluntatem, si eo de confitetur, discretorum judicio prorsùs alienus à salute non judicatur*. Notanda sunt verba, *sicut quidam putant*: Agunt in illos, qui laudatam confessionem homini lapso in quovis penitùs eventu & statu censebant indispensabiliter necessariam, solosque naturalis impotentiæ aut extremæ necessitatis casus audet Theobaldus facere exemptos. Et dat rationem ex sancto Hieronymo: *Quidquid vis, & non potes, Deus factum computat. Sicut enim deliberato cum molimine vitiorum damnatur, sic quoque bona volantas, cùm deest copia agendi, remuneratur; quia non secundùm hoc, quod quisque non potuit, vel non licuit, sed secundùm hoc, quod fuit, & proposuit ex conscientia, accusatur vel defenditur, cùm Deus judicabit occulta hominum*. Hoc est, nequaquam semper, sed dumtaxat ubi faciendi copia deest, votum & voluntas æquivalent facto. Et sacrosancta Tridentina Synodus dicens, *Sine Baptismo aut ejus voto*, nequaquam inducit alternativam, aut locum facit electioni, sed definit adversùs Cajanam & Wicleffiticam à Martino Luthero resuscitatam hæresim, hunc præsertim ejus à Joanne Cochlæo memoratum articulum: *Baptis-* A. 1521.
mus neminem justificat, nec ulli prodest, quod fides in verbum promissionis, cui additur Baptismus. Definit ac firmat antiquam Ecclesiæ fidem, quæ actuale Baptisma in ordinariis, ejus autem votum in extraordinariis eventibus credidit semper & docuit esse Contritioni necessariam auxilium, & concussam ad impetrandam à Domino remissionem peccatorum.

Alter à Domino Cardinali adductus locus est in quartæ decimæ Sessionis quarto capite: *Concilium disertis verbis docet Contritionem charitate perfectam*

fectam reconciliare hominem Deo, antequam Sacramentum Pœnitentiæ actu susciperetur. Respondeo locum hunc esse nostræ adsertionis palmare fundamentum. Istam enim sine actuali Sacramento reconciliandi virtutem nequaquam natæ, nutritæ, adultæ, aut robustæ, sed soli per charitatem perfectæ Contritioni adscribit Synodus disertis verbis, quos charitatis gradus seu species, earumque distinctionem quisquis non callet aut advertit in hac materia, non potest non cespitare, immò & labi. Et ex sola perfecta plenam & perfectam, ex quavis autem imperfecta, licèt adulta aut robusta, charitate imperfectam dumtaxat Contritionem seu Attritionem nasci, quis non videat? Ipsa vocabula id clamant. Attritio enim carnale veteris aut lapsi hominis cor, regnantesque in illo adfixivas cupiditates dumtaxat atterit, frangit, ac vincit; Contritio conterit, redigit in nihilum, & exstinguit: Quod sine perfecta charitate fieri non posse novit omnis qui perfectæ charitatis ingenium & naturam novit. Porrò nullam imperfectam Contritionem sine actuali Sacramento justificare definit disertis verbis Tridentina Synodus, ideoque definit nostram adsertionem.

Tertius à Domino Cardinali adductus locus est in tertiæ decimæ Sessionis capite septimo: *Concilium declarat ad præparationem Eucharistiæ confessionem Sacramentalem esse necessariam iis, qui conscientiam habent peccati lethalis, & simul excipit eos, qui forte Missam celebrare tenentur, nec habent Sacerdotem cui peccata sua confiteantur. Eis enim Contritionem cum proposito confessionis ad Eucharistiam non indignè suscipiendam sufficere judicavit. Itaque Concilium illud credidit per veram Contritionem, etiam ante Sacerdotis absolutionem, & citra mortis articulum, peccata remitti. Neque enim suspicari fas est, in illo casu Catholicum Concilium perm fsurum fuisse, ut cum conscientia peccati mortalis ad Sacramentum Eucharistiæ accederetur*. Respondeo etiam locum istum patenter facere pro nobis. Istam quippè sine prævia Confessione & Absolutione celebrationem in solo illius, qua curatus Sacerdos, Confessorem non habens ad manum, ex officio celebrare tenetur, necessitatis articulo permittit sacrosancta Synodus, in alio quovis eventu differè ac severè vetat: *Quantumcumque se contritum homo existimet*. Quia nempe censet à sola imperfecta Contritione pallim non dari remissionem peccatorum. Eadem de caussa curato Presbytero, qui ex dicta necessitate sine prævia Confessione & Absolutione celebrarit, rigide mandat ut quamprimùm confiteatur. Ut Confessarii occursum non exspectat, sed illum quærat statim, & accedat. Optimo jure Beatissimus Pater noster Alexander septimus per hosce dies damnavit duos hosce libertinæ moralis Theologiæ articulos: *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum. Illa particula*, QUAM PRIMUM, *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur*. In perpetua apud omnes sub cœlo Ecclesias benedictione erit laudatus, & nunquam satis laudandus Pater noster Beatissimus, qui Evangelicam Christianæ vitæ, Ecclesiasticam præsertim, disciplinam ab injectis per libertina & sordidis hominibus placere gestientia ingenia pessimis maculis ac rugis insigniter purgagare jam cœpit, & adhuc pergit. Sacrosancta, inquam, Synodus curato Sacerdoti ob dictam necessitatem sine prævia confessione & Absolutione celebrare permittit, non quia illum sola sua Contritione imperfecta justificatum censeat, sed quod fidelem populum ob Pastoris sui culpam & defectum credat necessario sibi sacrificio non privandum. Divinam, quæ percipiendæ Eucharistiæ præviam peccatorum confessionem & Absolutionem requirit, legem censet & sancit isto casu per epikeiam in fidelis populi gratiam non obligare. Hinc additit, ut ejusmodi Sacerdos statim confiteatur. Utique juxta antiquum Ecclesiæ Canonem, ex quo quæstioni huic, *Si puellus Catechumenus, utpote septem annorum, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportunè adfuerit, ejusque nescius participi fit factus, quid debeat de eo fieri*, respondit Timotheus Patriarcha Alexandrinus: *Debet illuminari. A Deo enim vocatus est*. Eucharistiam enim adeò venerandam jubet Divina JESU-CHRISTI Lex, ut necessaria per acceptam in Baptismo aut Reconciliatione peccatorum remissionem præparatio, dum ex casu vel caussis præmissa non fuerit, statim subjungatur. Et hinc illorum, qui Tridentinam de statim confitendo legem solis jam dictis Sacerdotibus, non autem alis extra istam necessitatem sine prævia confessione & Absolutione, ideoque palàm indignè communicantibus imponi existimant, opinionem erroneam arbitror & minimè tutam. Hosce ad quam primùm confitendum existimo longè strictiùs obligari. Carent enim etiam fuco illo, ex quo Sacerdotes istos castigati per Beatissimum Patrem nostrum Alexandrum VII. Theologi voluerunt non obligari. Eos, quod legitimè & sine peccato celebrasent, dixerunt à sacrosancta Eucharistia justificatos, ac peccatorum remissione donatos per accidens, ideoque in primam opportunitatem posse ab ipsis confessionem differri.

Hæc enim est omninò rario, ex qua Sacerdo- Eucharites istos sine prævia confessione & Absolutione in stia dat dicta necessitate celebrare sacrosancta Synodus primam permisit. Eos nequaquam per suam imperfectam gratiam Contritionem, sed per sumendam Eucharistiam per acci. speravit in tali casu justificandos. Quod enim dens. vivorum Sacramenta, Eucharistia præsertim, legitimè quandoque sumantur à peccatoribus, & primam gratiam conferant per accidens, est antiquissima Theologia. Etenim Serapioni, civi Alexandrino, nuper in persecutione lapso, Pœnitentiam & alia extrema Sacramenta rogatus media nocte Parochialis Presbyter, quod per infirmitatem lecto adfixus non posset accedere, Eucharistiam misit per puerum, mandans ut madefactam Serapioni in os infunderet: Quod & puer fecit. Atque ita Serapion est piè in Domino defunctus. De ipso enim ad Fabium Antiochiæ Patriarcham scribit apud Eusebium Cæsareensem Episcopum in Ecclesiastica historia sanctus Dyonisius Patriarcha Alexandrinus: *An non igitur satis constat Serapionem fuisse reservatum*, & Lib. 6. cap. 36. *usque eo in vita mansisse, quoad esset penitùs culpæ vinculis solutus, & ita labe, qua erat idolis immolando adspersus, omninò deleta, posset pro multis*

bonis, quæ gessisset in vita, in numerum Confessorum referri. Palàm adfeverat eum per Eucharistiam sine prævia confessione & absolutione fuisse donatum remissione peccatorum. Et de sancto Maximiano Monacho, Syracusæ postmodùm Episcopo, ejusque variis sociis, Monachis & sæcularibus, quos inter haud dubiè quidam erant maculosi, in mari Adriatico horrendè periclitantibus, in Dialogorum libris scribit sanctus Gre-
Lib. 3. Cap. 36. gorius magnus: *Tunc in eadem nave residentes sibimet pacem dederunt, Corpus & Sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas*, remissione peccatorum donatas *benignè susciperet, quorum corpora tot tam pavendæ mortis tradiderat.* Et ad quinquagesimum Canonem Trullanum scribit de nobis peregrinantibus Theodorus Balsamon: *Latini Azyma adsiduè in sinu ferentes, etiamsi sint laici, ea non solùm sibi ut Sacramenta impertiunt, sed etiam aliis.* Et antiquus adversùm Græcos Tractatus, repertus in Constantinopolitano Conventu Patrum Prædicatorum: *Latini sanctam Eucharistiam negligentissimè spectant. Nam qui castra sequuntur, in marsupio ponunt, portant in vestibus, in pileis.* Eam ita portabant adversùs mortis periculum, ut in Sacerdotis absentia ipsi sibi tunc darent, atque ita à Deo acciperent remissionem peccatorum. Notanda sunt Theodori Balsamonis verba, *Azyma ut Sacramenta impertiunt*: Homo schismaticus spernit & damnat nostram in Azymo Eucharistiam, vultque non esse verum Sacramentum. Istam igitur antiquam Patrum Theologiam sequitur sacrosancta Tridentina Synodus, jam memoratum necessitatis articulum censet esse sufficientem, ut in fidelis populi gratiam curatus tunc Sacerdos sine prævia mortalium peccatorum Confessione & Absolutione celebret, ipsumque sperat Eucharistia tunc justificandum.

Verùm unus ex hujus Decreti conditoribus Melchior Canus, ex sacro Prædicatorum Ordine Episcopus Canariensis, in eruditissimo de locis Theologicis opere rectè tradit omnia & singula generalium Synodorum Decreta non semper esse necessaria ac firma fidei dogmata, & pergit: *In*
Lib. 5. cap. 5. *Concilio Tridentino, Sessione habita undecimo Octobris, anni millesimi quingentesimi quinquagesimi primi de Eucharistiæ Sacramento definitum est, Confessionem Sacramentalem Eucharistiæ præmittendam esse, si conscientia peccati mortalis gravat. Et proinde*, SI QUIS, *ait Synodus*, CONTRARIUM DOCERE, PRÆDICARE, VEL PERTINACITER ASSERERE, SEU ETIAM PUBLICE DISPUTANDO DEFENDERE PRÆSUMPSERIT, EO IPSO EXCOMMUNICATUS EXISTAT. *Sed hoc propter periculum cautum est. Erat enim opinio contraria perniciosa: Ideoque excommunicatio illa ad publicam doctrinam vel maximè refertur. Nam quod sententia Cajetani non fuerit pro hæretica condemnata, & nos testes sumus, qui Concilio interfuimus, & contextus ipse demonstrat. Habet enim Canon undecimus, idemque postremus in hunc modum*: SI QUIS DIXERITS OLAM FIDEM ESSE SUFFICIENTEM PRÆPARATIONEM AD SUMENDUM SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, ANATHEMA SIT. *E vestigio autem adduntur, mutata dicendi forma, hæc verba*: ET NE TANTUM SACRAMENTUM INDIGNE, ATQUE ADEO IN MORTEM ET CONDEMNATIONEM SUMATUR, STATUIT ATQUE DECLARAT IPSA SANCTA SYNODUS, ILLIS QUOS CONSCIENTIA PECCATI MORTALIS GRAVAT, QUANTUMCUMQUE ETIAM SE CONTRITOS EXISTIMENT, HABITA COPIA CONFESSORIS NECESSARIO PRÆMITTENDAM ESSE CONFESSIONEM SACRAMENTALEM. SI QUIS AUTEM CONTRARIUM DOCERE, PRÆDICARE, VEL PERTINACITER ASSERERE, SEU ETIAM PUBLICE DISPUTANDO DEFENDERE PRÆSUMPSERIT, EO IPSO EXCOMMUNICATUS EXISTAT. *Ubi vides Cajetani sententiæ Anathema non dici, sed quoniam non solùm falsa, sed noxia etiam erat reprobari, & propter periculum publicam præsertim prædicationem & disputationem interdici.* Thomas de Vio, Cajetanus, è sacro Prædicatorum Ordine sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad sanctum Xixtum Presbyter Cardinalis, docuerat quavis vera Dei super omnia charitate, & nata hinc Contritione justificari hominem, ideoque taliter contritum peccatorum sine prævia Confessione & Absolutione posse & communicare & celebrare. Hanc sententiam, licèt non uti hæreticam damnet, tamen uti falsam, noxiam, atque perniciosam reprobat & proscribit sacrosancta Synodus, atque ita nostram adsertionem uti necessariam ac penitùs veram manifestè confirmat. Nullum mortalis peccati reum vult deinceps sine prævia confessione & Absolutione communicare, nisi solum curatum, qui ex officio celebrare tenetur, & Confessoris copiam non habet, Sacerdotem: Non quod illum sua tunc Contritione, sed sumpta Eucharistia speret justificandum. Dico, *Speret*: Neque enim id definit, sed ex antiqua Patrum Theologia uti rem probatam, aut certè probabilissimam supponit. Quia tamen omninò certissima non sit, ejusmodi Sacerdoti rigidè mandat ut quam primum confiteatur. Palàm ergò censet nos à quavis Contritione, & quovis Sacramenti voto non semper justificari.

CAPUT XII.

Exponitur servilis gehennarum timor.

PEtrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, ac sanctus Thomas timorem dividunt in quatuor membra: In timorem mundanum, servilem, filialem, atque initialem. Sanctus Augustinus & seniores ejus discipuli proximè dividunt in duo dumtaxat membra: In timorem castum seu filialem, ac in servilem. Quidam addunt & mercenarium. Rectè verò laudati Doctores Scholastici servilem pœnæ, filialem timorem dicunt esse culpæ. *Timor servilis*, inquit Petrus Pictaviensis, *est quando aliquis cessat à peccato tantum propter timorem gehennæ, & non propter amorem Dei. Filialis est quando homo cessat à peccato tantùm propter amorem Dei.* Loquitur ex sancto Augustino in tractatibus super sancti Joannis Evangelium: *Est timor servilis, est & castus. Est timor ne patiaris pœnam, est allus ne amittas justitiam. Timor ille, ne patiaris pœnam,*

Varia timoris species.

Quid servilis timor quid filialis.

nam, servilis est. Quid magnum est timere pœnam? Hoc nequissimus servus, hoc & crudelissimus latro. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam, nihil timet? Timet plane: Non ne incidat pœnam, sed ne amittat justitiam. Amat aliquis vestrum pecuniam; ex hoc ipso quod amat, intelligit quod dico. Timet damnum. Quare timet damnum? Quia pecuniam diligit. Quantum amat pecuniam, tantùm timet ne perdat pecuniam. Ergo hinc intuitur aliquis amator justitiæ, qui plus in corde pertimescat dammum, qui plus extimescat spoliari justitia, quam tu pecunia. Hosce timores adsiduè penes culpam & pœnam, uti penes objecta eorum materialia, distinguit, sed non penes ipsa sola distinguit, etiam penes servilitatem quam castus sanet & extinguat, servilis timor compescat solummodò & frænet; ideoque uti dolosum in sinu anguem permittat in cordis intimo latitare. Distinguit, inquam, penes fœdum animum, quo quis à conspicuis peccatis ob adnexi illis mali pœnalis metum abstinet, malens tamen & optans non fore justitiam, quæ peccata ista veteret aut certè puniret. Hunc animum meritò appellamus servilitatem: Est enim servilis mentis vilitas, qua solent servi, non ex animo & bona voluntate, sed subdolè servire suis dominis & coacti, optantes sui juris esse, & non servire.

Hic anguis omninò latet etiam sub timore gehennæ. Latet voluntas longe nequior, qua mallet homo non esse vetitum quod sibi sentit esse libitum, ideoque Divinæ legis ac justitiæ, quam apud hominum oculos observat, in cordis sui fe- Pp. 144. creto est osor & inimicus. Elegantèr hoc Augustinus docet in litteris ad Anastasium: *Inaniter putat vitiorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etsi forte non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si fubitabas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed idèo non facit, quia impunè non potest fieri. Nam quantùm in ipso est, vellet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam si posset, auferret? Ac per hoc quomodò justus est talis justitiæ inimicus, ut eam, si potestas detur, auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Hoc* Serm. 18. *interest inter timorem tuum, & timorem latronis, quod* c. 6. *latro timet leges hominum, & ideò facit latrocinium, quia se sperat fallere leges hominum; tu autem leges ejus times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non feciſſes? Ergo & concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit.* In nono super Sancti Joannis Epistolam tractatu elucidat hęc per casię & adulteræ uxoris exemplum: *Non potest melius explicari, quid interfit inter duos istos timores, ut si penes duas mulieres maritatas, quarum unam ita confitiuas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed timere ne damnetur a marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideò timet maritum. Hinc non grata, sed morosa est maritæ præsentia. Et si forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales sunt, qui timent, ne veniat dies judicii. Fac alteram amare maritum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterii immunditia maculare: Optat viri præsentiam. Et quomodò discernuntur isti timores? Timet illa, timet & illa: Interroga, quasi unum respondent.* Ambæ enim rogatæ, An virum timeant, respondent se timere. *Una vox est, sed diversus animus. Jam ergo interrogentur, Quare? Illa dicit, Timeo virum, ne veniat & damnet; illa dicit, Timeo virum, ne discedat.* Casto animo altera pudicitiæ & viri offensam; altera lasciviam diligit, velit esse nullas pudicitiæ leges, viroque nullam vindicandi voluntatem aut potestatem. Licet fortè castum corpus habeat, habet mentem adulteram atque impurani. Ita & gehennarum ferviliter fugax animus velit esse nullas virtutum leges, nullas peccatis pœnas, nullam ipsarum intentatricem justitiam, ideoque hujus, id est, ipsius Dei optimi maximi est occultus inimicus & osor. Quocirca Petrus Lombardus, Sanctus Thomas, aliique Doctores Scholastici, dum servilem ac filialem metum per pœnam & culpam definiunt ac distinguunt, intelligi debent hoc sensu: Servilis est solius pœnæ, filialis metus est etiam culpæ. Etenim & bonus filius pœnas, etiam temporales, omninò timet, sed ex alio animi fonte. Utique ex charitate, quæ non solum Dominum Deum, sed & ab illo institutum in creatura, rationali præsertim, ordinem diligit, ideoque ipsum etiam odit ac metuit, uti per peccata, ita & per pœnas lædi aut turbari.

Timorem Sanctus Augustinus etiam dividit in vanum & non vanum, utique ex Evangelico Domini verbo: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potiùs eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* At malorum temporalium, præsertim mortis, qui rectos in Paradiso Protoplastos à peccato detertuit, metum quomodo Dominus dixit esse vanum? Quod ea peccatricis nostræ voluntatis potestati subtracta jam timendo evitare non possimus, ideoque vane & inutiliter, casto studio & nullo fructu nos adversùm illa muniamus, ac si abluamus æthiopem. At verò gehennas inviti non possumus incurrere, sed eas evadere est nostræ voluntatis opus, ideoque nostrer de illis timor aut labor non est inanis. Earumdem metus est omninò utilis temporalium verò malorum metum, quod ejus impulsu frequenter in lapsum agamur, noxium Sanctus Augustinus passim appellat. Dico, *frequenter*. Nam frequenter etiam ad bonum cogit: Quis enim ignoret per patibuli, Regii ensis, Regiarum pœnalium legum, infamiæ, degradationis, aliorumque temporalium malorum metu frequenter homines à pessimis viis non solùm coerceri, sed & emendari? Æquivocum pro vario intentantis hominis fine effectum habent ista omnia: A Decio aut Diocletiano, Ecclesiam ad lapsum, à Constantino aut Theodosio intentata Arianos, Donatistas, & alios hæreticos cogebant ad surgendum & standum. Gehenna igitur, ut potè à Deo optimo maximo semper incussa, temporalia mala quandoque dumtaxat compellunt ad bonum. Et hanc doctrinam firmat sacrosancta Tridentina Synodus,

Quis sit metus vanus, quis non vanus.

dicens de metu gehennarum : Catechumeni *Divinæ Justitiæ timore utiliter conuitiuntur*. Et iterùm: *Per gehennæ metum ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus ? vel à peccando abstinemus*. Et de utroque timore simul : *Attritio ex gehennæ, & pœnarum*, utique temporalium, *metu concipitur*. Et de solo temporalium malorum metu : *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem Pœnitentiam egerunt*. Eos solo temporalium malorum per Regem intentato metu fuisse concussos docet adsiduè Sanctus Augustinus. Et hic est germanus ac proprius fructus, quem per adjectos Decalogo terrores extortum carnalibus Judæis voluit olim Divina Majestas : Eos volvit concussos, atque ita ad ejus omnipotentiam, sine qua legi adimplendæ se agnoscerent invalidos, misericordiam compelli & accelerare. Est magnus ille fructus, ex quo Apostolus legem ait fuisse nostrum, qui terroribus ad Christum Dominum & Justitiæ dilectionem cogeret, pædagogum.

Sess. 6. c. 6. Can. 8. Sess. 14. c. 4.

Et hinc patet ad famosam quæstionem, An servilitas à timoris servilis substantia distinguatur ac separari possit, optimum esse Angelici Doctoris Responsum : *Si servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis esset simpliciter malus. Sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis, & ideò timor servilis secundùm suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala*. Servilitas est fædus ille animi adfectus, quo quis in bono opere tenetur invitus, quo cupiditates suas vellet nec prohiberi nec puniri, quo omnia sibi libita vellet & licita. Est motus à timore non solùm diversus, sed & adversus: Alter enim concupiscit & pugnat in alterum; alter alterum, licèt non extinguat, compescit tamen & fræuat. Quapropter servilitas à servili timore & separari omninò potest, & per charitatem plenè separatur. Quare rectè Sanctus Thomas servilem timorem ait esse non dumtaxat utilem sed & substantia bonum. Loquitur cum Sancto Augustino in enarratione Psalmorum : *Bonus est iste timor*. Et in sermonibus de verbis Apostoli docet gehennas nec vanè nec malè timeri, & concludit : *Planè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeat*. Et in Encheridio adfirmat hominem primum, in quo nullus fuit non rectus motus, à Deo sic muneratum fuisse libero arbitrio, ut tamen regeretur imperio, ac tam primæ quam secundæ mortis exitio terreretur. Et hinc illum non solum fide, spe & charitate fuisse per peccatum, sed & gehennarum metu spoliatum scribit diserè Sanctus Prosper in libro adversùs Collatorem. Attamen hic timor non fuit servilis, ideoque ejus bonitas non plenè juvat rem præsentem.

Pſ. 127. Ser. 18. c. 8. Cap. 25. Cap. 19

Exponitur timor initialis.

Audienda hìc item sunt mens S. Thomæ & verba de timore initiali : *Timor initialis ex eo dicitur, quod est initium. Sed cùm & timor servilis & timor filialis sint aliquo modo initium sapientiæ, uterque potest aliquo modo dici initialis. Sed sic non accipitur initialis secundùm quod distinguitur à timore servili & filiali, sed accipitur secundùm quod competit statui incipientium, in quibus incboatur quidam timor per inchoationem charitatis. Non tamen ineſt eis timor filialis perfectè, quia nondum pervenerunt ad perfectionem charitatis. Et ideò timor initialis hoc modo se habet ad filialem, sicut charitas perfecta ad imperfectam. Charitas autem perfecta & imperfecta non differunt secundùm essentiam, sed solùm secundùm statum. Et ideò dicendum est, quod etiam timor initialis, prout hìc sumitur, non differt secundùm essentiam à timore filiali*. Compendiosiùs exponit Petrus Pictavienſis ; *Initialis timor est, quando bono cessat à peccato partim virtutis amore, partim formidine pœnæ*. Est ergo quid ex servili ac filiali mixtum : Est servilis, qui charitatem imperfectam, unaque ab illa inseparabilem, & adæquatè semper commensuratum filialem timorem introduxit. Est timor per introductam sapientiam seu charitatem à servilitate purgatus. Hoc locutionis genus in Christianas scholas introduxit Petrus Lombardus : Ante ipsum nemo istam ex duplici timore mixturam videtur vocasse timorem initialem.

L. 3. c. 17.

CAPUT XIII.

Exponitur varia utilitas timoris servilis.

PRimam servilis timoris utilitatem jam audivimus à sacrosancta Tridentina Synodo. *Per gehennæ metum à peccanda abstinemus*. A peccatis externis *Timor iste*, inquit in sermonibus de Apostoli verbis sanctus Augustinus, *quo gehennam timet, & ideò mala non facit, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non finit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis*, qui debet puerum non dumtaxat ad magistrum ducere, sed & ejus carnalem animum ab adimpleudis cupiditatibus cohibere. Latiùs hæc eludidat in eodem sermone : *Et latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamen latro est. Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, jugulare, devorare. Vigilant Pastores, latrant canes, nihil poterit, nihil aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Nunquid quia ovem non tulit, ideò lupus venit, & ovis redit ? Lupus venit fremens, lupus redit tremens, lupus est tamen & fremens & tremens*. Eadem ad formam in quinto decimo sermone utitur exemplo leonis. Gehennarum metum dicit esse catenas, cataractas, ferreos compedes, quibus pravæ, Regum præfertim ac Magnatum humanas leges aut vindictas non metuentium, cupiditates intra cordis claustra, tanquam intra suas caveas aut fossas lupi, leones, tumultuantes aquæ coercentur. *Pœnarum timor*, inquit eleganter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius, *peccare volentes deterret à malo, & invitos tenet in bono*.

Sess. 6. Can. 8. Serm. 18. c. 8. Gehennæ timor coercet à peccatis externis. Cap. 8. 9. Cap. 6. L. 3. c. 41.

Altera servilis timoris utilitas est, quod non solùm externa peccata, sed & inveterarias etiam, sub quibus tamquam sub grandi lapide homo sepultus jacet & fœtet ipsorum consuetudines auferat ac eradicet. Etenim de temporalium malorum timore scribit ad Vincentium Rogatistarum Cothennensem in Mauritania Episcopum sanctus Augustinus : *Homines salubriter excutit, ut tamquam de somno lethargico emergant, & in salutem evigilent*. Per eum dicit plurimos Donatistas ab inveterata & quasi incorrigibili facinorosi schismatis pertinacia evigilasse, & vivos ad Matrem Ecclesiam rediisse. Gehennarum timor est

Gehennæ timor aufert maculas consuetudines. Ep. 48.

longè

longè validior. Est quasi Domini clamor ad quatriduanum Lazarum: *Vent foras*. Hoc clamore
Serm. 28. c. 12. non solùm mortuos, sed & sepultos excitari scribit idem Augustinus in sermonibus de verbis
Ser. 28. c. 9. Domini, etiam sese à pessima ac veternosa ad singula verba jurandi consuetudine resurrexisse affirmat in sermonibus de verbis Apostoli, & adjungit modum: *Ex quo Deo servire cæpimus, & quantum malum sit in proximo vidimus, timissimus vehementer & veternosissimam consuetudinem timore frænavimus. Frænata restringitur, restricta languescit, languescens moritur, & malæ consuetudini bona succedit*. Quomodò ex nimio immaturarum uvarum esu quassati, & ad manducandum panem stupefacti dentes, reparantur pedetentim & reformantur per solam à dictis uvis abstinentiam, ita & ex nimio cupiditatum usu ad justitiam, veram suam esam, diligendam enervatus animus, per solam à peccatis externis abstinentiam pedetentim revigoratur. Amplè hanc similitudinem in Psalmorum commentario Augustinus exponit.

Ps. 42. com. 2.

Et cogit ad bonam voluntatem.

Tertia servilis timoris utilitas est, quod sit necessitas cogens ad bonum, de qua adagium populare: *Oportet de necessitate facere virtutem*. Exponit eleganter in libris de vira contempla-
L. 3. c. 7. tiva Julianus Pomerius: *Licet voluntate impudicus sit qui necessitate pudicus est, tamen si & ille, quem timor in bono pudicitiæ tenet, vivere pudicè consuescat, in virtutem plerumque de necessitate proficit, & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente pudicus veraciter fit, & ipsa proficit, ut jam non sermone, sed virtute sordes impudicitiæ detestans, non timore pœnæ carnalibus incentivis obsistat, quod est incipientium proprium, sed execratione peccati compescat inquietos carnis affectus, quod est castitatis consummatæ fastigium*. Gehennæ metum esse non minùs, quàm Evangelici verbi prædicationem, cui Deus non raro donet germanæ justitiæ incrementum Divinæ legis in mente nostra plantationem ac rigationem, in libris de vo-
L. 2. c. 17. catione gentium sanctus Prosper demonstrat. Est validissima illa justitiæ plantatio, quam laudat in Evangelio Dominus: *Compelle intrare*. Ejus modum in libris adversùs Petilianum, pœnalium legum, quibus Donatistæ ad Ecclesiam cogebantur à Romanis Imperatoribus, pessimum
L. 2. c. 84. esse, infigniter exponit sanctus Augustinus, ajens per laudatas legesac pœnas admoneri hominem. *Ut cogitet quare patiatur: Ut si pro justitia se pati perspexerit, idipsum bonum eligat pro justitia talia sustinere; si autem viderit iniquitatem esse, pro qua patitur, se infructuosissimè laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat & molestia sterili, & ipsa iniquitate*. Quod istam voluntatis mutationem extorqueat longè potentiùs etiam gehennæ timor, docet in innumeris locis. *Facit*, inquit in
L. 9. c. 19. libris ad Pollentium, *ut quod erat necessitate cæptum, fiat charitate perfectum*. Et hæ sunt utilitates & fructus, ob quos timorem esse sapientiæ seu charitatis, quam quasi seta filum introducit, initium adfirmat Regius Propheta.

Adjuvat imperfectam charitatem.

Porrò sicuti prædicatio justitiam non solùm plantat, sed & plantatam rigat, ita etiam timor: Introductæ à se atque initiatæ sapientiæ seu cha-

ritatis infirmitatem adversùs tentationes illa fortiores roborat, à lapsu custodit, ad easdem superandas adjuvat, facitque victricem. Et hæc est quarta ejus utilitas, quam in Confessionum L. 8. c. libris laudat sanctus Augustinus, de semetipso 11. quibusdam adhuc cupiditatum reliquiis ligato dicens ad Dominum: *Tenebar, & instabas tu Domine in occultis meis severa misericordia flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursùs cessarem, & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue quod remanserat & revalesceret iterùm, & me robustius alligaret*. Et in secunda super Psalmum sexagesimum secundùm concione scribit de quibusdam infirmæ adhuc charitatis Martyribus: *Majore timore minora contemnimus. Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, met uens ignem gehennarum*? Ad Martyrium passim robusta, qua saltem patienter mortem acceptemus, charitas requiritur, certumque etiam est & cum adulta, immò & cum nutrita aut nata dumtaxat charitate quosdam ad gloriam istam perveniſſe. Modum Augustinus exponit in commentario Psalmi vigesimi tertii. *Quomodò si videas avem jam cadere in muscipulam, facis muscipulam ftreptum, & volat de muscipula. Sic & Martyrum jam fortè aliqui intendebant collum in dulcedinem hujus vitæ: Dominus, qui erat in illis, fecit ftrepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium*. Per Domini clamorem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Gehennarum timor non est invalidior vanæ gloriæ cupiditate, per quam acceptari & superari posse crudelissima etiam tormenta ac mortem, & martyrii, licèt non veritatem, certè fucum consummari, plura nos Hæreticorum & Schismaticorum exempla docuerunt. Quæ omnia eleganti compendio in monasticarum institutionum libris complectitur Joannes Cassianus: *Principium nostræ salutis, eisdemque custodia, timor Domini est. Per hunc enim & initium conversionis, & virtutum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis*. Hinc custos ist: hominem non deserit. *Quousque pervenias ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam, ut etiamsi dicat ei Deus, utere delictis carnalibus sempiternis, & quantùm potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodò non eris, exhorrescat, & omninò non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem amat, offendat*. Hoc est, donec in illo fiat charitas perfecta, à qua sola timorem uti superflum pelli sanctus Joannes Apostolus adfirmat.

L. 4. c. 39.

Aug. l. de Catechis. rud. c. 17.

CAPUT XIV.

Exponitur varia imperfectio servilis timoris.

Servilem genennarum metum de imperfectione frequenter notat sanctus Augustinus. In sermonibus de verbis Apostoli: *Cùm ideò adulter non esse cœperis, quia times ardere in igne sempiterno, nondum laudandus es. Non quidem ita delendus ut ante, sed tamen necdum laudandus. Quid magnum est timere pœnam? Magnum est amare justitiam*; Et in alio sermone: *Si timore gehennæ non facis malum, nondum es perfectus. Est quidem in te fides: Gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ*

Servilis timor est imperfectionis.

Serm. 18. c. 7. 9.

Ser. 19. c. 9. Oritur ex amore sui. Serm. 13. c. 13. Serm. 19. c. 19. Serm. 214. c. 3.

tuæ. Utique malitiæ servilitatis. Habet timor istę imperfectiones varias. Primam laudatus Augustinus adsignat in eisdem sermonibus: *Qui adhuc idcò bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, necdum est inter filios*. Et in alio sermone: *Si timore gehennæ non facis malum, non amore justitiæ facis bonum*. Et in sermonibus de tempore: *Ille timor, quem charitas foras mittit, propterea punigit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies corporalis, aut aliquid tale post mortem. Propterea enim & apud inferos timentur pœnæ, & dolores, & tormenta gehennarum*. Prima, inquam, hujus timoris imperfectio est imperfectio seu virium radicis: Oritur enim, non ex casto Dei seu justitiæ, sed ex mercenario amore sui ipsius, quo homo sibi ipsi bene vult esse, non solum in hac vita, sed etiam in futura. Porrò sui ipsius amorem, quo homo non in Deo, sed in se ipsum diligit, est sanctum impurum, & omnis distorti adfectus primam radicem, est unum è fundamentis doctrinæ Catholicæ & Augustinianæ.

Cap. 69. Dei legem non facit levem.

Alteram timoris imperfectionem producit in libro de natura & gratia sanctus Augustinus, hanc Domini, *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, & hanc Regii Prophetæ, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*, de Divinis mandatis quasi invicem adversantes voces exponens & concordans: *Utrumque verum est: duræ sunt* Domini leges seu viæ *timori, leves amori*. Amor meus, pondus meum; illo feror, quocumque feror, etiam per asperrima atque durissima, & quidem sine labore, immò cùm voluptate. Pleæ enim, quam amor donat, vel potiùs quæ est amor, voluntati nihil est difficile; at verò timor, quia originalem nostram, cui soli, non autem naturæ rectæ, Divina lex est onerosa, infirmitatem non tollit, sed invitam compellit ad ejus custodiam, laborem habet & difficultatem durissimam. Nihil durius aut difficilius opere, quod facis compulsa & renitente voluntate. Et hanc timoris imperfectionem non soli Patres inculcant frequentissimè, sed & ipse sanctus Joannes Apostolus: *Timor tormentum habet*.

Timor non adimplet legem.

Tertia imperfectio est, quod per servilem timorem Divina lex non plenè adimpleatur. Lucidè id Augustinus tradit in libro de fide & operibus: *Lex non timore pœnæ, sed amore justitiæ* Cap. 21. *completur*. Et in libro de spiritu & litera: *Manda-* Cap. 14. *tum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, & idèo non fit. Non enim fru-* C. 121. *ctus est bonus, qui de radice aharitatis non surgit*. Et in Encheridio: *Quod ita fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quantumvis fieri videatur*. Et apud sancti Properi sententias: *Quantùm ad opera attinet, quæ* C. 243. *forinsecùs aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat justitiam, non facit contra mandatum, & ideò pares quidem sunt manu, sed dispares corde. Similes actione, dissimiles voluntate*. Et in quæstionibus supra Deuteronomium: *Si forinsecùs ea, quæ Deus* Q. 54. *jubet, manibus fiant, corde non fiant, nemo est tam insulsus qui præcepta arbitretur impleri*. Deus enim optimus maximus non solo corpore, sed & corde, utique casto supremi atque incommutabilis recti, quod ipse est, amore fieri mandat fuæ legis opus; fieri mandat liberaliter, filialiter, prompta & spontanea voluntate. At verò qui ex timore facit, facit voluntate invita & adversa, cor ejus non est rectum cum Deo, est ex illis de quibus Regius Propheta: *Non cu-* Ps. 77. *stodierunt testamentum Domini, & in lege ejus noluerunt ambulare*. Non dicit, *Non ambularunt, sed, Noluerunt ambulare*. Supponit ambulasse, & tamen adjungit ambulare noluisse. Rationem dat in Psalmi illius commentario sanctus Augustinus: *Poterat putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea, quæ præcipiuntur, forinsecùs fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcepti, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, & per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed noluntambulare. Non enim ex corde faciunt. Ex corde enim nullo modo fieri potest, quod fit formidine pœnæ, non amore justitiæ*. Eos esse dicit pravam illam generationem, quæ quidem externa opera, sed *cor suum non direxit*; quæ dimidiatum dumtaxat legis opus fecit, ideoque ipsam non complevit. Et ex isto commentario laudatam suam sententiam, paucis mutatis verbis sanctus Prosper desumpsit.

Timor non excludit peccandi voluntatem. Ep. 144.

Quarta istius timoris imperfectio est, quod adjunctam sibi servilitatem, seu latentem in corde cupiditatem & peccandi adfectum non extinguat & sanet, sed compescat solummodò & fræner. Tradit hoc sanctus Augustinus in literis ad Anastasium: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens inveniturr, qui vult facere quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate vevs est, qui vult facere quod non licet fieri, sed idcò non fa-* Cap. 57. *cit quia impunè non potest fieri*. Et in libro de natura & gratia: *Sub lege est qui timore supplicii, non amore justitiæ se sensit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienat à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè delectat*. Quod gehennarum metus solam manum & alia membra compescat, non cor à pravis cupiditatibus expurget, sed ipsas intra illius clausTrum dumtaxat liget, est suprà abundè ostensum. Quod desiderio ista folo Dei amore exstinguantur, est etiam constantissima sancti Augustini doctrina. Etenim scribit in libro contra legis & Prophetarum adversarium: *Desiderium peccandi non exstinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Et in libro de gratia Christi: *Lex prohibendo auget peccati cupi-* Cap. 4. *ditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem*. Et in libro de Spiritu & litera: *Ubi sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concu-* C. 117. *piscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò lex, quamvis bona, auget peccandi desiderium*. Et in Encheridio: *Regnat* Epist. *carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*. Et in 44. literis ad Horontianum Episcopum sanctus Ambrosius: *Charitas peccandi excludit adfectum*. Vocem, *Sola*, licèt non exprimatur, certum & clarum est à sancto Doctore omninò subaudiri. Laudatam

Eam extinguit solus Dei amor. L. 3. c. 7. Cap. 6.

tam à Regio Propheta legem, *Lex Domini immaculata convertens animas*, esse charitatem affirmat in literis ad fratres Carthusienses sanctus Bernar-
Ep. 11. dus, & adjungit: *Quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdùm vultum, seu actum externum, affectum nunquam.* Veritatem istam insigniter & copiosè demonstrat.

S. Augustini locus in speciem contrarius.

Obstare videtur in sermonibus de Apostoli versibus sanctus Augustinus, de homine sub lege posito, seu per legis timorem benè agente, scribens: *Non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi. Potest hoc, potest fortassis. Unde? Timore pœnæ.* Lucidè dicit nos per gehennæ timorem, non solùm ab externo opere, sed & ab interna
Ser. 15. cap. 6. Tract. 9. peccati concupiscentia liberari. Etiam in tractatibus super sancti Joannis Epistolam ait: *Homo timendo corrigit se, vigilat adversùm hostes suos, id est, adversùs peccata sua. Incipit reviviscere interius, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram.* Quid est interiùs reviviscere, nisi non concupiscere? Consonat in libris de vita contemplativa insignis beati Augustini Discipulus, Julia-
L. 13. c. 11. nus Pomerius: *Ad pœnam, quæ peccanti debetur, mens, antequam peccet, adspiciat, & nihil eam peccati oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio corporalis inclinat. Si eo tempore, quo quis peccare deliberat, sanæmente conspiceret, quæ pœna exspectet in suis factoribus ac flagitiis deprehensos, nefcio an possit quibuslibet vitiis accommodare consensum.* Palàm adseverare videtur per gehennæ metum evacuari internam peccati delectationem & consensum.

Exponitur.

Respondeo in primo sancti Augustini loco producendum esse totum contextum. Sequitur enim: *Quamquam qui timore pœnæ concupiscit, puto quia concupiscit.* Quid est, *Non concupiscit*, &, *Puto quia concupiscit?* Distinguenda est duplex peccati cupiditas. Alia patens, & posita quasi in cordis superficie; alia latens, & in cordis profundo ac intimo recessu occultata. Patens cupiditas est mentis imperium seu Decretum, quo quis consentit & statuit furari, mœchari, in pravis cogitationibus aut operibus volutari. Et hæc cupiditas per servilem timorem, non solùm in hominibus, sed etiam in lupis ac leonibus, omninò evacuatur. Per hujusmodi metum quodvis animal ab externo opere abstinet, ideoque & ab imperio seu Decreto in ipsum prorumpendi. At verò latens peccati cupiditas est intima & secreta mentis præparatio, qua homo servili gehennarum metu frænatus mallet esse licitum, quod dolet vetitum, qua velit non esse legem peccata prohibentem aut certè punientem, qua optet non esse gehennas, quibus à cupiditatum suarum sequela & adimpletione retardetur. Et hæc est cupiditas, quam Patres adsiduè dicunt per solam charitatem evacuari. Lucet ex pluribus huc usque adductis sancti Augustini locis. Homo timore actus dividitur in duas invicem pugnantes voluntates: Alteram à metu extortam, qua decernit agere, & agit quidquid agit; alteram metu priorem, & ab ipso superveniente frænatam & compressam, qua mallet aliud agere, si posset impunè. Et hinc ex metu factum est ex voluntario & involuntario mixtum, absolutè tamen voluntarium, quia extorta per metum voluntas est validior, aliamque sibi adversam compescit, ligat, ac in intimo cordis penetrali cogit latitare & silere. Et hinc eleganter dicit Augustinus: *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit.* Non concupiscit patenter, latenter verò concupiscit. Alter Augustini locus expositione non eget. Etenim homo per servilem metum incipit intùs revivisce-re, quomodò incipit sapere: Quia nempe *intimum*, extrinsecum tamen, *sapientiæ est timor Domini*. Eodem in sensu est Julianus Pomerius exponendus.

Et hinc oritur quæstio, An latens ista cupiditas sit ex genere suo peccatum mortale? Ratio subtimonem dubitandi præbet in libro de spiritu & litera re cupisanctus Augustinus, inter venialia fidelium peccatas esse cata ponens etiam hoc: *Si quis in ipso corde aliquid ex suo ita cogitet, ut mallet licitum quod malè delectat*, & genere *per præceptum fcitur illicitum. Etiam ista quippe* peccatū *consensio ad peccatum est, quæ utique fieret, nisi pœna terreret.* Respondeo tamen adfirmativè. Di- Cap. 36. fertis verbis id tradit in Apostolicæ ad Romanos Homil. Epistolæ commentario sanctus Joannes Chryso- 5. stomus: *Tam miserè animati, adfectique sumus, ut nisi gehennæ timor esset, ne propositum quidem nobis sit bono aliquo opere defungi. Quapropter si nullam aliam ob causam, certè ob hanc unam gehenna digni sumus, quod videlicet plus gehennam, quam ipsum Christum timeamus.* Gehennæ metus ex proprio sui ipsius amore nascitur, adeoque qui ob illam solam, & non Christum Dominum à gravi peccato abstinet, non solummodò plus illam timet, sed & seipsum supra Dominum diligit: Quod esse etiam cogitatu horrendum suprà nobis Julianus Pomerius dixit. Gehennæ metus malè agendi cupiditatem dumtaxat compescit & frænat: Quod autem frænata & laxata cupiditas sint, serè ejusdem fœditatis & noxæ, tradit Augustinus frequenter, exponitque patenti exemplo leonis aut lupi: Ait lupum terrore pastorum à vorandis ovibus frænatum esse adhuc lupum, & tam trementis quàm frementis lupi animum esse ferocia penitùs eundem. In litteris ad Anastasium ait à latente ista cupiditate constitui justitiæ oforem ac inimicum, & quidem tantum, ut eam, si posset, auferret. Qui fratrem suum odit, & ablatum velit, homicida est, reusque peccati mortalis: Quanò magis tant s supremæ ac incommutabilis justitiæ, id est, ipsius Divinæ Majestatis adversarius & hostis? Adductus in contrarium locus agit de venialibus justorum peccatis, de adfixivis, levioribus tamen, creaturæ amoribus, qui solo, quod imperfecta charitas ipsos non exstinguat, servili timore pressi, in similes cogitationes & adsectus, ob materiæ levitatem dumtaxat veniales, non possunt aliquando non ebullire.

Latens cupiditas non est peccatum mortale.

Quinta tandem timoris hujus imperfectio est, quod sit quidem sapientiæ initium, sed extrinsecum. Etenim sapientia ista aliud non est quam justitia nostra, & supremæ incommutabilis justitiæ casta dilectio, cujus partem intrinsecam non esse gehennæ servilem metum clamat res ipsa, & lucidè tradit sanctus Augustinus in libris ad sanctum

ctum Pontificem Bonifacium: *Tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere incipit; quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum*, adeoque intrinſeca juſtitiæ exordia necdum cæperunt. Divinæ juſtitiæ metus ſervilis, ejuſdemque juſtitiæ ſeu ſupremi & incommutabilis boni caſta dilectio ſunt extrema veterem ſinientia, & novum hominem inchoantia confinia, ideoque neutrum poſſit alteri eſſe intrinſecum, aut ad ipſum uti pars pertinere. Quæ eſt adfidua Auguſtini doctrina, inſigniter elucidata per Petrum Pictavienſem: *Servilis timor aliter dicitur initium ſapientiæ, aliter timor initialis. Quia timor ſervilis eſt initium ſapientiæ, id eſt, ad ſapientiam; initialis verò eſt initium ſapientiæ, id eſt, in ſapientia, quia eſt quaſi pars ſapientiæ, qui habetur cum charitate. Sed timor ſervilis eſt quaſi ſeta, quæ ducit ſilum per foramen, quia ipſe præcedit charitatem.* Loquitur ex magiſtro ſuo Petro Lombardo, qui & ipſe ſervilem ac initialem timorem docens aliter & aliter eſſe ſapientiæ exordium, pergit: *Servilis idcò dicitur initium ſapientiæ, quia præparat locum ſapientiæ, & ducit ad ſapientiam; initialis verò dicitur initium ſapientiæ, quia eſt inchoata ſapientia: Quem cùm quis habere incipit, ſapientiam & charitatem habere incipit.*

L. 3. c. 19.

Lib. 3. Diſt. 34.

CAPUT XV.

An ob iſtas imperfectiones ſervilis gehennarum metus ſit peccatum?

DE timore mundano ſcribit Petrus Pictavienſis: *Nulli dubium eſt, quin ſit malus. De ſervili autem dubitatio eſt, & ubi eſt dubitatio, conſtituenda eſt diſputatio. Idcò de iſto agendum eſt.* Adferere videtur quoſdam ſuo tempore, fallacibus argumentis nixos, pro parte adfirmativa ſtetiſſe. Quidquid ſit, fallacia cum nato ex ipſis errore argumenta pertinaciſſimè in dogma adſumpſit Martinus Lutherus. Favere videtur in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius, qui poſt inſigniter expoſita ſervilis ac filialis timoris diſcrimina, adversùm Stoicos, omnem omninò timorem de vitio damnantes, adjungit: *Non omnis timor haberi debet in vitio, ſed ille tantùm, de quo ſcriptum eſt,* QUIA TIMOR TORMENTUM HABET. Hoc eſt, timor ſervilis gehennarum. Fundat ſe Martinus Lutherus in ſancto Auguſtino, palàm adſerente ſervilem gehennarum metum eſſe proprii, lucidè vitioſi, amoris fœtum, ideoque vult illum non poſſe non eſſe vitioſum. Neque hic ſtetit hominis temeritas. Etenim ſextus ejus per Leonem X. Pontificem damnatus articulus eſt hic: *Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum; qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis. Hæc Contritio facit hypocritam. immò magis peccatorem.* Non ſolùm gehennæ metum, ſed & conceptam ex illo Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem blaterat eſſe peccatum. Et in ſua adversùs laudati Pontificis Bullam apologia mordaciſſimè id defendit.

Lib. 3. c. 18.

Lib. 3. cap. 31.

Adversùs primum errorem ſtatuit ſacroſancta Tridentina Synodus: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Quidam non de purè ſervili, ſed de initiali ſeu catumixto, adeoque & ab adjuncta ſervilitate purgato metu exiſtimant ſtatui à Synodo: Et opinio non caret fundamentis. Ego credo ſtatui etiam de purè ſervili. Eum quippe eſſe non ſolummodò utilem, ſed etiam bonum audivimus ſuprà à ſancto Thoma & ſancto Auguſtino, qui omninò nuſquam eum dixit peccatum, malum, vanum, aut vitioſum. Et hinc Juliani Pomerii pro ſuis de vita contemplativa libris verba, *Sanctum Auguſtinum pro poſſibilitate ſecutus ſum*, de ſolo ſenſu, non de ſententia ſeu loquendi formulis ſunt accipienda. Eos concordat Petrus Pictavienſis: *Bonum multipliciter dicimus. Bonum meritorium, bonum utile, bonum de genere bonorum. Servilis autem timor bonus eſt, id eſt, utilis, quia introducit ad charitatem. Sed non eſt bonus, id eſt, meritorius.* Dicit etiam eſſe bonum de genere bonorum, id eſt, officio, ſeu ut ſanctus Thomas ſuprà locutus eſt, ſubſtantia bonum. Eſt ſimilis charitati illi, de qua in populari ſermone ſanctus Auguſtinus: *Licita eſt humana charitas, qua uxor diligitur.* Et qua filii & alii conſanguinei diliguntur. *Humana eſt, ſed licita. Non ſolùm ita licita eſt, ut concedatur, ſed ita licita eſt, ut ſi defuerit reprehendatur. Sed videtis iſtam charitatem poſſe eſſe & impiorum, id eſt, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non diligit uxorem, filios, fratres? Hæc ergo humana eſt.* Addit eam *non reprehendi*. Eſt tamen humana, ſeu humani arbitrii opus, non Divina, ſeu infuſum Dei donum, *quod nos perducat ad regnum*. Et hinc in alio ſermone dicit eam eſſe carnalem, & nec dum laudandam. *Non enim laudandus eſt qui amat filios, ſed deteſtandus qui non amat.* Quod ipſum in vigeſima ſeptima ſuper Evangeliis Homilia tradit Gregorius magnus: *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, ſed per affectionem cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt quod ſponte impendiatur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirùm & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non adſequuntur: Quia amorem ſuum, non ſpiritaliter, ſed carnaliter impendunt.* Eſt amor licitus, bonus, irreprehenſibilis, at ſolo officio & ſubſtantia, non fine & radice. Nec enim eſt propter Deum, ſed propter proprium ſanguinem; neque ex caſto Dei, ſed ex privato ſui amore procedit. Hinc humanus & carnalis eſt, non Divinus & ſpiritalis, nec meritorius regni. Radix ſeu origo iſta eſt omninò aliquid vitii, ſed quod nequeat inficere, aut malum reddere ipſum officium, ſed ſubſtantiam actus. Et hinc Julianus Pomerius, ſervilem gehennæ metum dicens eſſe in vitio, non eſt benè locutus.

Gehennæ metus non eſt peccatum. Sess. 6. Can. 8.

Lib. 3. cap. 31.

Hinc item laudatus timor, licèt infuſum ac ſupernaturalem fidei actum frequenter præſupponat, non eſt tamen ipſe actus infuſus aut ſupernaturalis. Quod fidem iſtam frequenter ſupponat, diſerte tradit ſanctus Auguſtinus in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Si timore gehennæ non facis*

Supponit fidem. Ser. 19. cap. 9.

facis malum, est in te fides, quia times futurum es-
Ser. 4. cap. 1. *se Dei judicium. Gaudeo fidei tuæ, sed adhuc ti-*
meo malitiæ, seu servilitati tuæ. Et in sermonibus de verbis Domini: *Evangelium eos solos terret,*
Tract. 9. *qui fidem habent, eos autem non terret, qui fidem non habent.* Et in tractatibus super sancti Joannis Epistolam *Cæpit aliquis credere diem judicii Si cæpit credere, cæpit & timere.* Et in libro contra Collatorem sanctus Prosper lapsos in Paradiso Protoplastos dicit fuisse spoliatos non sola fide, spe, & charitate, sed nec gehennarum illis mansisse metum,
Cap. 19. *Ut ab interdictis vel metu caverent pœnæ, qui abstinebant amore justitiæ.* Quod nempe sine aliqua fide timor iste non possit esse. Et hinc de Catechumenis dicit sacrosancta Tridentina Synodus:
Sess. 6. Cap. 6. *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, & dum peccatores se esse intelligentes, Divinæ Justitiæ timore utiliter concutiuntur.* Palàm dicit infusam fidem à timore præsupponi.

Non sèper supponit fidem infusam.

Dico timorem hunc non posse esse *sine aliqua fide*, & fidem infusam ab ipso *frequenter supponi*. Hæc enim non semper supponitur. Etenim Hæretici etiam, quin & quidam Pagani, à quibus remotissima est infusa fides, gehennam omninò timent & timuerunt. Sufficit ergo animalis fides,
Cap. 32. & quævis humana credulitas aut persuasio, qualem carnalibus Judæis infusisse scribit in libro de spiritu & litera sanctus Augustinus. Addo etiam illum, qui fidem infusam præsupponit, non esse

Nec ipse est actus infusus. Est tantùm incussus.

infusum aut supernaturalem. Quod enim non ex speciali Dei per Jesum Christum dono, sed ex proprio sui amore, adeoque ex puro libero arbitrio nascatur, est suptà ostensum ex sancto Augustino. Et res ipsa clamat. Nam qui æque de infligenda peccatis suis per justum & optimum Deum gehenna, ac de infligendo per hominem Regem capitali supplicio non dubitat, utrumque malum non potest non æqualiter, immò istud longè magis fugere & horrere. Licet porrò timor ille non sit infusus, est tamen à Deo incussus actus, quarum Divinarum causalitatum differentiam exponere non spectat ad quæstionem præsentem. Gehennæ metum, uti sanctum & Dei donum, laudari vario sancti Augustini & aliorum Patrum testimonio novi. Nempe non omnis istius mali metus est servilis; aliquis etiam castus est, qualis fuit in Adamo ante lapsum, & in multis postea Sanctis, timentibus illud, non quia ipsis durum sit, sed quia intellectualis creaturæ à naturali ejus fine separativum.

Contritio imperfecta non est peccatis. Est Dei donum. Sess. 14. cap. 4.

Adversùs aliquos Martini Lutheri errorem sacrosancta Tridentina Synodus emisit hoc Decretum: *Illam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat* sacrosancta Synodus *non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam Dei donum esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo Pœnitent adjutus sibi viam*
Cap. 5. *ad justitiam parat.* Et hunc Canonem: *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum ac utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: Anathema sit.* Distinguit duplicem pœnitentis animi motum: Gehennæ ac aliarum pœnarum servilem, ex quo imperfecta Pœnitentium Contritio communiter concipitur, metum, & ex ipso conceptam Attritionem: Hanc definit esse motum, non dumtaxat utilem, sed & licèt non perfectam, tamen veram Contritionem, Spiritus sancti donum ac impulsum, actum non incussum, sed infusum, impertandæ peccatorum remissioni præparationem cum Sacramento aptam & omninò sufficientem. Quæ omnia cæcè ac impiè Lutherus impugnarat. Laudatos inter motus est grande discrimen, statim exponendum.

CAPUT XVI.

Quæstiones aliquot circa servilem gehennæ metum.

Gehennæ metus non facit magis peccatorem. Ser. 18. cap. 7.

QUæstio prima est, An sacrosancta Tridentina Synodus rectè dicat, quod servilis gehennarum metus non solummodò peccatum non sit, sed nec hominem faciat magis peccatorem? Respondeo adfirmativè. Etenim loquitur cum S. Augustino in sermonibus de verbis Apostoli: *Cùm ideò adulter non esse cœperis, quia times arde re in igne sempiterno, necdum laudandus es. Non quidem ita dolendus ut antea, sed tamen nondum laudandus.* Quare non ita ut antea dolendus? Certè non alia de causa, nisi quia minor es quàm antea peccator. Et in libro de patientia idem Augustinus scribit: *Si quis non habens charitatem, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes timore gehennarum & ignis æterni, nullo modo ista culpanda est, immò verò & hæc laudanda patientia. Non enim dicere poterimus, melius el fuisset, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo, sed existimandum fortasse ei tolerabilius futurum judicium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret; ut illud, quod ait Apostolus*, SI TRADIDERO CORPUS MEUM ITA UT ARDEAM, CHARITATEM AUTEM NON HABEAM, NIHIL MIHI PRODEST, *nihil prodesse intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.* Quia nempe iste gehennarum timor facit minùs peccatorem. Licèt non interna, externa tamen peccata vitat, atque ita mediam Divinæ legis partem explet: Quod quis non videt esse peccatum minùs plena prævaricatione?

Cap. 26.

Lutheri argumentum solvis.

Verùm in sua adversùs Leonis X. Pontificis Bullam apologia Martinus Lutherus objicit: Apostolus dicit legem fuisse gratia prævaricationis positam, & ut abundaret delictum; at verò vitur. per legem idem Apostolus intelligit palmarem ac ferè unicum legis effectum, ab ipsa incussum gehennæ ac aliarum pœnarum metum; ergo etiam hic ad delicti abundantiam nobis iucutitur, faciteque nos magis peccatores. Respondeo falsam esse minorem. Etenim lex duos habet palmares effe-

effectus: Cognitionem peccati, & incussum prænæ metum. Hinc peccatum & minuit & auget. Per datam ignoti antea peccati notitiam, ablatamque ignorantiam, ex simplici delicto facit prævaricationem, & quasi intensivè auget; per incussum pœnæ metum grassantes in vetere animo concupiscentias, licet non auferat, tamen compescit ab externis operibus & frænat, ex media parte legem observat, peccati per multa extensionem truncat & contrahit, atque ita palàm nos facit minùs peccatores. Cognitionis effectum dolosè in metum Martinus Lutherus transtulit, atque ita pessimè erravit.

Exponitur Canon Tridentinus

Altera quæstio est, cur sacrosancta Synodus Canoni suo addiderit hæc verba. *Per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus?* Respondeo verba ista esse combinanda cum his, *Si quis dixerit gehennæ metum peccatum esse.* Et hinc quidam gravissimi Doctores existimant Synodum, non de purè servili, sed definire de metu initiali, quem præfertim insamarat Martinus Lutherus. Nec loquuntur fine fundamento. Etenim sacrosancta Synodus definitas priùs in suo fidei Decreto veritates rursùm posteà suis in Canonibus seu Anathematismis palàm repetit & confirmat, atque ita adducta octavi Anathematismi verba omninò correspondent iisce, de initiali timore palàm agentibus, in sexto capite Decreti: *A Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes sibi Deum, propter Christum, propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata sua per odium aliquid & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Purum ac plenum, cui adhuc adnexa servilitas, servilem metum peccati quidem accusavit, de ipso tamen vix expressè disputavit Martinus Lutherus, ideoque & sancta Synodus videtur de ipso nihil definisse. Fundata & probabilis est hæc opinio. Quod tamen adductus Anathematismus etiam de plenè servili, & necdum purgato metu posset intelligi, & suprà dixi, & rursùm hìc adfirmo.

Exponitur alia Synodi verba. Cap. 4.

Quæstio tertia est, Cur sacrosancta Tridentina Synodus Canoni adjunxerit etiam hæc verba, *Vel à peccando abstinemus?* Respondeo ista verba esse combinanda cum his: *Si quis dixerit gehennæ metum peccatores pejores facere.* Eorum rationem adsignat in libro de spiritu & litera sanctus Augustinus: *Ubi sanctus non adjuvat Spiritus, lex, quam vis bona, auget prohibendo desiderium malum, sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice oppositio, cujus molem cùm evicerit, majori cumulo præcipitatus, violentius per prona provolvitur.* Et in literis ad Anastasium: *Pœnæ corporis, etsi non à voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facilè quisquam est qui committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictæ certum est continuò secuturos. Hinc ille est nequissimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab operibus sordidæ voluptatis.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Minor erat concupiscentia, quando ante legem securus peccabas, nunc autem oppositis obicibus legis fluvius concupiscentiæ quasi fræ-natus est paululum, non siccatus. Sed crescente impetu, qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tum minor erat, quado tuam movebat libidinem; omnis est, quando transcendit & legem. Vis nosce quam magna sit? Vide quid ruperit:* NON CONCUPISCES. *Non bono dixit, Deus dixit.* Servilis ergo gehennæ aut aliarum pœnarum metus, dum grassantem in veteri corde libidinem fræna re & cohibere non potest, omninò facit, dumtaxat tamen occasionaliter, aut potiùs ostendit nos magis peccatores. Hinc addidit sacrosancta Synodus: *Vel à peccando abstinemus.* Notanda est disjunctio, *vel*: Definit duplicem gehennæ metum, & illum quo de peccatis dolendo ad Dei misericordiam confugimus, & illum quo à peccando abstinemus, nec peccatum esse, nec facere magis peccatores. At verò ille, quo ad Dei misericordiam de peccatis dolendo necdum confugimus, sed ab externis peccatis dumtaxat abstinemus, necdum est initialis, sed palàm adhuc plenè servilis: Ergo etiam hunc sacrosancta Synodus definit non esse peccatum. Lib. 2. cap. 84.

Quarta quæstio est, Cur sacrosancta Synodus conceptam ex servili pœnarum metu Contritionem laudans dicat? *Si quis dixerit esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium Anathema sit?* Respondeo dicere adversùs Martinum Lutherum, in sua memorata Apologia, ac in sermone de Pœnitentia pessimas istas Donatistarum nugas sine fronte resuscitantem. Conceptam ex servili metu Contritionem cum ipso metu ac ejus servilitate confundit homo cœcus & dolosus, ideoque & hujus & istius, quorum externa bona opera & à peccatis externis abstinentia sunt veraciter compulsa & secundùm quid involuntaria, imperfectiones & vitia in illam nequiter & Donatistè transcribit. Resuscitat à sancto Augustino memoratum errorem Petiliani, Constantinensis seu Cirthensis Episcopi Donatistæ: *Dixit Dominus Christus*, NEMO VENIT AD ME, NISI QUEM PATER ATTRAXERIT. *Cur vos non liberum arbitrium unicuique sequi permittitis?* Agit Petilianus adversùm leges imperiales, gravibus temporalium malorum terroribus Donatistas ad matrem Ecclesiam redire cogentes: Ejusmodi reditum garrit non esse liberum ac voluntarium, sed coactum. Eandem fuisse Gaudentii Thamugadensis Episcopi, Cresconii Grammatici, ac totius Factionis opinionem, posse facilè ostendi. Magistros suos Lutherus agnoscat. Petiliano autem respondit S. Augustinus: *Sicut fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater, sic fieri potest, ut ea, quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. Quidquid enim homo durum ac molestum patitur, admonetur ut cogitet quare patiatur: Ut si pro Justitia se pati perspexerit, id ipsum bonum eligat pro Justitia talia sustinere; si autem viderit iniquitatem esse, pro qua patitur, se infructuosissimè laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat & molestia sterili, & ipsa iniquitate.* Quod ipsum aliis & aliis verbis scribit etiam in libris adversùs Gaudentium, in literis ad Vincentium Rogatistarum Episcopum Carthennensem; in libris adversùs Cresconium, in literis ad Donatum Presbyterum & Donatistam, in literis ad Dulcitium Notariorum Tribunum, & alibi frequenter. In homine per servi-

Ep. 144.

Ser. 4. cap. 5.

Lib. 1. c. 48.

Lib. 3. c. 51.

Ep. 204.

Ep. 61.

servilem metum ad correctionem & Contritionem perductò distinguenda sunt duo tempora. Primum, dum solo timore movetur; secundum, dum timor jam concepit sapientiam ac peperit charitatem. Priori tempore fateor hominem esse invitum ac involuntarium. Quia enim timor veteres in ipso cupiditates solùm ligat & frænat, ejus voluntas adversùs semetipsam est in timorem & cupiditatem in invicem pugnantes divisa, hinc volens effugere peccati pœnam, hinc ejus suavitatem sectari, ideòque quidquid agit, agit invitus, quia contra alteram istarum invicem compugnantium voluntatum. Posteriori autem tempore est plenè liber ac voluntarius. Tunc enim introducta est timorem adjuvans charitas, & expulsa timori repugnans cupiditas, omnisque prior necessitas versa est in virtutem ac liberam electionem. Neque enim uti frænans timor & frænata cupiditas, ita introducens timor ac introducta charitas in invicem pugnant, animam trahunt in partes adversas, aut eam faciunt idem objectum velle simul & nolle. Trahunt diversa vi, timor odio pœnæ, charitas seu Contritio dilectione justitiæ, trahunt tamen in eandem partem, ideòque nihil habent, quo hominem involuntarium faciant aut invitum. Lutherus & Donatistæ confuderunt hæc duo tempora: Hinc purum Evangelicæ prædicationis vinum miscuerunt & inquinarunt fœtida aqua suarum fabularum.

Imperfecta Contritio non facit hypocritam.

Conceptam ex servili metu Contritionem sacrosancta Tridentina Synodus *declarat non facere hominem hypocritam aut magis peccatorem*. Et rursùm dicit: *Si quis dixerit facere hominem hypocritam, aut magis peccatorem, anathema sit*. Hinc quinta quæstio hæc. Quo hæc tendant? Respondeo tendere in Martinum Lutherum, in sermone de Pœnitentia & in jam sæpius memorata Apologia errores istos, non solùm de servili timore aut ejus servilitate, sed & de concepta per istum Contritione garrientem, edicentemque sua fundamenta & causas: *Ego hypocritam aliter definire non possum, quam eum, qui id, quod facit, non ex animo & sincero corde facit. Animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, sed sola charitas Spiritus*. Hypocrisis, inquam ego, non est aliud, quàm simulatio justitiæ, seu justitia simulata; & hypocrita non est aliud, quàm justitiæ simulator, simulatus justus, seu personatus justitiæ histrio, & sepulchrum dealbatum. Ita res ipsa clamat, plurimisque in locis tradit sanctus Augustinus. Quapropter vitium istud importat duo: Justitiæ carentiam, & ipsius mendacium seu fictionem. Est omninò, licèt non oris, tamen operis genuinum mendacium, ideòque una ex ejus essentialibus partibus est voluntas fallendi. Et huic sacrosanctæ Synodus voci, *Hypocritam*, semper addit, *magis peccatorem*. Loquitur ex sancto Augustino, qui in libris de Baptismo adversùm Donatistas occultum Hæreticum aut Schismaticum dicit esse *tantò scelceratiorem, quantò magis* hæreseos aut schismatis *gravitati fallaciam simulationis adjungit*. Et in secundo sermone de communi Clericorum vita occultos proprietarios Clericos aut Monachos dicit mortuos, manifestos autem apostatas esse dumtaxat cœcos aut claudos. Omnem fictum justitiæ simulatorem esse mortuum scribit in libris adversùs Cresconium Donatistam. A perta enim iniquitas est unicum dumtaxat peccatum, at verò hypocrisis internæ iniquitati addit externam fictionem justitiæ, ideòque est peccatum duplex, & facit magis peccatorem. Porrò ex pœnarum metu concepta Contritio neque carentiam neque simulationem includit justitiæ: Est enim, licèt imperfecta, omninò tamen vera operis justitia, & germana spiritus charitas, operatur ex animo & sincero corde, proindeque ex ipsis Lutheri principiis est remotissima ab hypocriseos labe. Concipientem metum & conceptam Attritionem non distinxit cœcus & dolosus Lutherus, atque hinc adeò grossè est lapsus. L. 2. c. 16.

Nec imperfecta Contritio servilis timor.

Sexta tandem quæstio est, Cur sacrosancta Tridentina Synodus, servilem gehennarum metum, quo à peccando cessamus, definiens non esse peccatum, nec magis peccatorem facere, non addiderit, quod de concepta per ipsum Attritione dixit, etiam non facere hypocritam? Quidam existimant aliam concipientis timoris, aliam conceptæ Attritionis esse hac in parte rationem: Facta ex servili ante introductam charitatem timore bona opera existimant hypocritica, & hanc esse radicem diversæ istius locutionis. Hic namque timor hominem quidem formosis exteriorum operum foliis ornat, at fœdum boni & recti odium, dolosam servilitatem & multam cupiditatem in corde relinquit, ideòque simulatam solummodò inducit justitiam, & facit sepulchrum dealbatum. Et hinc eos, qui suam cum carnalibus judæis, ex servili timore bona operantibus, justitiam statuunt, in libris ad S. Bonifacium Pontificem S. Augustinus vocat fallaciter justos. Respondeo tamen nos à servili, cui adjuncta servilitas, timore non constitui hypocritas. Hypocrisis enim non quemvis internæ justitiæ defectum, sed importat positivum operis mendacium, & histrionicam simulationem, qua certum est omnem illum, qui ex solo timore operatur bona, non semper laborare. Rectè enim in libro de patientia scribit sanctus Augustinus: *Ecclesia tenet piam fidem, non eam, quæ per elationem aut timorem, sed eam, quæ per dilectionem operatur*. Distinguit triplicem bona operandi modum: Per Dei dilectionem, per timorem, per elationem, qua utique homo vult suam constituere justitiam, & apud homines justus apparere & gloriosus. Hæc quæstio videtur ad firmum ac immobile Ecclesiæ dogma non pertinere, ideòque ab illa definienda sanctum Concilium abstinuit. L. 3. c. 7. Cap. 28.

CAPUT XVII.

Exponitur essentia Attritionis, seu Contritionis imperfectæ.

Attritionis nomen, inquit Gulielmus Estius, *Scripturæ & Patribus incognitum, à Scholæ Doctoribus, distinctionis & doctrinæ gratia, fuit excogitatum, ad significandum dolorem de peccato, seu pœnitentiam quamdam imperfectam. Sicut enim in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, nempè fortè secùs tantùm, læsus est aut comminutus, contritum verò, quod totum intùs & foris fractione in minima resolutum est; ita in spiritualibus Attritio ab illis dicta est quædam imperfecta, & aliquousque tam.* L. 4. Dist. 16. §. 9. Attritionis vocabulum est novum.

L. 4. c. 16.

Augustinus illud novit. L. 1. c. 22. *tantùm progressa Pœnitentia, Contritio verò Pœnitentia intima & perfecta.* Hæc tamen nominum distinctio videtur antiquis non plenè fuisse ignota. Etenim *cordis obtritionem*, quæ videtur esse ipsissima Attritio, laudat sanctus Augustinus in libris de sermone Domini in monte. Quidquid sit, hic non de servili gehennæ aut aliarum pœnarum metu, sed de concepta exinde Contritione agimus, quæ planum est insigniter distingui.

Epist. 108. Ejusmodi porrò Contritionem laudat sanctus Augustinus frequentissimè. In literis ad Honoratum Thabennensem Episcopum scribit barbarica incursione concussas urbes turmatim currere ad Ecclesiam: Alios Baptismum petere, alios Reconciliationem, alios actionem pœnitentiæ, omnes consolationem, Sacramentorumque confessionem ac erogationem. Et in sermone de excidio Romanæ urbis. *Omnes ad Ecclesiam confugiunt, non cepit multitudinem locus, Baptismum extorquet quisque à quo potest. Non solùm in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos ac plateas salus Sacramenti exigitur, ut fugiatur ira, non præsens utique, sed futura.* Et in libro de catechizandis

Cap. 17. rudibus ait plurimos velle fieri Christianos, *Ut non eant in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum cum Christo.* Per quendam terræ motum innumeros ad Baptisma partim, partim ad Pœnitentiam fuisse conversos scribit etiam ac laudat sanctus Joannes Chrysostomus.

Tom. 9. f. 360. 361. L. 2. c. 33. Et in libris de vocatione gentium sanctus Prosper: *Quam multos, qui in tranquillitate pacis Sacramentum Baptismatis suscipere differebant, ad aquam Regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, & lentis tepidisque animis, quod diu exhortatio quieta non suasit, minax subitò terror extorsit.* Et hinc similem Ninivitarum pœnitentiam sacrosancta Tridentina Synodus ex laudati Augustini libris adversùs Gaudentium Donatistam, libris de civitate Dei, & literis ad sanctum Evodium Uzalensem Episcopum, meritò canonizat.

L. 1. c. 25. L. 21. c. 24. Ep. 59. Est legitima ac vera. Et hinc conceptam ex metu servili Contritionem esse legitimam, sanctam, ac veram, non est ambigendum. Ante Martini Lutheri tempora negarunt id cum Donatistis, volentibus solo

L. 1. oper. imperf. cap. 95. amore, non timore duci homines, Pelagiani, quorum Dux & Goliath Julianus edixit: *Ab intentione propria* mala *non debet homo ulla necessitate revocari.* Respondit verò sanctus Augustinus: *Cur Apostolus adhuc Saulus cædem spirans, & sanguinem sitiens, violenta corporis cœcitate, & terribili desuper voce à sua pessima intentione revocatur, & ex persecutore prostrato illius Evangelii, quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus Prædicator exigitur?* Quo argumento etiam in literis ad Bonifacium Comitem utitur adversùs Donatistas,

Epist. 50. & adjungit: *Melius est quidem, quis dubitaverit, ad Deum colendum homines doctrina duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli: Sed non quia isti meliores sunt, ideò illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit priùs timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant opere sectari.* Multis ostendit hominem per timorem cogi, ac pedetentim introduci in justitiam & charitatem. Addit quod Apostolum Paulum deduxerit etiam ad charitatem perfectam. Ex metu conceptam in mortis lecto Contritionem & ipse & alii Patres frequenter habent suspectam: Hinc enim Clinicos seu Grabatarios antiqua Ecclesia censuit irregulares. Quod tamen ipsorum Contritionem, Baptisma, ac Reconciliationem rata ac formata posse esse censuerit eadem Ecclesia, lucidum est, neque spectat ad rem præsentem.

Et hæc Attritio seu imperfecta Contritio, ut vera sit, omninò esse debet germana, & quidem adfectu saltem super omnia, Dei dilectio. Lucidè id in secundæ ad Corinthios Epistolæ commentariis tradit sanctus Joannes Chrysostomus: *Cùm peccaveris ingemisce. Non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quod Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit.* Conceptam ex pœnarum metu Contritionem nullo pacto damnat: Ait solum timorem servilem non sufficere, sed opus omninò esse, ut ex ipso concipiatur casta dilectio, quà Deum optimum maximum, tamquam summum Bonum & Justum, omnisque justitiæ & bonitatis fontem diligamus, ac ideò peccata nostra oderimus, detestemur, de ipsis pœniteamus & conteramur. Etenim imperfecta ex metu concepta Contritio est germana species sumptæ generatim, & superiùs per sacrosanctam Synodum definitæ Contritionis, quam sine laudata charitate non posse esse, est suprà abundè ostensum. Addit de ipsa sanctum Concilium: *Si voluntatem peccandi excludat.* Hoc est, si ejus, à quo introducta est, timoris excludat servilitatem. Exclusionem hanc sancit esse de Contritionis essentia. Porrò voluntatem seu servilitatem istam excludi non posse, nisi per veram, adfectu saltem super omnia, charitatem, etiam supra demonstratum est.

Debet esse Dei super omnia dilectio. Hom. 4.

Pergit sacrosancta Synodus: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Agit adversùs Martinum Lutherum, qui in sua adversùs Leonis X. Pontificis Bullam apologia multis blaterat & calumniatur Contritionem, quæ solo pœnarum timore, aut solo naturali Dei amore constet citra infusam ac supernaturalem charitatem, à nobis prædicari uti sufficientem cum Sacramento ad justitiam, & adjungit: *Quasi si dixerint se loqui de Contritione in charitate facta, jam articulus,* à Leone Pontifice damnatus, *nihil ad me. Non enim unquam sic docui, immò qui ut meum damnant, de Contritione naturali & impia extra fidem loqui eos oportet, quam esse hypocrisin, satis jam ex dictis conflare puto.* Maledicus & contumax Hæreticorum spiritus semper accufat Ecclesiam: ei imponit fœda & probrosa dogmata, ipsa impugnat, expugnatque aliquando, atque ita non de nobis, sed de suis calumniosis phantasmatibus stultè & nugaciter triumphat. Quod ipsum hic egit Martinus Lutherus, ideoque meritò se purgat Ecclesia, synodaliter edicens se nunquam ita credidisse aut docuisse. Semper defendit & constanter tenuit hanc sancti Joannis Apostoli sententiam: *Qui non diligit,*

Ecclesia aliud nunbono motu quam docuit.

ma-

manet in morte. Semper docuit sine Dei super omnia charitate neminem posse justificari, ideoque & semper docuit conceptam ex servili metu Attritionem charitate, licèt non perfectam, oportere tamen esse formatam. Quocirca quicumque aliud hodie in Ecclesia sonsitan cogitant, cogitant Martini Lutheri de Ecclesia verificare calumnias, & sacrosanctam Synodum reddere mendacem.

Et hoc sufficienter expressit.

Verùm inquies, Quare sacrosancta Synodus diserte non expresserit ad imperfectam etiam Contritionem requiri Dei dilectionem super omnia, atque ita omnem hodiernis quæstionibus ingressum non præcluserit? Respondeo istud ipsum, quod olim Francorum Episcopis, de Synodo prima Constantinopolitana, cur suo Symbolo hanc vocem, *Filioque*, non addidisset, atque ita plurimas & miserandas Ecclesiarum lites non præfocasset, postulantibus respondit olim Pontifex Leo III. *Sicut non audeo dicere non benè fecisse laudatæ Synodi Patres, si fecissent, quia procul dubio sicut cætera, quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humana, quam Divina illuminati sapientia fecerunt; ita quoque non audeo dicere istud eos nobis minus intellexisse, aut perpendisse, cur dimiserint.* Quin immò sacrosancta Tridentina Synodus non dimisit. Etenim imperfectæ Catechumenorum Contritioni diserte dixit necessariam atque essentialem esse eam charitatem, qua Deum uti omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ideoque peccata sua oderunt & detestantur. Hominem quemvis, ut ei justificationis gratia conferatur, dixit debere *credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet*. Hoc est, ex vera in Deum fide, spe, & charitate pœnitere. Generatim sumptam Pœnitentium Contritionem dicit esse peccati detestationem & odium cum proposito non peccandi de cætero: Quæ omnia certum est non posse fieri sine vera dilectione. Perfectam Contritionem dicit esse charitate perfectam, hoc est, illam quæ includat perfectam charitatem, & ex ipsa procedat: Atque ita palàm supponit tot esse Contritionis, quot charitatis classes seu species, & hanc in omni illa debere semper includi.

CAPUT XVIII.

Quæstiones aliquot de imperfecta Contritione.

Quæstio prima est, Quomodò imperfecta Contritio concipiatur ex servili pœnarum metu, per imperium ac emanationem, an per voluntatis conversionem? Inter voluntatis actus & motus est varia subordinatio & causalitas. Alius ex alio quandoque concipitur & nascitur per physicum effluxum, tamquam rivus è fonte; quandoque per effluxum dumtaxat occasionalem, tamquam de termino à quo conversionis. Utilignum in ignem, & ligni forma in formam ignis transmutatur, adeòque hæc ex illa concipitur & procedit; ita quoque voluntas in voluntatem vertitur, adeòque una ex altera concipitur, tamquam ex termino istius conversionis. Et ita dico charitatem aut Contritionem concipi & procedere ex servili metu pœnarum. Diserte id tradit in litteris ad Bonifacium Comitem sanctus Augustinus, dicens de Apostolo Paulo:

Contritio ex metu concipitur.

Quem timor coegit ad charitatem, ejus perfecta tur, non *charitas foras misit timorem*. Iste introducentis emanat. ad introducti ingressum exitus & cessio est evi- Epist. dens judicium conversionis, seu conceptionis 50. per conversionem. Ad rivi namque fluxum non siccatur fons, ad frondium & florum germinationem non exarescit radix, nullus effectus emanans possit perimere aut pellere caussam: Quin immò passim ab ipsa in conservari dependet. At verò charitate intrante incipit exire timor; illa crescens hunc diminuit, perfecta omnem pellit, adeoque lucet illius hunc non genuinam caussam esse, sed dumtaxat occasionem. Etiam imperfectam, quæ utique aliud non est quam imperfecta charitas. Contritionem ita nasci tradit Augustinus in sermonibus de tempore, discens *nos à timore cogi, ut transeamus ad dilectionem*. Et in libris de adulterinis conjugiis ait *Deo terrente & hortante; convertente & impulente, humanum in melius mutari adfectum*. Et in libris adversùs Petilianum adfirmat incussum à legibus imperialibus metum esse ansam, *Ut homo in melius mutet voluntatem*. Et hinc Catechumenos à Divinæ justitiæ timore ad considerandam Dei misericordiam, de ipsa sperandum, & diligendam justitiam converti dicit diserte Synodus Tridentina. Gehennarum metus & justitiæ dilectio sunt duo veteris ac novi hominis extrema confinia; ab isto in hoc transire est de necessitate in virtutem proficere, quod fieri non potest nisi per voluntatis transitum & conversionem.

Serm. 7. L. 2. c. 19.

L. 2. c. 84.

Catechumenorum pœnitentia semper pœnitentio Contritio cum muniter concipiatur cum metu. Pf. 149. C. 17. Tract. 9. L. 2. c. 25.

Laudata sacrosancta Synodus dicit de imperfecta Pœnitentium Contritione: *Exgehennæ aut pœnarum metu communiter concipitur*. At verò de Catechumenorum Pœnitentia generaliter atque indesinitè dicit: *Peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter contuuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt*. Et hinc nascitur quæstio secunda, Cur non Pœnitentium Contritio dumtaxat communiter, sed Catechumenorum autem Pœnitentia adseratur semper concipi ex timore servili? Respondeo tur ex rationem dari à Sapiente: *Qui sine timore est, non potest justificari*. Exponit in Psalmorum commentariis sanctus Augustinus: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem*. Et in libro de catechizandis rudibus: *Rarissime accidit, immò verò nunquam, ut quisquam veniat ad vocens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*. Et in tractatibus super sancti Joannis Epistolam: *Si nullus timor, non est qua charitas intret*. Et de Pœnitentibus Ninivitis scribit in libris adversùs Gaudentium: *Nec curarent, nec crederent prædicta Divina, nisi territi Regis sui potestate terrena*. Homo vetus in parente Adamo amisit, fidem, spem, charitatem. Dei dona omnia; quin ab illo apostatavit adeò longè, ut nec ipsum servilem Divinæ justitiæ metum retinuerit, neque vires ad Deo vel serviliter obediendum. Hinc uti excita arbor, ita & excisa justitia, non subitò, sed gradatim ac pedetentim debet recrescere in suam plenitudinem, incipiendo à primis rudimentis, seu à primo sapientiæ exordio, quod est Divinæ justitiæ timor servilis. Hinc introducendæ sapientiæ & charitati præparat locum. Et hunc nostræ reparationis modum adeò constan-

ter servat Divina providentia, ut nec Apostolum Paulum, vas singularissimæ electionis, censuerit ab illo exmendum. Idem in Apostolicæ ad Philippenses Epistolæ commentariis tradit S. Joannes Chrysostomus: *Si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore rectè acquiri non possunt, multò minùs spiritualia. Cedo enim, quis literas sine timore didicit? Quis artem tenuit sine timore? Quod si ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus, ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, qui fieri unquam poterit, ut sine timore salutem consequamur?* Et in monastica doctrina Archi-Mandrita Dorotheus: *Fieri nequit ullo pacto, ut perfectus* seu filialis *timor aliter, quam per Ysagogicum* seu servilem *introducatur.* Et iterum: *Perfectus timor nullo modo haberi potest, nisi Ysagogicus præcesserit.* Porrò filialis timor est proprius ac individuus charitatis fœtus & comes, ideoque sicut ipse, ita nec ista sine quali obstreticante servilis timoris ministerio non potest introduci. At verò fideles lapsi passim in plenam originalis nostræ iniquitatis vetustatem non recidunt, sed ipsorum multi sunt similes Apostolo Petro, de quo in negationis peccatum lapso scribit in sermonibus de Dominica Passione sanctus Leo magnus: *Vidit in te Dominus, non filiam filiam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam.* Ejus, qua pro Christo Domino mori & carcerari sponderat, charitatem ait fuisse, non extinctam, sed à superveniente fortioris timoris cupiditate dumtaxat superatam & suppressam. Ejusmodi lapsos, quod fidem, spem, ipsamque etiam actualem charitatem retineant, in Epistola ad Antonianum Episcopum sanctus Cyprianus vocat, non plenè mortuos, sed semineces ac semivivos. In libro de Ecclesiæ unitate sanctus Augustinus appellat ramos infructuosos, necdum tamen præcisos. Has magnas amissæ justificationis & Divinæ gratiæ reliquias quandoque contingit statim à miserante Deo respici, & citra timoris servilis cooperationem ac excitationem in ignem & lacrymosam pœnitentiam resurgere ac ebullire. Etenim Petrum mox à lapsu respexit Dominus, atque hinc ille foras statim egressus flevit amarè. Plurimos olim in gentilium persecutionibus per tormentorum violentiam lapsos fuisse mox à Deo respectos, ideoque sese statim ad Ecclesiarum valvas & omnium stantium fidelium pedes projecisse in solennem Pœnitentiæ fletum, docent testes irrefragabiles, præsertim sanctus Cyprianus. Et talia Pœnitentium exempla nostris etiam temporibus per Dei gratiam non desunt. Hinc igitur Catechumenorum semper, Pœnitentium autem Contritionem duntaxat communiter ex servili timore concipi, rectè dicit sacrosancta Synodus Tridentina. Hocce Catechumenorum & Pœnitentium grande discrimen non intellexit marginalis Scholiastes ad superiùs adducta verba Archi-Mandritæ Dorothei: *Caute lege. Nam innuit nullo pacto haberi posse timorem filialem, quin præcesserit servilis. Ordinariè quidem ita evenit in peccatoris justificatione extra Sacramenta, ut habetur capite sexto Concilii Tridentini; at contingit interdum aliter, cùm quis per Sacramenta justificatur, & in subitaneis & miraculosis justificationibus.* Respondeo Tridentinæ Synodi laudatum locum nequaquam de danda extra, sed omninò intra Baptismatis Sacramentum danda justificatione palàm agere: Eam non quandoque, sed indefinitè, ideoque universaliter & semper inchoari dicit à servili timore. Conversiones subitaneas & miraculosas fateor posse esse extra regulam; addo tamen etiam S. Apostoli Pauli, quæ penitùs subitanea & omnium miraculotissima fuit, conversionem omninò cœpisse à timore.

Homil. 8.

Cap. 4.

Ser. 9.

Cap. 4.

Cap. 25.

De imperfecta Pœnitentium Contritione sacrosanctum Concilium rectè dicit: *Communiter.* Etenim Abrahæ semen, seu Catholica Jesu Christi Ecclesia, non solùm ut stellæ cœli, sed etiam ut arena maris, ex Divina promissione multiplicatum est. Spiritales, seu in justitia perfectos, qui ex casto Dei amore agant omnia, & cadant rarissimè, plurimos; animales tamen & imperfectos, qui ex adjuto per timorem servilem imperfecto amore operantur justa, & frequenter labantur, habet longè plures. Porro eisdem animi viribus, quibus stetit in justitia, quisque passim à lapsu resurgit ac pœnitet, ideoque solo castæ dilectionis impetu excitantur ad resurgendum pauci, plurimi egent impulsu & adjutorio timoris. Hinc dicit sacrosancta Synodus imperfectam Pœnitentium Contritionem communiter concipi ex servili metu. Dicit in Martinum Lutherum, in memorata sua apologia erroris sui fundamenta subvertentem, garrientemque solis crassis, induratis, impiis, & omni conscientia exutis, aut ipsam necdum nactis peccatoribus esse opùs isto adjutorio ac impulsu, ideoque non communiter, sed rarissimè ita concipi Contritionem. Dico, *Erroris sui fundamenta subvertentem*: Fatetur enim, licèt rarissimè, tamen quandoque servilem metum esse utilem, & ex ipso puram Dei dilectionem, veramque pœnitentiam generari. Quod ejus priori dogmati palàm adversatur. Ex timore isto subindè, non tantùm per successiva gradatim incrementa, sed & unico pleni germinis subito impetu procedit etiam perfecta charitas, perfectaque Contritio: Ita enim evenisse Apostolo Paulo omnes credimus, disertèque in literis ad Bonifacium Comitem affirmat sanctus Augustinus. Ast rarissimum est istud, uti in libris de vocatione gentium beatus Prosper rectè advertit, Dei donum: Hinc sacrosancta Synodus solam imperfectam Contritionem adserit nasci communiter ex timore.

Cur dicatur communiter concipi.

Lib. 2. cap. 22.

Quæstio tertia est, quare eadem sacrosancta Synodus imperfectam Pœnitentium Contritionem dicat communiter concipi, non solùm ex servili gehennarum, sed etiam ex aliarum pœnarum metu, ex considerata item peccatorum turpitudine, numero, gravitate? Respondeo rationem dari à sancto Augustino, agente de Ninivitis, ad pœnalia Regis sui Edicta Pœnitentibus, in libris adversùs Gaudentium, Donatistarum Episcopum Thamugadensem: *Quid opùs erat Regis imperio, ut humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed corda, nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta Divina, nisi territi potestate humana? Ista igitur jussione Regiæ potestatis multis ad salutem præstatur occasio, quia etsi violenter ducuntur ad cœnam tanti Patris familias, & compelluntur intrare, intùs tamen inveniunt unde se lætentur*

Conciditur etiam ex metu malorum temporalium. Lib. 1. cap. 25.

tentur intraſſe. Eorum enim Contritionem uti veram ac Divinitùs infuſam ipſa ſacroſancta Synodus laudat. Quis neſciat etiam Apoſtoli Pauli converſionem & pœnitentiam, non ex gehennarum, ſed ex fulminis ac inde imminentis temporariæ mortis metu fuiſſe conceptam? Ex intentatarum à legibus imperialibus pœnarum metu plurimos item Donatiſtas ad veram Pœnitentiam fuiſſe traductos, frequentiſſimè prædicat S. Auguſtinus. Eadem via è peſſimis Judæis bonos fideles fecerunt quandoque Catholici Hiſpaniarum Reges, Reges Galliæ, Leo Iſaurus imperator, nec non & ſanctus Pontifex Gregorius magnus. Et hinc de omni, quæ nobis per temporalia mala à Domino Deo præſertim irrogatur, diſciplina pulchrè in Hieremiæ Prophetæ commentariis ſcribit
Cap. 6. Theodoretus: *Pœnitentiæ mater eſt*. Quocirca qui ſolum ſervilem gehennarum metum ſine introducta per ipſum charitate laudari uti impetrandæ peccatorum remiſſioni cùm Sacramento ſufficientem exiſtimant à ſacroſancta Tridentina Synodo profiteri coguntur etiam patibuli aut Regii gladii metum eadem dignitate & viribus pollere.

Etiam ex pudore humano. Cap. 4.

Quod vera Contritio etiam ex conſiderata peccatorum turpitudine, ſeu ex humanæ confuſionis dolore aut metu quandoque concipiatur, docet Regius Propheta: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Et Eccleſiaſticus: *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam*. Exponit in literis ad Vincentium Rogatiſtarum Carthaginenſem in Mauritania Epiſcopum S. Auguſtinus: *Confuſio adducit*
Ep. 48. *peccatum, cùm erubeſcit quiſque pravam mutare ſententiam, ne inconſtans putetur, aut diverſus à ſeipſo Judice teneatur. Confuſio autem adducit gratiam & gloriam cum erubeſcit quiſque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius mutatur*. Et in Pſalmorum commentario: *In ſæculum ſæculi non conturbantur, qui quærunt nomen Domini, ſed reſpicientes ignominiam peccatorum ſuorum, ad hoc conturbantur ut quærant nomen Domini, per quod non conturbantur. Hi ad hoc confunduntur, ne confundantur in æternum*. Quod ipſum tradit in prima Concione ſuper Pſalmum trigeſimum. Eleganter item per ipſa fermè Tridentinæ Synodi verba jam pridem tradidit in literis ad Lincolnienſem Epiſcopum, exſtantibus in Spicilegio Lucæ Dacherii, Theobaldus Stampenſis: *Qui in ſe fremit, bona Dei & mala quæ ipſe reddidit computando, & in corde gemit ſeipſum de peccatis increpando, melius ſine voce loquitur, quàm ſi voce ſine iſtis loqueretur*. Adfirmat & oſtendit iſtam eſſe veram Contritionem. Conſiderata peccatorum turpitudo facit hominem ſibi ipſi diſplicere & fatere, cæcatos aut tenebratos mentis oculos aperit, ſternit viam ſapientiæ, juſtitiæ pulchritudinem facit diligi & appeti, atque ita iniquitatem odio haberi. Etiam hic adverſus Martinum Lutherum, huic item Contritionis origini nequiter & cæcè infenſum, ſacroſancta Synodus eſt locuta. Et hæc quidem de Chriſtiana Contritione breviter dicenda duxi, quam ab omnibus hominibus plenè cognoſci, & perfectam haberi donet Deus optimus maximus, præſertim à me peccatore infimo omnium Chriſtianorum.

Tom. 3. Pſ. 82.

FINIS.

EPISTOLA FAMILIARIS

AD REVERENDUM AC EXIMIUM PATREM

HENRICUM NORIS,

VERONENSEM,

Ordinis Eremitarum Sancti AUGUSTINI, Sacræ Theologiæ Doctorem ac Professorem,

QUA

F. CHRISTIANUS LUPUS,

Eodem in Ordine S. Theol. Doctor & Professor,

QUIBUSDAM AD NONNULLA NUPERÆ SUÆ

DE CHRISTIANA

CONTRITIONE

DISSERTATIONIS CAPITA HÆSITANTIBUS,

Juxta Apostoli Mandatum, humiliter conatur dare rationes.

ADMODUM REVERENDO ET EXIMIO PATRI

P. HENRICO NORIS, VERONENSI,

ORDINIS EREMIT. S. AUGUSTINI,

S. Theologiæ Doctori ac Profeſſori, &c.

F. CHRISTIANUS LUPUS,

Ejuſdem Auguſtinianæ Familiæ Alumnus inutilis,

Et ſola Dei patientia in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctor S. Th. ac Profeſſor, S. P. D.

ADMODUM REVERENDE AC EXIMIE CONFRATER,

Eccl. 6. *Micus fidelis, protectio fortis: Qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: Et non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis: Et qui metuunt Dominum, inveniunt illum.* Tali Amico, in cujus charitatem, præſertim ſæculi ſcandalis ſeſe fatigatum, cum cunctis ſuis cogitationibus & conſiliis totum projiceret, ſecurè illic quieturus, indiguiſſe fatetur etiam ſanctus Auguſtinus. Ego peccatorum meorum victrici gratiæ deputo, non dumtaxat quod Dominum Deum timere ac diligere ſim conatus huc uſque, ſed & quod te, Clariſſimi Parentis tui, nec non Eruditiſſimi conterranei tui Onufrii Panvinii veſtigiis inſigniter inhærentem, ideoque non ſolùm ſcholaſtica atque dogmatica Theologia, ſed & profana ac ſacra antiquitate inſtructum eximiè, talem invenerim theſaurum. O quoties, primates almæ Urbis Baſilicas adeundo, de avitis & Reipublicæ & Eccleſiæ illic actis inſtruebas, eruditiſſimè? Certè quod in S. Hieronymo per Gallicanam & Græcam, in me per Italicam peregrinationem Divina Clementia eſt operata. Reperi illic plures Gregorios Nazianzenos. Quæ omnia dum memoria revolvo, mente reportor in Italiam, acerbè dolens necdum adeſſe illam beati corporis dotem, quam in libris de Civitate Dei laudat S. Auguſtinus: Lib. 22. cap. 30. *Ubi volet ſpiritus, ibi potinùs erit & corpus.* Quod ergo lingua nequeat, res noſtrates ambit hæc tibi Epiſtola notificare.

CAPUT PRIMUM.

Expenditur diſſertationis, nec non & hujus Epiſtolæ ſcribendæ ratio.

QUòd Apoſtolica Sedes, & Dominus noſter Rex Catholicus numeroſiſſimos adhuc & ferventiſſimos Fideles in Belgio habeant poſt nuperum Lutheranæ & Calvinianæ hæreſeos diluvium, eſt adoranda ſolius Dei in nos Clementia, inſigniter uti dignata miniſterio hujus Almæ Scholæ Lovanienſis. Hæc enim utrique turbini adeò generosè reſtitit, ut relatis à ſe ac impugnatis orthodoxis dogmatibus, Lutherus paſſim adſcriberet hunc marginalem farcaſmum: *Lovanialiter*. Ita ſperabat Majorum noſtrorum ictus illudere. Et hinc utraque iſta crudeliſſima factio, dum colligata omnes fermè Belgii Civitates vaſtavit ac profanavit Eccleſias, hoc Lovanienſe, cui nullum humani munimenti robur, nunquam oppidum valuit pervadere: Quod Divina Clementia miſereri adhuc vellet genti noſtræ, atque ita reparandæ Fidei ſcholam hanc ſervaret. Quæ Patrum corda adhuc vivunt in Filiis: Quidquid zizaniorum Dominico apud nos agro inimicus homo ſuperſeminavit hactenùs, aut ſuperſeminaturus eſt, feliciter eradicarunt parentes noſtri, ſperamuſque ab omnipotente Dei gratia ſubminiſtrandas etiam nobis & noſtris uſque ad ſæculi finem poſteris vires, quibus eradicemus.

Duram nobis luctam nuper fecit Thomas Tamburinus, cujus *expedita*, uti inſcribitur, *Decalogi explicatio* huc deportata fuit, & typis vulgata apud Inſulas, oppidum Diœceſis Tornacenſis. Eſt compedita, non expedita explicatio: Humanum genus non à multo, uti tentat, Divina-

Divinarum ac humanarum legum jugo, sed in miserandum ipsarum contemptum ac libertinam prævaricationem expedit, nec unum de minimis, sed multa etiam de maximis mandatis solvit, & sic docet homines, atque ita Authorem suum cum omnibus in ejus errorem seductis facit esse minimos in regno cœlorum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, est summum ac primum, adeoque rigidum æternæ legis mandatum, ut mens nostra, quæ ad instar cordis semper sine feriis est in motu, ejus virtualem, quem mentis habitum ac animi præparationem sanctus Augustinus passim appellat, actum nec ad unum temporis instans, liquidem antiquis Doctoribus credimus, possit interpolare. Quoties mentis supra ipsum reflexio obliget, est antiqua scholæ quæstio: Quorundam singulis diurnaxat Dominicis diebus obligare opinantium sententia à multis meritò judicatur nimis laxa. At vero dicius

Part. 2. cap. 3. para. 2. Tamburinus nec in rationis ingressu, nec in mortis exitu, nulloque vitæ tempore asserit ipsum Divinæ Dilectionis actum esse necessarium: *Ait Præceptum Charitatis impositum fuisse ob Justificationem impii; solum igitur obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum Contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur & indirectè, ratione suæ Justificationis, ad actum Charitatis fideles obligantur.* Eam quæ nec in mortis exitu nos ad Deum diligendum obliget, sententiam asseverat esse *probabilem & tutissimam*.

Lib. 3. Ep. 12. Ad ista Siciliæ merces in memoriam nobis venit S. Gregorii Magni ad sanctum Maximianum Syracusæ Antistitem epistola: *Tanta nobis subindè mala, quæ aguntur in ista Provincia, nunciantur, ut peccatis facientibus, quod evertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus.* A viro, omnia *ad majorem Dei gloriam* agere professo, prodire tam monstrosum dogma plurimi sunt admirati. Hinc & ipsum constanter invasorunt, adjuvitque divinitùs inspirata beatissimi Patris nostri, cui det Deus annos de nostris, Alexandri VII. sollicitudo pastoralis, anno 1665. damnans hunc articulum: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes spectantium.*

Ex eadem pharetra prodiit apud nos & Flandricus puerorum Catechismus, affirmans purum putum gehennarum fervilem metum, eoque solo tinctum & formatum de peccatis dolorem esse cum Christianæ Regenerationis, ac præsertim Reconciliationis Sacramentum dispositionem & causam sufficientem ad obtinendam Divinæ misericordiæ gratiam ac remissionem peccatorum. In opusculo de Regia Institutione Jonas, qui sub Ludovici Pii Imperio floruit, Aurelianensis Ecclesiæ doctissimus Episcopus scribit charitatem

Cap. 9. esse *decus Christianitatis, totiusque fidei nostræ Summam, multorum in cordibus non regnare lamentatur*, & post multa ejus encomia adjungit: *Miserabiliter planè decipiuntur plerique, qui sine charitate aut Deo placere, aut ad eum se putant pervenire.* Hinc scabiosus ille, quod pueris cœpisset tradi, Catechismus gravia apud quosdam litigia peperit, tandemque fuit merito abolitus & circumscriptus. Nulla enim circa fidem corrupcela est facilior ac pejor, quàm puerorum. Hæc tamen circumscriptio non fræenavit quorundam Concionatorum linguas: Adversùs Dei charitatem pertexerunt declamare, & infirmas Christianæ Plebis conscientias duro scandalo percusserunt. Quid ad hæc cum tripudio dicant vicini & permixti nobis hæretici, perpendat vestra Prudentia. Paucorum nugas derivant in cunctos: Ab omni Papistica Ecclesia existimant inferri bellum Divinæ, qua sola Magister Deus veros suos discipulos ditcrevit à falsis, charitati. Jam pridem mihi placet quod sancto Augustino scripsit sanctus Hieronymus: *Si tuam vis vel exercere vel ostentare doctrinam, quære juvenes & divites, qui possint & audeant tecum congredi.* Aliud non ambio, quam latitare in monasterio, & antequam ad supremum evocer Tribunal, malè impensos adolescentiæ ac juventutis mæ dies plangere, ac totius vitæ peccata in silentio deplorare. Et quis hodie grassantem, etiam in Christiani dogmatis elucidatione, verborum pugnam & caninam facundiam non averseiur? Ne tamèn Matri Ecclesiæ deesse, & acceptum à Domino talentum in terra aut sub modio absconderе videret, magnorum Virorum consiliis eedens scripsi dogmaticam Dissertiuncuiam, dictum dicti Catechismi articulum ostendere conatus profanum, & unanimi SS. Patrum confessioni, Apostolicæque traditioni penitùs adversum Doctoris ministerium honorificare studui, & non recedere ab hocce monito S. Nili Abbatis: *Satius est semetè mittere lapidem, quàm verbum*. Et multorum in cordibus laudatur Deus dedisse aliquod incrementum.

Verum uti palato non sano pœna est panis, ita ægro mentis oculo odiosa est veritatis lux. Hinc quidam pauca mea folia acerbè lacerarunt, spondentes brevi per Sedem Apostolicam damnanda. Et sponsionem adimplere fuerint omninò conati. Verùm nosti à Synodo Chalcedonensi fictas S. Pontifici Leoni Magno acclamationes: *Petrus per Leonem locutus est, Leoni vita, Leoni multos annos*. Eundem in modum Beatissimo Patri nostro Alexandro VII. qui multos moralis Pseudo-theologiæ libertinos, & Christianæ disciplinæ corruptivos articulos proscripsit, & adhuc pergit proscribere, acclamat nunc universa Ecclesia, ab omni ejusmodi macula & ruga confidens se brevi liberandam. Acclamat & Eminentissimo Principi ac Reverendissimo Patri Francisco Cardinali Barberino, Ecclesiæ Hostiensis Episcopo, & sacri Collegii Decano, qui variis per D. Lucam Holstenium nuper collectis & vulgatis antiquarum Synodorum, Apostolicarum Litterarum, & sacrorum Canonum monumentis præfigere dignatus est hocce elogium: *Concors opinio est, multa in hac collectione reperiri, quæ orthodoxum dogma sanciant, quæ Jura vetera Sedis Apostolicæ illustrent, quæ laxitatem obrepentem hodiernis moribus cinctu quasi severiore disciplinæ veteris adstringant, quæ denique plerisque inquietæ hujus & factiosi sæculi malis, maximè autem pruriginі novitatum, quæ cæterarum ferè pestium fons est, aptissimum remedium esse possint.* Absit ut ea, quibus

quibus Apostolicum Christianitatis dogma & avitam disciplinam ex authenticis Evangelici Depositi archivis producimus, & adversùm novos inquietorum ingeniorum pruritus defendimus, sub tanto Pontifice ac tanto sacri Collegii Primate damnari, aut de damnatione periclitari metuamus.

Et hæc quorundam desperatio peperit nobis spectaculum, quale in Carthaginensi amphitheatro visum à se testatur in libro apologetico Septimius Tertullianus: *Nova jam Dei nostri in ista* Cap. 16. *civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis munerariis noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione*, DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES. *Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen & formam.* Quis vel qualis, quod sine statutis & imaginibus coleretur, esset Christianorum Deus, ignorabat, ideoque & vivum & verum non arbitrata, spernebat cœca Gentilitas. Hinc in tantas blasphemias prorupit. Pessima blasphemia est postmodùm per hæreticos à Domino Deo in ejus Evangelicum dogma, fidosque ejus defensores traducta. Nonne enim Pelagianorum Goliath Julianus orthodoxum Ecclesiæ de originis peccato dogma pessimis de damnatis nuptiis, de reducta duplicis Divinitatis fabula, de Deo authore peccati, de everso libero arbitrio, de carnali animarum traduce, pluribusque ejusmodi calumniis circumvolvit, atque ita projecit in vulgus, clamans: *Ecce dogma Romanorum!* Nonne ejus defensorem S. Augustinum ubique buccinavit esse Traducianum, Manichæum, Venustianum? Calumniæ spiritum cunctis semper insuisse hæreticis, possit lucidè ostendi. Quod superbus & contumax hæreticorum spiritus semper Ecclesiam accuset, alicubi rectè scripsit Facundus Episcopus Hermianensis. Quin pessimam scabiem affligerunt hæretici etiam Catholicis, de quibus in Præfatione ad objectiones Vincentianas sanctus Prosper Episcopus Rejensis: *Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis oblivi, in tantum existimationem nostram quoquo modo studeni lædere, ut suam se evertere necendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo, quæ falsò in nos ad excitandam invidiam jactitari, facilè & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis benè sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esse habitura.* Impii in circuitu ambulant: Impiorum præsertim caput diabolus, miserum humanum genus conatus semper circumducere in eosdem gyros erroris aut malæ voluntatis.

Meam nescio quis de Christiana Contritione Dissertatiunculam multis circumvestivit fœdorum errorum & calumniarum pannis, atque ita projecit in vulgus, vociferans me sentire cum Cornelio Jansenio, Iprensium nuper Episcopo, immò & cum Martino Luthero: Quod dicam Christianam Attritionem, seu imperfectam Contritionem, ut vera fit, formari oportere ac procedere ex Dei Charitate, quæ licet non viribus, tamen affectu sit super omnia; quod talem Contritionem affirmem esse necessariam etiam per Baptismatis aut Pœnitentiæ Sacramenta adipiscendæ Justificationis dispositionem & causam, adeoque sine illa nullam esse spem salutis. Certè etiam S. Joannes Apostolus scribit nos, utique per Christianæ Regenerationis Sacramentum, esse *translatos de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres*. Hæc est definitiva ejusdem sententia: *Qui non diligit manet in morte*. Et Sess. 6. sanctus Paulus Apostolus prædicat charitatem Can. 3. omni charismate esse excellentiorem, sine qua nec Angelicæ linguæ donum, nec Prophetia, nec largissima eleemosyna, nec ullum Sacramentum, nec ipsum etiam Martyrium possit prodesse. Et ipse Magister Deus clamat: *Qui non diligit sermones meos non servat*. Et ipsa Martini Lutheri damnatrix Tridentina Synodus statuit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei Justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quid ergo superest, nisi ut quis rixator etiam hos omnes dicat fuisse Jansenistas ac Lutheranos? Novi fui à vetere Testamento palmare discrimen Dominus JESUS sanxit esse servilem timorem ac filialem amorem; Quisquis nos solo timore justificandos promittit, benedicti Sanguinis exsufflat pretium, fuadetque nos è Christianis fieri Judæos.

Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Exagitantis stili libido est *amari zeli* fœtus, cujus elogia non à me, sed à sancto Jacobo Apostolo malim audiri. *Deſur-* Cap. 3. *sum sapientia est pudica, pacifica, modesta, suasibilis, plena misericordiæ, non judicans*: Longè minùs maledicens. Et hinc ad Remensis Provinciæ Episcopos, qui in nescio qua quæstione Suessionensis Ecclesiæ Clericos hæresis aut sacrilegii notarunt, rectè scribit S. Ivo Episcopus Ep. 83. Carnutensis: *Habetis in Heptatico, quia in contentione duorum qui ad alterius pudenda manum miserit, lapidibus obruatur. Quod quid est aliud dicere, nisi qui in aliqua disceptatione in aliquem convitiosa verba protulerit, ab omnibus durius arguatur.* Certè inter crimina, ob quæ sanctum Joannem Chrysostomum damnavit Synodus ad Quercum, fuit & hoc: *Quod sanctum Epiphanium*, utique in disputatione, *delirum, & parvum dæmonium appellasset*. Joannem Ravennatis Ecclesiæ Metropolitam, quod vel famulos suos inconcinnis titulatet elogiis, gravissimè increpavit sanctus Gregorius magnus. Nos interim Theologi Doctores gaudemus illo Episcoporum privilegio, de Lib. 4. Ep. 15. quo idem Pontifex ad Constantium Archi-Episcopum Mediolanensem: *In corporali prælio fieri solet, ut is, qui in certamine vexillum portat, ipsum hostis vehementer impetat, quatenùs si ipse, qui à cæteris attenditur, vulnus acceperit, multitudo omnis citiùs dispersa capiatur.* Sumus signum ad sagittam, patemus multis invidiæ jaculis, & ad Emergardem Augustam de diabolo scribit Lib. 6. Ep. 14. apud Flodoardum Hincmarus Metropolita Remensis: Lib. 3. cap. 27.

mensis: *Si non posse in alio in hoc vult* etiam piorum hominum *intentionem fuscare, ut eam faciat in indebita* de Sacerdotibus, quibus in ministerii ac onerum partem & subdidium Ecclesia adjunxit publicos sacræ Paginæ Professores, *opinione ambulare*. Nobis figere, & adimplere debemus germanè Christianam legem, exstantem in Codice Theodosiano, quam sibi ipsis ad Ruffinum, Orientalis Prætorii Præfectum, scripserunt totius orbis Domini Augusti, Theodosius, Arcadius, & Honorius: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum sustinere. Quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab injuria, remittendum.* Ira viri, uti non operatur Justitiam, ita nec videt veritatem. Ad sanctum Augustinum, & Pascentium Comitem Arianum, de dogmate conlaturos, rectè præfatus est clarissimus vir Laurentius: *De Deo disputant animus debet serenior inveniri, quia repulsi animositatis caliginibus, menti sese puræ ad intelligendam naturæ suæ magnitudinem facilius sese offert.* Mentis nostræ oculus *ad contemplanda Divina infirmus ex contentione fit etiam turbulentus*. Rectè tamen in primo adversùs sanctum Hieronymum libro scripsit Presbyter Ruffinus: *Quamvis Christiano cætera crimina silendo depellere, exemplo Domini, sit gloriosum; sed tamen hoc in fide fi fiat, maximum scandalum generat.* Et ad suum & Collegarum in Ephesino latrocinio lapsum excusandum dixit in Chalcedonensi Synodo Theodorus, Claudiopolitanus in Isauria Episcopus: *Unusquisque verebatur, ne ut hæreticus dejectus peteret quos baptizaverat. Et non ei solum erat periculum, sed baptizatis, & his qui in Christo crediderant. Et non oportuit quidem tunc tacere.* Etiam Doctor eruditionis suæ filios maculosi nominis scandalo non potest perdere, nec sustinere ut credatur fideles animas stupraste Lutheranismo. Possim tamen ego cecidisse in culpam illam, de qua in literis ad sanctum Hieronymum accusat semetipsum mansuetissimus Pater noster, sanctus Augustinus: *Potiùs culpanda est negligentia mea, quia hoc*, quædam sensui necessaria verba: *non addidi, quam objurgatio tua.* Possim & ego sensa mea non satis declarasse. Justus in misericordia arguit: juxta magnum Gregorium falsa justitia dedignationem habet, vera compassionem, ideoque nec manu percutit, nec lingua. Peccata mea meruere medicinam duriorem, ex cujus regulis ad sanctum Hieronymum scripsit sanctus Augustinus: *Utiliores esse plerumque inimicos jurgantes, quàm amicos objurgare metuentes. Illi enim, dum vixantur, dicunt aliquando vera, quæ corrigantur; illi autem minorem, quàm oportet, exhibent Justitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exasperare dulcedinem.* Hinc de obortis suspicionibus cogor me in mansuetudinis spiritu expurgare breviter, addens tamen cum Facundo Episcopo Hermianensi: *Quoniam non est eadem quæstionis responsionisque conditio, nec quod breviter accusatur, etiam breviter excusari potest, sicut nec tanta maculandi & vulnerandi est difficultas, quanta nos in abluendo medendoque consequitur; necesse est nobis aliquantò impensiùs agere, maximè scientes quàm difficilè rejectant obstinati, quod semel adsumserunt.* Quare vestra in me Benignitas & boni consulere hanc verbosam Epistolam, & meam miserari dignetur infelicitatem, qui ejusmodi in causa compellor *tempus expendere, cujus nemo potest recuperare jacturam.* Epistolæ fortem prosperet Divina Clementia, tantum donans fructum, quantum ex ejus compulsa scriptitatione sentio laborem.

I. 9. tit. 4. cap. 1.

Ep. 178.

Ep. 174.

Act. 1.

Lib. 10. cap. 1.

CAPUT II.

Lutheranus de Christiana Contritione errores largiùs exponitur.

DE Contritione, quam à Pœnitentia distinguit & ejus alteram facit partem, in duodecimi fui per Leonem X. Pontificem damnati articuli apologia scribit Martinus Lutherus: *Satis dictum est fidem sine Contritione esse non posse, cùm gratia non infundatur sine magna concussione animæ. Volui enim fidei virtutem declarare, quoniam sola facit ad remissionem peccatorum. Quod dico, ne quis me putet Contritionem, seu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum suscitatam negare.* Notandæ sunt voces: *Cùm gratia non infundatur sine magna concussione animæ.* Et voces: *Contritionem seu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum suscitatam.* Prima & originalis Augustana Confessio exponit: *Constat Pœnitentia propriè duabus partibus. Altera est Contritio, seu terrores incussi, agnito peccato; altera fides, quæ concipitur ex Evangelio seu Absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.* Et anno 1540. mutata ac meliorata Confessio: *Constat Pœnitentia seu impii conversio duabus partibus. Altera est Contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ, agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fugimus. Altera pars est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu Absolutione, & credit propter Christum rectè remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Damnant illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere, sed contendunt contingere propter dignitatem Contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conscientias in Pœnitentia, an consequantur remissionem, & adfirmant hanc dubitationem non esse peccatum.* Et Confessio Wittembergensis: *Contritionem vocamus sensum Divinæ iræ, seu dolorem aut pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis iræ Dei ortum. Talem Contritionem arbitramur, quidem necessariam esse in vera Pœnitentia, quam Contritionem ex Dei in homine excitare solet. Sed docere eam mereri remissionem peccatorum coram Deo, existimamus ab Apostolica doctrina alienum esse.* Impetrandæ Justificationis meritum omne adscribunt soli fidei, de qua pergunt: *In agenda vera Pœnitentia nihil certiùs, nihil firmiùs judicamus, quàm quòd omninò necessaria sit fides, videlicet ut quod Evangelium Christi adnuntiat, credamus certò nobis remitti & condonari peccata gratis propter Christum Dominum nostrum. Non ignoramus quidem, quod si opera nostra respicimus, non tantùm nobis dubitandum, verùm etiam de salu-*

Act. 12.

Act. 12.

te noſtra deſperandum ſit: Quippè quòd noſtra opera, quantumvis bona videantur, non poſſint coram ſevero tribunali Dei conſiſtere. Nec obſcurum nobis eſt, quod carni noſtræ in hac corporali vita ſemper adhæreat dubitatio de miſericordia & clementia Dei; ſed cùm Deus promiſerit nobis gratuitam ſuam clementiam propter Chriſtum Filium ſuum, & exigit ut Evangelio Filii ejus obedienter credamus, exigit etiam eo ipſo, ut dubitationem carnis noſtræ mortificemus, ac certiſſimam de miſericordia ſua fiduciam concipiamus, ne nos ejus promiſſionem tanti mendacii accuſemus, quantam de ea dubitationem habeamus. Et ut poſſimus certam fiduciam concipere, collocavit ſalutem noſtram, non in meritis noſtræ juſtitiæ, quæ eſt imperfecta, ſed tantùm in meritis Filii ſui, Domini noſtri, Jeſu Chriſti, cujus Juſtitia, ut eſt perfectiſſima, ita & in Dei Judicio firmiſſima & conſtantiſſima.

Inter Pœnitentiam & Contritionem eſt omninò grande diſcrimen. Etenim Pœnitentia etiam ſatisfactionis comprehendit opera, quæ adimplenda promittit & ſuſcipit Contritio: Iſta paſſim vocamus Pœnitentiæ actionem. Hoc in diſcrimine omnia ferè jam dicta fundavit etiam Lutherus. Ejus dictum, *Optima Pœnitentia eſt nova vita*, non minùs in ſatisfactiones, quàm in Contritionem videtur proceſſiſſe. Quidquid ſit, & in ejus verbis, & in adductis Confeſſionibus varii miſcentur errores. Primò, quòd fidem adſerat eſſe Pœnitentiæ partem. Eſſe Pœnitentiæ, & omnis Chriſtianæ Juſtitiæ dumtaxat exordium, radicem, & fundamentum docuit ſemper omnis ſub cœlo Eccleſia, cum qua ad iſtud Auguſtanæ confeſſionis caput Dominus tunc noſter Clementiſſimus Imperator Carolus V. & orthodoxi Germaniæ Principes, rectè reſponderunt: *Hæc*, duas tantùm partes adſignans Pœnitentiæ, *articuli pars admitti nequaquam poteſt, ſicut nec ea, quæ aſſerit fidem eſſe alteram partem Pœnitentiæ, cùm omnibus compertum ſit fidem eſſe prævium Pœnitentiæ.* Alter error eſt, quod fidem, ex qua Pœnitens purgatur & juſtus vivit, garriat eſſe vanam iſtam & pertinacem de Domini Jeſu Chriſti meritis, non fiduciam, ſed præſumptionem. De Jeſu Chriſti meritis etiam nos ſine hæſitatione confidimus, & ab ipſis non ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & omnes tam præſentis quàm futuræ vitæ promiſſiones exſpectamus: Ad omnem precem, ad omnem gratiarum actionem adſiduè ſupplicat & clamat Eccleſia, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Verùm noſtras, à Deo Patre per eumdem Dominum donatas, bonas voluntates, & ex ipſis profecta opera bona à diſpoſitiva ac præparativa in Juſtificationem cauſſalitate excludere, & de ſolis alienis benedicti Domini meritis ſine hæſitatione confidere, eſt præſumptio omninò pertinax & vana.

Error omnium peſſimus, & peſſimè calumnioſus eſt, quòd adſeverent Lutherani Contritionem eſſe ſolos ex agnito peccato incuſſos conſcientiæ terrores, aut certè ſolùm ex ejuſmodi terroribus natum & formatum de peccatis dolorem. Adversùs illam ſtatuit ſacroſancta Synodus Tridentina:

Seſs. 14. Can. 24. *Si quis dixerit duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſc. illicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel Abſolutione, qua credit quis per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.* Et rursùs: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit.* Pronuntiat adversùs ipſum Martinum Lutherum, nec non adversùs melioratæ Auguſtanæ Confeſſionis Apologum, Philippum Melanchthonem, cujus hæc ſunt verba: *Intelligunt omnes boni viri utiliter & piè reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum, & Canoniſtarum de Pœnitentia. Nam hæc dogmata apertè falſa ſunt, & non ſolùm aliena à Scripturis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis Patribus. Quòd per Attritionem mereamur gratiam. Quod ſuſcepto Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conſequatur gratiam.* A Canoniſtis & Scholaſticis Theologis traditam Attritionem errant aut imponunt eſſe ſolum gehennarum ſervilem metum, aut ex ipſo ſolo natum de peccatis dolorem: Eam rectè addunt motum eſſe ſalutariter non bonum, ideoque iſtius doctrinæ probratricem Papiſticam Eccleſiam garriunt deviaſſe à Scripturis Canonicis & antiquis Patribus, utpotè quæ doceat Pœnitentem ſine fide in Deum per ſolam operati in Sacramento operis virtutem Deo reconciliari. Et hiſce principiis nititur duodecimus per Leonem X. Pontificem damnatus articulus: *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* Quòd nempe à Luthero garriatur Contritio eſſe ſolus ſervilis gehennarum metus, motus ſupernaturaliter non bonus, ideoque juſtificantis gratiæ inſuſionem comitari aut præcedere quidem poſſit, at nullo cauſſalitatis modo prævenire.

Quod dogma eſt varia lepra maculoſum. Prima eſt jam dicta calumnia. Dei namque Eccleſia, ac per ipſam probati, ſeu recentiores, ſeu antiqui Doctores de Attritione nihil tale umquam docuere. Altera lepra eſt, quod incuſſum conſcientiæ metum velint eſſe ipſam Contritionem, ac ſine ipſo fieri non poſſe inſuſionem gratiæ: Eſt enim ſolum, & quidem extrinſecum, Contritionis exordium, ex quo iſta ſapientia, licèt ſemper in Catechumenis, in Pœnitentibus tamen dumtaxat communiter concipitur ac paratur. Nullo modo eſt pars Pœnitentiæ. Tertia lepra eſt, quòd per fidem in Chriſtum, non caſta ejus dilectione formatum ac fœcundatum Chriſtianè credendi actum intelligant, ſed pertinaciam vanæ fiuæ præſumptionis: Quo in puncto quantùm diſcedant ab avito Patrum ſenſu, eſt in Diſſertatione oſtenſum. Quartam lepram exponit memorata Confeſſio Wittenbergenſis: *Demus operam, ut generalis peccatorum Confeſſio, quantùm fieri poteſt & licet, in Eccleſiis noſtris conſervetur, idque duabus de cauſſis. Altera, ut hac occaſione privatim audiatur Evangelium Chriſti de remiſſione peccatorum, quod Evangelium eſt vera clavis regni cœlorum, & Abſolutio à peccatis: Et ut per auditum Evangelii ſeu Abſolutionis fides, vel concipiatur, vel confirmetur.* Confeſſionem vel Abſolutionem negant eſſe verum, operis operati virtute validum, novi Teſtamenti Sacramentum, ſed pium dumtaxat Pœnitentis cum Eccleſiæ Miniſtro colloquium, iterùm parturiens aut plantans peccato ſopitam fidem in Chriſtum, id eſt, memoratam vanæ præſumptionis

Cap. 4.

nis pertinaciam, qua sola impetratur remissio peccatorum.

Et ab ista pestima calumnia non solùm Tridentinum Concilium, sed & ipso priores aut coævi Scriptores Catholici Ecclesiam constantissimè expurgarunt. Etenim ad hæc Wirtembergensis Confessionis verba, *Contritionem vocamus sensum Divinæ iræ, seu dolorem & pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum*, in Catholicis tuis Scholiis scribit magnum Ordinis Prædicatorum & totius Ecclesiæ lumen, Caroli V. Augusti Confessarius, Petrus à Soto: *Adde*, ET EX VERA DEI DILECTIONE, IPSUM SUPER OMNIA BONA ÆSTIMANTE. *Sine hac verò, de qua dictum est*, DIMISSA SUNT EI PECCATA MULTA, QUIA DILEXIT MULTUM, *Contritio non est vera.* Et ad hæc verba, *Contritionem lex Dei in homine excitare solet*, pergit: *Immò reverà sola gratia concedere, juxta illud Pauli*, NEQUANDO DEUS DET ILLIS POENITENTIAM. *Sed hic ostendunt isti Doctores se non intelligere neque quæ loquuntur neque de quibus asserunt. Primò non intelligunt Catholicam doctrinam de Contritione, quam nos intelligimus veram illam conversionem cordis à peccato, quam petit sibi dari à Deo, qui dicit*, CONVERTE ME DOMINE, ET CONVERTAR, *Et tam frequenter in Psalmis*: CONVERTE NOS DEUS SALUTARIS NOSTER. *Ipsi verò Contritionem, vel certè dolorem hunc conjunctum, humanum quoddam opus humanarum virium putantes, primùm indignè sentiunt de illa, quæ tam prædicata est, & tam necessaria. Deindè magni adsertores gratiæ non docent, gratiam quærere tunc, cùm maximè necessaria est peccatori, scilicet cupienti remissionem obtinere peccati.* Et in Catholica Confessione. *Contritionem vocat Catholica Ecclesia perfectum animi dolorem de peccato, voluntati illi, qua peccare libuit, oppositum, frangentemque duritiam illam cordis, qua peccatores Divinis Præceptis & bonitati resistimus. Dolor quidem imperfectus est, ex quan tacumque & qualicumque fide procedens, & quandoque lacrymas & sensum doloris habeat, quousque ex Dei charitate, quæ veram fidem præsequitur, sine qua impossibile est placere Deo; charitate, inquam, dilectioneque illius super omnia bona & amabilia procedat, atque ita peccata, tamquam Deo opposita, super omnia, quæ odio habet, idque verè in Divinis oculis detestetur. Hæc Contritio semper, & ante legem, & sub lege, & revelatæ gratiæ tempore, ad remissionem lethalis peccati necessaria est in adultis.* Istud ipsum, quod ego in Dissertatione dixi, adserit esse Catholicam totius Ecclesiæ Confessionem. Servilis gehennarum metus, ac ex ipso solo natus de peccatis dolor reverà per comminantem Dei legem excitatur in homine, est carnalis & Judaica legis justitia, opus humanarum virium. Ejusmodi Contritionis fucum à recentioribus Scholarum Magistris tradi aut erravit aut finxit maledicus Lutherus; atque omnem in ipsis Ecclesiam pestima calumnia fœdare tentavit.

Ejusdem nobis per Augustanam Confessionem impactæ calumniæ secundum articulum eodem modo purgat strenuus Franciscanæ familiæ Theologus Joannes à Daventria: *Haud imparì mendacio nugantur tradidisse Catholicos, quod susceptio Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, sine bono motu utentis, hoc est sine fide in Christum, consequatur gratiam. Sic autem tradiderunt, & quidem catholicè, quod Sacramenta dent gratiam his, qui non ponunt obicem. Qui enim non credit, qui non flatuit secum vitam & mores corrigere, qui ex imo pectore non quærit gratiam, magnum planè gratiæ obicem ponit. Videant hic illustres Principes, & omnes cordati viri, istorum Cretensium Mœcenates, qui fortè his evidentissimis mendacis inescati sunt, & à Catholico sensu alienati, quam periculosè stent, quàm infœcundè vivant, cum mendacibus nituntur.* Quæ saluberrima admonitio meis etiam Cretensibus utinam inserviat. Quisquis enim Christum Dominum animæ suæ per castam dilectionem non ponit in fundamentum, super arenam ædificat, periculosè stat ac infœcundè vivit.

Pergit laudatus Joannes etiam ad primum articulum: *Quod per Attritionem mereatur gratiam, si rectè intelligatur, certissimum est, multoque clarissimum. Baptisma eum fide & dolore de peccatis, & cum Proposito melioris vitæ, justificat & salvat. Sic & Sacramentum Pœnitentiæ, perpetuum in necessitate Baptismum, accipientibus Christus promittit remissionem peccatorum. Pœnitentia verò, si tamen vera Pœnitentia est, non fit sine Attritione. Attritio verò, ubi charitatem & gratiam accperit, facit contritum.* Verùm quæ & qualis charitas & gratia faciunt ex Attrito Contritum? Habituali sanctificanti gratiæ prævia actualis adfectum saltem super omnia charitas, de qua prosequitur laudatus Joannes: *Adversarii ante hac, licèt solam fidem sufficere dicerent ad remissionem peccatorum sine omni opere jam tamen in hoc aliquantulum se corrigunt. Nam aliquod opus a peccatore exigunt, videlicet dolorem, quem sive ex Dei charitate, sive ex pœnarum odio nascatur, dicunt sufficere ad justificationem, modò sibi credat peccata dimitti. Catholici verò censissimi, quod nunquam remittantur peccata, nisi per justificantem gratiam, & per fidem charitate formatam, adserunt gratiam gratum facientem & charitatem esse necessariam ad reconciliationem. Nunquam inimicus reconciliatur, nisi prius diligat eum, quem prius odio prosequebatur. Nunquam ingratus agnoscit beneficium, visi prius malè affectum animum exuat, id est, inimicus & ingratus non justificatur, nisi charitate & gratia intervenientibus. Ideò tradunt non sufficere ad peccati remissionem, si tantùm timeat, & peccatorum remissionem sperat, sed quod oporteat eum ex toto corde dolere, & converti ad Deum, istà ut non tantùm timeat, sed & diligat Deum.* Dilectionis necessitatem nervosè exaggerat ac declarat.

Notanda sunt verba: *Adversarii antehac*, &c. Attestantur omnibus Hæreticis familiarem doctrinæ instabilitatem etiam Lutheranis insuisse. Etenim primæva Augustana Confessio cum suo Pseudo-Duce Martino Luthero adfirmat Contritionem non esse aliud, quàm ex agnito peccato incussos conscientiæ terrores. Et adversùs istam fabulam olim à Carolo V. Imperatore rogata pronuntiavit sacra nostra Facultas: *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi, non autem,*

ut quidam hoc ſæculo pernicioſè dicunt, terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium. Confirmavit Tridentina Synodus, definiens terrorem iſtum non eſſe partem Pœnitentiæ, hoc eſt, non eſſe Contritionem. At verò apud Auguſtam meliorata Lutherana Confeſſio fatetur Contritionem eſſe non nudos ejuſmodi terrores, ſed *in quibus dolemus non peccaſſe, & peccata deteſtamur ac fugimus*. Ut nobis impacta de utili citra bonum utentium motum, ſeu citra fidem in Chriſtum, Pœnitentiæ Sacramento calumnia, maneat firma, adfirmat Contritionem nobis eſſe ex ſolo ſervili gehennarum metu natum ac formatum de peccatis dolorem, & pergit: *Damnant & iſtos, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere, ſed contendunt contingere propter dignitatem Contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conſcientias in Pœnitentia, an conſequantur remiſſionem, & adfirmant hanc dubitationem non eſſe peccatum*. Seriis & adſiduis parentum noſtrorum, veram Attritionem non ex ſolo ſervili metu, ſed ex caſta Dei dilectione conſtare, formari, & naſci oportere clamantium inſtantiſſimè, apologiis moti tandem admiſerunt noſtræ purgationis aliquid, perſiſtentes interim in peſſima vanæ ſuæ de Chriſti Domini merito præſumptionis pertinacia, priſtinaque, non nihil tamen transfigurata, in nos calumnia, & adſeverantes non laudatam Contritionem, ſed ſolam iſtam fidem eſſe adæquatè præparatoriam cauſſam remiſſionis peccatorum. Audi calumniæ transfigurationem: *Adverſarii dicunt peccatum ita remitti, quia contritus elicit actum Contritionis Dei, per hunc actum meretur accipere remiſſionem omnium peccatorum. Hoc nihil eſt niſi legem docere deleto Evangelio, & abolita promiſſione de Chriſto. Tantùm enim requirunt legem & noſtra opera: Quia lex exigit dilectionem*. Ex ſervili gehennarum metu concepta imperfectam Contritionem de hypocriſi & peccati augmento accuſare non audent, degradare tamen & circumſcribere nituntur ex alio principio: Eſſe dumtaxat ex lege juſtitiam, ideòque non infuſum Dei donum, & ſupernaturaliter bonum motum volunt adeò contumaciter, ut etiam idipſum garrire non erubeſcant de ejus formatrice & genetrice caſta Dei dilectione. Eam eſſe volunt, quod etiam Lutherus dixit, dumtaxat naturalem, revera legis effectum, & opus merè humanum. Audi fundamentum: *Non priùs ſupernaturalis & caſta Dei dilectio adeſt, quam ſi fide reconciliatio facta. Lex enim non ſit ſine Chriſto, juxta illud*: PER CHRISTUM HABEMUS ACCESSUM AD DEUM. Omnia ante juſtificationem opera volunt eſſe peccata, ideoque veram & caſtam, quæ non agit perperam, Dei dilectionem ante illam adſerunt non poſſe ineſſe. Ita nos gratis per ſolam de Chriſti Domini merito fiduciam, circa quamvis noſtram cooperationem, volunt juſtificari. *Contritionis* præſertim *dignitatem* volunt nullo pacto cooperari: Ut Martinus Lutherus, qui nos ſuper eam, uti ſuper alteram impetrandæ juſtificationis cauſſam, ædificantes blateravit ædificare ſuper arenam, mendax non reperiatur. Adversùs quod dogma-

tis monſtrum rectè exclamat laudatus Joannes Daventrienſis: *Audiſti abſurda, audi nunc abſurdiora. Adverſarii ſine charitate adſerunt peccatorem juſtificari, quia dilectio, ut eorum verbis dicamus, non adeſt, niſi priùs facta ſit reconciliatio. Non video, an quidquam dici poſſit ineptius*.

Quæ omnia conſiderans, & inter ſe conferens laudatus Frater Joannes, rectè adjungit: *Facilè inter Adverſarios & Catholicos lis componeretur, ſi vellent illi ſibi ipſis conſtare, & Scripturis credere. Fidem faciunt alteram Pœnitentiæ partem, quam non ex conſenſu Scripturarum eſſe Pœnitentiæ cauſſam probavimus. Nota hic quod dicunt de fide in Chriſtum, & deindè quod decernit ſanctus Auguſtinus, aliud eſſe credere Deo, aliud in Deum, quodque illud multorum etiam dæmonum, illud pauciorum ſit, eorum ſcilicet qui fide in Deum tendunt. Fide autem tendere in Deum nihil aliud eſt, quàm benefaciendo, obſecrando reconciliationem & unionem cum Deo quærere toto pectore, quod tunc demùm contingit, cum pœnitentibus & petentibus dabitur Spiritus Sanctus, per quem & charitas diffunditur in cordibus eorum*. Circa quæſtionem hanc adfirmat nos & Lutheranos diſtare modico intervallo: Omnem litem eſſe de ſignificato harum vocum, *Fides in Chriſtum*. Illi pertinacem vanæ de ſolo Domini merito præſumptionis fiduciam, nos eſſe volumus caſtam Dei dilectionem, ſeu fidem tali dilectione formatam ac fœcundam. Hanc & ipſi admittant ſignificari iſtis vocibus, ac eſſe palmaream, & obtinendæ peccatorum remiſſioni quàm maximè neceſſariam neceſſariæ Contritionis partem, erimuſque populus labii unius & ſermonum eorumdem. Erit pax etiam inter me & meos Accuſatores. Ex huc uſque dictis interim vides ab opinione illa, quæ Chriſtianam Contritionem in ſolo per ſolum ſervilem metum nato & formato de peccatis dolorem ſiſtens, adſerit Pœnitentem ſine caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectione poſſe reconciliari, impingi in Lutheranum Auguſtanæ Confeſſionis dogma, & peſſimam ab ipſa nobis adfrictam calumniam maniſeſtè verificari. Imitor ſanctum Patrem noſtrum Auguſtinum, qui à Juliano Pelagianiſta, ipſum accuſante de Manichæiſmo, demonſtravit Manichæum inſigniter adjuvari.

CAPUT III.

Quod caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectio ſit Chriſtianæ Contritionis pars eſſentialis & præcipua, demonſtratur ex orthodoxis Doctoribus, per quorum Scripta de Martino Lutbero Eccleſia uſque hodie triumphat.

SIne caſta Dei adfectu ſaltem ſuper omnia dilectione eſſe non poſſe veram Contritionem, abundè nobis dixerunt Joannes Daventrienſis, & Petrus à Soto, addens adſertionem hanc eſſe unum ex immobilibus fidei Chriſtianæ fundamentis. Eximias hujus Petri laudes, ejuſque numquam ſatis prædicanda in omnem Eccleſiam merita videre poſſis in Nicolai Sanderi opere de ſchiſmate Anglicano. Eiſdem adſtipulatur per Hermannum Archi Epiſcopum celebrata adversùs Lutherum Colonienſis Synodus: *Prima Pœnitentiæ pars eſt Contritio, quam Eccleſia vocat*

vehementem animi amaritudinem, & intimum dolorem conscientiæ, quæ Deum peccatis tractet sentit, & se peccasse graviter dolet, cum voto vitæ in melius commutandæ. Eam ex servili gehennarum metu, ex considerata peccatorum fœditate ac multitudine, aut ex aliis ejusmodi principiis dicit concipi, & prosequitur: *Neque tamen putandum est hunc timorem servilem, qui ex metu supplicii ducit originem, & horrorem incutit peccatorum, Pœnitentiam totam absolvere. Quin potius is solus adeò non sufficit, ut & exitialis sit, quod desperationem gignat, nisi proficiat ad spem per contemplationem misericordiæ Divinæ, & succedat fides illa secundùm tertiam credendi rationem, quæ accedens demùm facit, ut timorem servilem comitetur timor Filio dignus, cui commissa displicent, non jam quod pertrahant ad gehennam, sed quod Patrem optimum, & sic de nobis meritum offendant, quale videre est in filiis, qui graviter in parentes deliquerunt. Primùm enim ex metu pœnæ seu plagarum oderunt peccatum, deindè paternæ pietatis memoria subeunte, ubi fiduciam veditus in gratiam cæperint, etiam ex amore præterita commissa detestantur, sic ut etsi nullus deinceps immineat pœnæ metus, tamen scientes rursùs admittere nolunt, quod parentes illorum offendat.* Adversùs Lutheri, nos solà in Christum fide justificari quasi ex Apostolo blatarantis insanias, triplicem, qua Deum, Deo, ac in Deum credimus, fidem distinguit ex sancto Augustino, & adjungit: *Prima credendi ratio seu fides, si solam accipias, infirma est, & velut adhuc mortua. Altera, qua Deo tantum credimus, necdum tamen erga Deum religiosa pietate adficimur, thanc i Sed tertia, qua in Deum credimus, ploque adfectu in ipsum tendimus, ea demùm vivida atque integra fides est.* Primam & secundam consistere in intellectu, & spiritalis ædificii adfirmat esse exordia, pergitque de fide tertia: *Secundùm tertiam credendi rationem etiam in voluntate est, quod actio fidei sic accepta, quod sit credere, fidere, & adhærere Deo, non solo intellectu, quem fides illuminat, sed & voluntate, quam accedente charitate inflammat, perficiatur. Jam etsi fides, spes, & charitas sint tria dona Spiritus, & singula suas distinctas habeant rationes, tamen hoc constat, eam fidem, qua in Deum credimus, quæ sola efficax, sincera, integra, & salutifera est, nec infundi, nec accipi sine charitate.* Multis hæc confirmat. Et hanc tertiæ rationis fidem esse Contritioni essentialem adseverat, atque prosequitur: *Hæc ergo fides, cum timore filiali conjuncta, veram Pœnitentiam à falsa separat, & discrimen facit inter Contritionem impii, & verè pœnitentis. Impius enim concepto timore servili ex metu supplicii, atque ibi confitens, in desperationem adigitur, quod videre est in Cain, Pharaone, Saul, Achab, & Juda traditore. Sed quos in hoc dolore confitutos Deus clementer respicit, hi cùm ex timore per fiduciam misericordiæ ad timorem filialem fecerint gradum, tum demùm ad veram Pœnitentiam contristantur. Videsergo, quemadmodum confideratis justitiæ & Judicii Divini, accedente fide historicæ, qua Deum credimus, Pœnitentiam inchoet, consideratio verò bonitatis Divinæ, ex amoris adfectu procedens cum fiducia misericordiæ, Pœnitentiam formet.* Adversùm Lutheri, ex servili metu conceptam Contritionem de hypocrisi & peccati augmento damnantis, fabulas adjungit: *Haud inficiamur sanctiorem esse Pœnitentiam, quàm timor filialis, in bonitatem Dei respiciens, incboat & formet; sed quoniam hæc est fragilitas & imperfectio nostra, ut non facilè ad bonitatem Dei oculos nostros attollamus, nisi priùs tram senserimus, idcirco sanctis Patribus rectè placuit Pœnitentiæ doctrinam à timore servili non inepte ordiri.* Ex servili metu castam Dei dilectionem concipi, veramque ab ipsa formatam Contritionem esse impetrandæ justificationi penitùs necessariam, ex Sanctis Augustino, Ambrosio, Basilio magno, magno Gregorio, Hieronymo, & Cassiodoro ostendit ingeniter, & concludit: *Breviter in hanc sententiam omnes pii descendunt.* Eam solam fideli populo prædicari mandat: ejusmodi Contritionem ait esse infundendum à Deo donum, ideoque perseveranti precum & lacrymarum ad Divinæ clementiæ januam pulsu postulandum per solo adhuc servili metu concussos peccatores. Ante ejus obtentum nemini vult Divinæ Reconciliationis Sacramenta impendi; Et his omnibus non contenta Synodus resumit doctrinam suam, contrahitque in anacephalæosin: *Hanc articulum, qui de Contritione est, semel absolvamus. Multa sunt quæ ad veram Contritionem requruntur. Primò, necesse est ut homo concipiat odium peccatorum, non hujus vel illius, sed omnium quæ Deum offendunt. Secundò, Contritionem amarulentam & gemebundam esse oportet, qualis fuit pœnitentia David. Tertiò, non oportet leviter transmittere peccata præterita, sed eadem agnoscere, & memoriam eorum perseverantèr retinere. Quartò, ad Contritionem pertinet votum vitæ in melius commutandæ. Quintò, postquam de omnibus peccatis tuis graviter & ex animo doluerit, dicsque tuos in amaritudine animæ tuæ recognoveris, ac firmiter in corde tuo statueris desinere a malo & facere bonum, tum fides accedere debet Contritioni.* Tertiæ rationis fides, *qua fiducia Divinæ misericordiæ rursùm erigarit, & consolationem accipiat, confisus tibi fic adfecto peccata tua propter Christum remissum iri. Nam hæc fides Contritionem perficit, atque discrimen facit inter Contritionem pii & impii, Petri & Judæ.* Ex solo servili gehennarum metu citra fidem in Deum, seu castam Dei super omnia dilectionem formata Contritio apud hanc venerandam Synodum est Judæ Contritio, non Petri.

F. 122. 113. 124.

Quòd ipsum in Catholico adversùs Lutherum Catechismo constanter & nervosè docet laudatissimus fidei orthodoxæ pugil Michael, Episcopus Mersburgensis. Alios pœnarum metu, alios considerata peccatorum fœditate, alios pio in Deum aut ejus opera adfectu, alios aliis viis ostendit excitari ad veram ac salutarem Pœnitentiam, atque adjungit; *Hic quidem foret modus optimus ex Dei amore à peccatis desistere, ac proindè foret optandum, omnes nos ea potiùs nomine horrere & vitare peccata, quod ex amore Deum nolimus offendere; quàm pœnæ formidine à peccato abstinere. Utinam omnium hominum animi amore ejusmodi flagrarent, possentque ex animo dicere, quod quidam Deo devotus & integer Christianus quandoque dixit ad Deum:* PRÆSTA MIHI DOMINE DEUS, UT DILIGAM TE, ATQUE SIC, ETIAMSI DAMNANDUS SIM, POENAM IPSAM MINUS MOLESTE FERAM. *Verum non omnis-*

um animi sunt ita constituti, ut ex amore Dei respiscentiam & conversionem auspicentur, magisque se peccasse doleant, eò quòd Deum peccatis suis offenderint, quam quòd supplicium pertimescant. Hoc itaque rarum & infrequens est conversionis & pœnitentiæ genus, ea autem usitatissima ratio est Pœnitentiam seu Contritionem obtinendi, ut ferè quis perpendat multitudinem & enormitatem suorum peccatorum, & simul in memoriam sibi redigat minas gravissimas, quas variis Scripturæ locis intentat Deus impiis & peccatoribus. Considerat quoque severum illud & formidabile Dei Judicium, quas calamitates & terrores impii in suis sentient conscientiis, ubi terribilis illa & irrevocabilis Christi sententia in eos fuerit prolata: ITE MALEDICTI IN IGNEM ÆTERNUM, QUI PARATUS EST DIABOLO ET ANGELIS EIUS. *Ex hujusmodi consideratione utique necessarium est timorem in animis hominum insidere: A timore autem concipitur Pœnitentia, ut Augustinus ait. Et sapiens inquit:* QUI SINE TIMORE EST, NON POTEST JUSTIFICARI. *Cæterùm hic timor, qui ex peccatorum & supplicii consideratione hauritur, necdum est vera illa Contritio, quæ Deo accepta est, & qua ad misericordiam commovetur, quæque impetrat remissionem peccatorum. Nihilominùs tamen est insignis minister veræ Contritionis, utpotè ad veram Pœnitentiam deserviens ac perducens. Nam hic servilis timor primùm reprimit in nobis peccata, facitque cessare à vitiis, qui est gradus ad veram Pœnitentiam & Contritionem.* Ex servili timore ait tandem concipi de peccatis dolorem & pergit: *Nec jam solùm ea de causa dolet, quod pœnam peccando commeruerit, sed multò magis eo nomine, quòd Deum offenderit. Immò jam de pœna tantoperè solicitus non est, cùm ultrò se obtulerit ad perferenda quæ ipsi Deus pro peccatis imposuerit, tantùm ut favorem & amicitiam Dei queat recuperare. Atque hic est verus & castus timor, cùm ex amore Deum timere incipimus, exoriturque hinc vera illa Contritio, quam Deus vult valere ad veniam peccatorum.* Veram Contritionem sine casta Dei dilectione esse non posse, & hanc ex servili metu, & aliis ejusmodi humillibus obstetricationibus posse concipi & parari adfirmat adversùs Lutherum, & concludit: *Hunc Contritionis obtinendæ modum omnes Catholici Patres tradiderunt.* Fuisse à Tertulliano, Sanctis Basilio & Chrysostomo, immò & sanctis Prophetis atque Apostolis traditum demonstrat, pergitque in Catecheſi ſequenti: *Sola formidine terreri ob peccata, furum flagitiosorumque est Pœnitentia, nec meretur gratiam aut remissionem à Deo.*

Adſtipulatur & alter doctissimus ac sanctissimus novellarum apud nos hæreſeon debellator, ex Rumemondensis primo secundus Gandavensis Ecclesiæ Episcopus, Guilielmus Lindanus: *Facessat novum illud novæ Contritionis figmentum, quod meros animi terrores & conscientiæ carnificinas somniat, quasi verò hisce rebus perficiatur Contritio, non incboetur tantùm. Quare dum Adversarii istos horrores omnibus Scripturæ locis adsignant, & suis semper subtrudunt, quid aliud quàm ad servilem eos metum adligant? Proindè Catholici rectiùs Augustini doctrinam sequti, aliorumque item cæterorum veterum, hoc contriti cordis sacrificium à perhorrenda tremendi illius judicii severitate exorsi mores veteres in meliùs jubent commutare.* At verò & juxta hunc, qui circa expositam à multis Contritionem noluit copiosiùs scribere, magnum Epiſcopum, & juxta ejus Magistrum sanctum Augustinum, mutatio morum est mutatio amorum: Opùs est mentis transitu à mundi fornicario ad amorem Dei castum. *Non faciunt*, inquit in literis ad Comitem Macedonium sanctus Augustinus, *Bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.* Similibus hujus veritatis testibus producendis nolim fatigare Lectorem: Sunt innumeri. Quibus fidem quicumque abrogat, Martinum Lutherum, quòd adversùm sancti Augustini Accusatores de Pelagiana hæreſi dixit etiam sanctus Prosper, adfirmat malè deviſtum, & falsis huc usque victoriis de ipso Ecclesiam triumphasse.

Ep. 32.

Præterire tamen nolim Pii V. Pontificis justu pro Tridentini Concilii intellectu compositum atque vulgatum Catechiſmum Romanum. Ad Pœnitentiæ virtutis, quæ Contritionem est omninò essentialis pars, actum adfirmat concurrere motus varios: Fidem, servilem gehennæ metum, veniæ spem à Divina misericordia, melioris vitæ Propositum, ac tandem *corda nostra accendentem charitatem, de qua liberalis ille timor, probis ac ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei Majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omninò deserimus.* Essent ialem Contritioni dolorem adfirmat illum, *quo* non ex incursu gehennarum reatu, sed *ex amissa Dei gratia & innocentia*, quod palàm est castæ dilectionis, *adfirmat.* Pergit: *Summum & maximum dolorem ex peccatis, quæ commissa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit, facilè erit hisce rationibus demonstrare. Nam cùm perfecta Contritio sit charitatis actus, quæ ab eo amore, quo filiorum est, proficiscitur, patet tundem Contritionis & charitatis modum statuendum esse. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc sit ut Contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat. Ut enim maximè diligendus est Deus, ita quæ nos à Deo alienant, maximè detestari debemus.* Charitatis & Contritionis magnitudinem eodem loquendi genere significari in ſacris literis, rectè obſervat: Ut namque Deum ex toto corde diligere, ita ex toto corde ad ipsum jubemur per Pœnitentiam converti. Uti Divinæ charitati, juxta S. Bernardum, *Nullus est finis, aut modus, sed Dei diligendi modus est diligere sine modo*; ita *peccatorum detestationi* adfirmat *nullum modum definiendum.* Esse jubet *non solùm maximam, sed & vehementissimam, atque adeò perfectam, omnemque ab ipsa ignaviam & socordiam excludi.* Loquitur non de quavis, sed de sola Contritione perfecta, *quam statim & ut mentibus nostris concepimus, tribuitur nobis à Deo remissio peccatorum:* Quam sacrosanctа Tridentina Synodus definit etiam ante actualem Sacramenti susceptionem justificare. Hinc iterùm Catechiſmus: *Si id minùs consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen & efficax Contritio esse potest.* Contritionem & Dei dilectionem rectissimè adserit ambulare eisdem magnitudinis & quantitatis passibus, ideoque esse Contritionis species seu classes, quot sunt dilectionis. Quare uti hæc, ita & illa alia nata, quædam nutrita, alia adulta, robusta alia, alia perfecta. Et hæc esse debet sine fine & modo, ex toto corde, vehementissima, maxima, excludere

Part. 2. cap. 5. n. 1.

Num. 26.

Num. 30.

Num. 27.

In Paenopl.

omnem socordiam atque ignaviam, id est, omnem adfixivum cupiditatis adsensum.

CAPUT IV.

Servilis Attritio ostenditur esse duntaxat hesternum commentum.

ADversùs Praxeæ, hesterni tunc hæretici, novellitatem scribit Septimius Tertullianus:

Cap. 2. *Adversùm universas hæreses jam hinc præjudicatum*
Cap. 31. *sit id esse verum, quodcumque primum; id esse adulte-*
35. *rum, quodcumque posterius*. Posteritatem mendacio deputandam demonstrat item in libro Præscriptio-

Cap. 1. num. Et in libro adversùs Hermogenem: *Solemus hæreses compendii gratia de posteritate præscribere*. Ex hac regula & Paulum Apostolum, ad fidei & prædicationi suæ conciliandam auctoritatem Antecessorum, apud Hierosolymam degentes Primates Apostolos accessisse, & cum illis contulisse

Cap. 2. scribit in quarto libro adversùs Marcionem. Non opùs est multis testimoniis: Vocum novitatem ipse laudatus Apostolus damnat & proscribit. Adeò firma est hæc præscriptio, ut antiquitatis, æternæ nostræ veritatis ignari Gentiles adversùm

L. 2. nos dixerint apud Arnobium: *Ante quadringentos annos Religio vestra non fuit*. At verò formatæ per solum fervilem gehennarum metum Attritionis opinio est adeò nova, ut de ipsa dici fermè queat, quod de novis suo tempore doctrinis scripsit laudatus Tertullianus: *Earum homines adhuc ambulant*. Testem adduco in suis ad Robertum Cardinalem Pullum Scholiis virum doctissimum Hugonem

Part. 5. Matthoud. Hæc sunt verba Pulli: *Pœnitentiam*
c. 31. *plerumque parit timor in illo, qui timet ardere, non peccare. Vir certè malus: Quoniam vir bonus plus horret culpam, quàm gehennam. Ille prævidens pœnam reprimit culpam: Si impunè liceret, repressam exerceret. Nec potest bonus esse, qui quis illicita vellet, si auderet. Quodam enim modo id cujusque voluntas affectat, quidquid solùm ex necessitate recusat. Nam quod coactus facit, id te facere verum est, id te velle falsum est. Qui ergò ex timore pœnitet, adhuc est servus, quoniam flagra formidat; nondum filius, qui patrem amans spevat hæreditatem. Quamobrem quisquis, dum pœnitet, solùm timore angitur, nondum per Pœnitentiam veniam meretur. Verùm qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi necessitatem inculcet, is cum Pœnitentia largietur amorem, ut fit Pœnitens venia dignus*. Omnem meæ Dissertationis doctrinam compendio tradit, & ad ista verba scribit laudatus Hugo: *Ex his Roberti verbis, & ex aliis suprà relatis liquidò constat Attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, ut veram Sacramenti partem, nec voce tenùs nec significato, veteribus & Pullo coætaneis Authoribus innotuisse, ut meritò in confessionis Instructorio scripserit Lopez illius opinionis parentes fuisse Melchiorem Canum, & Henricum quemdam Salamanticensis Academiæ Doctorem, qui putant dolorem illum, quo solo metu inferni peccator concutitur, etiam sic cognitum, nec altiùs elevatum, sufficientem esse dispositionem, ut accedente Sacramento justificantem gratiam consequatur. Sed ut nova hæc opinio, sic periculosa, & tantùm Scripturæ detrahens, quantùm Sacramento concedere putat*.

Ludovici Lopez, avitam Ecclesiæ de Contritione sententiam antea complexi, hæc sunt verba: *Sed jam præcedente lumine Concilii Tridentini, & quia industria Doctorum aliquæ veritates magis illustratæ sunt, audeo & hanc statuere conclusionem; Probabile est, & non parùm veritati & Tridentino Concilio consona opinio affirmativa, scilicet quod ad justitiam & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ satis est Attritio cognita, etiamsi Pœnitens non existimet probabiliter eam esse Contritionem*. Ad quæ verba in doctissimo de Pœnitentia opere scribit vir eruditissimus Joannes Morinus: *Hanc sententiam asserere probabilem, tum illi visum est aliquid insolitum audere*. Et addit causam: *Hæc quæstio planè nova est, & omnibus Scholasticis ante hoc sæculum incognita, ut rectè adnotavit Alexander Pesantius, videlicet, An Attritio ex sola formidine pœnæ concepta, & Sacramento conjuncta, dilectionem suppleat, ita ut hoc modo habitualiter justificatus dilectionem illam, salutis obtinendæ causa elicere nullo unquam temporis momento teneatur. Melchior Canus primus hanc quæstionem excivit, & cum propria formula proposuit. Dominicus Soto, & Andreas Vega eam paulò antè subscurè attigerant. Nunc autem, & ab aliquot annis Scholas omnes pervasit*. Et rursùm: *Antiqui Scholastici omnes usque ad annum millesimum quingentesimum, ut Patres præteream, longè expressius, liberalius, & magnificentiùs de obligatione dilectionis Divinæ statuerunt, ut vel ex ipsis recentioribus colligitur, dum eos refutant*. Adfirmat fervilem Attritionem ab istorum nullo fuisse etiam cum Sacramento judicatam obtinendæ justificationi sufficientem.

Lib. 4. c. 18.

Hæc sua verba, *An Attritio dilectionem Dei suppleat*, etiam exponit: *Sententia ista videtur necessariò sibi supponere, velut fundamentum, hanc doctrinam. Posse hominem solo habitu gratiæ, sine ullo dilectionis Dei motu, in hac vita non modò justificari, sed etiam recipi in cœlum*. Et infrà: *Ex isto justificationis modo consequi probabiliter videtur homines adultos, qui per actus proprios se à Deo averterunt, justificari tantùm habitualiter, more infantum, sine conversione ad Deum. Qui enim Deum actu odit, non videtur converti, nisi actu amaverit*. Quòd servilis Attritio non sit Pœnitentia ad Deum, sed ad semetipsum conversio, ipsi primi ejus Dogmatistæ fatentur, ideoque ipsam adseverant per Sacramentum proficere in Contritionem, vel potiùs in Contritionis effectum, remissionem peccatorum. Adseverant Pœnitentiæ Sacramentum ac ejus operatum opus esse tantæ virtutis, ut habitualem laudatæ remissionis justitiam, uti Baptisma facit in parvulis, det fine justitia operum: Etenim servilis Attritio non est per Jesum Christum justitia, sed ex lege. Sola casta justitiæ dilectio est justitia Christiana. Et adversùs portentosum hocce dogma dixit Hugo Matthoud: *Nova hæc opinio tantùm Scripturæ sacræ detrahit, quantum Sacramento concedere putat*. Nihil enim lucidiùs ac frequentiùs inculcant Prophetiæ, Evangelicæ, ac Apostolicæ Scripturæ, quam neminem adultum fine vera cordis per castam Dei dilectionem conversione justificari. De Martino Luthero, qui anno millesimo quingentesimo decimo septimo cœpit blaterare, in plenam necdum insaniam lapso scribit in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius, ejus talis qualis

Symmi-

A.1254. Symmista: *Martinus Lutherus, Theologus consummatus, profundus, ac incomparabilis, sacram Theologiam ad fontalem dignitatem, primævamque puritatem, nec non Evangelicam, finceram, simplamque suam innocentiam & integritatem, omni prorsus Philosophia sæculari explosa, reducere conatur.* Agebat Lutherus in novellos tunc Scholasticos, quos post annum millesimum quingentesimum cœpisse in Divinæ dilectionis obligationem esse iniquiores ac laxiores audivimus à Joanne Morino. In plenam insaniam seductus paucorum scabiem adtricare cœpit cunctis, atque ita omnem Ecclesiam, quasi Pœnitentes, sine bono mentis motu, per solum Sacramenti operatum opus justificari traderet, est pessimè calumniatus. Et hanc calumniam novellum Melchioris Cani dogma manifestè confirmat. De Fortunatiano Aquilejensi Archi-Episcopo, eujus quædam opera memorat, addit in Ecclesiasticorum Scriptorum catalogo

Cap. 29. sanctus Hieronymus: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium, Romanæ urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Hoc ipsum ego ob intrusas in Ecclesiam has vocum novitates dicere haud verear de viro doctissimo Melchiore Cano. Lutheranam enim de Ecclesia calumniam verificare non est leve crimen.

Authenticum dogma edere debet suorum natalium origines, Doctorum suorum ordinem usque ad ipsos Apostolos, atque ita ex decurrentibus ab initio successionibus demonstrare legitimam suam cum Evangelio consanguinitatem. Authenticum dogma nos à nostris Episcopis, hi à suis Majoribus, illi acceperunt ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo. Omne posterius quid est aliud, nisi filius fine Patre, tiro fine Principe, discipulus sine Magistro? De omni novo dogmate dici possit ac debeat, quod de Gnosticorum fabulis per ironiam scripsit in Præscriptionum libro Tertullianus. *Aliquot Marcionitas aut Valentinianos liberanda veritas exspectabat. Interea perperàm evangelizabatur, perperàm credebatur.* Et hinc Beatissimo Patri nostro Alexandro VII. qui à pestima Christianum hominem ne semel quidem in vita ad Deum expressè diligendum adstringi gariente, quorundam Theologorum fabula, tamquam fœdissima ruga, liberavit Ecclesiam, libet rursùs adclamare ex animo: *Annos de nostris.* Etiam à libero servilis Attritionis per simplices animas discursu confidimus liberandam. Malum enim proficit in pejus. Sunt qui etiam putatam dumtaxat attritionem putent eum Sacramento ad justificationem sufficere, de quibus laudatus Joannes Morinus: *Video hodiernos Doctores hanc sententiam passim refutare. Ut nunc tamen sunt homines, periculum est, ne tandem apud multos obtineat, si celebris aliquis Doctor illius defensionem semel amplectatur. Homines enim ut plurimum in caussa relaxationis disciplinæ, & severitatis morum minuendæ, ita comparati sunt, ut qua data porta, flatim ruant.* Pauci anni sunt, ex quibus quispiam in Iprensis Ecclesiæ Seminario Theologaster nullum penitùs, ne quidem naturalem, dolorem tradidit requiri ad Pœnitentialis Sacramenti valorem, sola peccatoris Confessione & Sacerdotis Absolutione gatriens compleri. Et quosdam in errorem seduxerat, multos in dubitationem. Æternâ memoria dignus est D. Judocus Bouckart, laudatæ Ecclesiæ tunc Episcopus, qui impressas istas conclusiones defendi vetuit, atque damnavit.

Pergit Joannes Morinus: *Nondùm omninò certum est & exploratum, Attritionem illam cum Sacramento ad impii justificationem sufficere, cùm hactenùs nullo Ecclesiæ Decreto hoc declaratum fuerit.* Pœnitentialis Administrationis Historicum, nullius fermè conclusionis adfertorem agit vir prudens ac eruditus, ideoque nullam, licèt in animo suo damnatissimam, opinionem verbis apertis damnat: Adserit tamen *antipitem esse sic justificati salutem.* Quod ipsum, de taliter præsertim in mortis articulo justificatis, adfirmat Franciscus Suarez, Joannes Sanchez, Paulus Comitolus, aliique plures ipsius etiam servilis Attritionis defensores. Adeò per ipsam ajunt nullum moribundum justificari, ut etiam velint novo omnem talem maculari mortali peccato. In ipsis suorum patronorum oculis tam monstrosa est hæc Attritio. Nec sine fundamento. Etenim de Catechumeno apud Ecclesiam Catholicam, an apud Donatistas baptizari hæsitante, & Baptismum in ista rectè suscipi habente certum, ambigente autem an & apud hosce rectè suscipiatur, in libris de Baptismo scribit sanctus Augustinus: *Si dubium haberet non illic rectè accipi, quod in Catholica* Lib. 1. c. 3. *rectè accipi certum haberet, gravitèr peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incertæ præponat.* Et infrà in eodem libro: Cap. 5. *Accipere in parte Donati si incertum est, esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Necessitatis præsertim Sacramento incertam & dubiam, certa relicta, adhibere materiam, formam, aut Ministrum, dicit esse mortale peccatum: Cui Doctor Angelicus, Scholastici omnes, & ipsum naturæ lumen adstipulantur. Ergo non in solo mortis, sed in quovis articulo quisquis cum sola servili Attritione cognita Baptismatis aut pœnitentiæ Sacramentum suscipit, & animam suam & ipsum Sacramentum exponit periculo, atque ita in ipso perit. Adeò monstrosa Pœnitentia est ista servilis Attritio. Ejus patrocinium Hugo Matthoud rectè dixit esse, uti novum, ita & periculosum.

CAPUT V.

Edita nuper Dissertatio à variis Accusationis capitibus expurgatur.

ANtiquam formandæ & prosequendæ accusationis regulam exponit nobis septima Synodus Carthaginensis: *Quotiescumque Clerici ab* Cap. 3. *Accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex his, de quo priùs egerint, probare non valuerint, ad cætera* probanda *jam non admittantur.* Ex ipsa & ego agere velim adversùm meos Accusatores: Aliquot purgare articulos, reliquos Divino Judicio, & benigno Lectoris animo commendare.

Prima Accuſatio dilui tur.

PRimum accuſationis caput eſt, quòd voce, *Attritio*, abutar adverſùs communem intellectum, affirmans, ut vera ſit, debere eſſe germanam Dei, & quidem affectu ſaltem ſuper omnia dilectionem. A quorundam hodie laxonum cogitationibus me recedere crediderim facilè; verùm ab avito Sanctorum Patrum intellectu & phraſi ſcio me non deviaſſe. Etenim de perfecta Contritione ſcribit in ſecundi Pſalmi commentario ſanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *Contritio illa ſive confractio eſt, quæ in nobis corporeas voluptates, & ſæcularium vitiorum incentiva comminuit, dignoſque nos dignatione Domini præſtabit, & ſecundùm dictum Prophetæ, cor contribulatum & humiliatum Deus non ſpernet.* Et in vigeſimi tertii Pſalmi Commentario S. Baſilius Magnus: *Contrito cordis demolitio eſt, & ſuppreſſio humanarum cogitationum. Quicumque enim præſentia deſpexerit, ſeque Verbo Dei addixerit, & ſuam ipſius mentem ita contraxerit intelligendi, quæ ſupra hominem & longè diviniora ſunt, hic demum eſt qui tribulato, ſive contrito eſt corde, quippe ſacrificium obtulit quod minimè contemnitur apud Dominum:* Et in ſuis de rectè inſtituenda vitæ doctrinis B. Archimandrita Dorotheus: *Contrito cordis eſt, ſi id vagari non permittas in alienis & vanis cogitationibus.* Etiam veſtræ Venetiæ ſanctiſſimum Patriarcham Laurentium Juſtinianum nolim præterire: *Primum Sacrificium, propter quod homo ad perfectam proficit juſtitiam, eſt ſacrificium contriti cordis pro perpetratione ſcelerum ſuorum. Nam Contritio ſola eſt, quæ facit animam abhorrere purpuram, deſiderare cilicium, amare lachrymas, fugere ipſum, & veram ſectari juſtitiam.* Et in centeſimi quadrageſimi ſexti Pſalmi enarratione S. Auguſtinus ſcribit Contritionem duris ac diſtortis cordibus eſſe propriam, ipſaque per eam Divinæ legi, tanquam æquali pavimento diſtorta ligna, coaptari. Perfecta Contritio perfectam involvit charitatem, ex ipſa procedit, ac per ipſam formatur, ideoque omnes originalis libidinis, licet non motus, tamen aſſixivos aſſenſus excludere non tantùm debet, ſed & ſuperaſſe: Eſſe debet ſuper omnia iſta, non ſolo affectu, ſed viribus inſuper & effectu. Hinc omnes ab illa corporeas voluptates & ſæcularium vitiorum incentiva, omnes alienas ac vanas cogitationes, purpuram & quoſvis ſæculi honores comminui, ſupprimi, ſanari, abhorreri, & mentem noſtram plenè, quantùm fert præſens vita, Divinis complanari Regulis, laudati Patres affirmant. Eam eſſe ſcribunt primum & palmare ſacrificium: Quòd omne fœnum lignum, ſcoria, & ſtipulæ per ipſam exurantur, noſque in purum, juxta præſentis juſtitiæ modulum, argentum emundemur & aurum. Eſſe ajunt ſacrificium quod apud Dominum minimè contemnatur: Quòd per ipſam ſtata lege, etiam ante Baptiſmatis aut Pœnitentiæ actualem ſuſceptionem, fiat reconciliatio peccatoris, deturque remiſſio delictorum. Ex iſtorum Patrum, ſanctì præſertim Auguſtini, authoritate, hocce definivit ſacroſancta Synodus Tridentina. Magnus Baſilius ac B. Dorotheus utuntur voce, λόγισμος, non quamvis cogitationem, ſed accuratam conſiderationem ſeu ratiocinationem ſignificante: Eam ad profectas ex iſtiuſmodi alienis & vanis cogitationibus, palàm affixivas, cupiditates ſignificandas uſurpant, adeoque hasomnes & ſolas à perfecta Contritione volunt ſupprimi & aveliì. Et ſolam hujuſmodi Contritionem è ſanctis Patribus multi laudaverunt. Quod enim gravioribus peccatis Sacramentale Reconciliationis beneficium lapſis non niſi ſemel impenederet antiqua Eccleſia, multorum annorum, imò & totius quandoque vitæ præmiſit in cinere, ſacco, & omni humilitatis genere Pœnitentiam, quæ omnem affixivæ cupiditatis ſcoriam plenè decoqueret, ac peccatorem tranſmutaret in virum perfectum, qui recipiendæ juſtificationis ſtolam ab omni deinceps graviori macula ſperaretur uſque ad eximum cuſtoditurus. Verùm paternæ diſciplinæ fuit hæc rigida ſanctitas, non Evangelicæ neceſſitatis. Et omnis germana Contritio non eſt tantæ virtutis. Uti non quævis charitas, ita non quævis Contritio eſt perfecta. Alia eſt dumtaxat nata, alia dumtaxat nutrita, alia dumtaxat adulta, alia dumtaxat robuſta. Et hæſce ſpecies ſeu claſſes, quod in diſtorto ſeu durato per peccata corde non quævis, ſed groſſiores dumtaxat affixivas cupiditates frangant, poſteriorætas vocavit Attritionem. *Inter fractionem & comminutionem ſeu Contritionem*, inquit Angelicæ Summæ ſupplementum, *in rebus materialibus, undè hæc nomina ad ſpiritualia transferuntur, hoc intereſt, quòd frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes diviſduntur; ſed comminui vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in ſe ſolidum erat.* Nimia Chriſtiani populi multitudo, & multa Romani Imperii, adeoque & Eccleſiæ calamitas primævam charitatis perfectionem refrigerarunt, laxaruntque avitum diſciplinæ nervum: Hinc lapſi noſtri non ſolùm citra plenam, quà in perfectionem iſtam parturientur aut reformentur, ſed & citra omnem antè actam ſatisfactionem jam pridem donantur gratia ſacramentalis Reconciliationis. Iſta quidem ante imponitur, ſed non niſi poſt hanc adimpletur. Ad hujus moris exordia Majores noſtri perfectæ ac imperfectæ charitatis diviſiones & ſpecies extenderunt etiam ad Contritionem, & quamvis Contritionem imperfectam, quod pravam mentem non plenè comminuat, ſed tantùm frangat in partes groſſiores, rectè vocarunt Attritionem. Introducendi vocabuli cauſſas largè exponit Joannes Morinus, & adjungit de tempore: *Vocabulum jam in Scholis vulgato utuntur Alexander Halenſis, Guilielmus Pariſienſis, & Albertus magnus. Poſteriorum nemo illud præterit. Nonnulli tamen eodem tempore illud aut non agnoverunt, aut neglexerunt. Sed Auctorum, qui hos anteceſſerunt, nullus mihi cognitus Attritionem commemoravit; licèt eaſdem cum his quæſtiones agitarent. Itaque nomen illud in ſcholis vulgari cœpit poſt annum 1220. centum & pauciſſimis annis poſt natam Scholaſticam.* An per gehennæ aut pœnarum metum, an per humanum pudorem aut quodvis id genus inſtrumentum introducatur Attritio, parum refert: Extrinſeca ſunt hæc: nec ad ejus ſpectant interiora. Eſſentiale utriuſque Contritionis diſcrimen conſiſtit

Dect. 2 Ig.

Quæſt. 1. art. 1.

Lib. de charit. c. 6.

Lib. 8. Cap. 4.

sistit in sola varia lapsi & distorti animi fractura. Hoc Patrum meorum sensu locutus sum, & videor me benè locutum.

Dilutur secunda Accusatio.

Fol. 6. INsignem accusationem continent hæc verba : *Hæc est Attritio, de qua hic disputatio instituitur, in qua reperiuntur jam dicta, non interveniente tamen perfectâ charitatis seu Dei propter se dilecti* Fol. 22. *motivo*. Eadem forma etiam infrà scribit : *Pater Lupus fatetur Davidem, Magdalenam, aliosque non videri habuisse actum veræ Contritionis*. Nec dixi id unquam, & spero, Deo me custodiente, numquam dicere. Quisquis simile quid dixerit, anathema sit. Inter veram & perfectam, uti charitatem, ita & Contritionem est grande intervallum. Ad Attritionem nunquam requisivi perfectam, sed veram dumtaxat charitatem. Quin Regius Propheta ac Maria Magdalena ex vera charitate pœnituerint, solus negare possit antiquorum Sanctorum & veteris legis blasphemus Osor Marcion aut Manes. Verùm an perfecta illis fuerit charitas, est antiqua inter Orthodoxos Patres & Doctores quæstio, meæ Dissertationis scopo non necessaria, ideoque non decisa. Davidem interim ac Mariam Magdalenam fuisse dumtaxat imperfectè contritos, Guilielmus Estius & Francifcus Sylvius adfirmant. Etiam S. Petro Apostolo, dum cum Domino in carcerem & mortem ire spopondit in cœna, charitatem fuisse veram ac germanam, nullus ambigere possit orthodoxus, Cap. 17. fuisse tamen *parvam ac invalidam* constanter in libro de gratia & libero arbitrio asseverat S. Augustinus. Die post Domini Resurrectionem quinquagesimo missus in linguis igneis Spiritus sanctus & Petrum & omnes Apostolos primùm in charitate perfecit. Ita cum S. Augustino omnes passim tradunt Ecclesiæ Patres. Et hinc mea verba, *Per timorem solum citra charitatem de peccatis conceptæ Contritio est contritionis fucus*, recta sunt & vera. Desumpta sunt ex viro summo, Theologo exímio Orthodoxo, laudato superiùs Fratre Petro à Soto : *Sine Dei dilectione, de qua dictum est, Dimissa sunt et peccata multa, quia dilexit multùm, Contritio non est vera*. Et ex Richardo de Sancto Victore in libro de solvendi ac ligandi potestate : *Qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent*. Et ex Doctore Angelico, scribente ad veram Pœnitentiam concurrere actum fidei, servilis timoris, spei in Deum, ac tandem charitatis, *qua alicui peccatum displicet secundùm seipsum, & non jam propter* Part. 3. q. 85. art. 5. 6. *supplicia*. Proximum ac immediatum veræ Pœnitentiæ principium scribit esse timorem filialem. Quæ usque ad Melchiorem Canum fuit sententia omnium Christianorum.

Dilutur tertia Accusatio.

ALiud accusationis punctum est quod dicam latentem in corde cupiditatem servili gehennarum metu frænari dumtaxat & compesci à peccatis externis, non sanari & evacuari. *Hæc* Fol. 7. *opinio*, inquit, *Paradoxa est*. Addit eam esse Cornelii Janseníi ac Martini Lutheri. Respondeo non quidquid Jansenius ac Lutherus dixere Jansenianum esse aut Lutheranum. Hæresis à Christo Domino nostro lepra vocata fuit, quod Evangelicum dogma dumtaxat hinc indè maculet, non totum evertat. Nonne enim Septimii Tertulliani, Adamantii Origenis, Joannis Cassiani, Facundi Hermianensis Episcopi, aliosque plures hæreticorum aut schismaticorum devios libros, uti pretiosissimum muktæ veritatis thesaurum, Mater Ecclesia custodit? Etiam hic ipse Accusator Hilari, Orthodoxi primùm in Romana Ecclesia, dein in Luciferiano schismate solius sine ullo Episcopo aut Presbytero contumacissimi Diaconi, leprosa in S. Pauli Apostoli Epistolas commentaria honorat tamquam S. Ambrosii, atque ex illis firmare conatur suas cogitationes. Uti in hoc Ambrosiastro varia, ita in Martini Lutheri sterquilinio possit hinc inde aliqua laitare gemma veritatis. Quidquid interim Lutherus de hoc puncto aut Jansenius senserint, ego patenter sensi cum Hugone de S. Victore in libris Miscellaneorum : *Triformis est odor vitæ. Non de-* L. 4. cap. *linquere : Quod agit timor servilis. Nolle delinque-* 77. *re : Quod operatur filialis. Non posse delinquere : Quod confert gloria perennis. Primi sunt servi, se-* Ps. 77. *cundi filii, tertii beati*. Loquitur ex Regio Propheta, de Judæis per solum servilem timorem in divina Regula ambulantibus scribente : *In lege ejus noluerunt ambulare*. Causam in Psalmi istius commentario dat S. Augustinus : *Ex corde fieri nullo modo potest, quod fit formidine pœnæ, non amore Justitiæ*. Largè id illic exponit.

Quod ipsum facit etiam in literis ad Anastasium : *Innanitter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etsi non impletus foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui* Ep. 144. *vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam, si posset, auferret, ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipitentem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est qui pœnæ timore non peccat. Amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit*. Ejusmodi plura Latinorum & Græcorum Patrum testimonia Eruditio vestra novit.

Adductum sancti Augustini locum desumptamque ex ipso doctrinam insigniter in libro de humani generis captivitate ac redemptione illustrat magnus olim hujus Academiæ Doctor, & adversùs Lutherum acerrimus pugil, Joannes Driedo : *Ad id, quod ultra in primo argumento adsumitur,* Fol. 108. *cum qui solo metu gehennæ ignis aut temporalis pœnæ facit Præceptum, videtur adhuc odio habere Præceptum aut punientem justitiam, respondeo quod is, qui solo metu gehennæ ignis coercet se ab opere malo, Præceptum quidem odit secundùm amorem quemdam habitualem, seu radicem intùs latentem, nondum renovatus Spiritu amoris justitiæ, sed non semper est odium in actu, non semper actu concupiscit destructam esse*

esse justitiam punientem. Nam dum quis concussus timore Divini Judicii incipit cessare à consensibus nefarii operis, & fugere stuprа, adulteria, cæteraque ignominiæ passiones, cavet interim ne extendat membra in opus, viva tamen semper manet in eo peccandi voluntas, donec fuerit renovata Spiritu amoris justitiæ. Proindè & sic subjectus servili timori quodammodo non vult peccare, & quodammodo vult peccare. Vult quidem, quia in eo vivit latens quædam peccandi voluntas, non actualis quidem semper in actu peccandi, sed habitualis, secundùm quam necdum amicus justitiæ semper manet præparatus peccare, suæque libidini servire, si esset impunitas. Non vult autem peccare, quia jam concussus timore Divini Judicii, sentens Deum esse cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, incipit exire de sæculo. Et idcircò non quemadmodùm fur vel adulterа exspectat opportunitatem loci & temporis ad perpetrandum nefarium opus, sed intra cogitationis clausura coercere & comprimere studet, ne pravis cupiditatibus præsset adsensum. Rectè propterea & Divus Bernardus sub hoc statu timentium timore Divini Judicii dicit esse exitum de sæculo, & introitum quemdam vitæ & legis. Per latentem intra cogitationis clausura pravam cupiditatem, & habitualè punientis justitiæ odium nullo pacto relictum ex priori patente voluntate vitium, maculam, aut reatum, sed cum sancto Augustino intelligit stabilem distortæ mentis adfectum ac præparationem, à Scholasticis Doctoribus jam pridem cœptam vocari voluntatem virtualem, quam esse verum, sed secretum, quia ab intellectus super ipsum reflexione separatum, voluntatis motum, ideoque per ipsum, dum parvus est, hominem continuari ac permanere actu peccatorem, ex laudato Augustino possit lucidè ostendi, & res ipsa clamat. Nonnè professi usurarii, meretrices, latrones, licèt actu de professione non cogitent, ob paratam tamen semper in prava opera mentem fordent in continua voluntate fœnerandi, scortandi, rapiendi? Captivus, exul, spoliatus, licèt aliud agant & animo volvant, in adsiduo hærent desiderio recuperandæ rei, patriæ, libertatis. Ea mentis habitudo non est aliud, quam voluntatis ab intellectus suprà ipsum reflexione spoliatus motus: Latet & quasi dormit, ideoque à quibusdam existimatur non esse actus, sed dumtaxat quæpiam ejus præteriti vicaria virtus. Ex reflexionis spolio latere intellectum potest, & tamen esse. Quidquid sit de ista scholæ controversia, cum laudato Driedone scripsi in

Fol. 71. Dissertatione: *Latens peccati cupiditas est intima & secreta mentis præparatio, qua homo servili gehennarum metu frænatus mallet esse licitum quod dolet vetitum, qua velit non esse legem peccata prohibentem, aut certè punientem, qua optat non esse gehennas, quibus à cupiditatum suarum sequela & adimpletione retardetur. Et hæc est cupiditas, quam Patres adsiduè dicunt per salam charitatem evacuari.*

Hoc ipsum docet Guilielmus Estius. Duas proponit quæstiones. Prima est: *An qui solo timore pœnæ, seu temporalis, seu æternæ, vel opus legis*
Lib. 3. Dist. 34. §. 8. *facit, vel à peccatis abstinet, peccet?* Altera est: *Utrum omne opus ex solo timore pœnæ procedens sit peccatum?* Posteriorem disputat ac tuetur probabiliter, & post adducta in partis adfirmativæ probationem varia sanctorum Augustini & Prosperi loca, concludit de priore: *Ex his igitur hoc saltem consequens videtur, omnem eum peccare, qui solo timore abstinet à peccato. Utcumque enim se habeat opus externum, & sive illud propter debitæ circumstantiæ defectum debeat dici peccatum, sive possit aliquo modo à peccato excusari, de quo videre licet sanctum Bonaventuram & Durandum, certè omninò fatendum est id, quod Patres adfirmant, eum qui serviliter timet, & ex eo timore aliquid facit vel omittit, ipsa voluntate intus atque in animo reum esse, dum mallet quod jubetur omittere, vel quod prohibetur facere, si liceret impunè. Præsertim si actualem hujusmodi in ipso opere habeat voluntatem.* Hocce casu adfirmat non solummodò peccare ex timore operantem, sed & ipsum tunc timorem, factumque ex ipso opus esse peccatum. Et infrà: *Quæ postremo pro* adfirmante secundæ quæstionis parte *ex Patribus proferuntur, non aliud convincunt, quam eum peccare vel actu vel habitu, qui solo timore pœnæ ab opere peccati abstinet, quia videlicet voluntatem gerit adhuc justitiæ inimicam, & legi Dei contrariam, cum quo nihilominus consistit, ut nec timor ipse, nec opus ex timore profectum sit peccatum, si nulla ipsum vitiet circumstantia.* Peccare habitu etiam huic sancti Augustini discipulo est secreta mentis in peccatum præparatio: Eam dicit non fanari per metum, ideoque solo metu actum animum esse adhuc justitiæ & legis inimicum.

Addo hanc propositionem, *Servilis gehennarum metus compescit & aufert sola peccata externa*, esse mali commatis, nec unquam à me adfertam. Elegantèr hoc tradit in superiùs laudato opere Joannes Driedo, servilis timoris utilitates exponens, atque adjungens: *Unde timor Dei, etiam servilis,* Fol. 108. *expellit peccatum, id est, actionem peccandi, dum cohibet & ipsam voluntatem ab executionis imperio, & ipsa membra ab executione. Et ita timor Domini expellit peccatum, sive quod jam admissum est, inquit Bernardus, pœnitendo, sive quod intrare vetat, resistendo. Proinde quamvis timor sit cum peccato in eo, qui necdum amat justitiam, is tamen qui timet gehennam ignis aut justum Dei judicium, neque peccat, neque Deum offendit in eo quod sic timet, sed magis huiusmodi timor sub potenti manu Dei, sive spiritu vehementi concutientis desertum, & confringentis cedros Libani, hoc est, superbas & animosas peccandi audacias.* Nonne executionis imperium, seu pravi operis parrandi efficax Decretum, quod per servilem metum auferri audis, est peccatum internum? Sola in ima cordis abysso, qua quis velit licitum quod novit vetitum, latens cupiditas, ac servilis animi vilitas servili timore non evacuantur. Et hinc eum sancto Augustino dixi: *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit.* Ejusdem Augustini definitiva est apud sanctum Prosperum sententia: *Eam Deus innocentiam probat, qua homo* C. 117. *non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non peccet, cui nocere vult, sibi tamen plurimum nocet: Et abstinens ab opere malo, sola tamen reus est voluntate.* Quod ipsum lucidè docet sanctus Thomas. Addit in Miscellaneorum libris Hugo de sancto Victore: *Fre-* 2. 2. qu. *num carnis est timor. Cum enim ad delectationem præ-* 19. art. 4. *cipitem impellit desiderium culpæ, cohibet à delecta-* l. 1. cap. *tione timentem providentia pœnæ. In hoc enim quod* 119. *cernit*

ternit quod post culpam pœna sequatur, sive in correctione, sive in damnatione, refrænatur culpa sive in opere, sive in delectatione. Timor ergo frænum: Ipse timor cohibet & stringit effluentem animum, & fixus cum ad tolerantiam, offendens facilius malam concupiscentiam vincere, quam malam conscientiam tolerare; Et elegit durum, ut durius evadat. Ecce non solùm adimplendæ cupiditatis Decretum, sed & natam ex ipsa delectationem timor aufert. Uti effectu frustrata, ita timore frænata cupiditas infert dolorem adeò acrem, ut eum sanctus Joannes Apostolus appellet tormentum. Solam igitur illam intimam, qua serviliter timens malit licitum quod sentit vetitum, cupiditatem, tormenti istius matrem & fontem, non sanat neque auferet metus. Ille est mentis ad malum præparatio, qua sancti Augustinus & Prosper adfirmant hominem relinqui & permanere justitiæ & legis osorem,

Quarta Accusatio dilutur.

UTi actualem & patentem, ita virtualem ac latentem cupiditatem, qua quis malit non esse prohibentem ac punientem peccata justitiam, qua illam si posset auferret, qua sit ejus inimicus, si quidem circa rem mortaliter vetitam versetur, quis ambigat ex genere suo esse peccatum mortale? Diserte id affirmantem sanctum Joannem Chrysostomum adduxi in dissertatione. Quod ipsum diserte docet antiquus Scholasticus, Petri Lombardi discipulus, Petrus Pictaviensis: *Servilis timor facit hominem cessare à peccato, sed non ab omni peccato. Etsi enim cesset hic per timorem servilem à malo opere, non tamen à mala voluntate, quæ mortale peccatum est. Voluntatem enim habet peccandi, sed cessat tantùm propter pœnam.* Et Doctor Angelicus: *Objectum timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tamquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem.* Per charitatem non sanata servilitas proprium commodum diligit uti finem ultimum: Quòd quis dubitet esse mortale peccatum? Ex hac tamen doctrina Accusator affirmat *legimè sequi, quòd is, qui ante Baptismum mortaliter deliquit, nunquam possit justificationem obtinere, nisi novum peccatum mortale committat; baptizatus verò, si peccet mortaliter, non nisi in rarissimo casu justificari possit, nisi novo mortali admisso.* Et infrà: *Egregia profectò hæc est scelerum Pœnitentia, quæ non nisi tum novo scelere peragi potest.* Ejusmodi Pœnitentiam esse monstrosam & ipse profiteor. At ejus assertionem mihi imponi est majus monstrum. Aliud est quempiam ad incussum gehennarum metum, & ex ipso solo formatum de peccato dolorem in peccati istius priori cupiditate persistere, aliud per ejusmodi dolorem & metum committi novum peccatum. Primum dixi, freius authoritate S. Joannis Apostoli: *Qui non diligit, manet in* pravæ fuæ cupiditatis, natique ex ipsa reatus *morte*. Homo cupiditates suas sequens & adimplens per divinitùs incussum gehennæ metum compescitur & revocatur ab iisdem adimplendis & imperandis, adeoque tantùm abest novum ab illo committi peccatum, ut à multa peccati sui portione omninò liberetur. Nihilominùs *inaniter putat victorem se esse totius peccati, quia etsi non impleatur forte negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis.* Quod ab hoste hoc non nisi per diffusam à Spiritu sancto actualem charitatem liberentur corda nostra, est unum ex immobilibus fidei Christianæ fundamentis.

Part. 3. Cap. 18.

2. 2. qu. 19. Art. 4.

Quinta Accusatio dilutur.

PErgit Accusator: *Ex eadem doctrina sequitur peccatorem, dum Attritionem elicit, fieri hypocritam hoc sensu, quòd exteriùs à peccato abstineat, latente interiùs peccaminosa voluntate, adeoque quòd exteriùs facit non faciat ex animo & sincero corde.* Fol. 12. Factam ex folo metu justitiam, licèt non mihi, tamen Luthero adfirmat ac ostendit esse hypocrisin, & concludit: *Atqui attritus ex metu gehennæ verè fit hypocrita hoc* Martini Lutheri *sensu juxta P. Lupum; ergò juxta eundem rectè & catholicè quoad hoc sensit Lutherus, nec fuit censuræ obnoxius.* Respondeo inferendum fuisse: *Ergò pravè sensit, fuitque obnoxius censuræ.* Duo hic convolvuntur. Primum est, quod facta per solum servilem metum bona opera sint non Christiana ex Divinæ infusionis dono, sed judaica ex lege justitia. Alterum, quod talis justitia sit semper hypocrisis, faciatque hypocritam. Primum omninò dixi: Est enim immobile fidei Christianæ fundamentum. Et propter ejus adsertionem nec damnatus est Lutherus, nec potuit damnari. De eodem scribit in sancti Prosperi sententiis sanctus Augustinus: *Simulata innocentia non est innocentia. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatur peccatum, in quo est iniquitas & simulatio.* Et in opusculo de fructibus carnis & spiritus Hugo Victorinus: *Hypocrisis est virtutum simulatione claufum vitium ex arte palliare.* Ab ea fieri de medicina languorem, & virtutem verti in vitium scribit in tertio libro Miscellaneorum. Secunda igitur à me diserte damnata propositio, quòd hypocrisis esse debeat justitiæ histrionatus & simulandi studium, est penitùs falsa, ipsam pessimè blateravit Lutherus, ejusque causa potuit omninò damnari.

C. 19.

Sexta Accusatio dilutur.

DEnuò Accusator: *Ex iisdem principiis sequitur, quòd qui attritur, conflituatur magis peccator. Addit enim veteribus peccatum novum, quod est simpliciter & propriè constitui magis peccatorem. Et in hoc sensu passim loquitur Lutherus, dum dicit fieri magis peccatorem.* Ejus verba adducit, & prosequitur: *Dixerat Lutherus peccare, dum à timore incboatur Pœnitentia, quod ipsum asserit P. Lupus. Id explicat Eckius per facere magis peccatorem, adeò apud ipsos hæc duo idem significabant.* Et rursùm: *Etiam juxta P. Lupum qui dolet ex timore, conflituitur osor Dei.* Respondeat pro me Joannes Driedo: *Quisquis ex recogitatione gehennæ ignis, aut recordatione Divini Judicii concussus, timore incipit odio habere peccata, suasque frænare concupiscentias, & abhorrere ac fugere adulteria, stupra, & id genùs alia, non peccat in eo quod sic timet, aut sese continet coercens sua membra à nefariis operibus, sic timore Divini Judicii concussus. Dixi signanter:* NON PECCAT IN EO QUOD SIC SESE CONTINET. Fol. 13. Fol. 109.

Pol. 11.

TINET. *Siquidem causſa hujuſmodi timoris eſt ſpiritus timoris Domini, ſuppromentis hoc pacto audaciam peccandi. Tamen aliundè peccabit, ſi ſimul adſit in actu vel à carne vel à ſpiritu nequaquam alius quiſpiam motus pravus voluntatis, vel deſiderantis non eſſe ullam legem prohibentem, & non eſſe Deum punientem, vel triſtantis de hoc quod ſibi non liceat impunè peccare, vel magis odio habentis pœnam & juſtitiam, quam culpam. Quamvis igitur ſtantibus hujuſmodi motibus ſimul, anima quidem à Deo ſe elongat, non tamen in eo quod times gehennam: Non in eo quod ex hujuſmodi timoribus continet & coercet ſeſe, ſed in eo quod odit juſtitiam Dei legem dantis, & tranſgreſſorem punientis. Proindè & concurrentibus motibus illis pravis, minùs peccabis coreens ſeſe à neſariis operibus, quam ſi cum eiſdem motibus prorueres in illa. Solo igitur timore gehennæ ſua membra cohibens ab opere, non magis, ſed minùs potùs ſe elongat à Deo, quam illa movens in opus, modò finis cætera partæ. Quamquam in timore ſervili ipſa ſervilitas, ſeu peccandi voluntas, quæ intùs latet, non ſit Spiritus ſancti opus, utique tamen timor Divini Judicii, cum ſit opus fidei, procedit ex dono Dei. Proindè verum quidem eſt apud eos, qui ſolo ſervili metu ſolius pœnæ obediunt Præceptis, abſtinentes ab illicitis, neque eſſe curam pudoris, neque honeſtatis, virtutis, & caſtitatis amorem, coſque timore reprimi, non emendari; attamen ipſi neque tantùm nocent, neque tantùm offendunt, quàm qui, prout libido fert animi, graſſantur non repreſſi ullius ſuperioris legis pudore & metu.* Aliud eſt per ſervilem Attritionem, aut per ſervilem Pœnitentiæ inchoativum metum peccati, aut hominem conſtitui peccatorem & oſorem juſtitiæ, aliud ſub tali aut poſt talem Attritionem & metum adhuc peccari, ſeu perſeverari in priori quapiam mala voluntate, hominemque per ipſam continuari oſorem juſtitiæ & peccatorem. Summum inter hæc duo eſt chaos firmatum. Primum, ex quo hominem per ſervilem metum fieri magis peccatorem ſequitur, blateravit Lutherus, ideoque meritò eſt damnatus Tridenti. Ego cum Joanne Driedone dixi poſteriùs: Eſt enim orthodoxi dogmatis immobile fundamentum. Poſt acceptum, inquam, ſolius ſervilis timoris ſpiritum carnalis homo perſeverat peccator & oſor juſtitiæ: Non per ipſum timorem, ſed per timore iſto non evacuatam latentem peccandi cupiditatem. Quia tamen & à peccatis externis, & ab ipſorum patrandorum efficacibus imperiis ac delectationibus liberatur per eumdem timorem, nequaquam major, ſed longè minor per ipſum fit & conſtituitur peccator. Rurſus dico: Per ipſum homo à multa peccatorum parte liberatur.

Diluitur ſeptima Accuſatio.

SErvilis timoris dixi eſſe varias utilitates. Dixi ab illo non ſolùm cum ſui patrandi internis imperiis ac Decretis externa peccata, & inveteratas ipſorum auferri conſuetudines; Dixi ipſum eſſe neceſſitatem compulſivam ad bonum; eſſe germanam plantationem ac rigationem, cui Deus non rarò det juſtitiæ incrementum; eſſe juſtitiæ plantationem validiſſimam, à Domino laudatam in Evangelio, *Compelle intrare*. At ecce hinc nova Accuſatio: *Per timorem fit conſuetudo peccandi ex ſententia P. Lupi, nempe peccato interno, unde omnis peccati externi origo & radix*. Et iterùm; *Juxta P. Lupum timor ſervilis auget & roborat conſuetudinem malorum in corde*. Rurſùm cum Joanne Driedone reſpondeo aliud eſſe internorum peccatorum conſuetudinem per ſervilem gehennarum metum fieri, augeri, aut roborari; aliud ipſam cùm & ſub tali timore adhuc perſeverare, ſeu per ipſum non eradicari. Abſit ut primum vel cogitarim. Ne quidem dixi ſecundum. Dixi patentes animæ cupiditates, ſeu efficacia patrandorum pravorum operum imperia per ſervilem metum evacuari, addens ipſum eſſe Divinæ gratiæ præcurſorem, & ſapientiæ initium: Utique Divinæ charitatis, quæ etiam latentes in corde cupiditates ſanet atque evertat. Locutus ſum cùm S. Auguſtini ad Honoratum Catechumenum Epiſtola: *Præmiſſus timor in cor noſtrum pellis indè conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum*. Et in centeſimi vigeſimi ſeptimi Pſalmi Commentario: *Timent quidam, ſed non amant juſtitiam. Cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus. Et jam incipit bonus juſtè vivere, propterea non quòd timet pœnam, ſed quia amat æternitatem*. Et in tractatibus ſuper Joannis Epiſtolam: *Cæpit bonus timere diem judicii, timendo corrigit ſe. Vigilat adverſus hoſtes ſuos, id eſt, adverſus peccata ſua. Incipit reviviſcere interius, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram. Quantùm autem mortificat membra ſua ſuper terram*, utique pravas ſuas cupiditates, *tantùm ſurgunt & corroborantur membra cœleſtia, opera bona*. Hinc addit ſervilem metum, licet ſanitas non ſit, eſſe tamen medicamentum. Qui igitur ego dixiſſe poſſim aut cogitaſſe peccata interna, ipſorumque conſuetudinem per ipſum fieri, augeri, roborari? Servilis Attritio, ſi non niſi ejuſmodi Accuſationum artibus poſſit fulciri, palàm eſt eradicanda plantatio, quæ non eſt à Patre.

Epiſt. 120. cap. 17.

Tract. 9.

Accuſatio octava diluitur.

SErvilem gehennæ metum, licet officio & ſubſtantia bonum, dixi laborare vitio radicis. *Oritur enim non ex caſto Dei ſeu juſtitiæ, ſed ex mercenario amore ſui ipſius, quo homo ſibi benè vult, non ſolùm in hac vita, ſed etiam in futura. Porrò ſui ipſius amorem, quo homo non in Deo, ſed in ipſo ſeipſum diligit, eſſe fontem impurum, & omnis diſſoluti adfectus primam radicem, eſt unùm è fundamentis doctrinæ Catholicæ & Auguſtinianæ.* Ad quæ Accuſator: *Atqui actus, de cujus bonitate hic diſputamus, eſt is qui fixus in timore, adeoque cui ex ſuis extrinſecis convenit, quod pro ſuo motivo habeat amorem ſui, & non Dei propter ſe dilecti; ergò juxta P. Lupum ille actus ſecundùm ſe & ſua intrinſeca conſideratus habet impurum motivum, eſque adfectus diſſortus & malus*. Reſpondeo me docuiſſe ex ſancto Thoma: *Timor ſervilis ex amore ſui cauſſatur, quia eſt timor pœnæ, quæ eſt detrimentum proprii boni*. Et iterùm: *Quamquam timoris ſervilitas mala ſit, ipſe tamen timor ſervilis ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt bonus*. De Hæreticis & Schiſmaticis, pro Chriſto Domino aut aliqua ejus orthodoxa veritate mortem aut tormenta ex ſervili gehennarum metu ſuſtinen-

2. 2. qu. 19. art. 6.

stinentibus apud alios Hæreticos aut Paganos, scribit in libro de Patientia sanctus Augustinus: *Nullo modo ista culpanda sunt, immò verò & hæc laudanda patientia est.* Et infra in sequenti capite: *Sicut negandum non est hoc etiam esse donum Dei, ita intelligendum, alia esse Dei dona filiorum illius Hierusalem, quæ sursum est libera mater nostra.* Hæretici & Schismatici nequaquam Deum aut sese in ipso castè, sed seipsos in seipsis impurè diligunt: Et tamen ex tali per servilem gehennarum metum fonte natam patientiam, seu patiendi voluntatem audis nullo modo culpandam, immò & laudandam. Utique quoad substantiam, non quoad radicem. Idem ego ex laudato Augustino dixi de servili gehennarum timore.

De eodem rursùm dixi: *Gehennæ metus ex proprio sui ipsius amore nascitur, adeoque qui ob illam fugiam, & non Christum Dominum à gravi peccato abstinet, non solummodò plus illam timet, sed & seipsum supra Dominum diligit, quod esse etiam cogitatu horrendum, nobis Julianus Pomerius dixit.* Ad quæ verba iterùm Accusator: *Atqui nascitur ex amore sui ipsius essentiale est actui, de quo disputamus, ergò hic actus juxta P. Lupum ex suis intrinsecis non tantùm malus est, sed & infinitèr malus*, Respondeo me etiam hic cum Sancto Thoma fuisse locutum: *Objectum servilis timoris est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus & per consequens pœna timeatur tamquam malum principale, quod contingit in non habente charitatem. Vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tamquam principale malum, quod contingit in habente charitatem.* Ab illo, qui ex solo servili citra Dei charitatem metu operatur, in fui ipsius, cui pœna contrariatur, commodo proprio constituì finem ultimum, ideoque plus seipsum quàm Deum diligi, lucidè adfirmat Doctor Angelicus. Seipsum, inquam, suprà Deum diligit taliter timens, non per ipsum timorem, sed per timori adhuc adnexam, & à sola Dei charitate separandam servilitatem.

q. 2. Art. 4.

Quare errorem continent hæc Accusatoris verba: *Nascit ex amore sui ipsius essentiale est actui, de quo disputamus.* Utique servili gehennarum metui. Hæc item verba: *Et ex suis intrinsecis convenit, quod pro motiva habeat amorem sui, & non Dei propter se dilecti.* Etenim longè aliter sensit sanctus Thomas, scribens servilitatem, essentialiter pravam, non esse de timoris servilis essentia, & adjungens jam laudata verba, lucidè adfirmantia eumdem numero timoris actum modò posse in proprio timentis commodo hærere & sisti, modo referri in Deum ut finem principalem. Quod natales mutare, & modò ex impuro, quo semetipsum in semetipso, modò ex casto, quo seipsum in Deo diligit homo, nasci possit successivè etiam numero eadem timoris substantia, docet in articulo subsequenti. Servilis metus officium in Apostolicæ ad Romanos Epistolæ elucidatoriis quæstionibus insigniter exponit Hugo de sancto Victore: *De quo*, utique servili gehennarum metu: *potest quæri, an sit donum Spiritus sancti? Quod si est, bonus est. Sed videtur malus, cùm propter pœnam factat servire. Solutio: Iste bonus est, bonum habens effectum, scilicet cohibere à malo opere. Hoc autem, quòd mala voluntas remanet, non est ex ipso, sed ex hominis vitio.* Et Petrus Pictavensis: *Ideò dicunt quidam quod serviliter timere malum est, nec est usus servilis timoris serviliter timere, nam ille bonus est, & hoc est malum; sed potius timere pœnam & retrahere à peccato, quorumque utrumque bonum est.* Sive ex casto, sive ex impuro sui amore nascatur, utroque hocce officio ille omninò fungitur, ideoque passim ac meritò à Doctoribus scribitur esse semper etiam substantia bonus. Quòd non sola exteriora opera, sed & quædam interiores voluntates sint quoad speciem indifferentes, ac individualem bonitatem ac malitiam ex varia imperantis ac dirigentis intentionis qualitate quandoque alternent, ex sancto etiam Augustino possit admodùm probabiliter suaderi.

Art. 6.

q. 194, Part. 3. c. 18.

Dixi de servili metu: *Passim dicitur esse etiam substantia bonus.* Inter ejus quippè officium & substantiam aliqui distinguunt, istud solum bonum, hanc malam professus internos intellectus & voluntatis motus non à solis objectis, sed & à tendendi modo dividi in variam substantiæ speciem: A pœnarum metu, dum ex proprio timentis, & dum ex Dei amore nascitur, existimant alio & alio modo tendi in pœnas, ideoque eundem numero metum non posse nunc ex hoc, nunc ex isto procedere fonte. Est Scholastica quæstio, cujus adfirmativam partem in libris de vita contemplativa omninò secutus fuit Julianus Pomerius, de quo Accusator: *Cum suo Juliano pronutiat P. Lupus.* Nempe quis sit hic Julianus, homo ignorat. Est non mei solius, sed totius Doctor Ecclesiæ, cujus insignes de vita contemplativa libros plurimi jam pridem existimarunt esse sancti Prosperi. Eos enim ut tales laudant in Canonicorum Regula sanctus, qui sub Pippino Francorum Rege floruit, Crodogangus Episcopus Metensis, in libris de laicali institutione Jonas Aurelianensis Episcopus, Aquisgranensis sub Ludovico Pio Synodus, Fontanellensis Cœnobii Chronicon, & alii antiqui plures. Verùm in suis ad laudatum Jonam marginalibus scholiis eruditus Lucas Dacherius rectè affirmat esse opus Juliani. Etenim in Ecclesiasticorum Scriptorum catalogo scribit sanctus Isidorus Archi-Episcopus Hispalensis. *Julianus cognomento Pomerius edidit tres libros de futuræ vitæ contemplatione, vel actuali conversatione, nec non etiam de vitiis atque virtutibus.* Fuit vir Afer ex Provinciis Mauritaniæ: Quòd in Gallia primùm Rhetor, deindè Presbyter & Arelatensis Abbas floruerit, lucet ex vita sancti Cæsarii ibidem Episcopi, & ex Ruricii Lemovicensis Episcopi litteris ad ipsum Julianum. Andegavensis Canonum codex vocat sanctum Pomerium: Quæ omnia in suis ad memoratam Aquisgranensem Synodum notis confirmat Jacobus Sirmondus. Hæc breviter adducta volui, ne quis tantum virum etiam damnet de Lutheranismo.

L. 3. c. 31. Fol. 43.

Cap. 4.

Eandem sentiam manifestè probavit etiam Hugo de sancto Victore. Quatuor passim distinguit timores: Servilem, mundanum, initialem, ac filialem. Servilem passim esse vult illum, quo ob infligendas per hominem pœnas cessamus à malo opere, sed non à mala voluntate, & in Theologica de Sacramentis Eruditione adjungit: *Ex his quatuor timoribus duo mali sunt, id est, servilis & mundanus; duo verò boni, id est, initialis & filialis.*

L. 10. c. 5.

L. 4. c. 17. *litalis* . Et rursùm in allo ejusdem operis loco : *Est præterea timor Divinus , timere Deum propter pœnam , vel præsentem , vel gehennalem . Si tantùm timet Deum propter pœnam sine dilectione boni, languor est , & pœnæ tormentum habet , quòd scilicet malorum est , & servilis est timor* . Hoc est , malus est ad instar alterius servilis . Quibuſdam ſua arare Doctoribus , quorum adducit & ſolvit argumenta , eandem fuiſſe mentem teſtatur Petrus Pictavienſis.

Sess. 6. Can. 8. Et de hac quæſtione ſacroſancta Tridentina Synodus videtur nihil definiviſſe . Hinc ejus Canonem . *Si quis dixerit gehennæ metum , per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe , aut peccatores pejores facere anathema ſit :* Hunc, inquam , Canonem laudatiſſimi & graviſſimi hoc tempore Theologi intelligunt de timore initiali . Sentiunt de Sacroſancto hoc Concilio , quod de Sacroſancto Jeſu-Chriſti Evangelio ſcripſit in laudata Eruditione laudatus Hugo : *Servilem & mundanum timorem prohibet Chriſtus dicens* , NOLITE TIMERE EOS , QUI OCCIDUNT CORPUS TANTUM , ANIMÆ VERO NON HABENT QUID FACIANT. *Poſt de initiali timore ſubjungit dicens* : SED EUM TIMETE, QUI POTEST ANIMAM ET CORPUS IN GEHENNAM MITTERE . *Quem non præciperet, niſi in eo charitas , tametſi nondum perfecta eſſet* . A laudatis Doctoribus creditur etiam Tridentina Synodus pro alio timore non fuiſſe definitura . Et ſanè voces , *Per quem ad misericordiam Dei confugimus , De peccatis dolendo, A peccando abſtinemus* , omninò laudant initialem , timore gehennali introductam , charitatem . Non enim dicit , *De pœna dolendo* , ſed *de peccatis* . Oppoſitam ſententiam ex rationibus ſui amplexus in Diſſertatione : Et iſtam tamen nec damnavi, nec poſſim damnare . Ei Accuſator ſine fundamento imponit Lutheraniſmum . Eſt enim quæſtio Scholaſtica , circa quam poſſit unuſquiſque in ſuo ſenſu abundare . De puro puto ſervili gehennarum metu nihil liquidò definivit Sacroſancta Synodus , niſi ipſum non eſſe pœnitentiæ ſeu veræ Contritionis partem : Cujus anathematis fulmine ictus omninò eſt Accuſator . Attritionem enim puré putè ſervilem docet , adeoque & ſervilem gehennarum metum adfirmat eſſe ejus partem . A Scholaſticarum quæſtionum pugna ego naturaliter abhorreo , & orthodoxum Chriſtianæ Contritionis dogma à Lutheranæ ſcabiei calumnia dumtaxat venio hic expurgatum . Quare Accuſator de ſervilis timoris fonte & origine , contracto que per ipſum vitio ſentiat quod vult , dummodò nullam Contritionem ſine caſta Dei dilectione fateatur eſſe veram & Chriſtianam , eſt pax atque plena oblivio omnium improperiorum . Ego numquam pro ſervili timore , ſed pro ſola Chriſtiana Contritione ſtatui diſputare .

Errorem alterum continent hæc Accuſatoris verba ; *Quam à S. Auguſtino diſſideat P. Lupus , dum actum , quem fatetur ſolo officia bonum eſſe, non autem finé , appellandum nihilominus cenſet bonum , ex ipſa Auguſtino diſcemus* . Adducit quarti adverſùs Julianum Pelagianiſtam libri tertium caput, ubi bonorum operum officia & fines diſtinguit ſanctus Auguſtinus, & concludit : *Quidquid boni ſit ab homine , & non propter hoc ſit , propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit , ipſo non recto fine peccatum eſt* . Reſpondeo attendendum eſſe laudati capitis finem : *Breviter accipe , ne forte , cùm in verbus ipſis tantùm erres , quantùm errari plurimùm poteſt , videar tecum certare de verbis . Aut ergo intellige quod ait Dominus* , SI OCULUS TUUS NEQUAM EST , TOTUM CORPUS TUUM TENEBROSUM ERIT, SI AUTEM OCULUS TUUS SIMPLEX EST, TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT. *Et hunc oculum agnoſce intentionem , quæ facit quiſque , quod facit . Et per hoc diſce eum , qui non facit opera bona intentione fidei bonæ , hoc eſt , ejus quæ per dilectionem operatur , totum quaſi corpus , quod ex illis , quaſi membris , operibus conflat , tenebroſum eſſe , hoc eſt , plenum nigredine peccatorum* . Suam , qua bona infidelium officia eſſe juſta & ſancta opera , & tamen ob legitimi finis defectum non rectè fieri , ſed eſſe peccata dixerat doctrinam ſibi ipſi quaſi adverſam , ideoque à Juliano non plenè perceptam elucidat hac diſtinctione : In laudatis infidelium operibus diſcernit officium , finem , & conflatum ex utroque . Ipſa officia perſiſtit titulare bona opera , at iſtud compoſitum ob recti finis defectum eſſe dicit tenebroſum atque peccatum . Effectus enim atque Compoſita ſequuntur cauſſam ſuam & partem debiliorem . Hinc ergo , & ſervilis gehennarum metus , ſi cum impuro ſuo proprii amoris fonte componas in opus unum , tenebroſus eſt atque peccatum , ſi abſtractim ipſum in ſeipſo ſolum conſideres , lucidum eſt officium , actuſque , licèt in auctoris ſui iniquitate detentos , attamen rectus , utilis , bonus . At rurſum dico ſpectare hæc ad ſcholæ quæſtiones , & me pro ſola ad veram Contritionem neceſſaria charitate ſemper diſputaſſe .

Iſtud interim ſancti Auguſtini caput produci adverſùm nos & laudari quis non admiretur, quis Deo optimo maximo non agat gratias ? Accuſator non poterat fortiori adverſùs ſemetipſum brachio adjuvare veritatem . Etenim in omni officio, & omni prorsùs opere , quod non *ſit intentione bonæ fidei , hoc eſt , ejus quæ per dilectionem operatur* , licèt bonum ſit & ſanctum , peccari ob legitimi finis defectum , & integrum hujuſmodi opus eſſe tenebroſum , immò peccatorum nigredine plenum, docet illic luciditſimè , & multis adverſùm alia Pelagianorum ſomnia ſanctus Auguſtinus confirmat. At verò ſimilem ſuam Attritionem Accuſator vult ex caſta Dei dilectione non procedere ? Ergò , juxta inconcuſſa ſancti Auguſtini dogmata , peccatur in tali Attritione, & cum ſuo, ex quo oritur , proprio hominis in ſemetipſo amore in unum conflata opus eſt omninò peccatum. Ex laudata iſtic & frequenter per eundem Auguſtinum inculcata Apoſtoli Regula , *Quidquid non eſt ex fide*, qua non tantùm Deo, ſed & in Deum creditmus, *peccatum eſt*. Quod ad Dei charitatem necdum elevatus homo ſeipſum in ſeipſo, & propriſi commodum tamquam ultimum finem diligat , & gehennam timeat uti malum principale , ideoque & mortaliter peccet , ſuprà audivimus à ſancto Thoma . Hinc non vera diſtorti cordis converſio , ſed metus dumtaxat converſionis ſucus eſt iſta Attri-

tio

tio ſervilis. Quis hominem, qui in Deum non credit, credat à Deo juſtificari? Eſt illud ipſum à Tridentina Synodo proſcriptum calumniæ monſtrum, quod ſibi imaginati ſunt Lutherus & Auguſtanæ Confeſſionis Auctores, & Scholaſticis iſtorum temporum Doctoribus ſunt adfricare conati.

Acculatio octava diluitur.

SErvilem gehennarum metum à me fuiſſe peccati damnatum Accuſator vult per fas & nefas. En aliud ejus fundamentum: *Examinemus*
Fol. 44. *quænam in hoc puncto ſit mens Patris Lupi. Ac primo quidem dolorem ex ſolo metu gehennæ ab eo reprobari ratione actus neceſſario & inſeparabiliter conjuncti, quatenùs adeſt voluntas malè agendi, ſi pœna abeſſet, patet ex dictis. Atque adeò admittit malum eſſe talem metum quaſi extrinſecè, ratione actus mali adjuncti, quod ut videmus, aſſerit Lutherus.* Reſpondeo Marthinum Lutherum, quo juſtum in quovis opere bono probaret ſaltem venialiter peccare, eandem fidem ac reverentiam impendiſſe huic loco ſancti Auguſtini: *Virtus eſt charitas, qua id, quod diligendum eſt diligitur. Hæc in aliis major eſt, in aliis minor, in aliis nulla. Pleniſſima verò, quæ jam non poſſit augeri, quamdiu hic homo vivit, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, profectò, illud, quod minùs eſt quàm debet, ex vitio*
Ep. 29. *eſt. Ex quo vitio non eſt juſtus in terra, qui facit bonum, & non peccet.* Sancto Auguſtino delectum illum volenti eſſe vitium lapſi hominis, Lutherus impoſuit quod dixerit eſſe vitium imperfectæ charitatis. Hinc omnem imperfectam charitatem garrivit eſſe vitioſam ac peccaminoſam ſaltem venialiter, proindeque & omne ex ipſa profectum opus bonum eſſe tale. Etiam ego ſub ſolo legis ac gehennæ citra juſtitiæ dilectionem metu conſtitutum hominem dixi adhuc eſſe pravum & peccatorem: Et ecce hic accuſator vult peccati & pravitatis ipſum à me damnari timorem. Etiam hac in re utile per inutilè adeò non vitiatur, ut adverſùm gentiles Philoſophos Apoſtolus ſcripſerit ad Romanos: *Revelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in juſtitia detinent.* Ab eorum impietate ac injuſtitia non divinam, quæ illic tanquam in ſterquilinio gemma latuit, ſed ipſos dumtaxat detectores affirmat fuiſſe maculatos. Ex eadem igitur regula ſervilis pravas cupiditates frænans timor, licet ipſas non ſanet aut eradicet, per eas tamen non ipſe, ſed ſolus homo maculatur.

Addo ſententiam, quæ ſervilem, necdum à ſervilitate liberatum, metum iſtius pravæ appendicis cauſſa adfirmat vitium & peccatum, nullo modo eſſe Lutheranam. Eam quippè docet vir in-
Lib 3. figniter Catholicus Guilielmus Eſtius: *Servilis ti-*
dist. 34. *mor eſt, cùm quis non amore juſtitiæ, ſed ſolo metu*
§. 5. *gehennæ, vel etiam temporalis pœnæ, à malo opere abſtinet, & quod legis eſt operatur. Eſt autem & hic timor vitioſus, non quidem ex ſe, id eſt, quatenus timor pœnæ eſt, ſed quatenus ſervilis, ideſt, quatenus malum ſemper habet conjunctum: Nempè latens in animo peccandi deſiderium. Quod quidem malum in eo ſignificatur, quod ſervilis dicitur. Servile enim*
§. 8. *eſt ſolo timore pœnæ abſtinere à malo, & malum, quod velis, præ timore non facere.* Et rursùm inſrà: *Hoc*

uſque adeò verùm eſt, ut etiam ipſe actualis timor, & opus externum ab hujuſmodi timore procedens, vitium contrahat, & verè peccatum fiat ex illa circumſtantia, quâ quis dolet talem pœnam peccato appoſitam eſſe, & cuperet, ſi impunè permitteretur, peccatum perpetrare, quemadmodum aperiè docent ſanctus Bonaventura, & Durandus. Qui loquendi modus, licèt mihi non probetur, fundamentum habet etiam in ſancto Thoma: *Timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet, quod ſit malus.* Ecce, quantos Chriſtianæ Doctrinæ gigantes accuſator faciat Lutheranos. Dictam ſervilitatem eſſe actum ſervili gehenna-
2. 2. q. rum metui *neceſſariò conjunctum* ego ubi dixi? Ab-
19. art. 4. ſit ut receſerim à ſancto Thoma: *Servilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis.*

Diluitur nona Accuſatio.

A Tridentinæ Synodi, ex ſervili metu aut alio id genus fonte conceptam attritionem laudantis, decreto dixi laudari duos actus: Metum introducentem, & introductam charitatem ſeu charitate formatum dolorem, & in hoc ſolo litam eſſe eſſentiam attritionis. Dixi metum eſſe dumtaxat extrinſecum iſtius ſapientiæ exordium. Dixi Martinum Lutherum ſenſiſſe cum Donatiſtis, non dumtaxat introducentem metum, ſed & introductam charitatem errantibus eſſe pravam, peccatum, hypocriſim, legis prævaricationem. Hanc doctrinam accuſator aſſirmat novam, gratis excogitatam ad evadendam vim Concilii, & à nemine hucuſque clarè expreſſam. Reſpondeo eam clarè exprimi à Senonenſi, per Antonium à Prato, ejuſdem Sedis Metropolitam, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Synodo damnante hunc Martini Lutheri articulum: *Non licet indu-* Anno *cere homines ad Pœnitentiam per timorem gehennæ.* 1528. Quod ipſum in ſexti per Leonem Decimum Pontificem damnati articuli refutatione confirmat glorioſus Martyr Joannes Fiſcherus, Roffenſis Epiſcopus, frequenter querens actus diſparatiſſimos hicà Luthero dolosè confundi. Hoc item adſiduè clamant laudata ſub Hermanno Archi-Epiſcopo Colonienſis Synodus, Michael Epiſcopus Merſeburgenſis, Petrus à Soto, Joannes Daventrienſis, & quotquot olim Lutherum impugnaverunt. Hinc & ad Caroli Quinti Imperatoris ſacram juſſionem etiam ſacra noſtra Facultas in Lutherum edidit hunc articulum: *Contritio eſt dolor de peccatis propter Deî offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Non autem, ut quidam hoc ſæculo perverſè docent, terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem.* Hunc enim timorem dixit Propheta eſſe initium ſapientiæ, ideſt, Chriſtianæ converſionis, pœnitentiæ, & charitatis. Et quis vel ex ſolis Leonini diplomatis, vel ex ſacro-ſancti Concilii verbis non videat imperfectam pœnitentium contritionem à ſervili metu, aut aliis id genus, per quas parari & communiter concipi dicitur, viis palam & plurimùm diſtingui? Quis non videat non iſtas vias, ſed ſolam per ipſas paratam & conceptam contritionem de ſufficienti ad percipiendam in pœnitentiæ Sacramento juſtificationem hominis paratura laudari? Quin imò non ſolam ex ſimili fonte conceptam attritionem, ſed

omnem imperfectam charitatem Lutherus de vitio & peccato infamavit. Hinc Joannis Cassiani, sancti Joannis Chrysostomi, sancti Gregorii magni, aliorumque seram in vitæ exitu, omnemque ex servili metu conceptam pœnitentiam non plenis laudibus profequentium Patrum authoritate frequenter utitur: Quam hi quandoque timent non fuisse, ille affirmat nunquam esse veram. Patrum sensum in quarto distinctionum libro insigniter exponit antiquus & laudatissimus Scholarum Doctor Bandinus: *Illa pœnitentia maximè laudabilis est, quæ non tantùm habet timorem, sed & libertatem. Undè Augustinus: Nullus expectet quando peccare non potest. Arbitrii libertatem quærit pœnitentia, ut possit delere commissa, non necessitatem: Sed charitatem, non tantùm timorem, quia non in solo timore vivit homo. Ilia ergò, quæ in extremis agitur, non sic laudabilis est, quia ex timore magis quam ex charitate esse videtur.* Dist. 20.

Introductam charitatem, datamque ab illa libertatem, ab introducente metu & injecta per ipsum necessitate palam distinguit, per talem etiam obstetricem vult nasci, & uti necessariam, ita quoque sufficientem affirmat ad veram, licèt imperfectam pœnitentiam. Quibusdam Patrum verbis deceptus vel abusus Lutherus vult non sufficere. Ejus frater Joannes Calvinus nobis longè aliam in institutionum libris imponit calumniam: *Scholastici Sophistæ contritionem, primam obtinendæ veniæ partem faciunt, eamque debitam exigunt, hoc est, justam & plenam.* Cap. 3. c. 4.

Perfectam ac divinæ offensæ æqualem Contritionem ait à nobis etiam in Sacramento exigi, ideoque Christi populum, quod laudabilis quidem & optanda sit ista contritio, sed *ipsa nunquam defungi possit peccator*, ad simulationem à nobis cogi vel desperationem. Hinc ad justificationem vult aliud non requiri quam fidem & fiduciam in sanguinem Redemptoris. Ambos errores sacrosanctæ Tridentina Synodus eodem consixit verbo, definiens etiam imperfectam, licet ex gehennæ aut aliarum pœnarum metu, seu aliis ignobilibus ejusmodi viis paratam & conceptam contritionem, dummodò à Christianæ reconciliationis Sacramento adjuvetur, omninò sufficere ad justificationem. Hæc est constans Ecclesiæ doctrinæ per Tridentinos Patres meritò confirmata.

Decima Accusatio dilucidatur.

Ipsu, immò miseratione dignum est, quod me, ubi servilem gehennarum metum esse quidem à Deo incusum motum, non tamen supernaturale ac infusum gratiæ donum scripsi, accusator dicat esse Jansenistam ac Lutheranum. Fol. 52.

Forè video, ut si cum Jansenio aut Luthero Apostolicum Symbolum vel Dominicam Orationem fuero professus, protinùs de ipsorum fœdere apud istum judicem sim reus. Quod enim servilis gehennarum metus sit Judaica ex lege, non Christiana ex divinæ infusionis dono justitia, est Christiani dogmatis fundamentum adeò immobile, ut nullus orthodoxus usque huc legatur de ipso vel dubitasse. *Timor servilis*, inquit sanctus Thomas, *non est numerandus inter dona Spiritus Sancti, licèt sit à Spiritu Sancto.* Non enim est aliud, quam per legis minas à Deo incusus spiritus servitutis. Aliud est hic ipse timor, aliud ex ipso concepta, licèt imperfectæ, veræ tamen contritionis sapientia. Hanc solam, quod ille non nisi extrinsecum sit ejus initium, esse germanum divinæ per Jesum Christum gratiæ donum semper Ecclesia sensit. Nec aliud voluit, quem sibi accusator advocat in patronum, Guilielmus Estius, Apostoli dictum, *Non iterùm accepisti spiritum servitutis in timore*, exponens; *Apostolus satis significat & à Spiritu Sancto hunc timorem profecisse, & ab eo quibusdam aliquando datum fuisse, nempe populo veteris testamenti in ipsa legis acceptione.* Verùm hæc omnia parerga sunt, & quæstita à principalis quæstionis examine diverticula. Principalis quæstio est, an peccator sine fide in Deum, seu sine casta adfectu saltem super omnia Dei dilectione possit divinæ Majestati reconciliari? Partem adfirmativam constanter adfevero esse immobilem fidei Romanæ articulum, de quo usque ad Melchiorem Canum nemo fidelis dubitavit. Curaccusator pro suæ servilis attritionis ad justificationem sufficientia nullum adducit Prophetam, nullum Evangelistam, nullum Apostolum, nullum Ecclesiæ Patrem. Christianæ sapientiæ, quam pacificam esse atque sensibilem, mandat sanctus Jacobus Apostolus, semper ex Dei miserante gratia sperem esse obediens ac studiosus: Ubi pro ista attritione authenticos testes audiero, discam libenter, & beneficio gratias dabo. Certè Tridentina Synodus ab avita Patrum, Prophetarum, & Apostolorum doctrina non potest recessisse. L. 3. Dist. 34. §. 7.

Accusatio undecima dilucidatur.

Perfectam charitatem scripsi esse illam, qua homo patienter vivit ac delectabiliter moritur, quæque nos à cunctis ingeneratæ libidinis adhæsivis affensibus solvit ac purgat. Ejus vires abundè exposui, rectè adjungens. *Expertus potest credere, quid sit Jesum diligere.* Hasce enim vires video etiam non capi ab Accusatore, in me pergente: *Sensus hujus Autoris est, quod peccator, quemodocumque demùm ex amore Dei, & quantumcumque de peccatis doleat, non possit tamen sine actualis Sacramenti consortio justificari, si erga rem quampiam creatam sic afficiatur, ut illam cum aliquo doloris sensu amitteret, vel non consequeretur. Hinc si conjunx morti vicinus optet vitam sibi à Deo prolongari, quo res familiæ suæ componat, quo uxori & liberis subveniat, quibus videt aliquin defore necessaria, nihilominùs mortem juxta Dei beneplacitum paratus sit acceptare, cum aliquo tamen dolore & gemitu, non poterit talis elicere Contritionem, quæ impetrandæ justificationi per se sufficiens sit, ac proindè si sit in peccato mortali, ac desit copia Confessarii, actum est de æterna illius salute.* Verùm imperfectam charitatem & Contritionem ubi ego dixi in mortis exitu non posse sine actuali Sacramento justificare? Non solùm robustam & adultam, sed nutritam etiam atque dumtaxat natam justificare omninò asserui, & multis ostendi.

Divi Augustini auctoritas defenditur.

Etiam sanctum Augustinum impetit Accusator. Grandem hunc Ecclesiæ solem esse per Apostolicas in Cornelium Jansenium Constitutiones eclypsatum, & utriusque de victrice Dei gratiam doctrinam ictu uno damnatam à Sede Apo-

postolica, piorum in Belgio aures, cum offensione & scandalo frequenter audiverunt. Efficœnem dicacitatem compescuit beatissimus Pater noster Alexander VII. dato ad sacram nostram facultatem Brevi avitum Apostolicæ Sedis affectum innovans in sanctum Augustinum, declaransque ejus dogmata esse tutissima, inconcussa, veneranda ab omnibus, ac tenenda. Quod fulmen æmulorum oculos adeò perstrinxit, ut quis eorum veritus non fuerit scribere laudatum Breve per diabolicam machinam fuisse impetratum. Ex eadem radice non adversùs solum, ex quo Tridentinam Synodum dixi multa definivisse, S. Augustinum, sed generatim adversùm omnes Ecclesiæ Patres scripsit etiam Accusator: *Ego verò contradicendum autumo, nempe dum Conciliorum dictis consentientia reperiuntur in Augustino, præcipuum robur Augustino à Concilijs accedere, suam verò Conciliorum*
Fol. 13. *definitionibus veritatem ac firmitatem integram stare, sive idem dixerit Augustinus, sive oppositum. Quod obiter contra tales loquendi modos volui indicatum.*

Verùm longè aliter sensit magna Synodus Chalcedonensis. Etenim à Marciano Augusto admoniti Episcopi, quatenùs læsam ab Eutychete fidem, non tantùm juxta tres priores generales Synodos, sed & juxta Gregorii, Basilii, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Cyrilli, aliorumque Patrum traditionem firmarent, una voce responderunt:
Act. 1. & 2. *Docuerunt Patres, & in scriptis custodierunt quæ ab eis sunt expositæ, & citra ea dicere non possumus.* Et gloriosissimis Judicibus fidei definitionem tandem condi urgentibus, denuò responderunt: *Si jubetis nobis dari indictas, petimus Patres simul perscrutari.* Et edita tandem fidei definitio hoc habuit exordium: *Inerrabilem Patrum renovavimus fidem.* Et rursùm: *Sequentes igitur sanctos Patres.* Nulla unquam dogmatica Romani Pontificis Epistola plures & acriores ab hæreticis passa fuit contradictionis impetus, quam ab Eutychianis Augustiniana illa, qua primam de Eutychete sententiam confirmavit, & Chalcedonensem posteà Synodum instruxit, uti sui Apostolici suffragii prærogativa, sanctus Leo magnus. Plures pro ipsa scripsit Apologias, quarum omnium summam habes in literis ad Episcopos Palæstinos: *In nullo à sanctorum*
Ep. 93. c. 1. *Patrum confessione discessi.* Eadem ex regula dixit de ipsa in Chalcedonensi Synodo, omnium Episcoporum nomine, Diogenes Cyzicenus Episcopus,
Act. 4. Hellesponti Metropolita: *Omnes consensimus Epistolæ, consequenter habenti expositioni 55. Patrum.* Et sextæ generalis Synodi ad Constantinum Augustum sermo acclamatorius: *Paternas traditiones secuti sumus, & nihil dissonum aut discrepans ab eorum informatione adinvenimus.* Et ad Marcum Ephesiorum Metropolitam dixit in Florentina Sy-
Sess. 19. nodo Frater Joannes de Monte nigro: *Sanctus Basilius & hujusmodi Doctores sunt fundamenta nostræ fidei.* Et infra: *Ego dixi vobis illud, in quod ultimo sancti Patres generalium Conciliorum omnia resolvebant, semper fuisse 55. Patrum testimonia, ita ut in unaquaque definitione fidei decretum editurі proferrent Patrum testimonia, & omnes acquiescerent.* Sanctos Patres semper fuisse generalium Synodorum regulam, insigniter ostendit in dogmatica ad suos, unionis suasoria, oratione Bessarion
Cap. 2. Metropolita Nicæus. Ejusmodi plurima adduci possint authentica testimonia. Generales enim Synodi, licèt à Spiritu sancto dirigantur, novas tamen revelationes non accipiunt, nec novos fidei articulos possint condere: Christianum dumtaxat dogma, Erronum litigiis obscuratum aut arietatum, dumtaxat elucidat ac exponunt ex authenticis Evangelici atque Apostolici Depositi Archivis, qui sunt sancti Ecclesiæ Patres. Quæcunque ex ipsis non deprompsit Synodus, erratica fuit, aut etiam latrocinalis. Proindè generalia Ecclesiæ Concilia & sancti Ecclesiæ Patres sunt duo Seraphim, qui ultro citròque cantant honorem Deo, ac sese invicem inerrabili authoritate impartiuntur. Et inter hosce Patres quis ambigat esse, in Divinæ præfertim gratiæ ac humanæ justificationis Mysterio, S. Augustinum?

CAPUT VI.

Quædam alterius Accusatoris capita exponuntur.

Dissertationi meæ accessit & alter Adversarius, adeò obscurus, aut certè subtilis, ut ego per planas sacrarum literarum & Ecclesiasticæ traditionis vias dumtaxat ambulare confuetus, in sublimes adeò cogitationes non sperem ascendere, nisi forsàn pacificam & modestam sapientiam necdùm complexus animus faciat & stylum cespitare. Luminosa charitas, uti non cogitationis, ita longè minùs habenas calami permittit in proximum laxari.

Exponitur ac defenditur Joannes Driedo.

Ante omnia admiror à profundo hoc Scriptore Joannem Driedonem trahi in servilis Attritionis patrocinium. Aliter in Baptismi, aliter in Pœnitentiæ Sacramento nos Deo reconciliari, ideòque majorem Pœnitentibus quàm Catechumenis esse necessariam Contritionem docet Driedo, & adjungit: *Hic fs dixeris, Uterque tam is vi-* Fol. 80. *delicet, qui baptizatur, quam is qui relapsus reconciliatur, justificatur, dum displicentia totius veteris vitæ major est, quam displicentia quælibet de alio temporali damno aut incommodo, prodiens etiam ex tali erga Deum dilectione, quæ vincit omnem vitæ hujus amorem. Non videtur igitur relapso pro sui justificatione necessarium, neque vehementiùs intùs pœnitere & ingemiscere, neque foris subire graviora Pœnitentiæ opera, cum sufficiat utrobique fides cum ea mensura dilectionis in Deum, odioque in peccatum, quæ vincat omnium temporalium rerum affectum. Respondeo. Deus operatur gratiam & remissionem peccatorum, non propter quemlibet motum liberi arbitrii nostri, aut dilectionis, aut interioris Pœnitentiæ, tamquam videlicet motus illi secundùm tales vel tales graduum mensuras mereantur gratiam, sed propter suam misericordiam. Nostra enim dilectio, qua diligimus Deum etiam propter ipsum, displicentiaque secundùm quàm odimus peccatum, non est digna justificatione, neque meritoriæ gratiæ, sed Deus pro sua misericordia, ubi voluerit, largitur illam, quam si negaret etiam sic dispositis, non foret injustum. Non ergo ratione caret sententia illorum, qui dicunt ex Attritо fieri Contritum etiam motu interioris Pœnitentiæ non adaucto.* Eorum, qui parem per omnia, sine quovis interni aut externi operis additamento, Contritionem volunt Pœnitenti æquè ut Catechumeno ad justificationem sufficere, sententiam Driedo adfirmat probabilem, de servili Attritione probanda ne vel somniavit. Ex Dei super omnia dilectione forma-

tam Contritionem lucidissimè & constantissimè in hoc ipso etiam loco requirit. Eadem fide tractantur Joannes à Daventria, & alii adducti Doctores.

Quorumdam Articulorum à Pio quinto Pontifice facta damnatio exponitur.

PRimum Accusationis caput Dissertationi imponit quosdam à Pio quinto Pontifice damnatos & circumscriptos Articulos: *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Catechumenus rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, & legem implet per charitatem, ante remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur. Per Contritionem etiam cum charitate perfectam, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis & Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

Respondeo istarum propositionum Auctorem fuisse suspectum aut reum doctrinæ, quam Ecclesiæ Catholicæ per calumniam imponit in suis Institutionum libris Joannes Calvinus: *De Contritione & Attritione multus apud eos*, Papistas, *sermo; multis scrupulis animas torquent, & plurimùm molestiæ & anxietatis ingerunt.* Et statim infra: *Contritionem faciunt primam obtinendæ veniæ partem, eamque debitam exigunt, hoc est, justam & plenam. Sed interim non constituunt, quando securus aliquis esse possit se hac Contritione ad justum modum esse defunctum. Equidem sedulò & acriter instandum esse fateor, ut quisque amare defflendo peccata sua, se ad eorum displicentiam & odium magis acuat. Hæc enim est non pœnitenda tristitia, quæ Pœnitentiam gignit in salutem. Sed ubi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini respondeat, & quæ in trutina appendatur cum spe veniæ, hic verò miseræ conscientiæ miris modis torquentur & exagitantur, dum sibi debitam peccatorum Contritionem imponi vident, nec adsequuntur debiti mensuram, ut secum decernere possint se persolvisse quod debebant.* Condignam & commissæ in Divinam Majestatem injuriæ adæquatam Contritionem exigere à Pœnitentibus est omninò antiquissima Ecclesiasticæ disciplinæ Regula, quam multis sanctorum Patrum & Synodorum testimoniis demonstrat in opere de Pœnitentia Joannes Morinus. Istius injuriæ portio palmaris est nostra à Deo optimo maximo, quem ex toto corde & toto animæ viribus diligere oportuit, ad creaturas apostasia, quæ plenè reparari non possit nisi per veram ex toto corde dilectionem, ac ex ipsa formatum peccati odium, lacrymas, gemitus, depravati pectoris tunsiones, & totius animæ Contritionem. Verùm solius consilii est ista res, non rigidæ necessitatis. Minoris Contritionis, ac minoris in Deum dilectionis ac fidei Pœnitentes ad Reconciliationis donum, semper admisit Ecclesia, duriora illis ac longiora fatisfactionis opera imponens, atque ita compensans omnem Contritionis à plenitudine recessum. Pro varia ostensæ Contritionis mensura & modo fuisse semper mitiùs aut duriùs tractatos atque tractandos Pœnitentes, clamant omnes antiqui Canones & Patres. Præfatorum igitur Articulorum Auctor ad impetrandam peccatorum etiam in Sacramento veniam requisivit Contritionem plenam, atque perfectam charitatem, quæ sit ex corde & cunctis saltem adfixivis cupiditatibus puro, & bona omnem servilem gehennæ metum excludente conscientia; quæ sit plenitudo legis, & mandata Dei non solùm observet & faciat, fed & impleat atque perficiat; quæ sit non solùm vera, sed insuper perfecta: Eam fine actuali Sacramento non justificare dixit, atque ita isti ejus articuli meritò fuerût circûscripti atque damnati.

L. 3. c. 4.

L. 1. c. 14. 15. 16.

Postremus tamen articulus est plurimùm ab aliis diversus. Conjungi debet cum his: *In peccato sunt duo, actus & reatus. Transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, seu obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis Absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu. Peccator Pœnitens non vivificatur Ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat, Ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.* Exponenda hic est primævorum Scholasticorum de Baptismalis ac Pœnitentialis Sacramentorum, & per ipsa operati operis virtute opinio, quòs inter est Robertus Cardinalis Pullus: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Is nimirùm peccata dimittit, qui virtutes dimissioni superponit, qui vitam æternam retribuit. Quid ergo apud homines est peccata remittere, aut à peccato absolvere, nisi Sacramentum Remissionis & Absolutionis celebrare? Ex quo quis pœnitet, Deus remittit, peccata postmodùm confitenti Minister Dei absolvendo remittit, nisi quod Sacramentum Remissionis & Absolutionis facit? Absolutio, quæ peractæ Confessione super Pœnitentem à Sacerdote fit; Sacramentum est, quoniam sacræ rei signum est. Et cujus sacræ rei signum est, nisi Remissionis & Absolutionis? Nimirùm Confitentibus à Sacerdote factæ à peccatis Absolutio remissionem peccatorum, quam antè peperit cordis Contritio, designat. A peccatis ergo Presbyter solvit, non utique quòd peccata dimittat, sed quòd dimissa Sacramento pandat. Et quid est opus pandi, nisi ut consolatio fiat Pœnitenti?* Contrahitæ ex peccato maculæ expurgationem, veram peccati remissionem, seu à peccati morte resuscitationem, sola Contritione fieri, Sacerdotis Absolutione solum æternæ pœnæ reatum auferri vult, aut certè in temporalem commutari. Hinc Lazari, à solo Domino resuscitati, actum ad sola cadaverina Judaici mortis ligamenta solvenda traditi Apostolis, exemplo passim abutitur, rectè adfirmans nostram in Pœnitentiæ Sacramento Reconciliationem fuisse istic præfiguratam. Quod ipsum docet de Sacramento Baptismi: *Quemadmodum post compunctionem, ubi ab ipso Domino suscitatus Lazarus, necessaria est Confessio, ubi officio Ministrorum ligamentis mortis, idest, corpore peccati absolvitur; ita post fidem, qua mors propellitur, succedit Baptisma, ut vita vegetetur. Et quomodò quolibet tempore charitas operis multitudinem peccatorum, ne sint ultrà ad damnationem, compunctio verò, quam charitas parit, atque satisfactio, quam imperrit compunctio, eadem operit, nè ultra exigantur ad pœnam; ita homini peccata remittit fides, ne damnetur, Baptismus, ne puniatur. Quòd fides facit, Baptismus ostendit. Fides peccata delet, Baptismus de-*

Par. 6. c. 61.

Part. 5. cap. 13.

deleta docet; undè Sacramentum dicitur.

Eandem sententiam tutati sunt Hugo & Ricardus de sancto Victore, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, & alii tunc Magistri ferè omnes. Palmarem difficultatis nodum, quomodò quis & à peccati macula mundatus, & simul adhuc æternæ damnationis reus esse possit, in Tractatu de solvendi ac ligandi potestate solvere conatur laudatus Richar-
Cap. 19. dus: *Ad ea, quæ superiùs dicta sunt, quidam opponunt & dicunt, qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent. Alioquin quod scribitur, quomodò in eis rectè intelligitur,* QUACUMQUE HORA PECCATOR INGEMUERIT, SALVUS ERIT? *Nemo enim, qui charitatis capax est, sine charitate salvari potest. Sed, ut putant, qui charitatem habent, debito damnationis æternæ teneri non valent. Quomodò ergo Sacerdos tum ab ejusmodi debito absolvit, si ante Sacerdotalem Absolutionem, charitate interveniente, absolvi jam meruit? Sed absque ulla dubitatione Patriarchæ & Prophetæ charitatem habuere, & tamen tenebantur vinculo damnationis æternæ: alioquin nec ad inferna descenderent, nec ullâ redemptione egerent.* Ex sanctorum in Limbo degentium Patrum apud inferos captivitate ostensum putat quempiam posse esse justificatum à peccatis, & tamen æternæ adhuc damnationis reum, atque ita post primum à Deo solutum vinculum posse restare secundum, solvendum Ministerio Sacerdotis.

Part. 3. c. 16. Quæ doctrina rectè displicuit Petro Pictaviensi: *Dicunt quod Deus peccatum solvit quâtùm ad reatum, & posteà Sacerdos illud solvit quantum ad pœnam in Confessione, & liberat hominem à pœna æterna. Quod nos una sola ratione falsum ostendimus sic: Deus solvit ipsum à peccato: ergo ipse est in charitate, ergo est dignus vita æterna, ergo non est dignus pœna æterna, sed fuit ea dignus; ergo solutus est à pœna illa, sed à nullo, ergo Deus illum solvit, non ergo Sacerdos. Sacerdos autem non solvit peccatum, nec quantùm ad poenam, nec quantùm ad reatum, sed solvit & dimittit, id est, ostendit esse solutum & dimissum à Deo quantùm ad reatum. Quia verò rectè ipsum esse dimissum quantùm ad poenam, injungit ei temporalem poenam.* Sacerdotale per claves Ministerium Petrus cum Magistro suo Petro Lombardo esse voluit merè declaratorium; Ri-
Cap. 19. chardus autem judiciale, ideoque & pergit: *Exstat quorumdam sententia tam frivola, ut videnda potiùs quàm refellenda videatur. Putant enim Sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos.*

Hinc item aliqui eò usque prolapsi sunt, ut factam Sacerdoti Cõfessionem adfererent impetrandæ justificationis non esse necessariam, & suis de Pœnitentia Distinctionibus Gratianus inseruerit
Dist. 1. hanc quæstionem. *Utrùm sola cordis Contritione, & secreta satisfactione, absque oris Confessione, quisque possit Deo satisfacere? Sunt enim qui dicunt quemlibet criminis veniam sine Confessione facta Ecclesiæ & Sacerdotali Judicio posse promereri.* Æternæ damnationis reatum cum culpæ factæ remissione videbant esse incompatibilem; ideoque legitima ac vera, quæ plenè delebat culpam, contritione etiam remitti dictum reatum existimabant, atque ita confessione non esse opus. Gratiani verbis adjungit Glosa: *Alii autem negant. Dicunt enim, quòd sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore, & opere, ita tribus modis illi satisfaciendum est. Undè dicunt tria hæc esse necessaria: Cordis Contritionem, oris Confessionem, & operis satisfactionem. Auctoritates autem, quæ dicunt peccatum dimitti sola cordis Contritione, adserunt intelligendas esse, cùm articulus necessitatis excludit oris Confessionem, scilicet cum aliquis conteritur. & morte præventus, vel alio aliquo justo impedimento hoc facere impeditur. Alii dicunt, inter quos est Petrus Manducator, conditionalem fieri remissionem per Contritionem.* Nempe sub conditione: *Si tuo tempore confiteatur.* Ese putant remissionem ad reincidentiam. Et jam à Roberto Pullo audivimus: *Quid est opus pandi peccata, nisi ut consolatio fiat Pœnitenti?* Quod ferè ipsum hoc sæculo docent Lutherani. Diversas & in speciem quasi adversas pro utraque istius quæstionis parte auctoritates conglomeravit Gratianus, atque ita utrique judicavit probabilem.

Eo eodem fonte manavit opinio adfirmans Confessionem esse juris dumtaxat humani. Rationes
Part. 3. q. 13. prodit Petrus Pictaviensis: *Alii dicunt quòd Confessio non est Sacramentum, sed Sacramentale, sicut aqua benedicta, & panis benedictus.* Ex quo fortè hausit & Joannes Calvinus Confessionem esse humanum commentum. Dicti Petri sententia non est multò melior: *Veritùs videtur quòd Confessio sit Sacramentum. Dicimus quòd Confessio præcepta fuit ibi;* ITE OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. *Sciendum est quòd Confessio est Sacramentum veteris Testamenti, nec efficit quòd figurat, sicut nec conjugium.* Et infrà: *Veritùs videtur, quod Confessio Sacramentum sit, & non est Sacramentum novi Testamenti. Quod etiam sic ostenditur: Quia Confessio non est opus Dei, sed hominis, nec habet aliquam vim, nisi ex charitate, ergo Confessio non est Sacramentum novi Testamenti.* Et nullam operati operis, sed solam, ex qua fit operantis charitatis virtutem adscribit, & hinc infert: *Est certùm, quod remissio peccati præcedit Confessionem. Undè David:* CONFITEBOR, ET TU REMISISTI. *Non dicit:* REMITTES. Distinctam peccatorum Confessionem fuisse etiam Judæis in usu, & præcepto, lucidè ostendit Joannes Morinus ex vetustissimis ipsorum Ritualibus: Ex eisdem Petrus Pictaviensis vult illam esse solius antiqui Testamenti Sacramentum. Circa prima fidei Christianæ fundamenta prima illi Scholastici fuerunt adeò fædè hallucinati, ac inter se colliſi.

Part. 5. c. 13. Et hinc inter errores, anno 1226. damnatos à Stephano Parisiensi Episcopo, fuit & hic: *Non est Confessio faciendæ, nisi ad appetentiam.* Fuit item inter errores, quorum causa Gualterus de sancto Victore librum scripsit adversùm quatuor Galliæ Labyrinthos: Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, & Petrum Pictaviensem. Et in suis ad Robertum Pullum scholiis habet Hugo Matthoud: *Sciendum eo sæculo, in quod Scholasticæ Theologiæ cunas rejicimus, plures fuisse qui neglectò solidiori, & sacratioris doctrinæ poenu, soli fervè genio rationis indulsere, & ut spinarum ferax incultus ager, alienam pertæsi manum, nec fructibus delectati nisi sponte nascentibus, non mirum si pleraque dederint aut agrestia, aut languida succi, nec benè proba.* Eos fuisse docet lapsus primorum Scholasticorum. Cunctis suis posteris, humanæ subtilitatis libertatem amantibus, dedere hocce Monitum: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Et fanè quisquis neglecta sacratum literarum & sãctorum Patrum lectione atque doctrina, ex solo suo colligit

caducos humanę rationis floſculos, non poteſt non ceſpitare. Præſentium ergo Articulorum Auctor iſtam jam dudum proſcriptam Theologiam venit reparatum, æternæ damnationis reatum cum perfecta etiam charitate, & facta peccatorum quoad maculam remiſſione dixit compatibilem, ipſumque ſolum remitti per Sacramentale Sacerdotis Miniſterium. Hinc meritò aboliti & circumſcripti ſunt ejus Articuli, à quibus mea adſertio eſt longiſſimè remota.

Utinam longè abſint & mei Accuſatores. Quiſquis enim per quamlibet, licèt imperfectam, adſectu ſuper omnia Dei charitatem, natamque & formatam ex ipſa Contritionem vult quaſi ſtata lege peccatorem juſtificari, licèt vivificantium Sacramentorum neceſſitatem non plenè exſufflet, nec ad ſolum conſolationis effectum, aut ſolam pœnarum condonationem reſtringat, inſigniter tamen humiliat: Opinio, quæ primos Scholaſticos in adeò fædos de Pœnitentiæ Sacramento errores circumſcripſit, non poteſt non eſſe malæ notæ, & inſigniter periculoſa. Si quævis charitas, aut quævis per ipſam formata Contritio juſtificet, modica eſt Sacramenti neceſſitas: Contracta eſt ad ſolum dati per Contritionem doni augmentum. Longè aliud ſenſit antiqua Eccleſia, Catechumenos, licèt charitate flagrantes, jubens & cogens anhelare ad Regenerationis Sacramentum, tamquam cervos ad fontes aquarum. Utique ex hac per ſanctum Auguſtinum ad nos traducta Patrum regula: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non ei dimittitur, niſi dum venerit ad aquas.* Uti cæcitatis ſquammæ ex oculis corporis, ita & peccatorum maculæ ex anima non ceciderunt Apoſtolo Paulo, niſi poſt receptum ab Anania Damaſcenorum Epiſcopo Baptiſmum. Et Cornelio Centurioni infuſum ante actuale Baptiſma Spiritum ſanctum ſanctus Petrus Apoſtolus, ipſique adſtans Eccleſia ſunt plurimùm admirati, quod nempe ſalutis & juſtificationis donum non illi, qui tantùm credereet, ſed qui inſuper baptizaretur, ſcirent à Domino promiſſum. Hujus regulæ diſpenſationem ſunt admirati. Ex eadem regula non ſolum Baptiſma, ſed & conſcientiæ bonæ interrogationem, ſeu charitatem in Deum requirit idem Apoſtolus: Adeò non ſine fundamento in Diſſertatione ſcripſi hanc charitatis neceſſitatem eſſe Evangelicam ac Apoſtolicam prædicationem. Hinc cordis converſionem & Sacramentum eſſe duas, quarum altera ſine altera parum ſit, humanæ juſtificationis regulares concuſſas clamant unanimiter antiqui Patres. Attamen quandoque ex cauſſis dari regulæ diſpenſatione, in libris de Baptiſmo adversùm Donatiſtas diſertè ſcribit ſanctus Auguſtinus. *Sicut*, inquit, *in illo*, qui crucifixus in fine pœnituit, *latrone quod ex Baptiſmi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat; ſic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis impleve credenda eſt, quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia nec corde credere ad juſtitiam poſſint, nec ad ſalutem confiteri.* Et infrà in ſequenti capite: *Quibus rebus omnibus oſtenditur aliud eſſe Sacramentum Baptiſmi, aliud converſionem cordis, ſed ſalutem hominis ex utroque compleri. Nec ſi unum horum defuerit, ideò putare debemus conſequens eſſe, ut & alterum deſit, quia & illud ſine hoc eſſe poteſt in infante, & hoc ſine illo eſſe potuit in latrone, complente Deo ſive in illo, ſive in iſto, quod non ex voluntate defuiſſet; cum verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi.* Uti infantium ſine propria Contritione, ita adultorum ob Miniſtri defectum ſine Sacramento morientium juſtificationem adfirmat fieri *complente Deo*, ſeu per factam regulæ diſpenſationem. Et hinc ad verba iſta Majores noſtri Doctores Lovanienſes poſuerunt hoc marginale Scholion: *Supplet Dei benignitas quod neceſſitas excluſerit.* Quæ omnia maturè conſiderans poſterior & melior Schola iſtum, quem uſque ad Præpoſitivi tempora graſſatum teſtatur Hugo Matthoud, errorem peſſimum eliminavit, Pœnitentiæ ac Baptiſmi neceſſitatem reſtituit, conſtanterque docuit juſtificationis extra ipſa donum obtineri regulariter non poſſe, niſi per ſolam Contritionem perfectam. Quam veritatem Tridentina Synodus omninò confirmavit. Quæ autem & qualis Contritio juſtificaret antiqui Teſtamenti tempore, ignoro. Senſa mea expoſui in Diſſertatione. Eſt quæſtio Theologica, in qua unumquemque in ſuo abundare ſenſu libens permitto. Pro ſola veræ charitatis ad Contritionem & juſtificationem neceſſitate laboro.

Lib. 4. c. 24.

Diverſi charitatis & Contritionis gradus defenduntur.

ETiam quæ de diverſis charitatis gradibus ſeu claſſibus dixi ex S. Auguſtino, hic Scriptor impugnat. Summi tamen ponderis eſt iſta diſtinctio. Eam laudat & Petrus Pictavienſis, ac rectè adjungit: *Quæritur utrùm idem ſit ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, & peccare venialiter?* Utramque contradictionis partem ornat argumentis, & concludit: *Dicendum eſt quòd non eſt idem ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, quod peccare venialiter. eſt enim ædificare lignum, fœnum, ſtipulam, habere carnalem adfectum circa temporalia, ſed Deum præponere. Omnis ergo, qui ædificat lignum, fœnum, ſtipulam, peccat venialiter, ſed non convertitur. Ædificare autem aurum, argentum, lapides preciosos, eſt Deum perfectè diligere, & omnia terrena deſpicere. Omnis ergò talis Deum diligit, ſed omnis, qui diligit Deum, non eſt talis. Illi ergo, qui ædificant aurum, argentum, lapides preciosos, peccant quandoque venialiter, non tamen ædificant lignum, fœnum, ſtipulas, quia ſtatim deletur venialè peccatum in eis. Tantùm enim habent fervorem charitatis, quod ſtatim exſtinguitur in eis venialè peccatum, ſicut gutta aquæ in camino.* Cordibus noſtris in fundamentum poſito Chriſto Domino ſuper ædificata lignum, fœnum, ſtipulas adfirmat eſſe adfixivos, quibus tamen Deum non poſtponimus, creaturæ amores: Eos excludi dicit à ſola charitate perfecta, & meæ Diſſertationis doctrinam inſigniter confirmat.

Part. 3. c. 5. 25.

Laudanda ſunt & hæc ejus verba: *Quia variis modis loquitur Scriptura de perfectione, ad tollendam aliquam ambiguitatem adhibenda eſt diſtinctio. Scriptura ergo interdùm perfectionem vocat ſufficientiam. Secundùm quod dicitur: Perfecta Pœnitentia eſt, quæ commiſſa delet. Id eſt, ſufficiens. Et eſt perfectio comparationis, de qua dicitur: Non perfectus erat*

erat in generationibus suis. Scilicet comparatione aliorum. Horum perfectionum utraque, id est, & sufficiens, & per comparationem, potest haberi exemplum charitatis imperfectæ. Hoc est; & per sufficientiam, & per comparationem perfecta charitas esse potest imperfecta: Utique facta relatione ad perfectionem absolutam. Ita omnis Dei, licet solo adfectu, super omnia dilectio, omnisque per ipsam formata Contritio hodie à multis Scholasticis vocantur dilectio & Contritio perfecta. Verùm per solam sufficientiam, ideoque sunt dilectio & Contritio imperfecta. Antiquissima est ista phrasis: Et nequaquam per Scholasticos in Ecclesiam inducta. Etenim suis de vita contemplativa libris Julianus Pomerius inseruit hunc titulum: *De differentia* carnalium & animalium *amorum, & quantùm ab eis differat perfecta*, id est, quæ vis casta Dei seu in Deo *dilectio*. Et illos, qui idola nec adoratunt nec tolerarunt, Judæ & Beniamin Reges etiam sacra Scriptura vocat perfectos: utique quoad salutis sufficientiam. Ego vocem in sensu isto non accipio: Solam absolutè perfectam dilectionem & Contritionem isto titulo honoro. Antiquos Patres sum imitatus: Et istius distinctionis non animadversio facit Accusatores meos de meo sensu falli aut hæsitare.

Lib. 3. c. 25.

Qu. 19. art. 8. Qu. 24. art. 8.

Eadem charitatis classes seu gradus ex sancto Augustino laudat in secunda secundæ etiam Doctor Angelicus. Perfectam ac imperfectam charitatem lucidè distinguit, & pergit in alia quæstione: *Augustinus dicit super primam Canonicam Joannis, Charitas, cùm fuerit roborata, perficitur. Cùm autem ad perfectionem venerit, dicit, Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Hoc est, delectabiliter moritur & vivit patienter. Ad solvendam quæstionem, *Utrùm charitas in hac vita possit esse perfecta*, aliam ex objecti diligibilis, aliam ex subjecti diligentis parte distinguit perfectionem. Priorem, quod infinita ac Divinæ bonitati æqualis esse debeat, adfirmat nobis impossibilem etiam in futura vita, & pergit de secunda: *Ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantùm, quantùm potest. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum. Et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione in ipsum.* Nec semper dumtaxat expressa, sed ex toto penitùs corde esse, seu omnes cupiditatis non tantùm adsensus etiam volaticos, sed & motus debet excludere: Quod in hac vita non dari per ordinarias Divinæ gratiæ ac providentiæ regulas, ipsa nos experientia docet. *Alio modo, ut homo studium deputet ad vacandum Deo & rebus Divinis, prætermissis aliis, nisi quantùm necessitas præsentis vitæ exquirit. Et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in vita. Non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo: Ita scilicet quòd nihil cogitet vel velit, quod dilectioni sit contrarium. Et hæc perfectio est communis omnibus habentibus charitatem.* Hæc est quoad solum adfectum super omnia, & quoad solam sufficientiam perfecta; illa est perfecta absolutè, & etiam quoad vires super omnia: Etenim hominem solis Divinis rebus studere facit & adfigit, adeoque excludit omnem adfixivum creaturæ amorem.

Etiam ad sequentis articuli quæstionem. *Utrum convenienter distinguantur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta*, ob sancti Augustini auctoritatem respondet adfirmativè: *Augustinus dicit super primam Canonicam Joannis, Charitas, cùm fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes; cùm fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes; cùm fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad Perfectos. Ergo est triplex gradus charitatis.* Eximiis rationibus eandem conclusionem confirmat, & concludit de charitate perfecta: *Tertium studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhæreat, & eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo.* Quod sola, quæ omnem servilem gehennarum metum, omnemque adfixivum creaturæ amorem foràs pepulit, bonæ ac in Deum fecuræ conscientiæ charitas cupiat dissolvi & esse cum Christo, adeoque & sola perfecta sit, utcumque ostendi in Dissertatione, innumeris sanctorum Patrum testimoniis possit firmari, & ipsa experientia convincit. Creaturas, quibus quis per amorem adfigitur, deferere non potest sine dolore, adeoque & dumtaxat patienter queat mori. Quinque charitatis classes distinguit sanctus Augustinus, sanctus Thomas contrahit ad tres: Uti natam & nutritam, ita adultam & robustam conflat in unam, ob rationes suo loco exponendas.

Eadem classes laudat etiam in tertia parte: *Charitas proficiens vel perfecta est major quàm charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit à charitate proficiente, resurgit autem in charitate incipiente.* Et iterùm: *Ad tertium dicendum, quod una & eadem gratia major est profitiens quàm incipiens. Sed in diversis hoc non est necesse. Unus enim incipit à majore gratia, quàm alius habeat in statu profectus, sicut Gregorius dicit in libro Dialogorum: Quatenus & præsentes & secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer conversationis gratiam à quamà perfectione tetendisse.* Etiam in libris de gentium vocatione sanctus Prosper humanæ justificationis exordia dicit in variis esse diversa: *Hujus præparationis non unus semper profectus, nec una mensura est. Quoniam multis modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera & dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum, quæ terra producit, non una species; nec unum in omnibus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non statim ut edantur accipiunt, sed certis & inordinatis provebuntur augmentis, donec ad perfectum sui habitus quantitatem per successentia sibi incrementa perveniant; ita & semina Charismatum, plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani eorum boc pariter quod sunt futura nascuntur: Nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in incboatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors Deus mirabiles istos suæ operationis effectus, & quibusdam mentibus, non expectato profectuum mora, totum simul, quidquid collaturus est, invehit.* Regularem humanæ justificationis processum successivo plantarum incremento esse similem, ideoque per modica & quasi insensibilia

Qu. 89. art. 2.

Lib. 2. c. 11.

sibilia paulatim additamenta adfirmat perfici: Plerosque nos non à nata, quæ saltem adfectu sit super omnia, charitate, sed à longè diluioribus rudimentis incipi & concipi in hominem novum; qui à perfecta, robusta, adulta, nutrita, aut etiam nata charitate inchoentur, adseverat esse rarissimos, aut admodum paucos. Hanc doctri-
Lib. 1. nam probat hic Doctor Angelicus. Ex istis pau-
cap. 2. cis sanctus Gregorius adfirmat fuisse sanctum Benedictum. Episcopis, Clericis, Monachis, acquisitam vel acquirendam interioris hominis perfectionem ac plenam reformationem professis, & cunctæ Christianæ Theologiæ Magistris, accurata laudatorum graduum notitia est summè necessaria. Sine ipsa quisquis humanæ justificationis Sacramentum scutari tentarit, non poterit non cespitare periculosissimè: immo & labi. Eremin definitiva sancti Augustini in libro de natura
Cap. 70. & gratia est sententia: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Quæ omnia latiùs exquirunt examen.

Mortalis peccati conscientiam habenti Ministro, antequam Sacramentorum Administrationi sese ingerat, qualiter sit agendum?

ALiud Actusationis caput est ex Dissertationis doctrina sequi, aut Sacramentorum in novo Testamento Ministri, si forsan mortalis peccati remorsu graventur, sine prævia Sacramentali Confessione non possint suo Ministerio fungi, atque ita ruralium præsertim Ecclesiarum Rectores conjiciantur in multam & duram conscientiæ anxietatem. Respondeo quæstionem hanc per solos Scholarum Doctores, per nullum Ecclesiæ antiquum Patrem esse lucidè motam ac decisam, ideoque dubiam & implexam. De substantiali per iniquos datorum aut acceptorum Sacramentorum validitate disputans adversùm Donatistas sanctus Augustinus, ejusdem multos, & Clericos & laicos, fatetur esse in Ecclesia, solumque arguit, quòd *corde non mutato baptizarentur &*
Lib. 4 *baptizarent*, aut alia darent aut acciperent Sacra-
Bapt. c. menta. Et infrà: *Baptismo Ecclesiæ baptizare pos-*
2. 3. *sunt, quod nec ipsi prodesse nec accipientibus, nisi intrinsecùs vera conversione mutentur.* Et Pseudo-Apostolos, ex pessimo in Paulum Apostolum livore prædicantes Evangelium, ideoque in peccati mortalis reatu hærentes, non de statu illo, sed de solo converti cordis defectu arguit ipse Paulus:
Cap. 1. Quòd *non casté* evangelizarent. *Procul dubio*, in-
cap. 7. quit in libris adversùs Cresconium Donatistam sanctus Augustinus, *idipsum illi admonebant quòd Paulus, non tamen eo animo, non ex voluntate, non ex charitate, sed ex invidia & ex contentione.* Et in libris adversùs Parmenianum Donati-
Lib. 1. Cap. 11. stam: *Spiritus sanctus in Ecclesiæ Præposito vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad ejus mercedem in salutem sempiternam, & eorum Regenerationem vel ædificationem, qui per eum sic consecrantur sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est*, SPIRITUS SANCTUS DISCIPLINÆ EFFIGIET FICTUM, *deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, Ministerium tamen ejus non deserit, ut per eum operetur salutem aliorum.* Sacramenti ac verbi Ministrum jubet dumtaxat veracem esse, & non fictum: Fictum esse addit, non eum qui in reatu sit peccati mortalis, sed qui non casta ministret voluntate. Et quis veram contriti cordis conversionem adfirmet non esse voluntatem castam? Quis esse dicit sine intellectu cogitationes, à quibus se auferat Spiritus Sanctus? Eandem doctrinam aliis etiam in locis sanctus Augustinus inculcat, atque ita lucet castum seu recti, seu conversi cordis finem ad legitimum Sacramenti ac verbi Ministerium omninò requiri. An sufficiat, & sanctificantis gratiæ statum non oporteat adjungi, nec Augustinus, nec quis alius Ecclesiæ Pater lucidè expressit. Doctores Scholastici passim volunt statum illum necessarium, at de necessitatis ossifa & fundamento sunt admodum divisi, & acriter digladiantur. Alii solam Contritionem, alii actualem etiam Confessionem exigunt à peccatore Ministraturo: prout aliam & aliam justificandi virtutem Contritioni adscribunt. A primis, apud quos quævis vera charitas & Contritio fixa lege justificabat sine Sacramento, Scholasticæ Theologiæ Auctoribus moveri cœpit hæc quæstio, atque ita illis certum fuit ac esse debuit gratiæ statum in Ministro requiri. Sanctissimos & Doctores & Discipulos semper habuit Scholastica Theologia, ideoque adimpleta illi est hæc Divina per Apostolum promissio: *Si quid aliter sapitis, vobis Deus revelabit.* Quòd quævis Contritio non justificet sine Sacramento, jam pridem ei revelatum est, manfit tamen dubium, de quo in tertia Parte sanctus Thomas: *Ad tertium dicendum, quod*
Quæst. *ille, qui est in peccato mortali, non est perplexus sim-*
64. art. 9. *pliciter, si ex officio ei incumbat Sacramenta dispensare. Quia potest ponitere de peccato suo, & licitè ministrare. Non est autem inconveniens, quòd sit perplexus suppositio quodam, scilicèt quòd velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam laicus posset baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, ut Baptismus.* Distinguit duplicem facti speciem, in qua ordinarius, peccati mortalis conscientiam habens, Minister cogatur aliquod Sacramentum ex officio ministrare. Item inter necessitatis & solius utilitatis Sacramenta distinguit. Prima facti species est, dum necessitas non est tanta, quin patiatur Sacramentum dari solenniter, & Sacerdotem agere ut publicum Christi Domini & Ecclesiæ Ministrum. Altera est summa necessitas, cui festinatione opus sit, ideoque Sacerdos tamquam laicus cogatur sine solennibus rituum ornamentis nudum Baptismum dare. Neutro in casu actualem Confessionem, & in solo primo Contritionem exigit sanctus Doctor. Ejus solius, qui in peccato mortali permanere velit, Sacerdotis solenne Ministerium damnat peccati mortalis. Ita eum Sylvester, & alii passim Thomistæ exponunt. Agit de solo ordinario Ministro, de quo & statuit Sacrosancta Synodus Tridentina: *Nullus fibi conscius mortalis peccati, quantumcumque sibi contri-*

tus

tus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debet. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebravit, quam primùm confiteatur. Nullum Sacramentum, nullum Ecclesiæ Ministerium est Sacrosancta Eucharistia, ejusque confessione & celebratione sanctius, ideoque nulla humana actio majorem in suo agente requirit sanctitatem: A peccatore requirit justificationem certam, quæ fiat per Sacramentalem Reconciliationem. Unicum exceptum casum declarat laudata Synodus: Dum Curatus Sacerdos ex officio celebrare debet, nec habet copiam Confessoris. De qua exceptione rectè ad tertiæ partis Quæst. 5. art. 1. supplementum scribit Franciscus Sylvius: *Non dicitur* à Tridentino Concilio, *quod illi*, taliter sine Confessione celebrantes Curati Sacerdotes, *sint* per Contritionem *justificati, sed declaratur quod ab incursione novi peccati excusentur, etiamsi celebrent aut communicent. Verisimile autem est quod peccatorum remissionem accipiant in devota communione.* Quæ eadem docui in Dissertatione. Eamdem exceptionem obtinere existimo in cunctis aliis Sacramentis. Quivis, inquam, in peccato existens Sacerdos, antequam sacro Ministerio se misceat, confiteri debet; Curatus tamen, si Confessor non sit ad manum, debitæ erga Dominum Deum ac ejus Sacramentum reverentiæ per solam Contritionem satisfacit: Et hic est, licèt per Ecclesiam lucidè necdum definitus, communis sensus meliorum Magistrorum. Et Romanum, Pauli Quinti Pontificis jussu editum, Pastorum Rituale habet: *Sacerdos*, utique Curatus, *si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum Administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde de pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii*, & Qu. 64. art. 6. *temporis locique ratio ferat, conveniat confiteri.* Quin immò de quovis peccati mortalis sibi conscio Sacerdote scribit laudatus Sylvius: *Ad evitationem peccati, saltem mortalis, sufficit quod Minister ita peccati adfectum deposuerit, ut per veram Pœnitentiam se ad justitiam & sanctitatem disponat.* Et hæc est ejus generalis conclusio: *Quamvis*, talem Sacerdotem ad Sacramentalem Confessionem obligans, *sententia magnam habeat probabilitatem, & sit securior, sufficere tamen videtur, si Minister sibi de mortali peccato conscius veram Pœnitentiam habeat, priusquam aliquod Sacramentum ministret.* Et ipsum per Contritionem non justificari habet pro certo. Hinc rursùm scribit: *Præmittendum est, eum censeri in peccato mortali ministrare, qui alicujus talis est sibi conscius, neque tamen sincerè pœnitet, veram animi detestationem & dolorem concipiens.* Verùm hæc omnia requirunt longiùs examen.

CAPUT VII.

Exponitur Sanctorum Thomæ Aquinatis, Thomæ de Villa-Nova, Francisci Salesii, ac Bernardini Senensis de Contritione sententia.

SAnctorum Ecclesiæ Patrum de Contritione sensum in Dissertatione utcumque exposui. Post ipsos adducere nequeam testes majores, quam quos irrefragabili & omnis exceptionis immuni auctoritate ornavit Beatissimus Pater noster Alexander VII. immò per ipsum Spiritus sanctus. Primus sit sanctus Thomas Aquinas, non solùm apud Romanam ac omnem Latinam, sed & apud Orientalem Ecclesiam plenè authenticus, cujus dogmata laudatus Pater noster, juxta Antecessorum suorum Apostolica oracula, declaravit tutissima, incussa, veneranda ab omnibus atque tenenda.

In tertia Angelicæ suæ Summæ parte docet peccatum actuale mortale sine Pœnitentia non posse remitti, probatque hoc modo: *Offensa peccati* Quæst. *mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas hominis est* 86. art. 2. *aversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Undè requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quòd voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ & Proposito emendæ, quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ prout est virtus.* At verò voluntatem nostram per solum sine casta Dei dilectione servilem timorem, aut ipso folo formatum ac tinctum de peccatis dolorem converti ad Deum est adeò impossibile & paradoxum, ut omnis solo illo timore actus & agens homo pœnam uti malum principale timeat, & in proprio commodo finem ponat ultimum, ideoque perseveret in mortaliter prava voluntate. *Quod contigit*, inquit S. 2. 2. qu. Doctor, *in non habentibus charitatem.* 19. art. 4.

Pergit in articulo sequenti: *Peccatum mortale non potest sine vera Pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum.* Non quia nos æternis addixit gehennis, sed quia Divinam Majestatem offendit & læsit. Et infrà in responsione ad quartum argumentum: *Debitum culpæ contrariatur amicitiæ*, ideoque remitti non potest nisi reparetur nostra ad Divinam Majestatem amicitia, castusque amor, de quo pergit in articulo sexto: *Ad secundum dicendum*, Art. 6. *quod in justificatione impii non solùm est actus Pœnitentiæ, sed etiam actus fidei. Et ideò remissio culpæ non ponitur effectus solùm Pœnitentiæ virtutis, sed principalius fidei & charitatis.*

Quòd vera Pœnitentia ex fide & charitate nasci & formari debeat, disertè tradit in alia ejusdem partis quæstione: *Ad secundum dicendum* Qu. 84. *quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fi-* art. 5. *des, & misericordia non liberant hominem à peccato sine Pœnitentia. Requirit enim charitas, quòd homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico studeat satisfacere.* Impetrandæ peccatorum remissioni adfirmat charitatem esse penitùs necessariam, addens non quamvis sufficere, sed eam solam, quæ in Pœnitentiæ vultum formetur & affectum. Et iterùm: *Si in actu Pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc imme-* Qu. 85. *diatè ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bo-* art. 2. *nis præteritis. Sed intentio operandi ad detestationem peccati præteriti requiris specialem virtutem sub charitate.* Germanæ Pœnitentiæ actum dicit esse complexum, ac in ipso reperiri etiam proprium charitatis motum, de quo iterum scribit: *Ad quartum dicendum, quòd Pœnitentia, licet sit species justitiæ, comprehendat tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet*

oportet quod participet ea quæ sunt virtuum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde Pœnitentia est cum fide Passionis Christi, & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem.

Art. 3. Germanæ Pœnitentiæ actum esse ex variis complexum adfirmat ex professo in quinto ejusdem quæstionis articulo, singulosque edicit; *Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore supplicium a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ adsumit Propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo aliquis peccatum displicet secundum seipsum, & non tam propter supplicia.* Loquitur ex sancti Augustini ad Anastasium Epistola; *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et ex isto articulo sextum sextæ suæ sessionis caput manifestè desumpsit sacrosancta Synodus Tridentina.

Quæst. 3. a. 1. Eamdem veritatem docere pergit in supplemento: *Secundum Augustinum*, inquit argumentum sed contrà, *omnis dolor in amore fundatur: Sed amor charitatis, in quo fundatur dolor Contritionis est maximus: Ergo & dolor Contritionis est maximus.* Quod ipsum confirmat articuli corpus, alium sensualem, alium rationalem in Contritione distinguens dolorem, & pergens de posteriori: *Hic est essentialiter ipsa Contritio, qui nihil est aliud, quam displicentia præteriti peccati, & talis dolor in Contritione excedit omnes alios dolores. Quia quantum aliquid placet, tantum contra tum ejus displicet; finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur: Et ideò peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet.* Peccati displicentia seu odium adfirmat nasci oportere ex complacentia & amore finis ultimi, qui est Deus in sæcula benedictus. Et rursùs in alia quæstione: *Ad tertium dicendum, quod dolor Contritionis, quamvis sit finitum quantùm ad intensionem, habet tamen infinitam virtutem ex charitate, qua informatur, & secundum hoc potest valere ad dilectionem culpæ, & pœnæ.*

Quæst. 5. a. 2.

Omnino notanda est doctrina articuli sequentis, duplicem rursùs in Contritione dolorem distinguès, & pergens de rationali. *Hic est displicentia peccati commissi. Et potest esse adeò parvus, quod non sufficiat ad rationem Contritionis. Ut si minùs displiceat peccatum, quam debeat displicere separatio a fine. Sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis.* Loquitur ex sancto Augustino, scribente de æterna atque incommutabili, quæ Deus est, justitia: *Dum justi, operum justiria, non sumus, minùs eam diligimus quam ut justi esse valeamus.* Dilutum istum justitiæ amorem latius exponit in libris Confessionum. Post à sancto Simpliciano auditam Victorini Rethoris conversionem ait incommutabilem Christianæ justitiæ veritatem & pulchritudinem fuisse à se & cognitas & dilectas, verùm dilectione nimium diluta, & pergit: *Veritatis perceptio jam certa erat, ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno adsolet, dulciter premebar; Et cogitationes, quibus meditabor in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat, differt tamen plerumque homo somnum excutere, cumgravis torpor in membris est, cumque displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit; ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi,* SURGE QUI DORMIS, ET EXURGE A MORTUIS, ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. *Et undique ostendenti vera te dicere, non erat omninò quod responderem veritati convictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta,* MODO, ECCE MODO, SINE PAULULUM. *Sed modò & modò non habebant modum: Et sine paululùm that in longum:* Hæcest illa charitas, qua adhuc adolescens orarat ad Dominum: *Da mihi castitatem & continentiam, sed non modò. Timebat ne citò ipsum exaudires Deus, & citò sanaret a morbo concupiscentiæ, quam malebat expleri, quam exstingui.* Est vera supremæ justitiæ dilectio, verùm adeò modica & diluta, ut nequidem adfectu Deum diligat super omnia, sed ipsi quasdam præferat cupiditates. Eam Augustinus passim vocat primam charitatis scintillam, exordia, & rudimenta: Ad Contritionem & justificationem non sufficere rectè adfirmat sanctus Thomas. Cap. 7.

Quæst. 3. a. 1. Eodem in supplemento ad quæstionem, an major de Dei offensa, quam de æterna gehenna displicentiam debeat involvere vera Contritio, respondet: *Ad quartum dicendum, quod quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius: Malitia autem in culpa mortali non consistit ex eo qui peccat, in quantum est ei indigna; & eo qui peccat, in quantùm est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere, plus debet odire culpam, in quantum est offensa Dei, quam in quantùm est nociva sibi.* Loquitur ex Theodoreti, Cyrensis in Eusratesia Provincia Episcopi, commentario in Apostolicam ad Romanos Epistolam: *Non est propter bona promissa amandus Deus, sed illa propter ipsum expetenda. Neque enim qui sincerè in aliquem dividem adfectus est, cum propter opes & facultates diligit, sed propter suum in eum adfectum res etiam, quæ ad ipsum pertinent, diligit. Ita etiam divinus Apostolus, nollem, inquit, habere Regnum Cœlorum, & omnia quæ videntur, & quæ intelligibilia percipiuntur, & tot tantaque alia bis & ter fine dilectione in Christum. Si quis mihi tum præsentia, tum futura molesta & aspera proposuerit, & temporalem atque æternam mortem, & longissimum in gehenna supplicium, unà cum dilectione in ipsum libentiùs & alacrius hoc susciperem, quam illa magna & præclara, & quæ verbis exprimi nequeunt, Dei dilectione fruitratus.* Et de sancto Anselmo Cantuarienli Archi-Episcopo scribit Henricus Cnychronus: *Anselmus frequenter dicere solebat se malle esse sine peccato in inferno, quam in cœlo cum peccato.* Quòd vera Pœnitentia peccatum sicut gehennas odisse debeat, jam frequenter audivimus à S. Augustino. Eâdem doctrinam hic confirmat Doctor Angelicus, & ex tali charitate adfirmat formâdam veram Contritionem. Definitiva est hæc ejus ibidem sententia: *Dolor Contritionis à charitate causatur.* Cap. 1.

L. 8. de Trinit. c. 6.

Sa-

Quæst. 4. a. 1. Sacrosancti Tridentini Concilii Patribus cur non adnumeremus sanctum Thomã de Villa-Nova, Valentinum in Hispania Archi-Episcopum? Licèt Synodum ex causſis non accesſerit, omninò tamen de ipso dici debeat, quod de sancto Cypriano & Nicæna Synodo scribit sanctus Augustinus: *Spiritu interfuit*. Suos enim Hispaniæ Collegas, in marino ad Tridentinam urbem itinere periclitatos liberavit à naufragio, & cunctos ibidem Patres suis verè Episcopalibus literis & consiliis insigniter adjuvit. Eum publicis Sanctorum tabulis inscripsit, insigni apud Gondulfi Castellum Ecclesia ornavit Beatissimus Pater Alexander VII. & nocturnò ejus officio inseruit hocce Encomion: *Scientiam à Domino vehementissimè postulavit*. Hic ergo tantus Doctor & Pastor in Dominicæ Passionis Dominica hanc populo suo tradidit de Contritione doctrinam: *Contritio, juxta Theologorum sententiam, est dolor voluntarie adsumptus pro peccato, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Potest addi: Et iterùm non peccandi*. Cum Doctore Angelico dolorem illum affirmat oportere esse rationalem, & pergit: *Dicitur voluntariè adsumptus, propter quod & Pœnitentia in morte suscepta aliquo modo suscepta est, quia non voluntate libera, sed magis timore fit, & quasi quadam violentia instantis periculi*. Quo principio abusus Martinus Lutherus omnem ex timore servili conceptam Pœnitentiam, dixit esse hypocrisin, involunt iriam, fictam, & coactam. Pergit gloriosus Episcopus, ac etiam definitionis vocem, *Pro peccato*, exponit: *Non de damno, vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine & vilitate peccati, sed dolendum est de peccato, prout offensa Dei, sic ut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut judicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus. Vera Contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore sui. Undè Augustinus: Oportet Pœnitentem non solum Deum timere judicem, sed & justum diligere*. Et intiã: *Ex hac definitione possumus elicere quinque conditiones, quas debet habere dolor, ut sit perfecta & consummata Contritio*. Ut quoad solam sufficientiam sit perfecta. *Prima quod sit purus, id est, propter Deum totaliter, vel principaliter, non propter damnum*. Absolutè perfecta est totaliter, quoad solam sufficientiam perfecta saltem principaliter debet esse propter Deum. *Secunda conditio est, quod sit pius, id est, non furiosus: Ut faciunt quidam, qui seipsos diris devovent, & conqueruntur de Deo, & peccatis addunt blasphemiam. Tertia conditio est, quod sit maximus, appretiativè scilicet, non intensivè: Ut plus doleat de peccato, quam de quovis infortunio, vel morte uxoris, aut filiorum. Non intensivè: Nam sensibilia mala magis movent nos. Sed appretiativè, & in æstimatione: Nam si daretur optio, potius eligeres pati quodcumque infortunium, & mortem filiorum, & tuam, immò & infernum, & annihilationem tuam, quam eligere peccatum. Quarta conditio est, quod sit perpetuus: Nam Pœnitentia cum vita finienda est. Quinta conditio est, quod sit particularis de quovis peccato mortali, quod est in memoria. Non quòd debeas habere tot dolores particulares, quot peccata recordaris, ut quidam volunt; sed sufficit quod habeas unum dolorem extensum, qui se extendat ad omnia peccata mortalia in particulari, quæ recordaris te fecisse. Non enim sufficit, si in confuso doleas de omnibus & in generali quia es peccator magnus, & quia offendisti multùm, sicut dolent Sancti, sed quod doleas de homicidio, de adulterio, de fornicatione, de furto, si commisisti in specialì: Ad quod non opus est habere multos dolores, sed sufficit unus intensus de omnibus in particulari confideratis. Has conditiones debet habere dolor, ut sit* quoad sufficientiam *perfecta Contritio*.

Sancti Francisci Salesii, Gebennensis Episcopi, doctrinam & sanctimoniam quis ignorat? Et jam hunc in Ecclesiasticas Sanctorum tabulas retulit laudatus Pater noster, ejusque Canonico officio indidit hocce elogium: *Francisci suis Scriptis, cœlesti doctrina refertis, Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum & planum demonstrat*. In sanctissimis de Divino amore libris hanc ponit de Contritione doctrinam: *La repentance, qui ne rejette pas l' amour de Dieu, quoy qu'elle soit encore sans ioelve, est une bonne & desirable repentance, mais imparfaite, & qui ne nous peut donner le salut, jusques à ce qu'elle atteint à l' amour, & qu' elle soit meslée avec ioelve. Si que, comme le grand Apostre a dit, s'il donnoit son corps, & tous ses biens aux pauvres, sans avoir la charité, cela luy seroit inutile: Ausſi pouvons nous dire en verité, que quand nostre penitence seroit si grande, que sa douleur fit fondre nos yeux en larmes, & fondre nos cœurs de regret, si nous n' avons le saint amour de Dieu, tout cela ne nous servivoit de rien pour la vie eternelle*.

Ejusdem sententiæ fuit in suis ad populum Quadragesimalibus concionibus magnum Ecclesiæ lumen, cujus publicum Festum Romano Breviario imposuit Beatissimus Pater noster, sanctus Bernardus Senensis: *Ex his apertè elici potest, quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & nõ propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut ſi ceſſaret damnatio, ex perpetrata culpa, ceſſaret & Contritio illa. Sed ſecundùm Scotum, licet ad veram Contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans. Undè etſi in peccatore initiet timor pœnæ, ſuperveniens tamen amor talem timorem debet repellere*..

Omittere nolim laudatissimos Fratris Didaci Stellæ in sancti Lucæ Evangelium Commentarios: *Si tantum dolorem & Pœnitentiam tuorum peccatorum habueris; & illorum cauſa tot lacrymas fuderis, quot ſunt guttæ aquæ in mari, ſi hanc pœnitentiam & dolorem habueris, ſolùm vel præcipuè id cavens ne in infernum eas, certiſſimè ſcias te hac ſola ratione damnandum fore. Nam in peccato duo conſiderare debes. Alterum offenſam quam adverſùs Dominum tuum commiſiſti; alterum verò malum, quod tibi ipſi comparaſti, quia teipſum ad æternam poenam obligaſti. Si igitur te peccati tui pottus pœnitet propter infernì cruciatum, quàm quod Deum offenderis, manifeſtum eſt te potiùs id cavere & fugere quod contra te eſt quàm quod adverſùs Deum. Undè ſit ut teipſum pluſquam Deum diligas, idèoque nunquam peccatum tibi remittetur, quantumvis graviſſimum dolorem habeas, niſi te poenituerit Deum offendiſſe. Hunc dolorem vocãt Scholaſtici Attritionem, quæ filia eſt amoris proprii, ut Contritio filia eſt amoris Divini*. Innumera adduci poſſunt ejuſmodi teſtimonia. Verùm quibus hæc non ſufficerint, nec fi quis ad prædicandam hanc veritatem à mortuis ſurrexerit, credent.

Cap. 6.

CA-

CAPUT VIII.

Epistolæ Epilogus.

OPponi nobis possit Martini Lutheri sermo de Pœnitentia: *Contritio, sic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior, duplici via paratur. Primò, per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quæ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deindè amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem: Et alia quæ possunt tristitiam ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam, immò magis peccatorem: Quia solùm timore Præcepti & dolore id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur & communicantur. Et si liberè deberent, remoto Præcepto & minis pœnarum, confiteri, certè dicerent sibi non displicere vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri. Immò quò magis timore Pœnæ & dolore damni sic converuntur, eò magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse. Siquidem lex & cognitio peccati magis abundare facit peccatum. Et hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam. Alii vocant Attritionem disponentem ad Contritionem. Sic enim ipsi opinantur. Quam opinionem, ego sum ego judico. Secundò paratur Contritio per intuitum & contemplationem speciosissimæ justitiæ, &c.* Servilem sine omni charitate Attritionem manifestè damnat, ideoque ipsam prior meus Accusator vult à Sacrosancta Tridentina Synodo in fidei Canonem esse admissam. *Quæro*, inquit, *an ullus negare posset Concilium hic primum illum Contritionis modum tueri ac retinere, quem Lutherus rejiciebat, eisdem ferè verbis descriptum? Profectò si unquam ex Conciliorum verbis colligere licuit quos hæreticos, quosve horum errores damnarint, hic manifestissimè patet adstrui veritatem Catholicam eo sensu, quo impugnarat Lutherus.* Hoc esse palmare servilis Attritionis fundamentum adserunt aliqui, ideoque petierunt subverti.

Respondeo Monothelitas, Iconoclastas, ac Felicianos, non solùm ob inductas vocum novitates, sed & ob vitiata sanctorum Patrum testimonia fuisse à sexta, septima, & Francofordiensi Synodis meritò damnatos. Est enim grassatio facinorosa. Etiam ab hæreticorum dictis quandoque pendet recti dogmatis aut Synodalis decisionis notitia, adeoque & in ipsa grassari possit esse facinus. Et talis omninò est adductus contextus Martini Lutheri. Cur ergo Accusator hisce verbis, *Alii vocant Attritionem disponentem ad Contritionem*, adjecit vocem, *proximè*? An enim ad veram Contritionem servilis Attritio proximè disponat, est non modica quæstio, ejusque negativa pars non caret fundamentis. Longè majus est quod verbis, *Sic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior*, substraxerit vocem, *vera*. Quidam Lutheri tempore Scholastici Doctores Contritionem & Attritionem non more antiquo penès perfectam ac imperfectam duri ac distorti cordis trituram, sed penès inclusam charitatem distinguebant. Omnis vera, ex Dei amore formata, interior Pœnitentia erat illis Contritio, solam Attritionem servilem donabant toto vocabulo Attritionis. Hinc de voce *Contritio*, dicit Lutherus: *Sic cœpit vocari vera Pœnitentia interior*. Utique apud Scholasticos Doctores. Hi enim etiam veram, veraque Dei dilectione formatam Pœnitentiam ex servili pœnatum metu, & aliis per Lutherum adductis exordiis frequenter, immò communiter concipi semper ex antiquis Ecclesiæ Patribus & Canonicis literis docuerunt. Laudatorum Patrum, dicto modo conceptam Pœnitentiam de veritate ac libertate suspectam quandoque habentium, testimoniis abusus Lutherus, lucidam veritatem obscurare & subvertere tentavit, cum Donatistis & Pelagianis blateratis nullam ita conceptam Pœnitentiam esse veram, adeoque nec esse Contritionem, sed dumtaxat servilem sine charitate Attritionem, quæ nullo modo, etiam juxta ipsos istos Doctores, ad impetrandam peccatorum in Sacramento veniam disponeret, sed solummodò ad Contritionem. Fassus est eam uti Contritionem & veram Pœnitentiam tradi à Catholicis, & addidit tradi inconsequenter: Quod per timorem concepta & quasi extorta voluntas ipsi videretur non posse esse libera & vera. Eam garrivit esse motum non bonum, adeoque citra ejusmodi motum à nobis justificationem promitti per solum Sacramentum. Hunc ejus fuisse sensum, supra abundè ostensum est, confirmatque Ruardus Tapperus. Eundem errorem damnat Tridentina Synodus, definiens ex istis etiam ignobilibus exordiis conceptam Contritionem esse veram, Dei donum, liberam, sufficientem ad impetrandam in Sacramento justitiam, adeoque hominem per ipsam non fieri hypocritam, aut magis peccatorem. Quo circa servilis Attritio nequaquam est probata per Synodum, sed tamquam Lutherana in orthodoxos Doctores calumnia damnata & prosc ripta. Quod Lutherus in solam servilem Attritionem debacchatus, adeoque & ipsam probasse videretur Tridentina Synodus, Accusator expunxit vocem *vera*.

Per hæc, Eximie Confrater, abunde me purgatum confido, & te Judice absolvendum ab objectis erroribus. Quod varia, omni charitati & Contritioni subitam peccatorum veniam quasi promittentia, sacrarum litterarum testimonia aut de sola perfecta, aut de sola per Sacramentum adjuta imperfecta dilectione loquantur, utcumque ostendi. Errasse possim. Et ex corde amplector quod de suis Scriptis ad Sabinum, Placentinæ Ecclesiæ Episcopum, scripsit sanctus Ambrosius: *Nescio quo modo, præter imprudentiæ caliginem quæ me circumfundit, unumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque fiat etiam deformes delectant; sic etiam Scriptorem sermones indecores sui palpant. Incautiùs plerumque aliud promitur, aliquid accipitur malevolentiùs, aliquid exit ambiguum: Tum quia aliene examinanda judicio, non pro nostra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos malevolentiæ.* Alienus item semper esse studui à pessimo vitio, quod in Juliano Pelagianista notat, & evellendum suadet sanctus Augustinus: *Quando animositatem, qua teneris, viceris, tunc*

Ep. 63. al. 40.

Lib. 6. c. 26.

tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris. Quam victoriam & mihi ipſi, & meis Accuſatoribus ex corde exopto.

Per S. Fulgentii concludo & cum ipſo apud Sardos exulantium Afrorum Epiſcoporum Synodalia in ſimili negotio verba: *Vos itaque, dilectiſſimi Fratres, per gratiam Dei eſtote ſtabiles & immobiles, ac tenentes veram fidem, exhibete Fratribus aliter ſentientibus charitatem, nec de aliqua deſperetis, quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoſcit, poteſt cras Deo revelante cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cum volet, poſſe. Oremus ergo pro eis, ut Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos poſſimus habere mercedem, ſcientes quoniam in conſpectu Dei quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit, & in omnibus voluntas Omnipotentis implebitur, ut per gratiam ſalvi fiant, & agnitionem veritatis, Domino illuminante, percipiant.* Quod dum fiat, memoriam noſtram non deſerat S. Thalaſſii Abbatis ad Paulum Presbyterum ſcripta paraneſis: *Ut in cæno aromata non inveniuntur, ita neque charitatis ſuavolentia in anima injuriarum memori.* Per Fratrum noſtrorum in nos puſillanimitatem, temquam per ſiniſtra juſtitiæ arma, læti ambulemus, & legendis aut evellendis aculeatis ipſorum ſpinis bonas, rebus feriis debitas, horas deinceps non perdamus. Hæc ſunt quæ de noſtratibus rebus ſignificata volui, Deum Optim. Max. rogans, ut etiam his noviſſimis, in quos peccata noſtra nos reſervarunt, malorum temporum diebus Eccleſiam ſuam purgare & conſervare dignetur ab omni ſcandalo iniquitatis. Optimam illam, quam ab Eutychio avo ſuo didicit, & quotidie recitare conſuevit ſanctus Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, orationem video mihi neceſſariam: *Domine bonam mentem mihi elargire, & libera me de meis adverſariis.* Hanc orationem ut pro me fundere dignetur & veſtra Benignitas, ex corde precor. Vale,

Lib. 1. cap. 16.

EXHIBITIO SACRORUM CANONUM CIRCA JUS REGULARIUM ECCLESIARUM QUOAD PRÆDICATIONEM DIVINI VERBI.

EXHIBITIO
SACRORUM CANONUM
SIVE
SCRIPTURARUM
DIVINARUM
QUÆ
IN BIBLIOTHECIS
DEFUNCTI VENERIL

CAPUT PRIMUM.

Examinantur fundamenta per hunc Scriptorem adducta pro jure Eccleſiarum Parochialium.

SCriptor profitetur alta nomina. Audiendi divini verbi in Parochiali Eccleſia obligationem affirmat fundari in antiquiſſimis Eccleſiæ Canonibus, adeoque eſſe inſtitutum Apoſtolicum. Verùm partim pro autenthicis Canonibus obtrudit nobis ſtramina & paleas, partim autenthicorum Canonum ſtramineas interpretationes.

Primus iſtiuſmodi Canon eſt S. Dionyſii Pontificis Decretum in litteris ad Severum Epiſcopum Cordubenſem: *Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, Parochias & cæmeteria eis diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, ſed unuſquiſque ſuis terminis ſit contentus.* Ita ſe nuper egiſſe affirmat in Romana Eccleſia, ac iſtud ipſum fieri ſuadet etiam in Provincia Cordubenſi.

Reſpondeo epiſtolam eſſe ſtramineam: eſt enim è famoſis Iſidori Mercatoris nundinis, quas eſſe ſpuria octavi ſæculi figmenta, eſt apud omnes Eruditos jam pridem exploratum. Et hanc nominatim epiſtolam eſſe fictam evincunt multa. Primò quod dicat Parochias primùm dividi cœptas à S. Dionyſio. Quod ipſi Apoſtoli iſtud cœperint, poſſet lucidè demonſtrari. Secundò quod Romano Epiſcopatui aſſignet forenſes Parochias. Quod enim ille extra Urbis muros nullam unquam Parochiam habuerit, eſt nimis manifeſtum. Tertiò quod Cordubenſi Eccleſiæ adſcribat Provinciam. Iſta enim Sedes numquam fuit Metropolitana. Et gratis demus Epiſtolam eſſe legitimam, quid inde educitur? eò tempore necdum erant Monaſteria, ideoque non Parochias adversùm illa, ſed dumtaxat Parochiam adversùs Parochiam poſſit illa defendiſſe.

Secundum fundamentum eſt ſeptimus Canon primæ Carthaginenſis Synodi. *Unuſquiſque Clericus vel Laicus non communicet in aliena plebe ſine licentia Epiſcopi ſui.* Reſpondeo hunc Canonem ab iſto Scriptore numquam fuiſſe viſum, niſi forſan in aliquo *Dormi ſecurè*. Etenim voces, *vel Laicus*, ejus propoſito maximè utiles, infelix prætermiſit. Interim nec integer, nec mutilus Canon ejus ſcopo ullatenus congruit. Agit enim adversùm vagantes ſine formatis ſui Epiſcopi litteris Clericos & Laicos, eoſque mandat ab alienarum, ad quas diverterint, Eccleſiarum aut Plebium Epiſcopis aut Presbyteris non admitti ad Communionem integram, ſed donari ſola peregrina. Innovat Apoſtolicum de iſta materia Canonem, qui olim ligavit, ac etiamnum hodie ligat & Monaſteria. Nam & hodie Monaſteriorum Præfecti ignotos Clericos ad Miniſterium admittere non poſſunt ſine Formatæ teſtimonio. Verùm quid hæc ad Dei Verbum, ſeu ad audiendum ſacram Concionem? Apud Afros olim quivis Eccleſiæ Rector ad ſuam Concionem admittebat etiam hæreticos, Judæos, ac Paganos, adeoque & vagantes ſine formatis litteris Clericos, aut Laicos. Proinde non de Concione, ſed de Communione agit Canon. At quid in ipſo vox, *communio*, ſignificet, videò à Scriptore iſto non intelligi. Et iſto tempore Monaſteria necdum erant apud Afros: hinc adversùm illa Canon non poteſt ſanxiſſe.

Tertium iſtius Scriptoris fundamentum eſt apud Burchardi decretum exſtans conſtituto S. Eutichiani Pontificis: *In unaquaque plebe Decani ſint per villas conſtituti, viri veraces, & Dominum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Eccleſiam pergant, ad Matutinas, ad Miſſam, & ad Veſperam. Et nihil operis in diebus feſtis faciant. Etſi horum quiſquam transgreſſus fuerit ſtatim Presbytero annuntient.* Clarus Demonſtrator advertit per Eccleſiam intelligi Parochialem. Reſpondeo hominem ceſpitare in tenebris. Etenim iſtam conſtitutionem S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus integram Ca. 310. inſeruit ſexto ſui Decreti libro, & affirmat eſſe Novum Canonem Synodi Rotomagenſis. Quod Ca. 390. ipſum in ſecundo de Eccleſiaſticis diſciplinis libro facit & affirmat Regino Abbas Prumienſis. Quo ſæculo ſit celebrata iſta Synodus, ignoro: & non facit ad rem præſentem. Exiſtimo eſſe noni ſæculi. En quales Canones clarus Demonſtrator adſcribat S. Eutichiano. En ex quali Canone nobis demonſtret diſciplinam Apoſtolici temporis. Et cur Eutichiani Canonem poſtpoſuit primæ Carthaginenſi Synodo celebratæ per Gratum Archiepiſcopum, ſub S. Julii Papatu? Autumo quod illum cenſuerit hac juniorem. Adeo eſt peritus temporum. Et Canon, licet S. Eutichiani eſſet, quid edicit adversùm Conciones in monaſteriis?

Quartum ejus fundamentum ſunt Apoſtolicæ Conſtitutiones collectæ per S. Clementem Romanum, in quibus S. Matthæus ac S. Joannes dicunt ad Epiſcopum: *Epiſcope, jube & hortare populum, Eccleſiam frequentare mane ac veſpere quotidie. Verùm in die Dominico diligentius convenite. Nam quam excuſationem adferre poteſt Deo, qui hac die non convenit ad audiendum ſalutarem de Reſurrectione ſermonem?* Reſpondeo clarum Demonſtratorem hic variè labi. Primò, quod iſtas Conſtitutiones credat eſſe veraciter Apoſtolicas, & ipſarum Collectorem fuiſſe S. Papam Clementem. Eſt opus quarti ſæculi; & infectum manifeſtis erroribus. At clarus Demonſtrator neſcit diſtinguere triticum à palea: omnia illi

æqualiter sapiunt. Deinde istarum Constitutionum Codicem numquam inspexit. Lucet ex marginali annotatione : *Capite sexagesimo tertio Constitutionum Apostolicarum*. Credit esse unicum librum. Et adducta verba in nullo sexagesimo tertio habentur, sed in septimi libri capite quinquagesimo nono. Præterea clarus Demonstrator loquitur in semetipsum. Ista namque Constitutio non ad Parochiales Presbyteros, sed ad solos dirigitur Episcopos: his solis credit munus docendi. Etiam in alio ejusdem libri loco habet. Cap. 57. *Deinde hortentur populum Presbyteri, non omnes simul, sed singulatim, & postremus omnium Episcopus*. Nequaquam Parochiales, sed intelligit solos Cathedrales Presbyteros. Quod concionandi munus nequaquam ad istos, sed ad solos Episcopos olim spectaverit, statim ostendetur. Hanc disciplinam confirmat adducta Constitutio, ideoque clarum Demonstratorem non adjuvat, sed everit.

Quintum ejus fundamentum est Canon vigesimus quartus quartæ Carthaginensis Synodi, ab ipso lectus in Gratiani Decreto, *Sacerdote Verbum in Ecclesia faciente, qui egressus ab Auditorio fuerit, excommunicetur*. Hinc infert, Dominicales ac festivales Conciones non posse fieri in Monasteriis. Verùm quæ est hæc consequentia? Respondeo esse similem huic : S. Archangelus Michael est Princeps ac Protector Ecclesiæ; ergo Clarus Demonstrator nugatur.

Sextum ejus argumentum est Namnetensis Ca-
Cap. 1. non : *Dominicis & festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia objiciant, & ad suam Parochiam abire compellant*. Ex his fundamentis clarus Demonstrator concludit : *Ecclesia igitur jam tum ab exordio sui ejusmodi sollicitudinis fructu gaudebat secura. Totiusque gregis atque curæ Pastoralis distributioni non minus ipsi Regulares, teste Hieronymo, quam cæteri quoque subdebantur fideles, nullusque in alienum messem falcem immittebat, donec posterioribus sæculis, datis quodammodo libertati habenis, prædictorum jurium vincula disrupta videntur*. Ex Namnetensi Canone demonstrat Apostolicam, aut certe avitam Ecclesiæ disciplinam. Respondeo esse miserabilem demonstrationem. Hanc enim Synodum, licet Petrus Delalande adscribat septimo sæculo „ Jacobus tamen Sirmondus censet spectare ad decimum. Quidquid sit, illa est longè junior, quam ut ex ipsa demonstretur Apostolici temporis disciplina. Demonstrator eam non legit, nisi in Gratiani Decreto: hinc putat antiquissimam. Et quid illa habet adversum Conciones in Monasteriis? Etenim non de Concione agit, sed de Parochiali Missa. Neque pro Parochiis adversum Monasteria, sed sanxit pro Parochiis adversus Parochias. Neque omnem alienum Parochianum mandat inquiri & expelli, sed tantum proprii Sacerdotis contemptorem.

Septimum demonstratoris fundamentum est authoritas S. Hieronymi : & quidem in epistola ad Heliodorum, libro 2. folio 6. Verùm secundus S. Hieronymi liber seu tomus nullam habet epistolam ad Heliodorum. Primus tomus habet duas. In priori tunc necdum Presbyter Hieronymus hæc scribit : *Alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt Oves, ego pascor. Illi de Altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero*. Ex his verbis clarus demonstrator concludit, non solam plebem, sed & Monachos Parochialibus Presbyteris subfuisse. Respondeo subfuisse Episcopis. At quali subjectionis genere subfuerint, est longa quæstio non pertinens ad rem præsentem. Quod etiam Parochialibus Presbyteris subfuerint, nemo ostenderit. Sed neque hoc ad rem nostram facit. Isti namque Monachi erant Laici. Nos de conseratis in Presbyteros, & per Apostolicam sedem ad sacrum Ministerium assumptis Monachis agimus : his docendi munus olim competisse, statim audies ab ipso etiam S. Hieronymo.

CAPUT II.

An catechizare sit primum officium Parochialium Presbyterorum ?

CLarus Demonstrator affirmat. Hæc est ejus constans assertio : *Pastores sunt veri & proprii Magistri rudimentorum Fidei*. Et per Pastores intelligit Parochiales Presbyteros. Hi enim ab aliquo tempore cœperunt apud vulgum vocari Pastores. Hinc existimant sibi jure competentem titulum : & ex ipso adversum Regulares Ecclesias multa sibi spondent ac venantur.

Exstat Capitulare Sonnatii Remensis Archiepiscopi, qui septimo sæculo rexit illam Ecclesiam : & istud post Remensem Flodoardi Historiam nuper vulgavit Georgius Colvenerius : & addidit hoc scholion : *Sunt in his quædam, quæ non videntur redolere tantam antiquitatem. Ut quod titulum Pastoris tribuant Parochis, quo ætate Sonnatii, & multò post, Presbyteri tantum aut Sacerdotes solent appellari*. Quod est omnino verum. Ita decimus tertius Canon Neocæsariensis habet : *Presbyteri Ruris*. Gentianus Hervetus vertit : *Presbyteri Vicant*. Et octavus Canon Antiochenus : *Presbyteri qui sunt in agris*. Et de Diodoride Pago Sanctus Epiphanius *Triphon loci illius Presbyter*. Et in suis litteris magnus Basilius: *Illius regionis & villæ Presbyter*. Quæ appellatio apud omnes, & Latinos & Græcos Patres atque Canones est antiquissima ac frequentissima.

Hæresi 66. cap. 11.

Ep. 228.

Eadem constans permansit apud media Evangelii sæcula. Etenim Hincmarus Remensium Metropolita illos appellavit *Presbyteros Parochiarum*. Ticinensis sub Leone IV. Synodus *Custodes titulorum*. Antiqua acta de Willeberti Catalaunensis Electi examine appellant *Presbyteros Parochianos*. Antiqua Episcoporum Capitularia numquam ditiguntur ad Pastores, sed semper ad Presbyteros.

Ep. 33.

Cap. 4.

Ad noni sæculi finem Walterus Aurelianensis Episcopus edidit Capitulare, in quo inter varia suæ Diœcesios Parochianis Presbyteris mandat & hoc : *Jejunia à Pastoribus injuncta diligenter observent*. Qui locus altè clamat solum Episcopum tunc habuisse titulum Pastoris. Rationem habes in vulgari Canone Apostolico: *Presbyteri & Diaconi*

Cap 40.

toni præter Episcopum nihil agere prætentent. Nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Canon asserit omnem animarum curam esse solum penes Episcopum, ideoque ipsum solum esse Pastorem. Quod ipsum demonstrari possit pluribus aliis testimoniis. Et est omninò Constitutum Apostolicum. Etenim sanctus Paulus per Pastores & Doctores palam intellexit solos Episcopos. An Pastoratus & Doctoratus fuerint distincti in antiqua Ecclesia gradus, est multa quæstio. Quidquid sit, certum est per Pastores ab Apostolo intelligi solos Episcopos.

Et hinc Parochiales olim Presbyteri nil sacri poterant agere sine mandato ac beneplacito Episcopi. Erant ejusdumtaxat Vicarii. Potrò inter omnia Pastoralia officia primarium est evangelizare: seu catechizando, seu altiora concionando. Hinc enim dicit S. Paulus: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Unde & primitiva Ecclesia istud officium passim reservavit Episcopis. Dico *passim*. Catholica enim Ecclesia est Regina circumamicta varietatibus, ideoque in variis gentibus habuit varios mores. Hinc apud quasdam ex singulari Episcoporum beneficio Presbyteri prædicarunt.

Quod catechizandi officium olim spectaverit ad solos passim Episcopos, demonstrant plurimi sanctorum Patrum Sermones qui Catechumenis exponunt Symbolum. Omnes sunt Episcoporum, vix ullus Presbyteri. Presbyter quidem Rufinus Symbolum etiam expositt, at non per Sermones, sed per librum. Hinc ad Sororem suam Marcellinam scribit S. Ambrosius: *Symbolum quibusdam competentibus in Baptisterii tradebam Basilica.* Et generatim de cunctis Episcopis scribit in Sancti Sophoniæ Commentario Sanctus Hieronymus: *Dant baptisuum, Catechumenos eruditunt.* Et magnus Leo Campaniæ, Samnitum, ac Piceni Episcopos arguit, quod extra consuetudinem baptizarent tempora, ac sine *Spiritualium præparationum eruditionibus*. Quod nempe ad ipsos solos spectarec & baptizare & catechizare. Et hinc in data ad Francorum Legatos Constantinopolim proficiscentes epistola, qua Datium Mediolanensem Episcopum sibi restitui postulabat, scripsit Italiæ Clerus: *Postulate, ut Imperator Justinianus Datium ad suam Ecclesiam redire concedat, quia cum omnes pene Episcopi, quos ordinare solet, mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur.* Quod nempe per omnem Mediolanensem Provinciam soli Episcopi & baptizarent & catechizarent: & quod etiam vacante per plures annos Sede nullus aut civitatensis, aut forensis Presbyter id posset attentare. Quem morem viguisse olim per omnem Italiam, docet antiqua raritas Baptisteriorum. Quævis Diœcesis non habebat nisi unicum. Etiamnum hodie dumtaxat unicum habent multæ civitates. Eandem formam viguisse in pluribus per omnem orbem Ecclesiis, est Eruditis notum.

Cap. 3. Ep. 80.

Verùm quoniam propter innumeram Baptizandorum multitudinem quandoque unus toti catechismo non sufficiebat homo, quidam Episcopi assumebant Vicarium & suffraganeum Catechistam. Ita ad suum Clerum scripsit exul S. Cyprianus: *Optatum inter Lectores Doctorem Audientium constituimus.* Et Sancti Augustini tempore Deogratias, tempore S. Fulgentii Ferrandus, uterque Diaconus, erant Catechistæ Ecclesiæ Carthaginensis. Et Constantinopolitana Ecclesia in antiquo suarum dignitatum catalogo habet & *Catechistam*, Utique pro tota Diœcesi. Quare tunc non ad Parochialem Presbyterum, sed ad solum Episcopum spectabat istud munus, ideoque ille ex suo arbitrio Vicarium eligebat. Et jure merito. Etenim Catechista debet Initiandis infigere firma Christianitatis fundamenta, ideoque non cuilibet imperito Clerico, sed solis Ecclesiarum Doctoribus Episcopis, aut per ipsos electis personis fuit istud opus credendum. Ep. 24.

Eadem est ratio Concionis. Quod usque ad S. Augustini tempora nullus præsente Episcopo Presbyter potuerit concionari, lucet ex S. Possidio testante quod primus suo Presbytero Augustino istud delegaverit S. Valerius Episcopus Hipponensis. Eumdem morem viguisse, licet improbet, in aliis Ecclesiis affirmat Sanctus Hieronymus: *Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui*. Alexandria, quod esset numerosissima, & Christianissima civitas, ad instar almæ Urbis, fuit olim divisa in plures titulares Basilicas, & harum quælibet habebat suum Presbyterum, & Parochialis populus ab illo docebatur. Horum Presbyterorum unus fuit sceleratus Arius, ideoque scribit Hermias Zozomenus: *Apud Alexandrinos docet solus civitatis Episcopus. Ajunt hanc consuetudinem non prius inolevisse, quam ex quo Arius Presbyter de Doctrina differens, insolitam introduceret.* Hinc magnarum civitatum Episcopi, dum gratiam aut vires concionandi non haberent, sibi subrogabant Vicarium. Ita Antiochiæ pro Flaviano Patriarcha S. Joannes Chrysostomus adhuc Presbyter, fuit concionatus. Plurima sunt istiusmodi exempla. Ep. 2.

Et de hac forma scribit in Scholio ad decimum nonum Trullanum Canonem Theodorus Balsamon: *Nota ex hoc Canone, quod populum docere sit datum solis Episcopis. Et magnæ Ecclesiæ Doctores Patriarchæ jure docent.* Affirmant hunc morem suo adhuc tempore viguisse. Suo etiam tempore viguisse in Gallia scripsit ad Carolum Magnum Regem B. Alcuinus Flaccus: *Audio per Ecclesias Christi quandam consuetudinem non satis laudabilem, ut quod facere non volunt Presbyteri, suis injiciant Episcopis. Nam dicunt ab Episcopis interdictum esse Presbyteris & Diaconis prædicare in Ecclesiis.* Etiam in Ecclesiis pagensibus. Mos revera non fuit bonus isto sæculo. Ipsum tamen Alcuinus non exstinxit. Liquet ex privilegio, quod Besuensi Monasterio dedit Bruno Episcopus Lingonensis: *Cum Concilio totius Capituli Lingonensis statui, ut de Ecclesiis à sex leucis, vel infra à Besua, tempore Rogationum, tam viri quàm mulieres, cum oblationibus ad sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina conveniant. Illud quoque non otiosè mecum reputans, quia cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alii longitudine viæ, alii imbecillitate corporis, seu aliquibus aliis occasionibus retardati, pabulo divini Verbi, & peccatorum remissione, quam ibi deberent accipere, frustrabantur.* Diploma fuit datum Ep. 6.

anno

anno millesimo octavo. Extat apud Joannem Monachum in antiquo Chronico Besuensis Monasterii. Ad ista usque tempora concionandi munus adeo spectabat ad solos Episcopos, ut certis anni diebus, omnis per sex in circuitu leucas rusticana Christianitas teneretur Cathedralem Basilicam ad Episcopi verbum accedere. Nullus forensis Presbyter poterat tunc concionari. Erat durum populi onus. Adeo tamen suum jus dilexerunt Episcopi, ut illud nollent Parochiali pagorum officio annectere, sed dumtaxat alicui Monasterio per privilegium delegare. Ex eodem jure Episcopi olim debebant frequenter visitare suas Parochias, ad illic concionandum. Parochiales Presbyteri non nisi per Manuales eorum vices poterant prædicare.

CAPUT III.

Monachi Presbyteri in suis etiam Monasteriis olim potuerunt catechizare & concionari.

QUod olim Monachi Presbyteri in suis Monasteriis potuerint liberè quoslibet catechizare, lucidè affirmat in litteris ad Pammachium, scriptis adversùm Joannis Hierosolymitani Episcopi insolentias, S. Hieronymus, istum Joannem hoc modo alloquens: *Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses circa Pentecostem quadraginta diversæ ætatis & sexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos, & certè quinque Presbyteri erant in Monasterio, qui sub jure poterant baptizare, sed noluerunt quidquam contra ſtomachum tuum facere. An non tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethlehem Presbyteris tuis, ne Competentibus nostris in Paschæ Baptismum traderent, quos nos Diospolim ad Confessorem & Episcopum Dionysium mittimus baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras Ecclesiæ locum non habemus?* Hinc discimus plura. Primò, quod sancti Hieronymi apud Bethlehem Monasterium habuerit Competentes. Et quidem quadraginta simul, etiam in Pentecoste. De his & supra scribit in eadem Epistola: *Consuetudo apud nos istiusmodi est, ut iis, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem.* Secundò discimus, quod Monachi Presbyteri, licet ad solum in Monasterio honorem consecrati, tunc habuerint jus non tantum catechizandi, sed & baptizandi, & jus catechizandi publicè. Tertiò, quod tamen passim catechizarent solummodò, & suos baptizatos transmitterent aut Episcopo, aut certè loci Presbytero baptizandos causa honoris & reverentiæ. Quartò, quod Episcopo aut Presbytero baptizare recusante, suos Catechumenos transmitterent ad quemvis Episcopum. Hoc est antiquissimum privilegium Monasteriorum.

Et ista potestate Syri Monachi fuerunt semper gavisi. Etenim Monachismum isthuc ex Ægypto transtulit, ac primus plantavit S. Hilarion, de quo à semetipso scribit in S. Epiphanii Vita Joannes Monachus: *Manſimus tres dies in Monasterio Hilarionis. Rogavitque Epiphanius magnum Hilarionem, ut sibi daret in Christo ſignaculum*, utique Baptismum. *Quandoquidem acceperat Hilarion gradum Presbyteratus. Cum me autem magnus accepisset Hilarion, & omnem docuisset consequentiam, baptizavit me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Etiam de nescio quo per S. Epiphanium adhuc Monachum baptizato Philosopho scribit *Rogavit Epiphanium Philosophus, ut daret ei id, quod est in Christo, ſignaculum. Ipſum ergo & me accepit Epiphanius, & ſvimus ad magnum Hilarionem, qui eum baptizavit. Et egimus viginti dies in Monasterio magni Hilarionis.* Ex more; ad plenam Neophiti institutionem. Ecce quòsvis adventantes in suo Monasterio non tantùm catechizabat, sed & baptizabat primus apud Syros Monachus Hilarion; nec transmittebat ad Episcopum aut Parochialem Presbyterum. Et hunc morem traduxit ad suos posteros. Ipsum à primo omnium Cœnobitarum Auctore S. Antonio haud dubiè hauserat una cum regula monastica; adeoque ille mos etiam in Ægypto vigebat. Cœpit cum ipso Monachismo: Et sanè quod ipse S. Antonius, licet Laicus, Alexandriæ contra Arianos prædicaverit, scribit in ejus vita S. Athanasius.

Et ita per omnem Antiochenum Patriarchatum fuit custoditum usque ad Chalcedonensem Synodum, & Pontificatum magni Leonis. Pleraque tunc Syriæ monasteria admiserunt Eutichianam Hæresim, atque ita non dumtaxat docuerunt prava, sed & suis Episcopis facinorosè rebellarunt. Hinc ad Maximum Antiochiæ Patriarcham scripsit præfatus Pontifex: *Illud dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vindicare, sive ille sit Monachus, sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur. Quia etsi optandum est, ut omnes filii, quæ recta sunt sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem Ordinem constitutus gradum sibi Prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Lucidiùs se exponit in litteris ad Theodoretum Cyrensem in ejusdem Patriarchatus Euphratesia Provincia Episcopum: *Adjicimus, & illud quod nobis propter improbitatem Monachorum quorumdam vestræ regionis verbo mandastis per Vicarios nostros, & hoc specialiter flatuimus, ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare.* Per Sacerdotes palam intelligit solos Episcopos. Et hoc suum Decretum justit augusta Martiani Imperatoris lege firmari. Hanc habes in tertia parte Concilii Chalcedonensis. Et Decretum fuit adeo rigidum, ut Syrorum Monachorum ad prædicandum approbatio fuerit reservata Sedi Apostolicæ. Hinc enim Thalassium, non qualemcumque, sed Cæsariensem Episcopum, primæ Cappadociæ Metropolitam, ac totius Ponticæ Diœcesios Primatem, idem Pontifex durè increpavit, quòd nescio cui Monacho Georgio feciſſet facultatem prædicandi. Ita habes in ejus litteris ad Julianum Coensem Episcopum, ipsius in Regia urbe Legatum. Hinc interim lucet Presbyteros Syriæ Monachos usque

Ep. 61. c. 16.

Cap. 4.

C. 11.

C. 25.

Ep. 62. c. 6.

Ep. 63. c. 6.

Ep. 82.

ad

ad illa tempora liberè in suis Monasteriis prædicasse.

Verùm isthæc dura novitas adstrinxit solos Syriæ Mopachos. Avita forma alibi permansit, præsertim apud nos Latinos. Permansisse in Anglicana Ecclesia demonstrat in ejusdem Historia Venerabilis Beda. Scribit, quod S. Fursæus ex Scotia in Angliam venerit, prædicaverit diversis in locis, nobile Monasterium extruxerit

L. 3. c. 19. & adjungit: *Curabat autem Fursæus semper, sicut & antea consueverat, omnibus opus virtutum & exemplis ostendere, & sermonibus prædicare.* Utique in suo Monasterio. Et in alio ejusdem operis

C. 26. loco scribit generatim de Lindisfarnensi Monasterio: *Si quid pecuniæ à divitibus acciperent Fratres, non pauperibus dabant. Nam neque ad suscipiendum Potentum sæculi vel pecunias colligi, vel domos providerì necesse fuit, qui nunquam ad Ecclesiam; nisi Orationis tantum, & audiendi Verbi Domini causa, veniebant.* At istud Monasterium fuit Cathedrale, ideòque hoc testimonium est exceptioni obnoxium. Beda vero adjungit de istius Provinciæ populis: *Diebus Dominicis ad Ecclesiam, sive ad Monasteria certatim, non reficiendi corporis, sed audiendi Sermonis Dei gratia confluebant.*

L. 4. c. 14. In alio ejusdem operis libro laudat permodicum paucorum Fratrum apud Australes Saxones Monasterium, & addit: *Sed populorum nullus eorum vel vitam æmulari, vel prædicationem curabat audire.* Adjungit, quod S. Wilfridus Eboracensis Archiepiscopus illic exstruxerit majus Monaste-

Cap. 27. rium. Utique ad prædicationem. Etiam de S. Cutberti, qui postmodum fuit Lindisfarnensis Episcopus, Monasterio scribit: *Cuthertus non solum ipsi monasterio regulariis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed & vulgus circumpositum longè lateque à vita stultæ consuetudinis ad cœlestium gaudiorum convertere curabat amorem.* Utique prædicando, & in suo monasterio, & per pagos. Prædicationis fructus idem Beda exponit ibidem, ac præsertim in Vita S. Cutberti. Ex his liquet, quod apud Anglos Monasteria & Parochiales Ecclesiæ circa prædicandum Dei Verbum gauderent æquali jure: quod obligato ad ipsum audiendum populo esset libertas electionis. Pro beneplacito poterant vel Ecclesiam, vel Monasterium accedere. Quem morem haud dubiè illic plantavit S. Augustinus, adeoque & magnus Papa Gregorius.

Idem venerabilis Doctor affirmat eamdem formam viguisse apud Scotos, seu Hibernos. Enim suæ historiæ inseruit insignem Joannis IV.

L. 2. c. 19. Pontificis Epistolam ad Scotiæ Abbates, cui est hæc superscriptio: *Dilectissimis & Sanctissimis, Tomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano Episcopis; Chromano, Hermanneque, Lastrano, Stellano, & Segiano Presbyteris; Sarano cæteris que Doctoribus, seu Abbatibus Scotis.* Scotorum Abbates, non minùs quàm Episcopus, vocat ipsorum Doctores. Quod nempe æquali jure illic prædicatint. Quin imo majori. Antiqui enim Scotorum Episcopi non habebant Sedes, sed degebant in Monasteriis, Abbatibus subjiciebantur, & ab his ad prædicandum mittebantur & intra & extra Insulam. Istiusmodi Episcopi fuerunt S. Rumoldus, S. Livinus, aliique plures prædicantes per omnem Galliam. Et similum Episcoporum fit aliquoties non satis honorifica memoria in Synodis Gallicanis. Et certè ista forma palam deviabat à Christianæ Hierarchiæ regulis. Interim lucet, quod Scotorum tunc Monasteria, quoad Divini verbi prædicationem, gauderent pleno jure Parochialis Ecclesiæ.

Et hoc jus isti Scotorum Episcopi omnino plantarunt etiam in Gallia. Nam quod S. Fursæus ex Anglia in Galliam migraverit, ac illic prope Parilios fundarit Latiniacensis Monasterium, affirmat idem Ven. Beda. Quis igitur ambigat ipsum in Gallia egisse eo ipso modo, quo egerat in Anglia? Prædicasse & intra & extra suum Monasterium? Erat Presbyter, non Episcopus. Quis dubitet istud ipsum non dumtaxat fecisse, sed & in fundatis per omnem Galliam Monasteriis faciendum sanxisse Scotos Episcopos? Et Scotorum olim Monasteria fuisse per Gallias admodum multa est eruditis manifestum. Et istum morem Gallicani Episcopi in suis Synodis omninò probarunt & confirmarunt. Etiam Moguntina, sub Magni Caroli Imperio celebrata Synodus rigidè mandat ab omnibus dici ac memoria teneri Apostolicum Symbolum & Dominicam Orationem, atque profequitur: *Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam recitè discant & Orationem Dominicam, ut domi alios docere valeant.* Monasteria ponit ante forenses Presbyteros: quod fidelium filios malit in istis, quam ab his catechizari. Et hinc Canonem, ut per omnem Francorum Monarchiam servaretur, præfatus Carolus ac ejus filius ac successor Ludovicus inseruerunt suis Capitularibus. Sanxerunt ipsum esse non dumtaxat Canonem, sed etiam Legem.

L. 3. c. 19.

Canone 45.

Lib. 5. c. 95.

Nec tantummodo catechizare, sed insuper baptizare potuerunt tunc Monasteria. Hinc enim etiam diu postea ad Hugonem Cluniacensis Monasterii Abbatem scripsit Theobaldus Comes Blesensis: *Ego Theobaldus, & uxor mea Adelaidis, sanctitati & Religioni, quæ penes vestrum S. Collegium nostris temporibus, Divina gratia largiente, potior celebriorque habetur, fide & devotione permoti, imo Dei inspiratione commoniti, Odonem filium nostrum Sacræ Regenerationis Mysterii innovandum & vestræ Paternitate destinamus.* Non ex singulari privilegio, longè minus ex prævaricatione, sed ex consueto tunc more id fecit religiosissimus Theobaldus. Epistola extat apud Lucam Dacherium in sexto tomo Spicilegii.

Quæ omnia insigniter confirmantur ex Dingolvingana Bavariæ Synodo, ubi post multas Episcoporum & Abbatum discepationes Thassilo Bavariæ Dux emisit hoc edictum: *Inter tot Collegia Sacerdotum, devolutis Episcoporum & Abbatum in præsentia pagitis, regularis Ordines vitæ, atque Canonum normas, vel Decreta Patrum, nullis comprobare quiverant testimoniis, ut Monachis Parochiæ commendari deberent, vel publica Baptismatis obsequia, nisi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto vicissitudinis villarum propriarum singulis annis obedientialibus curis commisso ab Abbate proprio fuerit determinata. Unde ab universis Abbatibus facta professo, ut minimè titulis populari-*

bus

bus se ingerent depellerentur, sed hæc omnia, cui commissæ sunt plebes, sub potestate Episcoporum permanerent. Extat editum ad calcem Codicis Bavarici.

Ex ipso discimus plura. Primò, quod illo tempore Monachi regerent Parochias. Secundò, quod non tantùm in suis Monasteriis, sed ubicumque baptizarent. Tertiò, quod hæc displicuerint Episcopis, ideoque facta sit Synodus, quæ decrevit sequentes Articulos. Primò, ut Monachi deinceps non regerent Parochias. Deinde, ut in quibuscumque Parochiis non baptizarent, nisi ob mortis periculum. Tertiò, ut etiam in propriis Parochiis ad istud officium non habitarent. Quartò, ut istud in his explere possent, dum illuc quotannis ad eorum necessitates ab Abbate legarentur. De ipsis Monasteriis nulla est facta mentio: quod illic antiqua baptizandi, adeoque & catechizandi consuetudo permaneret. Et ita fuit per omnem Germaniam. Quare Romani Pontifices antiqua Regularium privilegia, dum ad Mendicantes Ordines extenderunt, non ampliarunt, sed insigniter decurtarunt. Etenim Mendicantes Ordines in suis Monasteriis non possunt baptizare.

Nec tantummodò in suis Monasteriis ex ordinario Jure, sed etiam per Apostolicum privilegium Monachi olim prædicarunt. Qui ista privilegia censent in Ordinibus Mendicantibus inchoata, ideòque tamquam recentiora Romanorum Pontificum attentata audent fugillare, infeliciter hallucinantur. Etenim quod S. Equitio Monacho per omnem Valeriæ Provinciam prædicandi facultatem dederit Pelagius II. Pontifex, testatur & laudat in primo dialogorum libro Magnus Gregorius. Et privilegio, quod Fuldensi Monasterio dedit Gregorius IV. indidit hæc verba ad Rabanum Maurum Abbatem: [*Concedimus etiam tibi, quem bene eruditum, & bene eloquentem virum esse novimus, prædicare verbum Dei, auctoritate S. Petri, & nostra*, Diploma hoc est primum inter varia; quæ vulgavit Jacobus Gretzerus. Eandem potestatem venerabili Gerwino Centulensis Monasterii Abbati per omnem Flandriam, Galliam, atque Hungariam dedit S. Leo IX. Rem multis refert Hariulphus Monachus in quarto libro Chronici Centulensis. Et utrique sanctissimo Monacho recalcitrantes Clericos uterque Pontifex insigniter compescuit. Sunt plura similia exempla.

C. 1.

C. 27.

CAPUT IV.

Exponuntur diversæ Clericorum adversùm Monachos de hac materia lites, in quibus hi semper fuere victores.

Clerici, licèt ex officio obligentur tueri Monachos, passim fuerunt illis duriores ex nescio qua invidia. Exempla sunt plurima, quæ sepelire malim, quam memorare. Secunda super Christiani verbi ac Sacramenti administratione inter ipsos lis fuit sæculo undecimo, ac illam exponit in litteris ad Clericos & Canonicos S. Petrus Damiani: *Contra vos multum conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere, à Monachis nullo modo Communionem esse recipiendam. Insuper etiam suscipientes excommunicavit. Et in opprobrium nostrum imo & condemnationem suam & illorum, recommunicare præcepit.* Hoc est, pœnitentes à Monachis reconciliatos jussit denuò confiteri, & reconciliari. Datam à Monachis absolutionem dixit irritam & nullam Pergit: *Sed quid contra illum? Scimus quia per ne Idiota est, & multorum criminum reus; Ideoque juxta Salomonem: vitamus stulto respondere juxta stultitiam suam, ne similes ei efficiamur. Sed ne videamur succubuisse, respondere volumus stulte, ut idem Salomon admonet, juxta stultitiam suam, ne sapiens sibi esse videatur*, Clarus Demonstrator hæc bene notet.

L. 5. Ep. 19.

Imperitum ac invidum errorem S. Petrus multis refutat, & ad plenè refutandum suis litteris subnectit Decretum Bonifacii Pontificis: *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulsi, audaciâ tumè quidem, zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitùs sibi injunctam potestatem. Sed omninò labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicâ compar Sedis Beatissimus Gregorius, Monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi solvendique potestas à Deo summa conceditur. Augustinus quoque, ejusdem sanctissimi Gregorii Discipulus, Anglorum Prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus Beatissimus.... alii quoque quam plurimi viri sanctissimi, pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, neque Annulo Pontificali subarctabantur, sed quia Monachi fuerunt prædictis uti prohibentur. Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquomodo fuit Interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodò.... Nos verò tantorum Patrum inflituti exemplis, quibus est periculosissimum refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium, Deo operante, dignè administrari, & eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat, quisquis statum Monachorum, & habitum, potestatemque evidenter considerat.* Affirmat Monachos ad Episcopatum, imò & ad ipsum Papatum legitimè evehi, ideoque & Sacerdotio intra claustrum insignitos legitimè illic fungi ministerio verbi & Sacramenti.

Anno 618.

Quis Pontifex sit istius Decreti, seu datæ pro Monachis adversùm Clericos sententiæ Auctor, quidam dubitant. Certum est esse Bonifacium IV. Ita disertè affirmat Sigibertus Gemblacensis. Quod ipsum scribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis, dicens de S. Mellito Episcopo Lundinensi: *Mellitus Concilio Bonifacii Papæ interfuit, in quo de vita & quiete Monachorum tractavit.* Consonat Gratianus. Et in antiquo Populeti apud Hispanos Monasterio vetusto Decreti exemplar habet hunc titulum: Ex Concilio Bonifacii Papæ, qui quartus à B. Gregorio: *Quomodo Monachis liceat cum Sacerdotali officio ubi & ubi ministrare.* Consentit in septimo sui Decreti libro S. Ivo Episcopus Carnutensis. Quapropter primum con- C. 21. tra Monachos à Parochialibus Clericis bellum fuit sub quarto Bonifacio. Adeo antiqua est hæc invidia. Et certè quod suo tempore Clerici arietarint Monachos, in variis epistolis testatur & corrigit etiam S. Gregorius. Notanda sunt verba dicti ætiqui Codicis:

ris: *Ubi & ubi minisſtrare*. Innuunt, quod etiam iſti Clerici noluerint Monachos prædicare in propriis Monaſteriis. Porro hæc eſt quarti Bonifacii Synodalis Sententia: *Decernentes igitur Monaſticæ Profeſſionis Presbyteros Sacerdotalis potentiæ arceri officio, omni modo præcipimus, ut ab hujuſcemodi nefandis auſibus reprimantur impoſterum, quia quanto quiſque eſt celſior, tanto eſt & in his potentior*. Clarus Demonſtrator attendat verba: *Ab hujuſmodi nefandis auſibus*.

Porrò memoratam à S. Petro Damiani litem definivit in Nemauſenſi Concilio Urbanus ſecundus. Definivit innovando ac plenè referendo præfatum judicium quarti Bonifacii. Sententiam expreſſit mutatis parumper verbis: *Decernentes contra Monachos in hac re Sacerdotalis potentiæ officio præcipimus arceri, ut ab hujuſcemodi infandis auſibus impoſterum reprimantur, quod quanto quiſque exceſſior, tanto & illis erit potentior*. Lectionis varietas eſt modica. Provenit ex variis codicibus, olim per varios conſuetis deſcribi.

Et iſta ſententia Urbanus non fuit contentus: Adjunxit hæc, quæ aureis litteris deberent inſcribi cunctis Regularium Eccleſiarum valvis, verba ſequentia: *Oportet eos, qui ſæculum reliquerunt, majorem ſollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata ſolvere, quam Presbyteros ſæculares. Quoniam illi ſecundùm Regulam Apoſtolorum vivunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt, juxta quod in actibus eorum ſcriptum eſt ..... Ideoque videtur nobis, ut iis qui ſua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, dare Communionem, pœnitentias imponere, nec non peccata ſolvere. Unde conſiderare nos oportet, quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſæculum relinquentes Domini obediunt præcepto, dicentis*: RELINQUE OMNIA QUÆ HABES, ET VENI, SEQUERE ME. *Unde cenſemus eos, qui Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, Communionem dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſolvere*. Eſt non ſolius Urbani Pontificis, ſed totius Synodi Decretum. Et quidem Synodi Gallicanæ. Ipſam habes apud Lucam Dacherium in 4. Tomo Spicilegii.

Et in ipſa habes tria bene notanda. Primò, quod tunc Monachi Sacramenta adminiſtrarint in ſuis Monaſteriis, ac etiam præd icarint pari jure, quo & Patochiales Presbyteri in ſuis Eccleſiis. Secundo, quod etiam baptizarint. Tertiò, quod ſanctiùs atque utiliùs ſit Dei Verbum audire, & Sacramenta accipere à Monachis, quam à Presbyteris ſæcularibus. Ego conductus non ſum ad ulli maledicendum aut detrahendum. Quid interim de ſecularis Cleri ſtatu ac Profeſſione cenſeat Catholica Eccleſia, videri poſſit apud S. Petrum Damiani, Stephanum Tornacenſem Epiſcopum, Arnulphum Epiſcopum Lexovienſem, ac ſimiles Scriptores. Divina Clementia noſtris temporibus reddat ſanctum Rigobertum Remenſem, S. Ledradum Lugdunenſem, S. Crodogangum Metenſem Epiſcopum, ac plures iſtiuſmodi Patres, qui Clerum denuo cogant ad communem in clauſtro ſub Epiſcopi oculis vitam, atque ita reddant doctiſſimum ac ſanctiſſimum.

Tertiam hujuſmodi litem habemus apud Ven. Rupertum Abbatem Tuitienſem. Uti nunc Clarus Demonſtrator de Parochiali Miſſa, & Paſchali annua Confeſſione tacet, agitque de ſolo catechizandi ac prædicandi jure; ita tunc neſcio quis ſimilis Antimonachus de Sacramentis tacuit, & iſtud ipſum dumtaxat jus tentavit Monachis eſſe ſtucare. Contra illum dictus Venerabilis Abbas ſcripſit dialogum ſub hoc titulo: *Altercatio Monachi & Clerici, quod liceat Monacho prædicare*. Et Monachus incipit: *Iniquè agis, reſiſtens mihi in faciem, & opprimens os meum, ut non audeam aperire os in medio Eccleſiæ, & Verbum Dei annunciare. Dic tandem, quæ te authoritate poſſe putas os meum opilare?* Et Clericus reſpondet: *Dicam; & me non iniquè agere æquitatis ratione convincam*. Omnia Clerici argumenta Rupertus eruditè ac nervosè ſolvit, & demonſtrat conſuetudinem, ex qua etiam tunc Monachi prædicabant in ſuis Eccleſiis, factis Canonibus & moribus per omnia quadrare. Integer Dialogus eſt legendus. Rupertus eadem compendio firmat in 4. libro ſupra Regulam S. Benedicti. Ex iſto dialogo videbis Clarum Demonſtratorem contra res à ſæculis judicatas imperitè & contumaciter rebellare. Cap. 4.

CAPUT V.

Exponuntur ſimiles lites motæ contra Ordines Mendicantes, in quibus & hi ſemper fuere victores.

PRæcipua Fratrum Mendicantium profeſſio eſt catechizare & prædicare: Hunc in finem Divina Providentia ipſos poſuit in Eccleſia. Et anterioribus Monachis fuerunt longè diligentiores. Hinc & majores ac frequentiores paſſi ſunt Clericalis invidiæ impetus.

Prima adverſum illos lis fuit à quibuſdam Pariſienſis Univerſitatis Doctoribus, quorum Dux fuit Guilielmus à Sancto Amore Doctor, Canonicus & Theologus Belluacenſis Eccleſiæ. Lis habuit varios articulos: Quos omnes exponere, quid juvet? Ipſos videre poſſis apud Matthæum Pariſienſem. Eorum interim munus fuit poteſtas evangelizandi. Litis exitum edidit in ſuo Chronico Nicolaus Trivettus: *Alexander IV. Papa Magiſtrum Wilhelmum de S. Amore, Canonicum Belluacenſem, ſuumque Capellanum, propter perſecutionem injuſtè commotam contra Religioſos Mendicantes, & præcipuè Prædicatores, Anagniæ condemnavit, privans eum Capellania ſua, & omni Eccleſiaſtico beneficio habito & habendo. Libellum etiam, quem de mundi periculis intitulavit, in quo contra Ordines Pauperum multipliciter invehitur, reprobans; in Eccleſia Cathedrali comburi fecit, excommunicans omnes qui retinerent librum illum. Cæteros etiam Magiſtros, per dictum Wilhelmum concitatos, coegit Fratres ad pacem recipere, & ſecundùm legem chartiatis tractare*. Etiam infra habet idem Nicolaus: *Alexander Papa reprobavit duos libros peſtiferos, quorum unus dicebat, quod Religioſi etiam Verbum Dei prædicantes, de elemoſynis viventes ſalvari non poſſint*. Conſonat in ſuo Chronico Guilielmus Nangiancenſis. *Pariſiis orta eſt turbatio inter Clericos & Religioſos ibidem ſtudentes, propter quemdam librum, quem Magiſter Guilielmus de Sancto Amore, Canonicus Belluacenſis, compoſuerat, de mundi periculis intitulatum. Sed ipſo Magiſtro propter hoc ad Romanam Curiam accedente*.

Anno 1253. 1255. 1256. Anno 1256. Anno 1261. Anno 1252.

accedente, dicta eſt diſcordia per Papam Innocentium IV. conſopita. Et infrà proſequitur: *Diſcordia, quæ fuerat inter Fratres Prædicatores, Minores, ac alios Religioſos Pariſiis ſtudentes, contra M. Guillelmum de S. Amore, Canonicum Bellvacenſem, ſuper Librum, quem de mundi periculis intitulatum compoſuerat, recidivavit. Propter quam ſedandam & pacificandam miſit Rex Franciæ Ludovicus duæ ad Romanam Curiam Clericos, ut per Papam Alexandrum finem debitum ſortiretur. Tandem hinc inde multis propoſitis, damnatus & confuſus exitit liber ille apud Anagniam coram Papa in Eccleſia Cathedrali. Non propter hæreſim, ut dicebant aliqui, quam contineret, ſed quia contra præfatos Religioſos ſeditionem videbatur & ſcandalum excitare.* Scelleratus liber inter alia garriebat Fratres Mendicantes eſſe illos, quos infectatur famoſa prophetia S. Hildelgardis. Ita teſtatur in Lib. 4. cap. 16. ſui Senonienſis Cœnobii Chronico unus è Guilielmi Amatoribus Richerius Monachus. Hinc & in vita S. Engelberti, glorioſi Martyris, & Colonienſis Archiepiſcopi, qui Prædicatores & Minores in iſtam civitatem amiſit, ita ſcribit Cæſarius Heiſterbacenſis: *Cùm veniſſent Coloniam Fratres de novo Ordine Prædicatorum, nec non & Fratres qui dicuntur Minores, & graves quidam eis eſſent ex Clero, eiſque coram Archiepiſcopo Engelberto diverſa objicerent, illos accuſando, Engelbertus reſpondit. Quamdiu res in bono ſtatu eſt, ſtare finite. Cumque inſurrexit tam Primores, quam Plebani, & dicerent, timemus ne iſti ſint illi, de quibus Spiritus Sanctus per os B. Hildegardis prophetavit, per quos Clerus affligetur, & Civitas periclitabitur, verbum notabile reſpondit: Si divinitus prophetatum eſt, neceſſe eſt ut impleatur. Quo verbo compeſcuit omnes.* Adeo inveteratum eſt in quibuſdam Clericis odium erga Fratres Mendicantes. Et ad iſtum Cæſarii locum rectè ſcribit Ægidius Gelenius: *Videtur nunc quam probè agant, quotquot Societati Jeſu, altiſque Religioſæ, hac ætate noſtra eandem eximunt contumeliam.*

Et de iſta Doctoris Guilielmi lite omnis adverſaria nobis factio adeo erubuit poſtmodum, ut Henricus Knychtonus Leyceſtrenſis Eccleſiæ Canonicus in ſuorum Annalium libro, velit Anno 1382. Guilielmum non ſcripſiſſe contra Ordines Mendicantes, ſed contra futuros tunc Wicleffiſtas prophetaſſe. Grandia mala, quæ nova ſacrarum Litterarum in Anglicanam linguam translatione creavit Joannes Wicleffus. Exponit atque adjungit: *Et ſic adimpletum eſt, quod prædixit Wilhelmus de S. Amore longo antè tempore.* Et infra omnes in damnato Guilielmi libro contentas de nobis calumnias enumerat, ac pergit: *Hæc quidam applicant ad Fratres Mendicantes, magis tamen conſruuntur iſtis novis populis Lolardis.* Id eſt Wicleſſiſtis. Sunt inſignes nugæ. Etenim Guilielmus de S. Amore eſt centum & amplius annis ſenior Lolardis; quomodo igitur poſſit in ipſos ſcripſiſſe? Neque propheravit. Cur enim prophetiam damnaſſet & exuſſiſſet Romana Eccleſia? Ergo certum ac manifeſtum eſt, Guilielmum contra Mendicantes Ordines, quos tamquam ultimum militantis Eccleſiæ ſubdidium venerata ſemper eſt omnis Chriſtianitas, furibundo ore & calamo inſaniiſſe.

Omittere nolim inſignem, quæ rem præſentem tangit, ac veram hiſtoriam: *Conradus Portuenſis Epiſcopus, cum vidiſſet Fratres Ordinis Prædicatorum, qui de novo* Pariſios *advenerant, viſitavit eos. Dubium autem quid gerens de eis in corde, egravit Dominum, ut ſibi, ad quod Ordo iſte veniſſet, oſtenderet dignaretur. Neque mora. Oblato & aperto libro, ad quid Ordo Prædicatorum veniſſet, reſponſum eſt cogitanti:* LAUDARE, BENEDICERE, ET PRÆDICARE. *Qui ſtatim effuſus in laudem Chriſti coram omnibus dixit: Licèt alterius profeſſionis ſim habitu, Frater tamen veſter ero, quamdiu in vita ſubſiſtam. Neque umquam ulla adverſitate à vobis divellar.* Erat tunc Legatus Honorii III. *Proindè idem Cardinalis poſtea tempore Gregorii IX. verbum memorabile reſpondiſſe fertur cuidam in Colonia Sacerdoti. Illi enim Synodo præſidenti, quidam Sacerdos Parochialis conqueſtus eſt dicens: Ecce Fratres Ordinis Prædicatorum, qui in noſtrum damnum Coloniam intraverunt, falcem mittunt in meſſem alienam, ſubditorum noſtrorum Confeſſiones audiunt, & per hoc in ſuum favorem attrahunt. Cui mox Conradus Legatus reſpondit: Quis eſt numerus hominum in Parochia tibi ſubditorum? & ille inquit novem millia. Tunc confignans ſe Cruce Legatus dixit: Quis es tu, miſerrime, qui tot millibus ſolus ſufficias, debitam gubernationis curam impendere? Neſcis, hominum perditiſſime, quia debes in illo tremendo judicio ante tribunal Chriſti de his omnibus reſpondere? & tu tales habens Vicarios queruſaris, qui onus tuum gentis relevent? Quia igitur ex hac querela indignum te omnimodè cura indicaſti, ideo privo te omni beneficio paſtorali. Hoc dicto publicavit autoritatem, qua à Sede Apoſtolica Fratribus Ordinis Prædicatorum ſpecialibus privilegiis prædicare populis, & Confeſſiones audire per SS. Patres, Honorium III. & Dominum Gregorium IX. eſt commiſſum & injunctum.* Non dumtaxat permiſſum, ſed commiſſum atque injunctum. Et nota titulos: *Miſerrime, hominum perditiſſime.*

Secunda adversùm Ordines Mendicantes famoſa lis fuit mota à Joanne de Poliaco, Doctore item Pariſienſi. Verùm illa non Conciones, ſed ſolam adminiſtrandæ Sacramentalis Pœnitentiæ poteſtatem impetiit, ideoque non ſàcit ad rem præſentem. Ejus igitur in locum pono horrendam perſecutionem, de qua in ſuo Chronico Continuator Guilielmi Nangiacenſis: *Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo inſurrexerunt Domni Cardinales & Prælati alii multi cum magna multitudine Curatorum contra Religioſos Mendicantes in Curia Romana, volentes & petentes à Domno Papa Clemente VI. eorum annullationem, & quod deficerent in ſe. Epiſcopi allegantes fortiter in Conſiſtoria, quod ipſi Mendicantes non erant ab Eccleſia vocati & electi, & quod eis non incumbebat fidelibus prædicare, neque Confeſſiones audire, ſed neque Sepulturas recipere alienas. Unde requirebant dicti Prælati cum Curatis, quod ipſi Mendicantes caſſarentur, vel quod ſaltem ceſſarent à præmiſſis, aut ad minus, quod non ſolùm quarta portio de Sepulturis alienis daretur, ſed totum emolumentum ipſis Curatis ex integro redderetur: Quia nimis erant ditati ipſi Mendicantes de talibus ſepulturis, prout dicebant ipſi Prælati & Curati. Hæc & ſimilia Prælati & Curati allegabant contra Mendicantes, & multò*

plura, magno de hoc Sermone contra ipſos facto per Dominum Cardinalem, & præſatis Mendicantibus ibidem præſentibus, & nihil ad objecta reſpondentibus, ſed potius cogitantibus illud, quod ſcriptum eſt: ESTOTE IN PACE, ET DOMINUS PUGNABIT PRO VOBIS. *Quod ſtatim ibidem factum fuit. Nam finitis dictis Allegationibus, contra ipſos Dominus Papa, ſtatim pro Mendicantibus verbum ſumpſit, allegans pro parte Mendicantium, eleganter offendens per multa jura & Scripturas, dictos Mendicantes non eſſe ſic ſpernendos, ut illi dixerant, nec caſſandos probans eos à Deo & Eccleſia fore vocatos ad auxilium regiminis Eccleſiæ, licèt tardius quam de multis, etiam eos inter alios vocatos debere meritò computari, probans hoc inter cætera exemplo Beati Pauli Apoſtoli, qui cum non fuiſſet à principio de numero duodecim Apoſtolorum, ſed potius eſſet magnus Eccleſiæ perſecutor, poſtea tamen fuit à Chriſto inſpiratus, vocatus, & vas Electionis factus, & inter Apoſtolos excellentior commendatus. Objecit etiam Dominus Papa ipſis Prælatis & Curatis; de quo, ſi ipſi Mendicantes tacerent, ipſi populo prædicarent? Quia ſi de humilitate prædicaverint: Vos, inquit Dominus Papa, ſuper omnes mundi ſtatus eſtis magni, ſuperbi, & elati, & pompoſi; & in equitaturis, & in aliis. Si de pauperate; vos eſtis magis tenaces & cupidi: Unde vobis non ſufficiunt omnes Prabendæ, ac Beneficia mundi. Si prædictis prædicetis de caſtitate; de hoc, inquit, Nos tacemus, quia Deus ſcit qualiter quilibet agit, & qualiter quam plurimi in deliciis nutriunt corpus ſuum. Addidit autem Dominus Papa, quod idcirco multi Prælati & Curati odio habebant Mendicantes, & eis claudebant portas ſuas, pro tanto ne viderent vitas eorum; ſed bene Lenonibus, & Truffatoribus, & non Mendicantibus bona temporalia ſæpius miniſtrabant. Dicens iterum eis, quod dolere non debebant, ſi Mendicantes aliqua bona tempore mortalitatis, quæ nuper fuerat, receperant in Viſitationibus Mendicantium, & earum, quam dicti Mendicantes, fugientibus Curatis, multis ſolemniter exercuerant circa decedentes. Etſi de dictis temporalibus aliqua ædificia conſtruxerant, non erat dolendum, cum hoc totum eſſet, ut dicebat Dominus Papa, in ſuis ædificiis appoſitum ad decorem totius univerſalis ſanctæ Dei Eccleſiæ, non in voluptatibus & actibus impudicis. Et quia non ſic facitis, nec feciſtis, ideo ſic doletis, quia totum non habetis, ut omnia exponatis ad uſus veſtros tales quales. Et idcirco ipſos Mendicantes acriter accuſatis, qui tamen, ut de pluribus veſtrum vera loquamur, dixit Dominus Papa, non niſi ad vana & temporalia vocatis ſæpius, & ſtudetis: Et modo huc contra Mendicantes veniſtis, ſicut una Congregatio taurorum in Vaccis populorum, ut excludatis eos, qui probati ſunt argento. Tandem dixit eis Dominus Papa, Quæ & qualia mala, & quanta emergebant Eccleſiæ ſi ea quæ ipſi Prælati petebant, contra Mendicantes finaliter obtinerent. Dixit tamen eis: Quod ſi aliqua haberent contra ipſos Religioſos, ponerent in ſcriptis, & alii à converſo, & ipſe Dominus Papa daret eis optimos Auditores. Et ſic vacuì receſſerunt dolentes & confuſi, Religioſis gaudentibus, & laudantibus Deum verum.*

Sub Clemente VI. graſſata fuerat illa horrenda lues, quæ non ſolummodo pagos integros vel oppida, ſed & grandes abſumpſerat civirates. Ex decem hominibus dicitur vix unus evaſiſſe. Ita crudelis bellua Parochiales Presbyteros egit in fugam: Fratres autem Mendicantes pro Chriſti Fidelibus expoſuerunt ſuas animas, & plurimi poſuerunt. At verò grati Fideles, ſpiritualia in tanta neceſſitate per caſtam charitatem ſeminantibus, redderunt temporalia, atque ita Fratres Mendicantes ſua repararunt ac ornarunt Monaſteria, & nova à variis civitatibus & oppidis invitati exſtruxerunt. Hæc res feriit invidos Clericorum oculos. Hinc poſtulatum, ut Mendicantes caſſarentur, atque deinceps ita non prædicarent: vel ſaltem, ut non ſolùm quarta portio funeralium oblationum, ſed integra maſſa Curatis redderetur: Ibi poſuit vim.

Tertiam litem habes apud eumdem Guilielmi Nangiacenſis continuatorem: *Archiepiſcopus Armachanus, Primas Hiberniæ, tranſvit ad Curiam Romanam, prædicaturus contra Religioſos Mendicantes, contra illos faciens libellos & tractatus, fortiſſimè allegans ipſos ab Eccleſia non debere ſuſtineri; & dicens inter cætera & aſſerens: quod Chriſtus & Apoſtoli, licèt eſſent viri pauperes, non fuerint Mendicantes. Allegat autem multa jura, & Scripturas, ut ab Eccleſia deleantur, vel ſaltem auxilio privilegiorum pro Prædicationibus, Confeſſionibus, Sepulturis ac exemptionibus prævenitur. E contra autem Religioſi præfati non amplius quam ſex articulos hæreticos ipſi objiciunt & opponunt. Sed qui prævalebunt, in fine liquidiùs apparebit.* Iſte Continuator exitum non ſcripſit. Ipſum ſcripſit magnus noſter adverſarius Thomas Walſingamenſis: *Magna controverſia coram Summo Pontifice facta eſt inter Magiſtrum Richardum Fitzrauf, Primatem Hiberniæ Armachanum videlicet, & Clerum Anglicanum ex una parte, & quatuor Ordines Mendicantium ex altera, ſuper ſtatu & regula eorumdem Fratrum. Qui videlicet Armachanus opiniones ſuas ergo Fratres coram Summo Pontifice diu plurieſque ſuſtinuit, & ipſe manifeſtè à ſuis regulis deviaſſe multis rationibus demoſtravit. Sed tandem prob dolor! Clero Anglicano ſibi ſubirahente promiſſa, & exuberante in Curia Fratrum ſatis magna pecunia, adhuc lite pendente, Fratres ſua privilegia, ſicut ante, ſub data nova obtinuerunt.* De damnatis per Epiſcopales Synodos Hæreticis ac quibuſcumque Erronibus rectè ſcripſit in Synodali ſuæ Provinciæ, ac Chalcedonenſis Concilii Decreta defendit, epiſtola ad Leonem Auguſtum S. Seleucus Amaſenus Epiſcopus, Helenoponti Metropolita: *Novimus quia omnes hæretici ſanctas Synodos eorum malas ſectas deſtruentes, accuſant.* Eodem ſpiritu iſte Thomas accuſat Romanam Eccleſiam, & tandem concludit: *Quo quidem tempore ad præceptum Domini Papæ quievit controverſia inter Clerum & Ordines Mendicantium.*

Anno 1357.

Anno 1358.

Anno 1360.

Eamdem litem ſuis Annalibus inſeruit Henricus Knyghtonus, Leyceſtrenſis Eccleſiæ Canonicus: *Eodem tempore orta eſt diſcordia inter Clerum & Fratres Minores de quibuſdam opinionibus; & utraque pars appellavit ad Curiam Romanam. Unde Magiſter Richardus Epiſcopus Armachanus tranſivit cum pluribus aliis Clericis ad Curiam in defenſionem Cleri. Et idem Richardus Armachanus habuit ſubſidium de Clero, & Abbas Sancti Albani erat Procurator ejus. Et quia Papa ſemper favebat Francis, & eos fovebat in quantum potuit, contra Anglos.* Hiberniæ Primas, Abbas S. Albani, & univerſus Angliæ Cle-

Lib. 4. Anno 1357.

rus erant formidabiles adversarii: hinc Mendicantium Ordini victoria fuit gloriosissima. Et quia ad ipsum obnubilandam fictum à Thoma walsingamensi mendacium non sufficit, Henricus Knyghtonus adinvenit aliud. At est manifestè nugax. Etenim Angliæ Clerus non adversùm Francos, sed adversùm Anglos Regulares habuit litem, atque ita Innocentius VI. Pontifex nequiit hic Francis favere. Henricus adjungit: *Eodem anno obiit Magister Richardus Fitz-Rauf Episcopus Armachanus, qui causam manutenuerat, contra Fratres Mendicantes in Curia Romana apud Avenionem.* Adeò dilexit istum infelicem malæ cautæ Advocatum.

Anno 1361.

Eamdem litem memorat & alius Mendicantium Ordinum adversarius Henricus Rebdorffiensis: *Eodem anno Richardus Archiepiscopus ordinatus est Primas totius Hiberniæ. Contra Ordinem Mendicantium proponit in Consistorio publicè coram Papa & Cardinalibus graves excessus, quos in sua Provincia & alibi per universam Ecclesiam contra Prælatos, & Rectores Parochialium Ecclesiarum in prædicationibus, pœnitentiis injungendis, & tumulandis parapharnalibus commiserunt. Et quod privilegium eis indultum ex constitutione Bonifacii VIII. quæ habetur in Clementina* DUDUM, DE SEPULTURIS *excederent, & privilegio abuterentur. Cujus causæ auditionem & definitionem Dominus Papa commisit quibusdam Cardinalibus.* Richardus primas fuit conquestus, quod Fratres eadem cum Presbyteris Parochialibus hora prædicarent, adeoque populum à Parochiali Ecclesia diverterent. Quod populum in Pœnitentiæ Sacramento tractarent suavius. Quod ipsorum Ecclesiæ essent opulentæ omni genere ornamentorum. Et hodierna querimonia, per Innocentium VI. tunc abundè retusa. At ecce post tot sententias nescio quis Tenebrio non vult tacere: & quidem post sententias datas à Romana Ecclesia, cujus judicium ipsi Accusatores elegerant. Certè de Donatistis bino dumtaxat judicio damnatis scribit ad nobilem Virum Festum S. Augustinus: *Puto quod ipse diabolus, si authoritate Judicis, quem ultro elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa perstisteret.*

Anno 1352.

Ep. 367.

CAPUT VI.

Harum Sententiarum justitia demonstratur ex scopo, ob quem Catholica Mater Ecclesia instituit Mendicantes Ordines.

QUod una causarum, ex quibus Ordines Mendicantes instituit ac probavit Romana Ecclesia, fuerit Albigensium hæreticorum sperata per illos, & postmodum obtenta extinctio, Eruditi noverunt. Porrò istius hæresis originem aperit in Avenionensi Synodo Hugo Rhegiensis Episcopus, Innocentii III. per Galliam Legatus: *Propter formidandam & pavendam negligentiam Prælatorum, qui existentes potius mercenarii quam Pastores, se murum pro domo Israel non opponunt, nec populis suæ gubernationi commissis evangelizant Evangelicam disciplinam, in his partibus diversæ & damnatissimæ hæreses pullularunt.* Hinc mandat, ut omnes Episcopi deinceps, frequentiùs & Catholicam Fidem prædicent, & disciplinam. Exstat Synodus apud Lucam Dacherium in 2. tomo Spicilegii. Hoc ipsum confirmat, & istud prædicandi præceptum ad Parochiales etiam Presbyteros extendit in Adbiensi Synodo Zoenus Avenionensis Episcopus, ac Innocentii IV. Legatus. Erat tunc in Episcopis & Parochialibus Presbyteris tanta prædicandi negligentia, quantam undecimo etiam sæculo vigisse omnes novimus & dolemus: Et tunc suo Socio apparuit, nescio quis, damnatus, & ipsi porrexit infernales literas, in quibus Matthæus Parisiensis affirmat scripta fuisse hæc sequentia: *Satanas & omne infernorum contubernium omni Ecclesiastico Cœtui gratias emittit, quod cum in nullo suis voluptatibus deessent, tantum numerum subditorum sibi animarum, suæ prædicationis incuria, paterentur ad infera descendere, quantùm sæcula numquam retrò acta viderunt.*

Cap. 6.

Ad istam ergo desidiam excutiendam, nec non ad lapsam ex ipsa disciplinam reparandam Romana Ecclesia induxit Ordines Mendicantes. Eis prædicare non dumtaxat permisit, sed & præcepit. Eos in hoc ministerio æquavit Parochialibus Presbyteris. Amborum item Ecclesias fecit æquales. Aliissima voce id clamat vel solus primarii Ordinis titulus; Ordo Prædicatorum. Romana Ecclesia hos quatuor Ordines suffecit in avitum munus omnium antea Monachorum, quorum Prædicationes esse sæcularium Presbyterorum prædicationibus sanctiores ac utiliores, supra audivimus à Concilio Nemausensi. Et hinc illi flatim fecerunt, quod de sanctis Apostolis Domini scribit S. Marcus: *Illi autem prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & Sermonem confirmante sequentibus signis.* Mox omnem non tantummodo Europam, sed & Asiam, & Africam Evangelio repleverunt. Et postmodum omnem Americam, utramque Indiam, Persidem, cunctas Antipodum vastissimas regiones. Et in libro de corrupto Ecclesiæ statu Nicolaus Clemangis, Bajocensis Ecclesiæ Archidiaconus, scribit de grassantibus suo tempore vitiis inter Episcopos: *Si quis fortassè Pastor surrexit, qui salutari exhortationi vel prædicatione animas lucrifacere studeat, & plus in lege Domini, quam in legibus hominum meditetur, extemplò in morsum ipsius omnium dentes acuentur: Illum prorsus ineptum, nec dignum Sacerdotio clamitabunt. Quippe qui legum humanarum nescius, jura sua defendere non est idoneus, nihilque aliud didicerit, nisi inerti otio, aut fermentationi incumbere, quæ officia Mendicantium palam esse affirmant, nullâ temporali curâ, vel administratione, quæ utilitati occupatione suos animos teneat, fungentium.* Et infrà: *Jam illud egregium, & præclarissimum prædicandi Officium, solis quondam Pastoribus attributum, eisque maximè debitum, ita apud quosdam Episcopos viluit, ut nihil magis indignum, aut suæ dignitati magis erubescendum existiment.* Proinde Mendicantes Ordines injunctum sibi prædicationis officium adeo strenuè atque utiliter expleverunt, ut plures Episcopi suas prædicationes censuerint deinceps superfluas, atque ita duxerint sibi tacendum. Gravissimè erraverunt isti Episcopi: attamen

Cap. 16.

ipso-

ipſorum error altiſſimè clamat prædicandi officium ſemper competiiſſe Ordinibus Mendicantibus, & fuiſſe ab ipſis fideliſſimè ac diligentiſſimè expletum.

Iſtud horum Ordinum Officium idem pius ac eruditus Nicolaus infra ex profeſſo exponit: *Venio nunc ad Mendicantes, qui ex Profeſſione arctiſſimæ paupertatis veros ſe Chriſti Diſcipulos, veroſque imitatores eſſe jactant atque gloriantur: Quippe qui conſiderantes, ut ipſi ajunt, illud Evangelicum*: SI VIS PERFECTUS ESSE, VADE ET VENDE OMNIA QUÆ HABES, ET SEQUERE ME; *Omnium poſſeſſionum ſuarum, verumque temporalium ſpreta ſarcina, onereque graviſſimo, qui eruditi præterea in Divinis Litteris, quibus pene ſoli bodie inſudant, poculum verbi Dei, quo populi reficiuntur, aſſidua prædicatione miniſtrant: Viam eis ſalutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt, juſtorum digna præmia, impiorumque ſupplicia demonſtrant. Sicque animas ab interitu ſempiterno per veram pœnitentiam revocatas ad Deum converti faciunt. Denique ſoli ipſi, ut aſſerunt, cæterorum omnium Eccleſia ſegniter dormientium officia peragunt, exercent, eorumque delicta, ignorantias, & negligentias ſupplent.* Quæ omnia rurſum altiſſimè exclamant, quod Divini Verbi in Parochiali Eccleſia audiendi obligatio, tunc non excluſerit Eccleſias Ordinum Mendicantium: quod talis cogitatio tunc nemini vel occurrerit. Porro Nicolaus non malè dicit: *Jactant atque gloriantur. Ut ipſi ajunt. Ut aſſerunt.* Etenim demonſtrat, ac ex animo lamentatur omne tunc Eccleſiæ ſtatum fuiſſe in diſciplina corruptum, ideoque etiam Mendicantes Ordines eguiſſe tunc diſciplina. Quod ſuit omnino verum. Eorum tunc morbos vides in eodem libro.

Quod Fidelis populus, etiam in maximis totius anni Feſtivitatibus, potuerit in Ordinum Mendicantium, non minùs quam in Parochialibus, Eccleſiis Dei Verbum audire, inſigniter patet ex reſponſo, quod Græcorum Epiſcopis Ferrariam advectis ad Synodum, dederunt Eugenius IV. Pontifex, ac Epiſcopus Ferrarienſis. Inſtabat tunc Paſchalis ſolemnitas, atque ita in Florentini Concilii hiſtoria ſcribit Sylveſter Sguropulus, Cruciger Diaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ[1]: *Patriarcha à Papa poposcit templum ex uno Monaſteriorum auguſtum & ſpatioſum, quo ſolemnia Paſchatis jam præ foribus cum ſuis peragaret.* Popoſcit aliquam Eccleſiam Ordinum Mendicantium. Hi enim ſoli Fertatiæ inter Monachos habent Eccleſias auguſtas & amplas. *At Papa reſpondit: Quod petiit Patriarcha ad ſe minimè pertinere, ſed ad Epiſcopum Ferrarienſem, quare quo debeat, poſtulatum transferat. Quod ut præſtitit Patriarcha, hoc ab Epiſcopo reſponſum tulit: In grandiora Monaſteorum ſacraria non ſoli Monachi, ſed quam plurimi Magnates, & ingens multitudo populorum ad Divina Officia confluunt. In ſolemnibus verò feriis multa frequentiora, adeò ut nec ipſi Monachi ſuis Liturgiis, hymnis, & Cantionibus careant, aut alium habeant locum, quo ea perficiant, ne qui extra Monaſterium vivunt in civitate, ſuis ſolitis Concionum & Miſſarum ſolaciis deſtituantur.* Ecce quid tunc de audita, etiam in ipſo Paſchali Feſto, apud Ordines Mendicantes Concione ſenſerint Ferrarienſis Epiſcopus, ac Papa Eugenius. Et quidem ille Epiſcopus non fuit ex communi numero. Fuit enim beatus Joannes de Coſſiniano, vir longè ſanctiſſimus, & clariſſimus miraculis. Ita docent tabulæ Ferdinandi Ughelli.

L. 4. c. 31.

Et hanc Ordinum Mendicantium poteſtatem prædicat & laudat in ſui Florentini Concilii adverſùm Marci Epheſini Archiepiſcopi calumnias Apologia Gregorius Proto-Syncellus: *Utinam nobis tot eſſent Concionatores in Eccleſia diebus feſtis ac Dominicis populum docentes, quod ſumma felicitate viſuntur in Latina Eccleſia, quotque Monachi extremam amplexi paupertatem.* Etiam hic Gregorius non fuit talis qualis. Etenim ejus Apologiæ Paulus V. Pontifex juſſit præfigi hoc encomium: *Gregorius Hiero-Monachus, magnus Proto-ſyncellus, & à Confeſſionibus, qui poſtmodum creatus eſt Patriarcha, & Romæ ſepultus coruſcavit miraculis.* Dum Græci, excutiendo factam in Florentina Synodo unionem, compleverunt ſua peccata, & Divina Juſtitia parabat ipſos in Turcicam captivitatem tradere, hic Gregorius è Conſtantinopoli, tamquam alter Loth è Sodomis, ſubtractus eſt: reliquit Deo ac Eccleſiæ rebellem populum & Clerum, Romam abiit, iſtic defunctus eſt ſanctiſſimè, & poſt mortem miraculis coruſcavit. Tantus Eccleſiæ Antiſtes & Doctor Mendicantes Regularium Ordines, ipſorumque in ſacro verbi miniſterio diligentiam gratulatur Latinæ Eccleſiæ, eamdemque felicitatem exoptat ſuæ Græcæ. Et ecce hic Tenebrio garrit iſtas Conciones diebus Dominicis ac feſtis frequentari non poſſe, adeoque & Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ judicium non erubeſcit damnare.

CAPUT VII.

Præfatarum ſententiarum juſtitia demonſtratur etiam ex Apoſtolicis privilegiis.

NOlim omnia Mendicantibus Ordinibus ad Dei verbum prædicandum data per Apoſtolicam Sedem privilegia hic exponere. Eſt immenſum opus. Adducam dumtaxat illa, quæ ſunt clauſa in Corpore Juris, adeòque adversùm quæ nullus poſſit grunnire. Nam & ipſa noſtri Catholici Reges frequenter ſanxerunt inviolabiliter obſervari. Eis addiderunt & vim legis. Præmittere tamen volo primæ vum Ordinum Mendicantium pro Dei verbo prædicando, privilegium, ipſum, quæ paucis dilucidare. Honorius ergo III. & Gregorius IX. Patribus Prædicatoribus fecerunt authoritatem prædicandi ubique, non ſolummodo in propriis, ſed etiam in Parochialibus & Cathedralibus Eccleſiis: etiam invitis iſtarum Eccleſiarum Rectoribus. Eis Apoſtolica Sedes inhibebat, ne prædicare volentem præſumerent impedire. Eodem jure & modo Prædicatores ubique locorum poterant excipere Fidelium Confeſſiones, & quævis peccata abſolvere. Hæc gratia quibuſdam Epiſcopis, ac Parochialibus præſertim Preſbyteris graviſſimè diſplicuit, ideoque paſſa eſt duros obices. Et hinc præfatus Gregorius ad omnes ſub cœlo Epiſcopos, Prælatos, ac Preſbyteros adjecit hanc Encyclicam epiſtolam: *Quoniam abundavit iniquitas, & refriguit charitas*

plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Filiorum Fratrum Prædicatorum Dominus ſuſcitavit, qui non quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU-CHRISTI *quærentes; tam contra profligandas hæreſes, quam contra peſtes alias mortiferas extirpandas, ſe dedicaverunt Evangelizationi Verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum ſanctum propoſitum & neceſſarium miniſterium favore benevolo proſequentes, Univerſitati veſtræ ipſos affectuoſè duximus commendandos, Charitatem veſtram rogantes, & exorantes in Domino; ac per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, dilectos Filios, Fratres Ordinis memorati, pro reverentia divina, ad officium prædicandi, ad quod deputati ſunt, recipiatis benignè, ac populos vobis commiſſos, ut ex ore ipſorum Verbi Dei ſemen devotè ſuſcipiant, & confiteantur eiſdem, cum ipſis auctoritate noſtra liceat Confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere, ſedulo admonentes pro Noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, in ſuis eis neceſſitatibus liberaliter aſſiſtatis, quatenus ad prædicta ſuſcipienda veſtris exhortationibus populi præparati, tanquam bona & fructifera terra, pro vitiorum tribulis inciptant ſegetem germinare virtutum.* Diploma fuit datum anno primo Pontificatus. Exſtat apud magnum noſtrum adverſarium Matthæum Pariſienſem. Anno 1246.

Et Epiſcopis, Parochialibus Præsbytetis hæc item epiſtola graviſſimè diſplicuit. Eorum ſenſum exponit dictus Matthæus: *Eodem tempore Fratres Prædicatores limites paupertatis, quam profeſſi ſunt nuper egreſſi, jam ad ſuperos gradus aſcendere, venerari & timeri à Prælatis Eccleſiaſticis affectabant. Et jam non tantum Prædicatores, ſed etiam eſſe Confeſſores contendebant, uſurpantes ſibi officium Ordinariorum, & haberi eos contemptui procurantes, quaſi ſcientia & poteſtate inſufficientes populum Dei regere, & Eccleſiæ ſora moderari. Unde multis diſcretis videbantur Ordinem univerſalis Eccleſiæ, per ſanctos Apoſtolos & Sacros Doctores noſtros Anteceſſores, de quorum Sanctitate toti mundo conſtat, ſanctum, nimis enormiter perturbare. Teſtificatum eſt etiam, quod Ordo S. Benedicti, vel Ordo B. Auguſtini, per multorum ſpatium ſæculorum tantum non delitravit, quantum eorum, qui nondum in Anglia per triginta annorum ſpatium radicum propagines transplantarunt. Impetrato igitur à Papa Gregorio, qui ſpecialiter eorum fautor erat pauciſs evoluſis annis inaudito privilegio, hoc etiam his temporibus novum, ad primum roborandum, non ſine Ordinariorum jactura & præjudicio à Domino Papa ſunt adepti.*

Hi pertinaces Patrum Prædicatorum adverſarii fuerunt præſertim in Anglia: Hinc Innocentius IV. Epiſcopis Vintonienſi, Vigornenſi, ac Norvicenſi ſcripſit has litteras: *Quia nonnulli ſic in malitia delectantur, ut voluntatis libito, abſtinentiæ ruptis habenis, ad illicita relaxato, Perſonas Religioſas, Dei timore poſpoſito, multipliciter moleſtare præſumant, conſuevit pia Mater Eccleſia perſonis ipſis contra præmittatum tallum defenſionis remedio miſericorditer ſubvenire; per quod moleſtatorum ipſorum compeſcatur temeritas, eædem perſonæ tutæ permaneant, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur. Cum itaque dilecti filii, Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prædicatorum, in Provincia Anglicana conſtituti (ſicut ex eorum parte nobis exſtitit intimatum, a nonnullis, qui Nomen Domini in vacuum recipere non formidant) moleſtias multiplices patiantur: Nos volentes eiſdem contra inſolentiam & conatus malignantium providere, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus memoratis Priori & Fratribus contra perverſorum audaciam efficaciter favoris præſidio aſſiſtentes, non permittatis ipſos contra indulta privilegiorum Apoſtolicæ Sedis ab aliquibus indebitè moleſtari, Moleſtatores hujuſmodi per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſpoſita, compeſcendo.* Adeò duros & validos in ipſis noſtris exordiis habuimus adverſarios. Quid miramur eorum traducem etiam hodie non nobis deeſſe? Notent Innocentii IV. verba: *Abſtinentiæ ruptis habenis, Voluntatis libito ad illicita relaxato. Contra prætitatem tallum, Moleſtatorum temeritas, Inſolentiam & conatus malignantium, Perverſorum audaciam.* Et quidem Epiſcopi, qui Patres Prædicatores ad prædicandum in ſuis Eccleſiis nolebant admittere, iſta elogia meruetunt.

Nihilominus his etiam litteris quidam Epiſcopi & Parochiales Presbyteri perrexerunt contumaciter obgannire. Fucos, quos celeberrimi ad S. Albanum in Anglia Cœnobii Archidiaconus adduxit, habes apud præfatum ejuſdem Cœnobii Matthæum. Verùm iſti ſolam Paſchalem Patribus Prædicatoribus faciendam Confeſſionem impugnabant, non ab eis faciendas in ipſis etiam Cathedralibus Eccleſiis Conciones. Factas in eorum Monaſteriis Conciones cuncti probabant, optabant, commendabant.

Et quidem tam noni Gregorii, quàm quarti Innocentii privilegium loquebatur de ſolis Patribus Prædicatoribus. Nec mirum. Etenim S. Pater Franciſcus ſuis Filiis mandat in Regula, ut non concionentur, niſi de beneplacito Epiſcoporum. Hoc paternum frænum Romana Eccleſia noluit laxare. Poſtmodum tamen in Diplomate, quod varia Regulæ dubia exponit & moderatur, ſtatuit Nicolaus III. Pontifex: *Verùm quia expreſsè continetur in Regula, quod Fratres non præcedent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo fuerit illis contradictum: Nos in hoc & deferentes Regulæ, & nihilominùs auctoritatem Apoſtolicæ plenitudinis conſervantes dictum, quod præcedant Verbum ad litteram, ſicut Regula ipſa prohibet, obſervetur, niſi per Sedem Apoſtolicam circa hoc pro utilitate populi Chriſtiani ſit conceſſum vel ordinatum aliud, vel impoſterum concedatur, ſeu etiam ordinetur.* Et hoc Diploma Bonifacius VIII. inſetuit quinto libro ſui Codicis, & eſſe ſanxit autheuticum totius Eccleſiæ Canonem. Et dictum fuerat Romana Eccleſia non ſolummodò laxavit, ſed penitus abſtulit. Et hinc turſus graviſſima Epiſcoporum & Parochialium Presbyterorum murmura. Et ad ipſa plenè obturanda Martinus IV. liberæ prædicationis poteſtatem, aliaque Ordinum Mendicantium privilegia denuo innovavit, & validiſſimè confirmavit. Tit. 12. c. 3.

Verùm inquieta ingenia neſciunt ſibi ipſis imperare ſilentium. Hinc de hac privilegiorum innovatione ſcribit à Philippo Labbeo publicatum Chronicon Eccleſiæ Rothomagenſis: *Fratres Minores impetrarunt à Domino Papa, ut poſſent audire* Anno 1287.

Con-

Confessiones & absolvere, Prælatis minimè requisitis. Propter quod orta fuit magna contentio inter Prælatos Regni Franciæ & Fratres prædictos. Istud privilegium fuisse etiam de potestate prædicandi, ac iterùm Prædicatoribus confirmatum, affirmat horum Chronicon Colmariense; quod ipsum affirmat, & latius in suo Chronico exponit Henricus Anno 1287. Stero, Monachus Alchanensis: *Eodem anno mota est discordia inter omnes Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & totum Clerum Regni Franciæ ex una parte, & Fratres Prædicatores & Minores ex altera, super privilegio date eis à Domino Papa Martino. Dicebant enim ipsi Prædicatores & Minores de dicto privilegio, quod confessi ipsis non teneruntur suis Parochialibus Presbyteris eadem numero peccata iterum confiteri. Cujus contrarium Archiepiscopi & Episcopi asserebant per idem privilegium, & per Decretalem Extravag. de pœnitentiis & remissionibus,* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæstio per Doctores ac Magistros Theologiæ & Juris Canonici fuit multipliciter disputata Parisiis, & validissimis ostensum rationibus fuit, præcipuè tamen per Magistrum Henricum de Gandavo; quod eadem peccata numero quæ aliquis confessus fuerit Prædicatori vel Minori, teneretur saltem semel in anno confiteri suo proprio Sacerdoti. Quod tamen cùm ipsi Fratres multis rationibus destruere niterentur, consilium datum fuit per Magistros Parisienses Sæcularibus, quod suis proprijs Sacerdotibus confiterentur, quia de his nullum est dubium, quando jurisdictionem absolvendi habent, & semel eis prædicta peccata confessa non fit necesse iterum confiteri. Super hac autem controversia dissolvenda ex parte Episcoporum & Cleri Regni Franciæ missi fuerunt ad Curiam Romanam duo Episcopi de Francia: quibus in subsidium omnes Archiepiscopi, Episcopi, Prælati & totus Clerus,* CENTESIMAM PARTEM OMNIUM SUORUM ECCLESIASTICORUM REDITUUM MINISTRAVERUNT. *Dominus tamen Nicolaus Papa IV. qui de Ordine Fratrum Minorum exstitit, natione Lombardus, de Marchia Antonii Cardinalis, de Esculo civitate, fuit electus in Ecclesia S. Petri. Et eâdem causam pro neutra parte adhuc hodie determinavit, sed permisit in dubio depŏndere.*

Eadem de re scribit cum stomacho Thomas Wal- Anno 1287. singamensis: *Papa Honorius IV. moritur. Succedit Nicolaus IV. natione Romanus, prius dictus Frater Hieronymus, de Ordine Minorum. Hic idolum, ut dicitur, Fratrum ejusdem Ordinis, multa privatim statuit, quæ faciunt non solum superbire Minores, sed etiam insanire.* Est mendacissima calumnia. Etenim longè aliter scribit præfatus Stero: *Succedit Frater Hieronymus de Ordine Minorum Fratrum, & vocatus est Nicolaus. De quo non intellexi, quod Fratribus quondam sui Ordinis aliquas fecerit gratias speciales. Et tempore suo noluit discutere quæstiones, quas Fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos habuerunt, ut per ipsum neutra pars gravaretur.* Attamen Francos garrire permisit & Fratres Mendicantes manere firmos in privilegio Martini IV. Erat terribile bellum. Habebat validos nervos: Opes totius cleri Gallicani; & tamen pauperes triùmpharunt: nempè erant armati justitia. Et quidem potentissimus ille Clerus solam Pœschalem Confessionem studuit sibi reddere, de Parochiali Concione penitus tacuit, quod nosset hic sibi esse nec fucum alicujus Juris.

Istius belli exitum exponit præfatus Henricus Stero: *Bonifacius Papa VIII. Controversias & materias quæstionum inter Episcopos, Prælatos & Clerum ex una parte, & Fratres Prædicatores ac Minores ex altera, quæ jam per plures annos, suscitatæ duraverant, decidit, ut etiam patet in quadam littera incipiente, Bonifacius Episcopus, Servus Servorum* Anno 1299. Dei, SUPER CATHEDRAM EMINENTIÆ. Et ad hanc constitutionem Episcopi & Clerici mirificè exultarunt. Etenim scribit Henricus Rebdorffiensis: *Bonifacius Papa fecit unam Constitutionem valde utilem Clero sæculari, & maximè Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, sed restringentem authoritatem Fratrum Prædicatorum & Minorum, à Martino IV. Papa concessam, & ipsis Ordinibus Mendicantium odiosam, ut patet in quadam Constitutione, quæ incipit:* SUPER CATHEDRAM. *Quam Constitutionem Benedictus Papa Successor suus revocavit. Sed Clemens Papa quintus revocationem Benedicti cassavit, & prædictam Constitutionem Bonifacii, tamquam utilem, approbavit, ut videtur hodie in Constitutione Clementina de Sepulchris, Capitulo,* DUDUM. Adjungit de Benedicto Papa undecimo; *Hic priùs de Ordine Fratrum Prædicatorum Constitutionem Antecessoris sui Bonifacii, suis Fratribus & aliis Mendicantibus non placabilem, sed utilem Clero sæculari, cassavit.* Et pergit de Clemente V. *Hic Constitutionem Bonifacii, utilem Clero sæculari contra Ordines Mendicantium, revocavit, revocans constitutionem contrariam sui proximi Antecessoris.* Anno 1313.

Porrò Benedicti Constitutio in pleno vigore mansit usque ad Joannem XXII. Pontificem; qui ejus à Clemente V. factam abrogationem, licèt ipsa Viennensis Concilii esse jam passim dicatur, existimant esse ab isto Concilio, ideòque & tunc ſtatim obtinuisse insigniter hallucinantur. Rationem dat Continuator Guilielmi Nangiacensis scribens de Decretis istius Concilii. *Porrò cùm de aliquibus statum vel reformationem universalis Ecclesiæ tangentibus, quod erat tertium principali Synodi intentum, aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, seu provisio, seu decisio à Prælatis & aliis, quorum interat, priusquam Concilium solveretur, & instanter & pluries à Papa peteretur, de quibus etiam ipse Papa, ut dixerunt aliqui, Decretales quasdam præterea Constitutiones edidit & statuta: numquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata, sed penitùs Judicio Apostolico fuerunt liberè reservata, & ad plenum dimissa.* Et hinc ipse Clemens susas istas Constitutiones non tantummodo suspendit, sed & improbavit. Liquet ex ejus edicto, quod adversùs quoſdam habentes istarum Constitutionum copiam, ideòque & ipsas in praxim ducere conantes, edidit. Inter hos haud dubiè fuerunt Episcopi & Parochiales Presbyteri. Anno 1312.

Audiamus rem ab eodem Continuatore: *Cardinalis Nicolaus sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, authoritate Apostolica districtè inhibuit, ne quis Constitutionibus novis, quas aliqui post tempus Generalis Concilii emanasse de Curia, & earum copiam se habere dicebant, uti præsumeret in judiciis; aut scholis; cum de conscientia Summi Pontificis minimè processissent, & aliter super hoc intenderet provi-* Anno 1313.

dere. Et ista Constitutio suppressa mansit usque ad Joannem XXII. de quo idem Continuator pergit: *Constitutiones, quæ Clementinæ communi vocabulo nuncupantur, eò quod per Dominum Clementem Summum Pontificem in Concilio Viennensi editæ fuissent, cum propter multas latas Excommunicationis, Suspensionis, & cæteras Juris pœnas in ipsis contentas nimis rigidæ viderentur, ad tempus suspensas Joannes Papa XXII. fecit Parisiis, & in aliis studiis solemnibus sub Bulla publicari, & eas sub pœnis contentis præcepit observari.* Quod ipsum scribit Henricus Stero: *Mense Novembri fecit Papa Joannes XXII. publicari, & ad studia transmisit Constitutiones Clementinas.* Concinit, eum aliqua tamen varietate, Henricus Knyghtonus: *Clemens Papa V. septimum librum Decretalium, quæ Constitutiones Clementinæ vocantur, ordinavit. Sed citò post in Concilio, quod apud Viennam celebrat, eumdem librum revocavit. Quem tamen Successor suus Papa Joannes innovavit, incorporavit, publicavit.* Affirmat istas Constitutiones à Viennensi Synodo nec probaras, nec permissas fuisse, sed revocatas. Videatur etiam Magnum Belgii Chronicum.

Anno 1317.

Anno 1317.

Lib. 3. c. 5.

Et hinc liquet istas constitutiones non esse Generalis Concilii. Licèt à Clemente nomen & structuram habeant, suam tamen authoritatem habent à solo Papa Joanne. Notanda sunt sæpius repetita harum Constitutionum verba: *Instante & approbante Sacro Concilio.* Non de præstita per Synodum re, sed de Clementis V. spe sunt accipienda. Ipsa Joannes Pontifex judicavit non rata-denda. Interim Glossator insigniter errat: *Multoties dixi, quod Concilia fiert privilegiatis vel exemptis non convenit. Quod colligo ex hoc Viennensi Concilio.* Existimavit Bonifacianam à Clemente resuscitatam constitutionem fuisse à Synodo probatam ac firmatam.

Anno 1289.

Ista Constitutio fuit Episcopis & Parochialibus Presbyteris adeo grata, ut de ipsa scribat Guilelmus Nangiacensis: *Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de Confessionibus audiendis à Papa Bonifacio irritatur. Et decrevit idem Papa, ut confessus eisdem Fratribus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti.* Manifestè errat. Nec enim id Bonifacio vel in cogitationem venit. Ejus tamen Constitutio fuit istis Ordinibus dura admodùm, atque acerba, Et hinc ad ejus executionis facilitandam viam, & Bonifacius Conditor, & Joannes Promulgator fecerunt, quod hic habet in sua Decretali de Judiciis: *Intelleximus, quod plerumque Prædicatorum & Minorum, necnon Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum personis prædecessor Bonifacius Constitutionem, in qua tantùm de ipsis Prædicatorum & Minorum cavebatur Ordinibus, per omnia voluit postmodum integraliter & inconcusse servari. Et ad quem prædictorum Carmelitarum Fratrum Ordinem nos sub sequenter constitutionem eamdem, quoad omnia in ea contenta duximus extendendam, ab Episcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus, contra tenorem constitutionis prædictæ, graves injuriæ atque molestiæ in diversis partibus inferuntur.* Primitivum atque amplissimum Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. ac IV. Martini privilegium erat datum solis Prædicatoribus ac Minoribus. Hinc ut ejus invidiam minueret apud Fratres, & ejus favorem fortificarent adversùm Episcopos & Parochiales Presbyteros Bonifacius ad Augustinenses, Joannes extendit ad Carmelitas. Ita factum est, ut licèt quidam dolerent, alii tamen fuerint gavisi, & ut residua gratia habuerit plures defensores. Quod & Bonifacius & Joannes primævum privilegium repugnanti animo mutilaverint, est ex multis argumentis manifestum. Quòdam Episcopos isti privilegio implacabiliter recalcitrantes pacificandi amor, illos compulit. At reperitur certum hominum genus, quibuscum beneficeris, fiunt pejores. Et ita hic evenit. Ex his interim lucet, eos, qui dictæ Bonifacianæ constitutionis favores hodie negant obtinere in Augustinensibus & Carmelitis, palàm hallucinari. Rationes, ex quibus Bonifacius Fratres Augustinenses dilexit, habes in Chronico Cistercienses Monasterii, quod appellatur Aula Regia.

L. Extravag. comm. Tit. 1.

CAPUT VIII.

Bonifacii VIII. Constitutio exponitur.

BOnifacius scandalosas Episcoporum ac Parochialium Presbyterorum cum Patribus Prædicatoribus ac Minoribus lites exponit, affirmat versatas circa prædicationes Fidelium populis faciendas, Fraternæ inter fœcularem & regularem Clerum pacis bona commendat, atque profequitur: *Statuimus & ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant clero & populo prædicare, ac proponere Verbum Dei, hora illa duntaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, coram se fucere solemniter prædicari, in qua prædicare cessabunt, præterquam si aliud de Prælatorum ipsorum voluntate processerit ac licentia speciali. In studiis autem generalibus, ubi Sermones ad Clerum ex more fieri solent diebus illis, quibus prædicari solemniter consuevit, ad funera etiam mortuorum, & in festis specialibus sive peculiaribus eorumdem Fratrum, possint eidem Fratres, & liceat eis liberè prædicare. Nisi forte hora illa, qua solet ad Clerum in prædictis locis Dei Verbum proponi, Episcopus vel Prælatus Superior Clerum ad se generaliter convocarit, aut ex aliqua ratione vel causa urgente Clerum ipsum duceret congregandum. In Ecclesiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere Verbum Dei, nisi Fratres prædicti à Parochialibus Sacerdotibus invitati fuerint vel vocati. Et de ipsorum beneplacito & assensu, seu petita licentia fuerit, & obtenta. Nisi Episcopus vel Prælatus Superior per eosdem Fratres prædicari mandaret.*

Sancit varia. Primò, quod Prædicatores ac Minores in Cathedralibus aut Parochialibus Ecclesiis deinceps prædicari non possint, nisi ex beneplacito Episcoporum aut Parochialium Presbyterorum, Ita primævum privilegium gravissimè mutilavit. Et ad hunc præsertim articulum Episcopi, & Parochiales Presbyteri exultarunt atque cantarunt. Secundò sancit, quod dicti Patres liberè possent in suis Ecclesiis ad suum beneplacitum, quavis hora prædicare. Tertiò, quod istud

ipsum

ipſum poſſent etiam in publicis plateis. Quod ad iſtas Conciones poſſent convocare populum, Epiſcopis ac Parochialibus Presbyteris invitis factâ per Patres Mendicantes in iſtorum Eccleſiis prædicatio erat res dura, ac Epiſcopali præſertim poteſtati ſatis adverſa. Hinc Bonifacius cenſuit circumſcribendam. Attamen intra ſolas Monaſteriorum Eccleſias circumſcribi voluit: voluit manere liberam in plateis. Regulares Eccleſias hoc in puncto voluit eſſe Parochialibus & Cathedralibus æquales. Imo potiores. Etenim Fideles in aliena Parochia nequeunt audire Divina. Bonifacius conceſſit, ut quivis cujuſvis Parochiæ Fidelis poſſet illa audire in quavis Mendicanti Eccleſia.

Excepit unicum dumtaxat caſum: *horæ illa dumtaxat excepta; in qua locorum Prælati*, utique Epiſcopus, Metropolita, aut Primas, *prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari*, Proinde Patres Mendicantes eadem, qua Parochialis Presbyter, hora prædicare, & populum invitare poſſunt, & invitatus populus poteſt accedere; ideoque non obligatur Dei Verbum in Parochia audire. Hæc enim obligatio, ſi foret, non permitteret tunc in Regularium Eccleſiis prædicari. Eſt res manifeſta. Nec cum ſolo Parochiali Presbytero, ſed etiam cum Archidiacono, cum Capituli Cathedralis, aut Collegiati Decano atque Præpoſito Regulares poſſunt concurrere. Excipiuntur ſoli Epiſcopi, ac Prælati Superiores. Et hæc exceptio non eſt plena. Habet hanc exceptionem: *Præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit*. Et hanc: *In ſtudiis generalibus, ubi ſermones ad Clerum ex more fieri ſolent diebus illis, quibus prædicari ſolemniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſive peculiaribus eorumdem Fratrum, poſſint eidem Fratres, & liceat eis liberè prædicare*. His caſibus poteſt eorum Concio in eamdem horam concurrere etiam cum ſolemni Concione Epiſcopi. Eſt tamen iterum ſub exceptio: *Niſi forte illa hora, qua ſolet ad Clerum in prædictis locis Dei verbum proponi, Epiſcopus vel Prælatus Superior Clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione vel cauſa urgente Clerum ipſum duceret congregandum*. Cum Parochiali Concione Patrum Mendicantium Concio poteſt ſemper in eamdem horam concurrere: etiam in die Paſchatis, ac in Dedicatione Parochialis Eccleſiæ. Nulla hic eſt exceptio.

Papa Bonifacius ex pacis amore deſcendit ad iſta Patrum Mendicantium vulnera. Etiam Papa Joannes. Verùm neuter plenam pacem eſt conſecutus. In extravaganti de privilegiis inſigniter hoc dicit Benedictus XI. *Proæ, quam Bonifacius intendebat, quiete, turbatio nata eſt, præ concordia ſunt obortæ diſſidia, & pullulatæ inquietudines præ tranquillitate noſcuntur. Sicque dum anſam ſolviſſe ſe credidit, nodum ligaſſe videtur: Et ſeptem, una amputato Hydræ capite, ſuſcitaſſe. Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates diſcordiam, præſertim dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia cauſa ſubeſt*. Bonifacii Conſtitutionem variè culpat. Et hæc ejus Conſtitutio non eſt revocata. Etiamnum fulget in ſacri Juris Corpore.

Per Bonifacii Conſtitutionem inflati Epiſcopi ac Parochiales Presbyteri cœperunt vario modo inſolefcere, ipſam pravè interpretari. Hinc Benedictus emiſit hanc ſolemnem & authenticam interpretationem: *Ideo cupientes, ut ipſi gregi cura noſtra ac plenior impendatur, quod ampliori in agro Dominico operariorum numerus operetur, ſuper negotium intendentes & pauperem, ac novitatem removentes per eandem Conſtitutionem inductam, ſtatutmus de Fratrum noſtrorum Conſilio, ut priorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Eccleſiis ac locis ipſorum quæ impræſentiarum habent, & impoſterum obtinebunt, ac in plateis communibus ſeu publicis liberè abſque Diœceſanorum ac aliorum Prælatorum petita licentia valeant Clero & populo prædicare, eique proponere verbum Dei. Caveant tamen omnino, ne hora, in qua Diœceſani prædicti prædicarent, vel coram ſe facerent prædicari, prædicent iidem Fratres. Putamus etenim dignum, ut majori minor, & ſuperiori inferior deferat in hac parte. Niſi forſan aliud circa hoc facerent de voluntate Diœceſanorum ipſorum, aut in ſtudiis generalibus prædicarent diebus illis dumtaxat, quibus ſermones ad Clerum fieri ſolent, & ſolemniter prædicari, ſeu mortuorum funeribus; vel eorumdem Fratrum feſtis ſpecialibus ſeu peculiaribus. Quia in his caſibus cum Diœceſanis in Prædicatione concurrere poterunt. Ubi verò iidem Diœceſani vocarent generaliter ad ſe Clerum aliqua ratione, vel urgente cauſa illum ducerent congregandum, ea hora in ſtudiis memoratis diebus ſæpe dictis Fratres ab ejuſmodi prædicatione ceſſabunt. In Eccleſiis autem Parochialibus Fratres ipſi, invitis eorum Rectoribus ſeu Sacerdotibus, niſi juſſi à Superioribus eorumdem, non audeant prædicare*. Per egenum & pauperem intelliguntur Ordines Mendicantes. Hos in relictis à Bonifacio privilegiorum reliquiis Benedictus ſtabilit: & Urbanum II. imitatus commendat ipſorum Conciones.

Verùm neque hæc Benedictina, licèt univerſalis Eccleſiæ Codici inſerta, Conſtitutio compeſcuit quorundam Epiſcoporum & Clericorum zelum atque invidiam. Similes motus poſtmodò etiam fuerunt ſub Joanne XXII. Etenim ſæculares Clerus & dicti Patres poſt publicatas Clementinas Conſtitutiones ſunt graviſſimè queſti de ſe invicem, quòd neutra iſtas Conſtitutiones obſervaret, ſed utraque pars in alterius injuriam variè præveticaretur. Hinc Joannes Bonifacianam Conſtitutionem fuit compulſus confirmare per novas Decretales litteras, quas habes in Extravagantibus communibus ſub titulo de Judiciis. Utrique parti ſeriò interdicit mutuas injurias. Epiſcopi tamen quidam & Clerici videntur tunc potius contra factam ad Auguſtinenſes & Carmelitas extenſionem, quam contra mutilata Prædicatorum ac Minorum privilegia calcitraſſe. Interim quod quidam adverſus omnia calcitrarint, demonſtrant ſeditioſa Ingenia, quæ à Clemente ſexto, ac à ſexto Innocentio poſtularunt omnes Mendicantes Ordines extingui.

Similia Ingenia revixerunt ſub Sixto IV. præſertim in Eslingenſi oppido Diœceſis Conſtantienſis. Garriverunt ex Mendicantibus Ordinibus hæreſes proceſſiſſe, adeoque ipſos Eccleſiæ non dumtaxat inutiles eſſe, ſed & noxios. Et noluerunt

runt eos eadem cum Parochianis Presbyteris hora prædicare. Voluerunt populum obligari ad Parochialem Concionem. At vero Sixtus ante omnia rescripsit, istiusmodi quæstiones suscitari ab illo, qui tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, & tunc ad singula respondit: *Animadvertimus quod hodernis temporibus, hominum crescente malitia, nisi ager Dominicus Cultoribus idoneis, buccinatoribus Sancti Spiritus, & Præconibus Verbi Dei (qui præter cæteros in Ordinibus Fratrum Mendicantium, gratia assistente Divina, in copioso numero reperiuntur) assiduè colerentur, vepribus malorum, & sentibus vitiorum omnium celeriter obrueretur*, &c. Hanc causam Sixtus delegarat quatuor Cardinalibus, & hæc fuit ipsorum definitiva sententia: *Quod Parochiani Sacerdotes de cætero non dicant à Mendicantibus hæreses prædicasse, cum in veritate Fides nostra sit illuminata, & Ecclesia exaltata per eosdem, & præsertim per Ordines Prædicatorum & Minorum, ut Jura testantur.* Et post quædam circa Parochialem Missam & Paschalem Confessionem interjecta prosequitur: *Quod etiam de cætero inter ipsos Fratres Mendicantes & Curatos quoad effectum prædicandi, boras sanctandi, campanas pulsandi, servetur consuetudo antiqua, quæ temporibus antiquis servata fuit in oppido Eslingensi. Et casu quo veniat aliqua occasio sive necessitas, non fiat commutatio temporis vel horæ in ipsis prædicationibus faciendis, nisi de consensu partium.* Et hanc sententiam Sixtus Apostolica authoritate confirmavit. Et ejus Decretum Romana Ecclesia inseruit suo Canonum Codici.

Res ita cucurrit usque ad sacrosanctum Tridentinum Concilium. Egenus quidem & pauper fuit per quosdam Episcopos ac Parochiales Presbyteros frequenter invasus & percussus, verùm S. Petrus Apostolus constanter intellexit super illum. Romæ fuit ipsi propitius, & suos ibi Successores promovit ad Fratres Mendicantes in suo eoties per Apostolicam Sedem probato & firmato, nec non Catholicæ Matri utilissimo ministerio defendendos ac stabiliendos. Demonstrari id possit ex innumeris Romanorum Pontificum Diplomatibus. At nolim Lectorem fatigare. Dum quis exegerit, erunt ad manum.

CAPUT IX.

Tridentini Concilii, in quo unice hodie se fundant Adversarii, Decretum expenditur.

SAcrosancta Tridentina Synodus in 5. sessione innovat & confirmat antiquos Ecclesiæ Canones, qui Episcopis & Parochialibus Presbyteris sub gravi reatu mandant, ut suo tempore concionentur, ac populum doceant. Idem Decretum innovat ac denuò firmat XXIV. Sessionis caput quartum, atque adjungit: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri poterit, ad audiendum verbum Dei.* Quidam hodie Parochiales Presbyteri pertinaciter censent, & ad ravim usque clamant omnia Mendicantium Ordinum ad Dei verbum prædicandum jura esse paucis istis verbis excussa, eversa, exsufflata.

Respondeo esse insignem petulantiam, adversùs quam queritur Beatus Pius Papa V. *Aliqui Episcopi singulis Dominicis diebus in suos Parochianos ad sonum campanæ Excommunicationem promulgant, ut non possint interesse Missis, Concionibus, & divinis officiis, nisi in propria Parochia.... Alii verò sub excommunicationis latæ sententiæ, & exilii per decennium à Diœcesi, pœna inhibuerunt, ne Missæ in eorum Ecclesiis celebrentur in diebus festivis, antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit. Alii etiam nolunt, ut dum prædicatio in Ecclesia Cathedrali habetur, alibi prædicetur.* Adversùm hæc sanctissimus ac doctissimus Pontifex sanxit: *Nos motu proprio, non ad alicujus instantiam, sed de mera deliberatione & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus Canonem Sessionis vigesimæ quartæ capite quarto Tridentini Concilii, per quem omnibus Regularibus, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum Fratres hujusmodi, quando à suis Generalibus, vel eorum Ministris Provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse. Imo volumus, quod in suis Ecclesiis quando eis placuerit, licitè & absque ullo impedimento vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicaverit, prædicare possint.* Et infra: *Insuper Sessionis XXII. Decretum, quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis & majoribus festivis diebus convenire debere monet, insequendo voluimus, quod Fratribus Mendicantibus hujusmodi non solum prohiberi non possit, ne Missas & alia Divina Officia faciant in eorum Ecclesiis, verùm etiam in quibuscumque aliis, ubi celebrari Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant. Ac etiam quod Conciones, & Lectiones S. Scripturæ, & Sermones pro mortuis, etiam in Ecclesiis facere, ac Elemosynas pro hujusmodi Missis celebrandis, & aliis Divinis Officiis peragendis, si eis illas donari aut relinqui contingat, recipere, nec non Missas & Divina Officia hujusmodi, etiam in diebus Dominicis vel Festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare & facere, & quando eis videtur, etiam si tunc in Ecclesia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicumque utriusque sexus Christi Fideles, totius anni tempore, illas & illa in Ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possint. Ipsi Christi Fideles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque, ullo pacto, causa, vel occasione non valeant seu debeant; sed præfati Christi Fideles audiendo Missas & alia Divina Officia in Ecclesia Fratrum hujusmodi, diebus Dominicis aut Festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciste censeantur.* Constitutione 41.

Sancit adversùm quosdam Gallicanos Episcopos, sacrosancta Tridentina Synodo palàm abusos, atque ita de errore in errorem cespitando ausos similia. Et nota erroris inconstantiam ex perlecto Synodi integro contextu: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri poterit, ad audiendum Verbum Dei. Nullus autem Sæcularis sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat.* Memorati Episcopi sua devia Decreta &

Edicta

Edicta fundarunt in verbis posterioribus: in Episcopi licentia, etiam Regularibus ad prædicandum necessaria. Hinc illos censuerunt ad quodvis suum beneplacitum debere in suis etiam Ipsorum Ecclesiis tacere. At verò clarus cum suis Congerronibus Demonstrator fundat se in verbis prioribus: Existimat fidelem populum per illa mitti ad Parochialem Ecclesiam, atque ita prohiberi à Monasteriis. Nempè nostrorum Adversariorum in nos testimonia non conveniunt. Beatus Pius evertit solos istos Episcopos. Declaravit Regulares, dummodo per suos Superiores sint probati, juxta Bonifacianam constitutionem posse prædicare in suis Ecclesiis: Debere Episcopo dumtaxat præsentari, ab ipso petere Benedictionem, & nulla ejus negatione aut contradictione tunc posse impediri. Clari Demonstratoris fundamentum tunc istis Episcopis, nec in mentem venit. Adeo deviat à mente Synodi.

Verùm nostri adversarii assumunt jam aliud scutum. Affirmant omnem istam Beati Pii Constitutionem esse à proximo Successore Gregorio XIII. circumductam. Etenim Gregorius in nona sua Constitutione demonstrat Beatum Pium in suis circa Regularium privilegia Constitutionibus fuisse varium, & prosequitur: *Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de Nobis attributæ potestatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus de prædictis & aliis omnibus litteris & Conſtitutionibus, quæ ab eodem prædeceſſore noſtro eiſdem de rebus pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium, Ordinibus & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuſcumque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex jure veteri, ſive ex Sacris Tridentini Concilii Decretis, ſive aliàs legitimè ante dictarum litterarum & conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuumque priſtinum ac integrum ſtatum ac terminum illa omnia reducimus.*

Respondeo Constitutionem omnem beati Pii nec circumductam esse, nec potuisse circumduci. Est dumtaxat circumscripta seu limitata ad antiquos communis juris terminos. Egit enim duo. Primò, quædam Tridentinæ Synodi circa Mendicantes Ordines obscura, aut in quæstionem devocata loca est interpretatus. Secundò, quædam eorumdem Ordinum per eandem Synodum mutilata aut contracta privilegia reddidit priori amplitudini, atque ita Synodo derogavit. Prior Constitutionis actus nec circumduci potuit per successorem, nec circumscribi. Etenim fuit actus Cathedræ, spectans ad disciplinam universalis Ecclesiæ, ideoque est infallibilis ac irretractabilis. Absit ut Gregorius Pontifex duxerit aut crediderit beatum Pium in Synodi interpretatione errasse. Istiusmodi enim error est horrenda prævaricatio. Porro inter articulos, quos Pius est interpretatus, sunt articuli de Parochiali Missa, de Parochiali Concione, & de Fratrum Mendicantium potestate, ad prædicandum in propriis Ecclesiis. De his enim dixit: *Declaramus.* Quod ipsum postmodò de Parochiali Missa declararunt Clemens VIII. & Alexander VII.

Et non solùm hi, sed etiam B. Pius optimè declaravit. Expositi verò Synodi sensum. Pro quo notandum est rectè dici etiam à Gregorio, quod de Ordinum Mendicantium privilegiis sit deinceps juxta Jus vetus, juxta Tridentinæ Synodi Decreta, & juxta alia, utique Apostolicæ Sedis Statuta, judicandum. Vetus Jus manere integrum quoad omnia, quibus sacra Synodus non derogavit. Antiquum porro à Bonifacio VIII. inductum, & per Joannem XXII. Sixtum IV. ac alios Pontifices frequenter innovatum & stabilitum, Ordinibus Mendicantibus permittit, ut omni die & hora prædicare in suis Ecclesiis, & ad istas Conciones possint invitare Fidelem populum, dempta sola hora, in qua ipse Episcopus prædicaverit. Ut ita prædicare possint Fratres per sui Ordinis Superiores approbati. Circa primum punctum S. Synodus plenè tacuit, ad secundum adjunxit: *Nullus Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat.* Sancit deinceps Regulari ad propria etiam in Ecclesia prædicandum non sufficere solius Regularis Prælati authoritatem; sed insuper esse opus facultate Episcopi, aut saltem ut ab ipso non contradicatur. Et hanc antiqui juris correctionem, à quibusdam pravè intellectam, Pius V. est interpretatus.

Porrò qualis requiratur Episcopi facultas, postmodo etiam declaravit in dato ad Cardinalem Baltazarem de Sandoval diplomate Urbanus VIII. *Quod dicitur Regulares non poſſe Verbum Dei prædicare ſine Epiſcopi licentia, id locum ſibi vindicat in his tantum Eccleſiis, quæ ſui Ordinis non ſunt; cum in aliis Eccleſiis ſui Ordinis, ſufficiat Epiſcopi Benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen ut ſi Epiſcopus non modo Benedictionem ſimpliciter non conceſſerit, verùm etiam Regularibus prohibuerit, quo minus prædicent, tunc illo contradicente in ſui quidem Ordinis Eccleſiis liceat illis prædicare, quemadmodum S. Concilii Tridentini decretis ſalubriter eſt cautum.* Quare Episcopus Regulares ad concionandum sibi præsentatos non potest examinare. Istud Urbani Diploma exstat apud Ascanium Tamburinum in 2. tomo de Jure Abbatum, & in Augustini Barbosæ Collectaneis, ad titulum *Epiſcopus Prædicator.* Disp. 6. q. 12.

Pii V. Constitutionem non quoad S. Synodi interpretationes, sed quoad solas ejus derogationes fuisse limitatam à Gregorio, & ad Synodi terminos reductam clamat res ipsa, & non solùm gravissimi Doctores ita sentiunt, sed & ipsa Romana Ecclesia. Etenim septimo hujus sæculi anno orta apud Mexicanos est inter Eremitas Sancti Augustini & Parochiales Presbyteros quæstio de Quarta funerali. *Preſbyteri exigebant majorem Eleemoſynam ab iis, qui in Eccleſiis dicti Ordinis ſepeliebantur, quam ſi in propriis Eccleſiis ſepelirentur, ita ut Fideles, qui in Eccleſiis Ordinis hujuſmodi ſepelirì deſiderabant, parem ad minus Parochialibus Eccleſiis Elemoſynam relinquere deberent, ratione eorum ſepulturæ, quam Eccleſiis Ordinis relinquebant.* Et ad Priores apud Mexicanos Provinciales querimonias Paulus V. rescripsit. *Interdicimus & prohibemus, ne, ſub Excommunicationis majoris* Conſtit. 32.

joris latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolvi poterunt, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus majorem Electionem ab iis, qui in domorum Eremitarum S. Augustini Ecclesiis sepelientur, ea quam illis præscribit Concilium Tridentinum sessione vigesima quinta, cap. decimo tertio juxta explicationem à fel. record. Pio Papa quinto prædecessore nostro emanatam ..... Quæ pretextu aut & ex exigere valeant, seu præsumant. Ejusdem sæculi anno octavo eadem quæstio apud Indos surrexit à Parochialibus Presbyteris contra Fratres Minores: & Paulus V. iterum in eadem verba respondit. Ad eamdem anno
Constit. 47. vigesimo quarto inter easdem partes resuscitatam quæstionem rescripsit per eadem verba Urbanus VIII. Quod nempe constitutio Pii V. quoad par-
Constit. 23. tem, quæ Concilium Trident. interpretatur, semper fuerit firma atque integra. Et ita à sacra etiam Dominorum Cardinalium Congregatione fuisse declaratum, testatur Laurentius de Peyreinis.

Er in secundo Regularium quæstionum tomo, quem & suæ Sanctitatis Vicemgerens & Apostolici Palatii Magister approbarunt, scribit Lezana: *Dicendum est Gregorium XIII. solùm revocasse Constitutionem Pii, quatenus per ipsam conceditur aliquid contrarium Decretis, Concilii Tridentini, non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipsis. Ita enim dicitur à Sacra Congregatione approbatum.* Et sanè libri, qui Romæ approbantur & vulgantur, omnino continent doctrinam probatam à Romana Ecclesia. Consonat in fundamentis Ordinis S. Francisci Petrus Marchantius: *Cùm Pontifex Pius V. ut ipse testatur, potissimùm sit Declarator terminorum Concilii, tamquam Ecclesiæ Caput ex officio, & terminorum Concilii declaratio authoritate S. Sedis facta pro genuino intellectu Concilii sit habenda, Gregorius XIII. omnia ad terminos Juris communis & Tridentini Concilii reducens, nec voluit, nec potuit derogare Bullæ Pii V. in iis, quæ Decreterum Concilii sunt declarativa, quale est Decretum sessione 24. capite 4. quod non comprehendisse Mendicantes asserit.*

CAPUT X.

Tridentini Concilii Constitutio largiùs exponitur.

ADversarii pergunt opponere hæc S. Synodi verba: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodò id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.* Hunc locum nobis occlamitant usque ad ravim. Respondeo, locum non facere ad propositum. Nec enim Ecclesiæ Parochialis jus firmat contra Mendicantes Ordines, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim contra Oratoria seu Capellas. Renovat antiquum, quem & in vetusto Romanæ Ecclesiæ Ordine, & in Leonis IV. Pontificis ad Parochiales Presbyteros Synodali sermone habes, Canonem: *Nullus alterius Parochianum, in itinere, vel si ibi placitum fuerit, ad Missam recipiat.* Eumdem & Namnetensis Synodus, & aliæ plures olim confirmarunt. Et rectè. Quisque enim Parochialis Presbyter debet esse contentus suis ovibus & finibus, illis pleno animo intendere, alienæ nec rapere, nec ambire. At verò Ordinum Mendicantium Ecclesiæ sunt omnibus communes, sunt Vicariæ atque appendices Romanæ Ecclesiæ, ideoque quisque Fidelis potest illic libertimè quælibet divina audire. Hoc avitum ipsorum jus truncare nec in mentem venit sacrosancto Concilio,

Hunc esse Synodi sensum, sacra Dominorum Cardinalium Congregatio aliquoties palàm declaravit. Testem adduco in prima parte de Parochi officio ac potestate Augustinum Barbosam: Cap. 14.
Parochus admonere debet populum, ut diebus Dominicis ac Festis majoribus frequentet suas Parochias. Excommunicandus tamen non est, si monitioni non paruerit, ut à S. Congregatione decisum fuisse testantur Armendarius & alii. Nec etiam Ordinarius potest multis & pœnis cogere populum ire ad audiendam sacram Concionem & Missam in Ecclesia Parochiali, ut pariter decisum referunt Zerola, & Hieronymus Rodericus. Declaravit hæc contra quosdam Episcopos ac Parochiales Presbyteros, Mendicantium Ordinibus adversantes, ideoque & declaravit pro solis istorum Ordinum Ecclesiis. Etenim quod Episcopus suos subditos possit non solummodò per mitiores pœnas, sed etiam per excommunicationem cogere ad abstinendum ab aliena Parochia, est nimis manifestum. Est quam maximè consentaneum antiquæ disciplinæ. Quocirca dum illam Episcoporum potestatem circumscripsit & ligavit S. Congregatio, respexit solas privilegiatas Ordinum Mendicantium Ecclesias; has censuit Parochiis æquales, ideoque ab ipsis frequentandis neminem posse per Episcopum prohiberi. Et hinc magnus Parochialium Ecclesiarum Defensor Augustinus Barbosa Tridentinum Decretum verfat in omne latus, plurium commenta adducit, & tandem in præfato loco invitus concludit: *Hodie usus observat, ut quisque extra Parochiam suam Contionem audire valeat.* Verùm an iste usus se extendat etiam ad alias Parochias, & præsertim ad Oratoria & Capellas, ignoro. Si se extendat, debet retrahi, & reponi antiqua disciplina. Cur porrò Dei Verbum apud Regulares audiri semper permiserit Ecclesia, suprà audivimus ab Urbano II. & Synodo Nemausensi.

Istum suum sensum ipsa S. Synodus palàm edicit in quinta sessione: *Regulares cujuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.* Cap. 2. Ad quæ verba denuò scribit Augustin. Barbosa: *Regulares, in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere; sed tantùm à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinari & approbari debent, ac ab eis habere licentiam, & cum ea se personaliter coram Episcopo præsentare, ab eoque petere Benedictionem, tametsi eam minimè obtinuerint.* Et adjungit: *Adverto Decretum Concilii de non prædicando, contradicente Episcopo, quoad Regulares, intelligendum esse ad limitandum de illo tempore, & hora, qua Episcopus prædicare voluerit, aut coram se facere*

facere ſolemniter prædicari, non verò alias., ne contrariari videatur textui, in præſenti concedenti Prædicatoribus Regularibus in Eccleſiis ſuorum Ordinum cum ſola Epiſcoporum Benedictione poſſe prædicare, etiam non habita expreſſa licentia. Palàm profitetur Bonifacii VIII. conſtitutionem plenè adhuc vivere, ideòque Regulares poſſe ad ſuum beneplacitum quavis die & hora prædicare in ſuis Eccleſiis, adeòque & populum convocare. Regularium Eccleſias in hoc eſſe Parochialibus æquales.

Et hunc unanimem Eccleſiæ ſenſum nuper in contradictorio judicio ſtabilivit Curia Archiepiſcopalis Neapolitana. Etenim apud Aloyſium Riccium, ejuſdem Eccleſiæ Canonicum & Curiæ Parte 1. decif. 152. Conſultorem, exſtat hæc deciſio: *Parochiani cujuſdam Parochiæ habuerunt recurſum ad Curiam Archiepiſcopalem, de quadam prohibitione & præcepto facto à quodam Ordinario, qui ſtatuerat ut omnes Miſſam & Concionem non alibi, quam in Parochia propria audirent. Fuit dubitatum, ſi de jure fieri poteſſet. Dicebat unus ex Dominis affirmando per textum expreſſum in Capitulo,* UT DOMINICIS DE PAROCHIS, *ubi habetur: Presbyteros Parochiarum Dominicis & Feſtivis diebus Parochianos alienos ad Miſſam admittere non debere. Ex quo patet poſſe cogi audire Miſſam in propria Parochia. Supradictis accedebat, quod in caſu abſentiæ licita eſt Miſſæ auditio in aliena Parochia, cap.* EPISCOPI 7. q. 1. *Ubi ex juſta cauſa bene poteſt audire Divina in Eccleſia, ad quam venerit. Ergo Regula videtur in contrarium. Sed fuit reſolutum contrarium vigore Declarationis S. Congregationis, de qua per Victorellum. Cujus tenor eſt: Parochianos cogi non poſſe ab Epiſcopis ad Miſſam Concionemve in Parochia audiendam, neque ad addiſcenda ibidem Chriſtianæ pietatis fundamenta.* Ecce etiam hæc alia Curia aſſeverat Tridentinum Decretum fuiſſe à S. Congregatione interpretatum pro Eccleſiis Regularium contra Parochiales.

Et licèt gratis permittamus Synodum pro Parochialibus Eccleſiis ſancire etiam adversùm Eccleſias Ordinis Mendicantium, non ideò harum jus exſufflatur aut truncatur. Etenim ſic intellecta ſancio eſt patenter deſumpta ex Decretali Extravagante Xyſti IV. *Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus Feſtivis & Dominicis, cum jure ſit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia, niſi forſitan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarint. Etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate, propriocon ſiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi quo minùs ſecundùm juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, Confeſſionem audire, & pœnitentias injungere valeant.* Duplex ratio vetat talia prædicari per Ordines Mendicantium. Primò, quia iſtorum miniſterium non ad deſtruendas, aut delendas, ſed ad adjuvandas Parochiales Eccleſias eſt introductum, ideòque illi nequeunt Fidelem populum ab iſtis Eccleſiis avocare. Deinde, antiqui de parochiali Miſſa & Paſchali Confeſſione Canones per eorum miniſterium non ſunt circumducti, ſed omninò adhuc vigent, nempè in Parochia adversùs Parochiam. Interim Regulares Mendicantium Eccleſiæ poſſunt cum illis concurrere: idque non dumtaxat per privilegia, ſed & per jus commune. Utique per VIII. Bonifacii conſtitutionem, à Joanne XXII. inſertam Romanæ Eccleſiæ Codici, & per plures Pontifices confirmatam. Fidelis populus habet electionem: aut propriam Parochiam, aut quamvis cujuſvis Mendicantis Ordinis Eccleſiam adire poteſt æquo jure, & illic percipere Dominicalis Miſſæ, Paſchalis Conſeſſionis, & Dominicalis Concionis officia. De hac re nemo tunc vel dubitavit. Et privilegium & commune jus ambas Eccleſias quoad iſta tria tunc æquabat. Eodem modo Tridentina Synodus ſtatuit: *Monent Epiſcopus diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.* Eſt manifeſtè ipſiſſimum Xyſti Decretum.

Et meritò Synodus ita potuerit ſtatuiſſe. Etenim quidam Mendicantium Ordinum Fratres licet Xyſti IV. mandatum prædicando non lædant, habent tamen alias artes graducendi ad ſuas & à Parochialibus Eccleſiis avertendi populi, quas Eccleſia non probat, & vix poſſit impedire. Sunt non ipſorum Ordinum vitia, ſed ſingularium perſonarum inconditus zelus. Adversùm illum S. Synodus edidit præfatum Decretum. Fidelis namque populus omnino tenetur Dei Verbum audire in Parochia. *De jure Parochianus ad id tenetur.* Hinc ipſum audire, niſi ex cauſa, non poteſt in aliena Parochia. Liberrimè tamen poteſt in quavis Ordinum Mendicantium Eccleſia. Quia nempe hic etiam locum habet Xyſti Pontificis verbum: *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſentur excluſi, quò minùs ſecundùm juris communis & privilegiorum eis conceſſorum diſpoſitionem poſſint in ſuis Eccleſiis prædicare, & à populo audiri.* Ex quo iterum patet, quod Synodus non ſanxerit, niſi pro Parochia adversùs Parochiam. Nec ideo iſta Epiſcopalis monitio eſt vacua. Etenim in memoriam reducit avitum Parochialium Eccleſiarum jus, ſuaderque ipſum, licèt Regularibus Eccleſiis communicatum, non eſſe univerſaliter negligendum.

CAPUT XI.

Expenitur nuperum Alexandri VII. Pontificis Reſcriptum ad Relationem Henrici Epiſcopi Andegavenſis.

HEnricus Arnaud, Andegavenſis Eccleſiæ Epiſcopus, non ita pridem Alexandro VII. retulit & judicari poposcit has propoſitiones: *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, Divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechiſmis annunciantur & docentur.* Et Pontifex reſcripſit hoc judicium: *Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter acceptas, eſt erronea, & temeraria. Suppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. Et quoad tertiam partem de Auditione Verbi Dei, ſervetur diſpoſitio S. Concilii Tridentini.*

Ad

Ad hæc clarus Demonſtrator exultat : *Potuitne aliquid ulterius deſiderari, ſi qua tamen fuit cauſa dubitandi , ad hujus quæſtionis dilucidationem? Duo vero hic potiſſimum adverte . Primum quidem , quod illam partem poſteriorem propoſitionis, quæ de Miſſa eſt , tanquam erroneam & temerariam damnet Pontifex : quoad verò tertiam remittat tantummodò ad obſervationem Concilii. Et quid ſibi hac ratione voluit , niſi claram utrimque proferre ſententiam ? Nimirum quia Concilium Trid. Seſſione 22. Nullum obligandi verbum adhibuerat quoad Miſſam in Parochia audiendam , opus erat non ſe referre ad Verba Concilii , ne priſtinum remaneret dubium, ſed iſtiuſmodi terminos adhibere, quibus hujus doctrinæ falſitas liquidò appareret . Suppoſitis igitur privilegiis Apoſtolicis* , ERRONEAM *dicit eſſe &* TEMERARIAM . *At verò non minùs claram profert ſententiam , cumemque aufert ambigendi deinceps materiam , ubi tertiæ partis inſuitu , docentes* , NEMINEM IN CONSCIENTIA TENERI AUDIRE VERBUM DEI IN PAROCHIA , *ad obſervationem Concilii remittit , remittendoque plus ſatis contrarium inſinuat:* TENERI *ſcilicet* UNUMQUEMQUE PAROCHIÆ SUÆ INTERESSE , UBI ID COMMODE FIERI POTEST , AD AUDIENDUM VERBUM DEI. *Secundum eſt : cum ſua Sanctitas mentionem facit privilegiorum circa Miſſæ Parochialis obligationem , nullam verò veſpectu Veri Dei , quod tacitè innuat neutiquam omninò reperiri ejuſmodi , quoad audiendum Verbum Dei in Eccleſiis Regularium privilegia , ſaltem cum relaxatione vinculi Parochialis , ſeu cum ſatisfactione obligationis in conſcientia eorum , qui ejuſmodi prædicationes extra Parochiam audire , & ab ea abeſſe præſumpſerint.*

Ante omnia, reſpondeo fabulam ſibi ipſi non cohærere. Etenim clarus Demonſtrator in quinto ſuarum nugarum capite pertinaciter affirmat , omnia Ordinum Mendicantium privilegia eſſe per Trid. Concilium extincta , hic vero profitetur illa adhuc ſupereſſe quoad parochialem Miſſam & Paſchalem Confeſſionem. Quod Sacro ancta Synodus iſta privilegia , licèt in paucis hinc inde articulis non nihil ſit moderata , nequaquam abſtulerit aut circumduxerit , eſt res meridiana luce clarior , neque mihi libet aut licet bonas horas in ipſas expendere . Et quidem in præſenti artículo facta non eſt moderatio alia, niſi quod Fratres Mendicantes ad prædicandum in propriis Eccleſiis hodie debeant ab Epiſcopo benedictionem , licet non impetrare , tamen poſtulare. Prædicare poſſunt omni die , & omni hora, excepto dumtaxat illa , in qua ipſemet Epiſcopus prædicaverit. Et ad iſtas ſuas Conciones poſſunt convocare populum .

Porrò ab Andegavenſi Epiſcopo relatæ ad ſeptimum Alexandrum quæſtiones fuerunt eædem ipſæ , quas olim ad Syſtum IV. retulit Clerus oppidi Elſingenſis : Nempe de Parochiali Miſſa, de Paſchali Confeſſione , & de Parochiali Concione . Et Alexander ſuum Reſcriptum palàm deprompſit ex Reſcripto Xyſti . Duas priores quæſtionis partes Sixtus reſpondit eſſe juri adverſas, ideoque erroneas , atque adjunxit : *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi.* Quia nempe ipſorum Eccleſiæ ſunt Parochialibus Eccleſiis accumulatæ , & per omnia æquatæ . Hinc & Alexander dixit: *Suppoſitis privilegiis, nullam meretur cenſuram .* Quoad tertiam, Xyſtus reſpondit . *Quod de cætero inter ipſos Fratres Mendicantes & Curatos quoad effectum prædicandi , horas cantandi ; campanas pulſandi , ſervetur conſuetudo antiqua , quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſa oppido Elſigenſi. Et caſu quo veniat aliqua occaſio , vel neceſſitas , non fiat commutatio temporis vel horæ in ipſis Prædicationibus fiendis , niſi de conſenſu partium.* Antiquum inter Clerum & Elſigenſes Mendicantes de hac re concordatum confirmat, ideoque à neutra parte vult violari . Inter Clerum Andegavenſem & Mendicantes non fuit iſtiuſmodi concordatum, adeoque per Alexandrum Pontificem confirmari non potuit : hinc prudentiſſimo ille compendio partes remiſit ad diſpoſitionem Trid. Concilii . Hæc autem , licèt per ſe lucida , eſt jam abundè expoſita . Et noſtræ expoſitionis comprobationem veritas claro Demonſtratori extorſit . *Saltem cum relaxatione vinculi Parochialis* . Hoc & nos profitemur . Profitemur iſtud vinculum non eſſe laxatum, aut circumductum, ſed Regularibus Eccleſiis dumtaxat accumulatum . Et hinc palam deviant ſequentia clari Demonſtratoris verba: *Seu cum ſatisfactione obligationis in conſcientia eorum , qui ejuſmodi prædicatione extra Parochiam audire , & ab ea abeſſe præſumpſerint* . Etenim iſta accumulatio Fidelibus facit liberrimam poteſtatem audiendi Divini Verbi vel in Parochia , vel in Mendicantium Fratrum Eccleſia. Quæ omnia clariſſimè lucent etiam ex quinta per dictum Epiſcopum facta relatione : *Talem legem hac materia nec Epiſcopi , nec Concilia Provinciarum , vel nationum ſancire , nec delinquentes aliquibus pœnis , aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.* Utique Legem , quæ Fidelem populum à Mendicantium Eccleſiis cogat ad Parochiales Eccleſias : ad illic Miſſam & Dei Verbum audienda . Illi enim relationi Alexander reſpondit : *Suppoſitis ibidem privilegiis Apoſtolicis , nullam meretur cenſuram . Verùm iſta non eſt prædicanda , nec publicè docenda , prout nec præcedenti quarta* . Palàm affirmat ac definit Epiſcopis ac ipſorum Provincialibus aut Nationalibus Synodis non eſſe ejuſmodi poteſtatem , adeoque Fideli populo eſſe pleniſſimam libertatem , frequentandæ hujus aut iſtius Eccleſiæ. Alexander reſpondit juxta ſupra adductas Tridentini Concilii interpretationes , factas frequenter à Dominis Cardinalibus. Hinc tertiam quartæ relationis partem remiſit ad Trid. Concilium : utique ſatis lucidam & ex ſemetipſo & ex dictis declarationibus. Has omnes Declarationes Alexander manifeſtè innovat & confirmat . Verùm cur clarus Demonſtrator quintum Relationis articulum prætermiſit ? Doloſè . Quod nempè palàm edicat , Fidelem populum per Epiſcopos , ac ipſorum Synodor non poſſe compelli ad Regulares deferendas, & frequentandas Parochiales Eccleſias, ideoque ambas , quoad iſta Divina miniſteria eſſe pares . Hoc Alexandri Decretum,quia radere non potuit , voluit ſuo Lectori occultatum . Adjecta clauſula , *Verùm iſta non eſt prædicanda ; nec publicè*

licèt docendæ; etiam docenda est ex reſcripto Xyſti IV. Ejus jam dedi rationes. Proindè manifeſtum eſt, clarum Demonſtratorem, dum iſtud Alexandri Decretum buccinat, latrare contra lunam.

CAPUT XII.

Examinatur Doctrina Joannis Frontonis circa poteſtatem Sedis Apoſtolicæ.

DUM hæc ſcribo, è Gallicana Larva prodiit aliud in nos telum: ſub nomine Joannis Frontonis Regularis ad S. Genovefam Pariſiis Clerici, breve quidem ſcriptum, ſed amarulentum. Verborum fuco comptum, ſententia imperitum. Item inſigniter temerarium. Non ex puſillo animo, ſed ex ejus merito ita appello. Etenim Apoſtolicæ Sedis divina privilegia, adeoque omnem Eccleſiæ Hierarchiam invadit, & ponit ſchiſmaticarum diſcordiarum fundamenta atque fomenta. Dolosè quidem: at novimus iſtiuſmodi vulpium verſutias. Volo hæc breviter demonſtrare.

Habet ille hæc verba: *Ajunt aliqui: Si ipſe Epiſcopus erret, ſi veritatis ab Apoſtolis & à Chriſto traditæ adulter eſt ipſe & ſeplaſiarius, quid facto opus? Sed verè habent & ipſi Epiſcopi Viros ſupra ſe, apud quos convenire poſſunt. Habent potiſſimùm Concilia, in quibus accuſari debent.* Eſt propoſitio ſancto Petro Apoſtolo injurioſiſſima. Etenim S. Dionyſium Alexandriæ Patriarcham, dum ex nimia in Sabellum acrimonia viſus eſt in aliud latus ceſpitare, nonne Pentapolitana Eccleſia accuſavit apud Romanam Cathedram? Nonne ceſpitantem Origenem, licèt dumtaxat Presbyterum, Epiſcopi Ægyptii detuleiunt, non apud ſui Patriarchæ Synodum, ſed apud S. Pontificem Fabianum? Nonne Hæreſiarcham Pelagium Laicum Monachum in Antiocheno Patriarchatu blaterantem, S. Auguſtinus ſuaſit non ad ullam Synodum, ſed deferendum ad S. Papam Innocentium? Nonne in Chalcedonenſi Synodo glorioſiſſimi Judices, quoſdam circa S. Leonis Tomum tergiverſantes Epiſcopos, minati ſunt, non à tanta Synodo judicandos, ſed Romam tranſportandos ad Tribunal iſtiuſmet Pontificis? Omne de hæreſi ac hæreticis judicium Apoſtolicus Canon nulli credidit Synodo, ſed conſtanter reſervavit Sedi Apoſtolicæ. Synodus poſſit facti ſpeciem inveſtigare, non ſe immiſcere judicio. Omnis cauſa eſt Romam referenda. Circa fidem lapſus Epiſcopus poſſit accuſari etiam apud ſuam Synodum, ſed non potiſſimè. Eſt res luce clarior.

Novus hic dogmatiſtes ſequitur Petrum de Marca, Archiepiſcopum Pariſienſem, qui ſibi perſuaſit Provincialium Synodorum judicia ex Apoſtolico Canone, & avito Eccleſiarum more, eſſe ſuprema, appellari non poſſe ad Sedem Apoſtolicam, ideoque & per ipſam retractari non poſſe, aut reformari. Eſt Euſebianæ factionis in Philippopolitano conventiculo commentum: prima non totius Orientalis Eccleſiæ, ſed iſtius dumtaxat factionis, adverſus Romanam Cathedram rebellio & ſchiſma. Et quidem Petrus de Marca ſola civilia aut criminalia Provincialium Synodorum judicia cenſuit inappellabilia; hic novus Doctor errorem protrudit etiam ad judicia dogmatica. Nempe qui vera Evangelii petra ſtare detrectant, ſemper proficiunt in pejus.

Non ita pridem in Pariſienſi Sorbona Theologicas Theſes ſub Illuſtriſſimi Domini Ludovici Henrici de Goudrin Archiepiſcopi Senonenſis patrocinio defendit Sapientiſſimus Magiſter noſter Jacobus Boileau, ſacræ facultatis Doctor Theologus, Socius Sorbonicus, Primatialis ac Metropolitanæ Senonenſis Eccleſiæ Canonicus & Eccleſiaſtes. Iſtarum prima enuntiat myſterium: *Sacra facultas numquam probavit aut probat poſitiones ullas Chriſtianiſſimi Regis autoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias. E. G. Quod ſummus Pontifex poſſit deponere Epiſcopos adverſum coſdem Canones.* Utique adverſum Canones, de quibus in cauſa Rothandi Sveſſionenſis Epiſcopi Hincmarus Metropolita Remenſis diſcepravit cum S. Nicolao I. Pontifice.

An Sorbonæ facultas eos umquam probarit, parum refert. Attamen ſi Gallicanæ Eccleſiæ fama pars ſit aut fuerit, omnino probavit & probat. Etenim ipſe Hincmarus in Tricaſſina Joannis VIII. Pontificis Synodo cantavit ſolemniſſimam palinodiam ſuæ audaciæ. Et iſtam Synodum, ac iſtam ſingulariter palinodiam Gallicana Eccleſia ſemper venerata ſuit, & vera ejus membra adhuc venerantur. Temerariam Theſim, neſcio quis inquietus ſpiritus, denuo curavit imprimi Lovanii. Verùm Rex Catholicus inſigniter caſtigavit Typographum, atque ita compeſcuit petulantiam.

Novus Dogmatiſtes pergit de Epiſcopis: *Soli audiendi ſunt tota in Diœceſi.* Hæc omnino dicuntur ad excluſionem Romani Pontificis. Non indulgeo meis ſuſpicionibus. Loquor ex ejuſdem ſortis homine, nupertimo quorumdam Faſciculorum Authore. Faſciculus tertius hæc habet: *Sed eſto, Breve Clementis VIII. loquatur de Miſſa aliàs non libera, quid inde exurgebunt iſti? Unum nihil grandiſſimum; quia hujuſmodi Bullis non abrogatur Conciliis, nec Conciliaribus Canonibus. Idque ſive ſpectes praxim ſanctæ Sedis, ſive Curiæ Romanæ. Utrumque oſtenſum imus.* Adducit quædam Romanorum Pontificum, ſe ac ſuam Apoſtolicam Cathedram à Sacrorum Canonum prævaricatione abhorrere profitentium, teſtimonia, atque concludit: *Ex his, & infinitis penè aliis idem valentibus, quæ poſſemus in medium producere, undequaque evidens eſt, ſanctam Sedem adeò Religioſè Concilia & Conciliares Canones olim obſervaſſe, ut piaculum arbitrata ſit illis vel in atomo contravenire.* Dogmatizat Romanam Eccleſiam agere non poſſe adverſus Generalium Synodorum Canones, antiquos Pontifices numquam egiſſe, ideoque Honorium III. Gregorium IX. eorumque Succeſſores, etiam Clementem VIII. qui Mendicantibus Ordinibus dederunt privilegia, eſſe prævaricatores, ideoque nec curandos.

Idem egregium dogma profiteur in ſuis per Catholicam Majeſtatem percuſſis Theſibus Magiſter noſter Jacobus Boileau: *Magnam in oves ſibi à Chriſto traditas habent autoritatem Parochi. Veri quippe earum ſunt Paſtores & Medici, à quibus Oves ſine ſalutis ſuæ periculo extra cauſas Juris recedere non debent, & ad alienos confugere. Agnoſcant ergo proprium Paſtorem, eumque conſulant in dubiis, ut legitimum Doctorem. Adeant*

in morbis, ut verum Medicum. Audiant in verbi Divini Interpretatione, ut Angelum Domini. Undè à Missis Parochialibus, in quibus agnoscunt eum, & ipse agnoscit suas, semper aut frequenter abesse non leve peccatum est. Si quæ sunt enim Confraternitates, quæ ita ab Ecclesia Parochiali avertant, ab his Fideles avertere necesse est. Idemque servandus modus circa illas, quæ falsis & apocryphis nituntur. Qualia sunt ea, quæ sacra facultas expunxit.

Tot errata, quot verba. Primò, privilegia, quibus Mendicantium Ecclesias honoravit Apostolica Sedes, appellat falsa & apocrypha. Quia nempè Apostolica Sedes, Generalium Synodorum Canonibus, ideò & per ipsos institutis aut stabilitis Parochialium Ecclesiarum Juribus non potest derogare. Hinc addit: *Ad alienos confugere.* Utique ad religiosos Mendicantes, aut ipsorum Ecclesias. Quia nempè Romana Ecclesia non possit aliarum à sua Provinciarum oves delegare istis Regularibus Presbyteris, atque ita ipsos illis facere proprios Dispensatores Evangelici Sacramenti. Qui est secundus error, manifestè Schismaticus, imò & hæreticus. Tertius error est, quod Christus Dominus oves suas tradiderit Presbyteris Parochialibus. Etenim
Act. 20. ad solos Episcopos dictum est: *Attendite Vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Emphasim habent verba: *Et universo gregi.* Aliè clamant omnem animarum curam esse à Christo Domino datam solis Episcopis. Ipse enim posuit in Ecclesia *Pastores & Doctores*. Per pastores palàm intelliguntur soli Episcopi. Presbyteros Christus Dominus noluit ponere in præfectura, ponendos permisit ac tradidit Episcopis. Et hinc sine Episcopo non potest esse Ecclesia, Ecclesiam Martyr Ignatius, S. Cyprianus, atque alii Ecclesiæ Patres affirmant esse populum Episcopo adunatum. Et hinc Parochiales Presbyteri nequaquam à Christo Domino authoritatem habent in suam plebem, sed ab Episcopis.

Hinc sequitur quartus error, quod Parochiales Presbyteri sint Dominicarum ovium Pastores. Quod hic eminens titulus solis Episcopis debeatur & quadret, est supra demonstratum, & insuper plurimis possit demonstrari. Etiamnum hodie Romana Ecclesia parochiales Presbyteros non appellat, nisi *Parochialium Ecclesiarum Rectores*. Quintus error est in his verbis *ut legitimum Doctorem*. Est solius Episcopi titulus. Et hinc formula, per quam Gallicanus olim populus, aut à Domino Rege, aut à Domino Metropolita postulabat Episcopum, passim habebat hujusmodi verba: *Rogamus nobis dari Doctorem.* Omninò nullus Parochialem Presbyterum, plurimi Canones Episcopum appellant, ac mandant esse Doctorem. Quanti Doctores sint Gallicarum, Forensium præsertim, Parochiarum quidam Rectores Presbyteri, utinam nescíremus. Sextus error est in his verbis: *ut Angelum Domini.* Hic titulus est adeo eminens, ut & Christus Dominus sit dictus *Magni Consilii Angelus*. Eum in Apocalypsi Sanctus Joannes Apostolus communicat etiam Episcopis. Authenticum Scriptorem, qui ipsum Parochialibus Presbyteris communicaverit, non memini.

Non sine fundamento dixi secundum errorem esse Schismaticum, imò & hæreticum. Etenim Eusebiana Arianorum factio, in Sardicensi Synodo restitutum à S. Julio Pontifice Magnum Athanasium noluit agnoscere ut Episcopum, nec admittere ad suffragium, nec ipsi considere. Clamavit degradatos ab Orientali Synodo Episcopos non posse reparari per Romanam Ecclesiam: hanc alienorum Patriarchatuum negotiis non posse misceri. Et in Philippopolitano Conventiculo firmavit hæc solemni Decreto. Et istud Decretum omnis Ecclesia judicavit Hæreticum. Jure merito. Etenim Ecclesiasticam Hierarchiam, quam Christus Dominus fundavit Monarchicam, factio tentavit transformare in Aristocraticam. Et habebat aliquid fuci, aliquid coloris. Quia nempè quisque Patriarcha sit caput suæ Diœcesios. Iste fucus est palmare fundamentum etiam Photiani Schismatis. Quin Romanus Pontifex per omnem suum Patriarchatum habeat plenissimam exhibendi ac delegandi jurisdictionem, Græcorum Schismaticorum nemo vel dubitat. Et ecce nunc, nescio qui, volunt videri Catholici, & garriunt Romanæ Ecclesiæ aliquas sui Patriarchatus Provincias ac Parochias esse alienas, ideoque illic per Pontificem non posse delegari animas, nec dari privilegia.

Iniquitas sibi ipsi mentitur. Etenim si Romana Ecclesia Ordinibus Mendicantibus non possit Parochialis Officii partem delegare, nec ipsos istarum Ecclesiarum Rectoribus accumulare Adjutores; longè minus Adjutores accumulare poterit Episcopis & Metropolitis. Longè minus poterit hos aliqua potestatis, quam per Apostolicos Canones habent, portione truncare. Ex quo igitur cælo lapsus est Primatus Ecclesiæ Senonensis? Ex quo pelago emersit Primatus Lugdunensis, Viennensis, Bituricensis? Certè isti Primatus manifestè lædunt sextum Nicænum Canonem: & ipsos nemo erexit, nisi Romana Ecclesia. Cur istarum Sedium Episcopi pro ipsis pugnant, ut pro Aris & focis? Cur ipsos non censent apocryphos atque fictitios? Cur istos Nicænæ Synodi prævaricatorios titulos non deponunt?

Et quidem per hos Primatus subjectis Episcopis, præsertim Metropolitis, non solummodo accumulantur Adjutores, sed insuper truncatur originalis authoritas atque dignitas. Quod enim Metropolitam sibi Prælatum habeat, quod sine ejus examine & placito consecrari non possit à Comprovincialibus, nec ipsos consecrare, quod ab ipso evocari possit, quod fratrem debeat accipere in patrem; est non modica authoritatis ac dignitatis decurtatio.

Quid generalium Synodorum Canonibus magis adversum, quam nominationes ad Sacerdotia? Sunt enim gratiæ expectativæ, quas nuperrime, & quidem acriter, proscripsit etiam Trident. Synodus. Quid ejusdem Regulis magis adversum, quid DD. Episcopis magis durum, quam ipsos per istas Nominationes gravari, etiam in propriis mensibus? Cur isti Sanctorum Canonum Protectores ad hæc ab Apostolico Throno extorquenda omnem aerem implent, & cælos tundunt altis clamoribus?

Quia

Quia placet Donatistarum Regula : *Quod volumus sanctum est*.

CAPUT XIII.

Aperiuntur ac revincuntur quidam alii istius Scriptoris errores.

PRimus error est in his verbis : *Cùm unum in locum convenirent omnes, Præside Episcopo, à quo uno Divinum Verbum audierunt &c.* Et infra : *Ibi aderant omnes, & ex urbe, & ex agris. Et si quidam vitam Monasticam profiterentur.* Affirmat tria. Primò, quod in primitiva Ecclesia solus concionaretur Episcopus. Secundo, quod ad Episcopi Sermonem convenirent Fideles omnes, & Urbani, & agrestes. Quod certe non subsistit. Etenim non pagi ad Episcopum, sed Episcopus ibat ad Pagos. Et hinc sæculo nono, dum Pagenses in Gallia Presbyteri vixdum concionarentur, statuit sexta Parisiensis Synodus : *Unusquisque Episcopus tempore congruo Parochiam suam circumeat*. Utique causa Prædicationis. Ut Episcopi *Prædicationi studeant*, mandat etiam Meldensis Synodus, atque adjungit : *Aut Parochias cum officii efficacia circumeant ; aut cum Religione in suis civitatibus degant*. De pago in pagum prædicare erat Episcopis difficile. Hinc in Tholosanis Capitulis statuit Rex Carolus Calvus, ut ad Episcopum in uno pago concionantem conveniant quatuor Limitanei. Plena Diœcesis ad Episcopi verbum convenire non consuevit, nisi in majoribus Festivitatibus, & tunc per solos ac paucos fuos Primores. Gallicani hac de re Canones sunt notissimi. Exponunt nobis disciplinam primitivæ Ecclesiæ.

Lib. 1. cap. 31.

Iste Scriptor in adductis verbis affirmat tertiò, quod etiam Monachi olim ad Episcopi Sermonem convenirent : Ita studet Monachos in Laicalem Ordinem redigere. Et probat hæc ex Tertulliano, ac S. Clemente Alexandrino. Verum est vacua ac impetita probatio. Etenim ex Tertulliani & S. Cypriani tempore, & dudum postmodo Africana Ecclesia penitus ignoravit Cœnobitas. Est eruditis exploratissimum. Eos primùm in Italia vidit S. Augustinus, illorum Institutum suscepit in Baptismo, ac ita primus portavit ad suos Afros. Vocem, *Monasterium*, esse apud Afros novam testatur in tractatibus super S. Joannis Evangelium.

Tract. 97.

Etiam sibi, dum Romæ doceret Rhetoricam, fuisse ignotam istam vocem, & prius auditam à Potitiano, affirmat in libris Confessionum. Et hinc

L. 8. c. 6.

Augustino offensissimi Donatistæ passim blaterabant : *Quid sibi vult nomen Monachorum? Ubi est scriptum? In Psal.* 132. Quod Monachos, uti nova monstra induxisset in Africam, ipsi imperarat Constantinensium Donatistarum Episcopus Perilianus. Proinde per voluntarios nostros spadones Tertullianus non intelligit Monachos, sed vitos in propria domo professos perpetuam continentiam. An horum aliqui Anachoreticam tunc vitam duxerint, est alia quæstio.

Eadem est ratio ac mens Sancti Clementis Alexandrini. Quod enim Cœnobia sint S. Antonii institutum, & ipsa usque ad illum ignoraverit omnis Ecclesia, est cunctis exploratum. An S. Clemens Anachoretas in Ægypto viderit, est multa quæstio. Si viderit, certè illi non frequentabant Concionem Episcopi. Nam quod illi in nemoribus vixerint cum solo Domino Deo & ejus ferisanimalibus, quod perplures etiam annos nec Sacrificium viderint, quod Episcopi ad ipsorum quandoque cellas oblaturi ideo accesserint, quis Ecclesiasticæ antiquitatis peritus possit ignorare?

Quod primi Cœnobitæ ad Episcopale Sacrificium ac Verbum accesserint, affirmant Apostolicarum Constitutionum Author, & coævus illi ac eruditus Scriptor, quem passim appellant S. Dionysium Areopagitam. Verùm ille mos non fuit universalis, ne quidem apud Græcos. Nec esse potuit. Nam prima Cœnobia fuerunt in montibus, silvis, aut remotioribus agris. Et ipsa etiam primitiva habuerunt suum Presbyterum. Et quod non loci Ordinario, sed à se electo, licet remotissimo, Episcopo subfuerint, lucet ex famosa Synodo S. Bonifacii Archiepiscopi Carthaginensis. Chalcedonensis Synodus ex causis istud mutavit. Verùm ejus Canones dudum non admisit Latina Ecclesia.

Antiquum Gallicanæ Ecclesiæ sensum manifestat Theodori Forojulienſis Episcopi adversus Fastum Lerinensis Monasterii Abbatem quoad directricem Monachorum potestatem quæstio, quam tertia Arelatensis Synodus definivit in hunc modum : *Clerici atque altaris Ministri à nullo, nisi à Theodoro Episcopo ordinentur, Monasterii verò omnis Laica multitudo ad curam Abbatis pertineat*. Et addidit sui judicii causam : *Hoc enim & rationis & Religionis plenum est, ut Clerici ad Ordinationem Episcopi debita subjectione respiciant, Laica verò omnis Monasterii Congregatio ad solam ac liberam Abbatis propriì Ordinationem, dispositionemque pertineat.* Voces : *Solam ac liberam*, manifestè excludunt Episcopum. Proinde Laica multitudo non Episcopi, sed audiebat verbum Abbatis, vel delegati ab ipso Presbyteri.

Et neque Clerici cogebantur Episcopi verbum accedere. Istud exigenti Episcopo respondere poterant, quod de se Presbytero, ac Presbytero item Vincentio ad similem Joannis Jerosolymitani Episcopi prætensionem reposuit S. Hieronymus : *Ob id & ego Antiochenam & ille Constantinopolim, Urbes celeberrimas deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, sed ut in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus*. Et quod tunc in Presbyteros confecrati Monachi liberrimè possent prædicare, & omnia usque ad Baptismum Sacramenta Fidelibus populis ministrare, est supra demonstratum.

Ep. 61. c. 16.

Alter istius Scriptoris error est in his verbis de antiquis Monachis : *Qui acquisitionibus omnibus renunciaverant, imò sua vendiderant, Sacerdotum manu & cura indigentibus distribuenda*. Est nugacissima fabula. Quis enim Canon, quæ lex justit aut suasit istiusmodi distributionem? S. Antonium primum Monasteriorum Authorem fuisse Patricio genere natum scribit Hermias Zozomenus, atque adjungit : *Omnibus relictis, agros paternos*, natalis *pagi incolis donavit : reliquarum facultatum divenditarum pretium pauperibus distribuit*. Utique proprio arbitrio & manu. Et de ipsius Discipulo, qui Monachismum ex Ægypto

Lib. 1. cap. 13.

primus in Palæſtinam tranſtulit, ſcribit in ejus vita S. Hieronymus: *Parentibus jam defunctis, partem ſubſtantiæ Fratribus, partem pauperibus largitus eſt, nil omnino ſibi reſervans.* Nempe imitatus Antonium. Apud eundem Hieronymum dicit de ſemetipſo Cœnobita Malchus: *Incidit mihi deſiderium, ut venumdata poſſeſſiuncula, partem erogarem pauperibus, partem Monaſterio conferrem. Quid erubeſco confiteri infidelitatem meam? Partim in ſumptum meorum ſolatia reſervavarem?* Et S. Monachus Zeno in extremo vitæ articulo ſanctum Alexandrum Antiochiæ Patriarcham advocavit, & eſt affatus: *Adeſdum Venerandum mihi Caput; eſto iſtarum quoque pecuniarum optimus Diſpenſator, eas juxta Dei voluntatem diſtribuens, tamquam ipſi Judici rationem redditurus. Aliàs enim mea ipſe manu, quam optimè viſum eſt, diſpenſavi, & reliquas ſimiliter diſpenſare animus erat. Sed quoniam abire ex hac vita juberor, harum te Diſpenſatorem inſtituo.* Et certè quid Epiſcopis cum patrimonio renunciantiam? Ita habet Theodoretus Cap. 12. in Monaſtica Hiſtoria. Ita fecerunt S. Epiphanius, S. Paulinus, S. Auguſtinus, omnes antiqui Monachi.

Tertius error eſt in his verbis: *Cujus eſt nobis Apoſtolicam tradere Doctrinam, niſi ejus qui Apoſtolorum Sedem obtinet? qui itaque volunt veritatem haurire puram & inviolatam, ſtudeant illam percipere ab illis, qui pro Epiſcopo agunt, ex ejus mente loquuntur.* Doloſè rurſum inſtillat iſte Scriptor Romanum Pontificem non eſſe omnium Eccleſiarum Epiſcopum, ideoque ab ipſo ad prædicandum miſſos ac delegatos Regulares non renunciare proprii Epiſcopi verba, non loqui ex ejus mente. Et quis Regulares etiam ex ſingularis Epiſcopi, cujus populum docent, non loqui ſenſu & corde? Sanctus Irenæus inter cætera Catholicæ Lib. 1. cap. 3. Matris adverſum quoſvis Hæreticos firmamenta ponit, quod illa ſub omni cælo ſit quaſi unicam domum inhabitans familia, habeat unam animam, & unum cor, & quod ſit unum os poſſidens. Quod apud cunctas diverſiſſimorum cordium & ſermonum gentes loquatur eodem ore, eadem lingua, eodem corde, eadem mente. Et ecce hic Scriptor dat illi diverſas mentes: alia parochiales Presbyteros, alia mente garrit loqui Prædicatores Regulares. Quia nempe hi loquuntur ex mente & ore Romani Pontificis.

Quartus error eſt in his verbis: *Licèt Parochiæ eadem in urbe, aut in una Diœceſi diſtinctæ ſint, tamen unaquæque illarum, Eccleſiam totam Diœceſis nobis repræſentat? ita ut omnes non ſint, niſi una Epiſcopi Eccleſia. Quia in earum ſingulis & omnibus una conficratur Euchariſtia, unum offertur Sacrificium, unus eſt Sacerdos communis, unus ſpiritus.* Palàm garrit aliam in Parochialibus, aliam in Regularibus Eccleſiis confecrari Euchariſtiam, aliud offerri Sacrificium, alium eſſe Sacerdotem, alium ſpiritum. Et meritò non addidit: *Sanctus.* Palàm iſta garrit, atque ita manifeſtè lacerat Eccleſiam. Etenim ſi iſta omnia ſint in ambabus Eccleſiis eadem, non dumtaxat iſtarum, ſed ambarum unaquæque, ſi quidem ejus deviti principiis inhæreamus, nobis repræſentat totam Diœceſis Eccleſiam. Verùm quod quærvis Parochialis Eccleſia repræſentet totam Diœceſis Eccleſiam, eſt devium principium, phraſis paradoxa.

Eumdem errorem manifeſtè tradunt hæc verba: *Evangeliſtæ omnes, Parochos intelligo, unus ſunt Evangeliſta. Quippe ab uno ſpiritu miſſi, eodem ſpiritu pleni, eadem auctoritate roborati.* Manifeſtè blaterat alium ſpiritum, aliamque prædicandi authoritatem Parochialibus, alium & aliam eſſe Presbyteris Regularibus. Ab alio & alio ſpiritu illos mitti & impleri. Et utinam omnes Parochiales Presbyteri ſint pleni Spiritu ſancto! Dico cum Propheta Moyſe; *Utinam omnes prophetent!*

Pergit iſte Scriptor: *Et quemadmodum fruſtra quis ad Deum ſe recipere vellet niſi per Chriſtum, ſic fruſtra quivis Chriſtianus ad Chriſtum, niſi per Epiſcopum contendat.* Palàm intelligit ſingularium Diœceſium Epiſcopos. Proinde garrit quoſvis exemptos, Romano Pontifici ſine medio ſubjectos, nec ad Chriſtum poſſe accedere, nec ad Dominum Deum. Palàm inſanit Apoſtolicas exemptiones adverſari Evangelio. Hic enim eſt Antimonachalis hodie Factionis ſcopus.

Pergit hic Scriptor de Eccleſiis Parochialibus: *Addamus ea, illic eſſe quoque Apparitionem devotam, ut loquitur Tertullianus, quæ tutandæ etiam veritatis ſanctitati ſapienter admodum ab Eccleſia inſtituta eſt.* Egregia Tertulliani interpretatio. Horrenda in Regulares Eccleſias contumelia. In præſcriptionum libro Tertullianus Eccleſiæ Regulam affirmat ſanctam, ac per omnia ædificativam, Hæreticorum verò converſationem eſſe futilem, terrenam, humanam, ſine graviate, authoritate, diſciplina. Ex fœda vita concludit ſœdum dogma. Et inter laudatos Eccleſiæ mores ponit: *Apparitio devota.* Fidelis populi in publico conventu coram Divina Majeſtate apparitura. Ejus devotionem affirmat deeſſe Gnoſticis, ideoque eſſe Eccleſias apud Marcionitas, uti ſunt Favi apud Veſpas. Futilis Scriptor hæc transfert ad Regularium Eccleſias, atque ita ipſas æquiparat conventiculis Gnoſticorum. Nempe eas ab Epiſcopo ſeparat, atque ita proſcribit ad Paraſynagogas. At verò an in Parochialibus, an autem in Regularibus Eccleſiis ſit *Devota Apparitio*, Chriſtianus populus quam optimè novit.

Laicas primitivorum Fidelium familias affirmat fuiſſe ſanctiſſimas idem ille Scriptor, ſimiles hodiernis, licèt optimæ diſciplinæ, Monaſteriis. Et rectè. Eas quippe etiam Apoſtolus appellat Domeſticam Eccleſiam. Et Monaſteria non ſunt aliud, quàm familiæ erectæ ad reparandam & cuſtodiendam primitivam Chriſtianorum ſanctimoniam. Et ille adjungit de iſtis familiis: *Dempto quod altare non habuerunt. Sed & hoc non niſi ſerò Monachis confeſſum fuit.* Quod primitivi Anachoretæ non habuerint domeſticum Sacrificii altare, & ipſe profiteor. Hic agimus de Cœnobiis, quorum primus Auctor fuit S. Antonius. Et omnibus notum eſt, quod illa Sacrificii altare ſtatim habuerint. Etenim quod S. Hilarion S. Antonii Diſcipulus, & primus Monachiſmi apud Paleſtinos Auctor, fuerit Presbyter, ac in ſuo Monaſterio obtulerit, prædicarit, ac baptizarit, eſt ſupra demonſtratum. Et in Lauſiaca hiſtoria Palladius Heleno-

polita-

politanus Episcopus laudat Ægyptiaca in Nitriæ Monte Cœnobia, affirmat illis esse suam, & quidem maximam Ecclesiam cum suis Divinis Offi-
Cap. 6. ciis, atque adjungit: *Sunt autem ostò Presbyteri, qui præsunt huic Ecclesiæ. In qua quamdiu vivit primus Presbyter, nullus alius offert, nec judicat, nec habet Sermonem, sed tacitè solùm cum eo sedent. Hic magnus Arsisius, & alii multi cum eo senes, quos nos vidimus, fuerunt tempore æquales Magno Antonio.* Inter istos Monachos & in ista Ecclesia fuisse multos Sacerdotes ac Levitas testatur in Literis ad Eustochium S. item Hieronymus. Etiam
Ep. 27. S. Epiphanium ante Episcopatum fuisse sui in
cap. 7. Palæstina Cœnobii Presbyterum scribit in litteris ad Pammachium. Antiquissimas primorum Cœnobitarum Ecclesias ac Presbyteros frequenter
Ep. 61. laudat etiam Joannes Cassianus. Nempe istæ
cap. 2. Ecclesiæ cum ipsis Cœnobiis per S. Antonium cœperunt. Quod in sancti etiam Pachomii Cœnobiis semper fuerint, lucet in ejusdem Patris Regula. Et antiquissimi Canones hæc omnia statim probarunt. Arabici, quos constat esse insigniter canos, Monasteriorum Presbyteros, appellant Monarchas.

Quin imo magnæ plurium Cœnobiorum solitudines statimà sui exordio habuerunt non dumtaxat Presbyteros ac Levitas, sed & Episcopum. Etenim de Lazaro, Ephrem, ac Eulogio, Syriæ ac Mesopotamiæ Monachis, scribit Hermias
Lib. 6. Zozomenus: *Creabantur Episcopi non urbis alicu-*
cap. 34. *jus, sed honoris causa qui veluti vitæ anteactæ compensatio illis deferebatur in propriis monasteriis.* Creabantur Episcopi suorum monasteriorum. Eos floruisse addit sub Constantii imperio. Erant igitur ex primis S. Antonii discipulis, atque adeo iste mos est natus cum ipsis cœnobiis. Et ipsum postmodo ratum habuit, & firmavit sextus Canon Chalcedonensis: Ejusdem moris antiquitati attestatur S. Hieronymus. Etenim S. Isidorum fuisse Cœnobiorum in Nitriæ monte Episcopum habes in præfata ejus ad Eustochium Epistola. Ejus Successorem Dioscorum prædicat in Dialogo cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ Dia-
Cap. 7. cono præfatus Palladius, Macarium Monachorum in monte Sina Episcopum laudat Imperator Martianus in litteris ad Synodum Palæstinam. Exstant illæ in tertia parte Synodi Chalcedonen-
Cap. 15. sis. Eundem Episcopatum memorant Martini
Fol. 262. Crusii Turcogræcia, & in Orientalis Ecclesiæ
Cap. 56. historia Jacobus Cardinalis de Vitriaco. Et Monothelitarum Princeps Theodorus Pharanitanus erat Episcopus Monachorum in monte Pharam. Quod quædam illustria Constantinopolitani etiam Patriarchatus Cœnobia suos habuerunt Episcopos, testatur in litteris ad Constantinopolitanam Ecclesiam Venerabilis Stylianus, in Eusratesia Provincia Episcopus Neocæsariensis. Exstat epistola post octavum Concilium. Parisiensis olim, & alii, in quorum Parochiis Sancti Dionysii Cœnobium habet altaria, Gallicani Episcopi recalcitrabant Apostolicis ejus privilegiis: hinc illi proprium Episcopum, & in ipso Cœnobio, & in cunctis ejus altaribus peractarum Pontificalia, dedit Adrianus I. Pontifex, & appellavit Episcopum S. Dionysii. Ita fregit istorum Episcoporum animos. Et quis nesciat Lobbiensis apud nos Cœnobii primos Abbates fuisse Episcopos? Similem Episcopum habuit etiam Turonense Cœnobium S. Martini. Quæ, & alia plura exempla demonstrant hunc Scriptorem esse rerum Monasticarum penitùs imperitum.

Idem Scriptor advertit, quod primitiva Ecclesia lapsos in crimen Fideles proscriberet à Consistentia & à publicarum Orationum Communione, seu à Missæ Sacrificio, atque adjungit: *Qui sit ergo, ut quod olim scelerosis & peccatoribus loco pœnæ fuit, nunc propria sponte Christiani usurpent, dum seipsos ab oratione communi excludunt? Quod olim supplicium fuit, quod damnatio, nunc ut privilegium, ut gratia quædam & favor habeatur? Quod erat ignominiæ, quod probro, quod dedecori, extra nempe consortium & societatem Fratrum suorum orare, nunc gloriæ & honori vertatur? Denique ut quod olim peccati ac sceleris alicujus perpetrati signum fuit evidens, nunc virtutis cujusdam specialis (si Superis placet) nota fit?* Et infra: *Oratoria illa, ad quæ nos recipimus, suffurantes nos cœtibus Ecclesiasticis & communibus, atque oculis Matris nostræ nos subducentes, &c.* Affirmat Fideles, qui Regulares frequentant Ecclesias, esse in eo statu, in quo olim erant proscripti à Consistentia. Esse à semetipsis extra Sanctorum Communionem relegatos. Quod semetipsos suffurentur Ecclesiasticæ Apparituræ, atque ita frequentent Parasynagogas. Quod istæ Ecclesiæ sint Parasynagogæ. Quod sint extra Communionem Episcopi. Nempe apud istum Dogmatistem Romanus Pontifex nequit Regulares Ecclesias eximere, nec Christi Domini oves ipsis delegare, atque ita quicumque istas exemptiones atque delegationes prætendunt, secernunt se à Communione sui Orthodoxi Episcopi, & sunt Parasynagogæ. Est assertio manifestè schismatica.

Et quidem modica istius scriptitatoris charta scatet istiusmodi ineptiis. Et quid juvet singulas adducere? Bonas horas debemus rebus melioribus. Hæc abundè sufficiunt, ut Fidelis populus noverit hominem, atque ita ejus schismaticos laqueos fugiat ac detestetur. Scriptitator iste aliud non habet, quam lenocinantem Latini sermonis fucum, de quo in secundo Stromatum libro sanctus Clemens Alexandrinus: *Oportet eum, qui curam gerit veritatis, non infidiosè, captoque consilio, & cura adhibita dictionem componere, sed conari tantùm id, quod vult, quomodo potest, exponere. Eos enim, qui hærent dictionibus, & in eis sunt occupati, res ipsæ effugiunt.* Qui eis prava dogmata obvelant, sunt lupi in vestimentis ovium, sepulchra dealbata, pomposæ meretrices.

Vidit NICOLAUS DU BOIS,
S. T. Professor Regius, Librorum Censor.

EXHIBITIO SACRORUM CANONUM CIRCA JUS REGULARIUM ECCLESIARUM QUOAD PRÆDICATIONEM DIVINI VERBI, ADVERSUS LARVATI CHRISTOPHORI PHILALETIS RESPONSIONEM STABILITA, SEU CONFIRMATA.

CAPUT PRIMUM.

Turgantur illa, quæ Demonſtrator rodit in ſecundo ſuæ Reſponſionis capite.

DEmonſtrator *Exhibitionem* rodit, quod vulgò adſcriptum S. Dionyſio Pontifici Canonem dicat eſſe ſtramineum. Et adducit varios Scriptores, qui omnem Iſidori Mercatoris Collectionem affirmant authenticam. Verùm omiſit longè potentiores iſtius Codicis Patronos. Nempè S. Nicolaum primum Pontificem, Adrianum II. Joannem VIII. ac ejus Tricaſſinam Synodum. Etenim hæc Hincmarum Remenſem Metropolitam, durum iſtius Codicis Adverſarium, coegit ad Palinodiam, & in iſtos Canones profiteri. Et Hincmarum obediviſſe teſtatur in Remenſis Eccleſiæ hiſtoria Presbyter Flodoardus. Eiſdem Canonibus uſi ſunt non ſolummodò S. Petrus Damiani, S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus, aliique ſimiles dignitatis Doctores, ſed etiam S. Leo IX. S. Gregorius VII. Urbanus II. aliique plures Romani Pontifices. Ecce, adjuvo *Demonſtrationem*. Nihilominùs conſtanter aſſevero iſtos Canones eſſe ſtramineos. Rogo *Demonſtratorem* non offendi vocis acrimonia. Eam enim didici à Gratiano Monacho, qui iſtiuſmodi ſuppoſita figmenta appellat paleam. Aut certè ita appellat ejus antiquus Scholiaſtes. Porrò iſtas epiſtolas ſprevit etiam Abbas Dionyſius Exiguus. Suum Papalium Decretorum Codicem inchoavit à Decretali Epiſtola Pontificis Siricii. Et ejus judicium jam conſtantiſſimè probant & firmant omnes Eruditi, & Catholici & Hæretici. Quiſquis earum Natales non credit legitimos atque authenticos, cenſetur nugas vendere & fabulas: Et hoc unanime omnium Eruditorum judicium figitur firmiſſimis anchoris.

At ecce Demonſtrator inter iſtarum Epiſtolarum Patronos numerat etiam Dominum Antonium Auguſtinum, Eruditiſſimum Archiepiſcopum Tarraconenſem. Eſt commiſeratione dignus. Etenim in opere de Sacerdotii & Imperii concordia Dominus Petrus de Marca, eruditus Pariſienſium Archiepiſcopus Dionyſii Exigui de iſtis epiſtolis judicium probat ac laudat, atque
Lib. 3. cap. 5. proſequitur: *Fortiùs vero urget Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis obſervatio, qui primus adnotavit ipſa legum Imperatoriarum verba, & quæ ſub Anlani nomine exſtant ad Codicem Theodoſianum ſcholia in illis epiſtolis uſurpata fuiſſe, quamvis Pontifices, quibus epiſtolæ tribuuntur, duobus & tribus ſæculis Codicis Theodoſiani editionem præceſſerint.* Adeò Antonius Auguſtinus cenſuit iſtas epiſtolas non eſſe authenticas.

Idem Petrus de Marca eruditiſſimorum Cardinalium Roberti Bellarmini & Cæſaris Baronii de iſtis epiſtolis judicium exponit, ac proſequitur: *Bellarmini & Baronii authoritate fultis liberum erit veneraudos Pontificum veterum titulos epiſtolis illis detrahere, præſertim cum eruditiſſimi Viri induſtria ab aliquot annis eò proceſſerit, ut ſententiæ & verba ipſa, ex quibus epiſtolæ contextæ ſint, à quibus Authoribus petita ſint, accuratiſſimè demonſtraverit. Cui tamen in eo ſuffragari non poſſim, quod atrocioribus verbis epiſtolas dilacerat, quas è ſententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto & quinto ſæculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtat.* Laudat Davidem Blondellum, licet Hæreticum, attamen Virum eruditiſſimum. Potuerat laudare & Catholicos, Jacobum Sirmondum, Dionyſium Petavium, alioſque plures, qui iſtud ipſum demonſtraverunt.

Apocrypha Scripta ſunt duplicia: Alia ab Hæreticis ad erroris ſtabilimentum, alia à Catholicis ficta ad firmandam veritatem. Etiam hæc poſteriora ſunt ſemper graſſata per Eccleſias. Et ipſa omnis Chriſtianitas ſemper fuit deteſtata. Lucet ex facto S. Joannis Apoſt. de quo in illuſtrium Virorum catalogo S. Hieronymus, agens de Apocryphis periodis S. Pauli & S. Theclæ: *Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quemdam in Aſia, ſpondaſſen Apoſtoli Pauli, convictum à Joanne quod author eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id loco excidiſſe.* Tertullianus id refert in libro de Baptiſ- Cap. 17. mo. Et degradatio fuit juſtiſſima. Etenim iſtiuſmodi in Divinæ gloriæ officium ficta mendacia eſſe omnium pernicioſiſſima, rectè docet S. Auguſtinus. Et ſimilium damnationum habemus plurima exempla. Porrò iſta Iſidori Mercatoris Collectio à Riculphi, qui poſt ſanctum Apoſtolum Bonifacium fuit tertius Moguntinenſis Epiſcopus, tempore ambulavit per Galliam ac omnem Europam, & multos juvit ad firmandum Primatum Romanæ Eccleſiæ. At verò non ita pridem Centuriatores Magdeburgenſes, & alii noſtrorum temporum Sectarii cœperunt iſtas merces ſcrutari uſque ad fundum, oſtenderunt caducas, blaterarunt ipſas eſſe palmare Romani Primatus fundamentum, atque ita illum fundari in arena. Quod illæ epiſtolæ ſint palmare illius Primatus fundamentum eſt nugaciſſima fabula. Habemus ſolidiſſimos iſtius Monarchiæ lapides, non egemus palea & luto. Hinc eruditi & orthodoxi viri etiam cœperunt iſtas epiſtolas diſcutere, rejecerunt ſpurias, atque ita unanimi ſuffragio ad paleam proſcripſerunt. Quæ omnia ſi non capiat *Demonſtrator*, dicat de iſtis epiſtolis: DIRUTA SUNT ALIIS, UNI MIHI PERGAMA RESTANT.

Et quidem S. Dionyſio Pontifici adſcripta epiſtola

stola per sibi intextos errores altissimè clamat se esse spuriam. Errorum quosdam *Exhibitio* adduxit. Cur ipsos *Demonstrator* non expungit? quia nemo possit. Eadem est ratio de epistola adscripta S. Eutychiano.

CAPUT II.

Refelluntur illa, quæ Demonstrator adducit pro Apostolicis Constitutionibus.

Demonstrator ab istis epistolis pergit ad Apostolicas Constitutiones, quas multi olim adscripserunt S. Clementi Pontifici Romano. Arguit *Exhibitionem*, quod ipsas dicat spurias, natas quarto sæculo. Et pro se adducit Eminentissimum, Reverendissimum, ac Eruditissimum Virum, Dominum Joannem Bona, S. R. E. Presbyterum Cardinalem, qui censet ipsas esse antiquiores Nicæna Synodo, ideoque prodiisse tertio sæculo. Et *Demonstrator* de Domino Cardinale adjungit: *Nec tamen negat ipsum Clementem fuisse earumdem Autborem*. Respondeo *Demonstratorem* hallucinari. Etenim D. Cardinalis Constitutiones, quas affirmat esse tertii sæculi, quomodo non neget esse S. Clementis? S. Clementem esse sub Trajani Imperio affectum glorioſa morte affirmat Martyrol. Rom. quomodo igitur ille posuit tertio sæculo congessisse istas Constitutiones, aut composuisse?

An hæ sint tertii, an quarti sæculi, omninò nihil refert ad *Exhibitionis* propositum. Illa dumtaxat evincere voluit ipsas non esse Sancti Clementis, ideoque primitivam Ecclesiæ sub Apostolis disciplinam non posse ex ipsis demonstrari. Absit à me, ut refragor tanto Ecclesiæ Principi, cui obstringor ex multis & magnis titulis. Si tamen mea Dicta stabiliam, certus sum optimo ac eruditissimo Prælato non displiciturum.

Existimo igitur istas Constitutiones esse quarti sæculi. Etenim Apostolicarum Constitutionum & vulgarium Apostolicorum Canonum Collector est unus & idem. At verò Canonum Collectorem esse quarti sæculi, manifestum est ex quadragesimo nono Canone: *Si quis Episcopus vel Presbyter non tria unius mysterii Baptismata perfecerit, sed unum Baptisma, quod datur in mortem Domini, deponatur*. Canon manifestè agit in Hæresiarcham Eunomium. Hic enim primus & unicus cœpit per unicum Baptisma, id est, per unicam immersionem, in mortem Domini baptizare. At verò quis ignoret Eunomium blatterasse sæculo quarto?

Mea assertio lucet ex multis etiam locis in ipso constitutionum corpore. Adduco paucula.

Cap. 14. Secundus liber mandat: *Recipe Pœnitentem, nibil adbibitans*, &c. Multis confirmat suum istud

Cap. 15. mandatum. Et agit præsertim de mortis articulo. Adjungit à Domino nullum suspicionis locum relinqui illis, *qui durè & inclementer judicare volunt, & peccantes penitus repellere, & nolunt communicare cum ipsis*.

Cap. 24. Et denuò repetit: *Deum provocant ad iram, qui non recipiunt Pœnitentes*. Antiqua disciplina quibusdam gravioribus peccatis Sacramentalis reconciliationis pacem negavit, non dumtaxat hominibus sanis, sed etiam in mortis exitu. Rigorem mitigavit tertius-decimus Canon Nicænus. Et plures Episcopi noluerunt clementiam admittere. Adversùm illos agit ista Constitutio, ideoque palàm est sæculi quarti. Hoc firmant etiam hæc verba: *Ne tum, qui semel* Cap. 40. *& iterum lapsus fuit, aversetis*. Agit in illos Episcopos, qui ex laudati Canonis reverentia admittebant semel lapsum fidelem, bis lapsum aversabantur.

Quintus liber inter generalia totius Christianitatis Festa numerat Dominicam Nativitatem, Cap. 12. affirmat ipsam celebrari die vigesimo quinto Decembris, ac distinguit à Festo Epiphaniæ. Verùm longè aliud scribit S. Joannes Chrysostomus. Tom. 5. Etenim in illius Festi homilia diserè affirmat ipsum apud Occidentales & Thraces esse quidem Apostolicum institutum, at verò in Antiochena Ecclesia non cœpisse, nisi à decem annis. Apostolicarum Constitutionum author est manifestè homo Græcus, & omninò scripsit apud Orientalem Ecclesiam, atque ita non scripsit nisi circa ævum laudati Chrysostomi. In suis ad Georgium Codinum scholiis Jacobus Gretzerus censet istam homiliam esse spuriam: At certum est ipsum labi. De qua re vide Francisci Combefis in Notis ad Joannis Archiepiscopi Nicæni Orationem de Domini Nativitate.

Quintus item liber habet hæc verba: *Oportet* Cap. 17. *ergo Fratres, ut qui pretioso Christi sanguine redempti estis, dies Festos Paschæ accurate, & omni diligentia post æquinoctium celebretis, ut neque unius Passionis bis per annum memoriam renovetis, sed potius semel quotannis memoriam mortis item semel celebretis. Neque amplius cum Judæis tempus celebrandi Paschæ observetis*. Quis non videat hæc omnia esse mutuata ex Nicæno Decreto? Est res meridiana luce clarior. Et longè aliud sanciunt Apostolicæ Constitutiones, quas in Panario adducit S. Epiphanius. Videatur eruditus Vir Dionysius Petavius. Multa insuper alia pa- Hæres. làm evincunt istas Constitutiones esse quarti sæ- 70. c. 10. culi.

Porrò quod in sacrarum litterarum synopsi S. etiam Athanasius laudet Apostolicas Constitutiones, est omninò verum. At an ista synopsis sit legitimus magni Athanasii fœtus, est multa quæstio. Quidquid sit, Author ille laudat istas ipsas Constitutiones, quas laudat, & quarum verba adducit præfatus Epiphanius. Et hæc non reperiuntur in nostris hodiernis. In eisdem non reperitur Apostolica S. Jacobi Constitutio, quam in Oratione de Domini Nativitate adducit Joannes Archiepiscopus Nicænus. Et nostræ hodiernæ damnant atque exsufflant Baptisma datum ab hæretico. Quare quisquis ipsas vult esse Apostolicas, probare debet errorem sancti Firmiliani Cæsarænsis in Cappadocia Archiepiscopi, qui ad S. Cyprianum in suo errore firmandum scripsit Ecclesiam Ponticam semper post Hæreticos rebaptizasse, ita edoctam à sanctis Apostolis. Plura de harum Constitutionum authore, tempore, ac qualitate discutere non est præsentis propositi.

Demonstrator etiam indignatur, quod *Exhibitio* dicat istas Constitutiones ab ipso malè citari, ideoque & numquam visas. Respondeo me vera dixisse. Etenim in octo libros distinctum opus confu-

confudit in unum, & à pluribus annis per Franciſcum Turrianum, ac nuperrimè per Philippum Labbæum facta correctio & editio adductum à *Demonſtratore* teſtimonium habent in ſecundi libri quinquageſimo nono capite, non in ſexageſimo tertio. An veruſta Colonienſis apud Joannem Birchmannum editio aliter diſtribuerit capita, quoniam eſſe poſſit, nolim rimari. Interim certum eſt, quod octo libros non confuderit in unum.

Adducta Conſtitutionum verba dixi non de Pagenſibus aut quibuſcumque parochialibus Presbyteris agere, ſed de Cathedralibus. Etiamnum dico. Eſt res manifeſta. Demonſtrator me arguit, quod Cathedrales Presbyteros, ut tales, neſciam à Parochialibus diſtinguere. Et verum dicit. Profiteor enim iſtiuſmodi dialecticas tricas, quas ignoravit ac improbavit omnis antiqua Chriſtianitas, etiam à me ſperni & ignorari. Interim quod in multis olim Eccleſiis nec Parochiales, nec Cathedrales Presbyteri potuerint docere populum, & grande iſtud munus ſpectaverit ad ſolos Epiſcopos, perſevero dicere. Et dico verum. Et abundè oſtendi. Attamen Eccleſiæ variæ habuerunt varios mores.

CAPUT III.

Stabiliuntur quædam alia Exhibitionis Dicta.

Demonſtrator profitetur Regularibus Eccleſiis eſſe jus concionandi, & ad ſuas conciones convocandi populum. Et graviter queritur ſe ab *Exhibitione* perperam traduci. Reſpondeo *Expoſitionem* agere de concionibus faciendis eadem hora, qua fit parochialis Presbyteri concio. Affirmat Regulares Eccleſias, nulli niſi ſoli Epiſcopo, debere concionandi horam cedere. Hinc infert ipſas, quoad iſtud jus, eſſe pares Parochialibus. Et loquitur ex Conſtitutione Bonifacii VIII. quam certum eſt à nulla Generali Synodo aut Romano Pontifice eſſe circumductam. *Demonſtrator* hoc profiteatur, & erit pax: Uno ſpiritu Dei Verbum prædicabimus.

De Expoſitione eſt & hæc querimonia: *Parum modo falſum eſt, quod ex ſolo Concilio Nannetenſi demonſtrem Apoſtolicam & avitam diſciplinam.* Reſpondeo Expoſitionem eſſe innoxiam. Non de ſolo egit Nannetenſi Concilio. Dixit Eccleſiaſticam Apoſtolici temporis diſciplinam, uti non ex Papalibus Iſidorianæ Collectionis epiſtolis, ita nec ex iſta Synodo poſſe monſtrari. Et rectè dixit. Etenim iſta omnia ſunt octavi aut noni ſæculi.

Demonſtrator item queritur, quod *Exhibitio* dicat etiam S. Hieronymi epiſtolam ab ipſo malè citari. Reſpondeo ipſam vera dixiſſe. Dixit quod in ſecundo ſuarum epiſtolarum libro S. Hieronymus nullam habeat epiſtolam ad Heliodorum. Eſt res certa & manifeſta. Verum Demonſtrator recurrit ad ſelectas S. Hieronymi epiſtolas, atque ita fatetur ſe ex pleno Hieronymiani operis corpore non citaſſe, adeoque nec ipſum legiſſe. Selectæ epiſtolæ legi conſueverunt à Sacræ Theologiæ Tyronibus. Spero fore, ut Demonſtrator pedetentim aſcendat altiùs, atque ita iſtiuſmodi meis ſuſpicionibus deinceps non præbeat anſam.

Demonſtrator pergit: *Rectè colligo* ex iis, S. Hieronymi litteris, *Monachos Clericis ſubfuiſſe*. Et firmat ex authoritate Joannis Morini. Reſpondeo de Laicis Monachis me conſentire. Etenim quis Laicus non ſubût Epiſcopo atque Presbytero? Eſt tamen opus ſano intellectu. Primitiva olim Monaſteria non Diœceſano, ſed à ſe electo Epiſcopo ſuberant. Eligere poterant quemcumque Epiſcopum, etiam remotiſſimum. Hic illis dabat Presbyterum & omnia Eccleſiaſtica Sacramenta. Eſt apud omnes Eccleſiaſticæ antiquitatis peritos res notiſſima. Et lucidè patet ex Synodo Bonifacii Archiepiſcopi Carthaginenſis. Ex quo vides Monachorum à loci Epiſcopo exemptionem eſſe antiquiſſimam, & veruſtis Eccleſiæ Canonibus non adverſari. Ita fuit in Oriente uſque ad Chalcedonenſem Synodum. In Occidente autem, qui iſtius Synodi Canones diu non admiſit, iſta forma permanſit longè diutiùs.

Demonſtrator denuò queritur ſe falsò traduci, quod improbet Regularium Eccleſiarum Conciones, & neget ipſas poſſe frequentari. Affirmat ipſas à ſe commendari. Proclamat ad Tridentinam Synodum, ab *Expoſitione* adulterari thema, ac pergit: *Ego de audiendi Verbum Dei & rudimenta fidei in Parochiis obligatione pertractabam, ille ſeptem capitibus hoc agit, ut potiſſimùm hiſtoriis, ſed & quibuſdam etiam privilegiis probet antiquiſſimam concionandi & catechizandi tantùm in ſuis Eccleſiis libertatem. Dico*, Tantùm: *Nam nulla iſtiuſmodi hiſtoriarum, privilegiorumque evincit audiendo in eorum Eccleſiis Verbum Dei, Præcepti ſatisfactionem.*

Reſpondeo non tantùm Privilegia & hiſtorias eſſe adducta, ſed etiam generales & authenticos Eccleſiæ Canones. In Chalcedonenſi Synodo ad Anaſtaſium Nicænum in Bithynia Epiſcopum, prætendentem jus Metropoliticum in Baſilinopolitanam Eccleſiam, dixerunt glorioſiſſimi Judices: *Quomodò te monſtrare promittis Baſilinopolis* Act. 13. *ſanctiſſimam Eccleſiam ſub Nicæna eſſe, utrum ſecundum Canones, an ex aliqua conſuetudine?* Suppoſuerunt utrumque principium eſſe per ſe ſufficiens ad victoriam. Et hinc Anaſtaſii Adverſarius Eunomius Nicomedienſis Epiſcopus, iſtius Provinciæ Metropolita, in exhibitis Imperatori Marciano, ac præfatæ Synodo precibus aſſeruit ſibi favere & Canones & conſuetudinem. Ego perambulavi per ejus veſtigia. Per ſeptem *Exhibitionis* capita demonſtravi Regularium Conciones & Catechiſmos fuiſſe ſemper probata à Catholica Matre ac ejus diſciplina. Nec tantùm Conciones & Catechiſmos, ſed olim eriam Baptiſma. Ex magno authenticorum exemplorum numero conſuetudinem, ex variis Synodorum ac Romanorum Pontificum Decretis oſtendi nobis favere Canones. Iſtud jus non eſſe novellum Ordinum Mendicantium Privilegium, ſed avitam regulam Monaſticæ Profeſſionis. Oſtendi ex antiquis Monachis per Apoſtolicam Sedem eſſe traductam ad iſtos Ordines. Et quod ſuæ Obligationi fideles in iſtis Eccleſiis ſemper ſatisfecerint, ex adductis Canonibus atque exemplis eſt plus quam manifeſtum. Certè ſicut apud Monachos olim baptizati non debuerunt rebapti-

rebaptizari, ita nec ibidem catechismo aut alia doctrina instructi debuerunt iterum per Episcopum instrui, longè minùs per Presbyterum Parochialem. Demonstravi & pro antiquis Monachis, & pro Ordinibus Mendicantibus esse in contradictorio judicio frequenter definitum ac pronunciatum. Et addidi S. Augustini contra Donatistas, nulli judicio volentes acquiescere,

Ep. 167. c. 4. elogium: *Puto quod ipse Diabolus, si authoritate judicis, quem ultro elegerat, tetiès vinceretur, non esse tam impudens ut in ea causa perstiteret.* Et hæc omnia *Demonstrator*, utpotè historias præterit, & negligit rodere? forsan imitatur Glossam: *Est græcum; non legitur.*

CAPUT IV.

Examinatur Parochialis apud Oppidum Bethlehemiticum cura S. Hieronymi.

Demonstrator ex istis historiis tentat aliquid rodere. Affirmat sanctum Hieronymum fuisse non simplicem Hiero-Monachum, sed insuper parochialem Presbyterum Oppidi Bethlehmitici, & ex isto titulo catechizasse, baptizasse, & prædicasse. Et probat ex primo Dialogo S. Sulpicii Severi. *Bethlehem Oppidum per-*

Cap. 4. *veni. Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit. Nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet.* Adjungit authoritatem libri de hæresibus, qui à Jacobo Sirmondo inscribitur *Prædestinatus*: Hic S. Hieronymum appellat *Presbyterum Bethlehemitem*. Demonstraror insuper advocat hæc Stephani Baluzii verba in Commentario ad S. Lupum servatum: *Hoc dicere voluit Severus, Ecclesiam Parochialem Bethlehemiticam esse in Parochia, id est, Diœcesi Episcopi Hierosolymitani: Undè sequitur Hieronymum Ecclesiam Parochialem Urbis Bethlehemiticæ tenuisse ab Episcopo Hierosolymitano, contra quam visum est Ludovico Cellotio.*

Respondeo hac in re nemini esse potius credendum, quam ipsi S. Hieronymo. Hic autem de suis cum Joanne Hierosolymæ Episcopo quæstionibus scribit ad nobilem Vi-

Ep. 61. c. 16. rum Pammachium: *Porro quod dicis te petiisse, ut subjicerentur Ecclesiæ Dei, & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent Principatum, de quibus dicas, non satis intelligo. Si de me & de Presbytero Vincentio, satis multò dormisti tempore, qui post tredecim annos excitatus hæc loqueris. Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, Urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te prædicantem in populis laudaremus, sed ut in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.* Inter varias Joannis cum Hieronymo quæstiones una erat de subjectione atque obedientia. Joannes ægerrimè ferebat Hieronymum, Vincentium, aliosque in isto monasterio Presbyteros habitare intra suam Parochiam, seu Diœcesim, & sibi non subesse. Et Hieronymus avita ac per omnem Ecclesiam probata Monasteriorum ac Monachorum libertate seu exemptione fretus, noluit subesse. Et in isto proposito permansit inconcussus. Proindè nequit Bethlehemitici Oppidi fuisse parochialis Presbyter. Hic enim ab Episcopo non possit fuisse exemptus.

Altera Joannis de S. Hieronymi Monasterio querimonia erat, quod in ipso S. Epiphanius, extraneus Salaminæ in Cypro Episcopus, S. Hieronymi Fratrem Paulinianum consecrasset in Presbyterum. Et quod Paulinianus, licet Presbyter, nollet Diœcesano Episcopo subesse. Et ad posteriorem hanc querimoniam Hieronymus in eadem Epistola respondit: *Fac à te ordinatum, idem ab eo audies, quod à me missello homine sanctæ Mem. Episcopus Paulinus audivit; Num rogavi ut ordinarer? Si sic Presbyterium tribuas, ut Monachum nobis non auferas, tu videris de tuo judicio; fin autem sub nomine Presbyteri tollis mihi propter quod sæculum develiqui, ego habeo, quod semper habui, nullum dispendium in Ordinatione passus es.* Affirmat se à S. Paulino Antiochiæ Patriarcha ordinatum ea lege, ut Monachum non perderet, ut nulli titulo aut Ecclesiæ inscriberetur, ut ordinaretur absolutè. Et istam libertatem Hieronymus constantissimè semper tenuit, atque ita non plus fuit Bethlehemitici Oppidi Parochus, quam fuerit Cardinalis Presbyter Ecclesiæ Romanæ. Uti nunc è Monacho consecratus Episcopus exuit Monachalem statum, ita tunc ipsum exuebat omnis e Monacho promotus in Clerum. Hinc Hieronymus dixit se noluisse ita sacrari in Presbyterum, ut Monachum amitteret. Noluit ad certum cardinem alligari.

Hæc omnia patentissimè confirmantur per verba sequentia: *Quis scindit Ecclesiam? Nos quorum omnis domus Bethlehem in Ecclesia communicat, an tu, qui aut benè credis, & suspectus de fide taces; aut malè & verè scindis Ecclesiam? Nos scindimus Ecclesiam, qui antè paucos menses circa diem Pentecostes, cum obscurato sole omnis mundus jam jamque venturum judicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis & sexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certè quinque Presbyteri erant in Monasterio, qui suo jure poterant baptizare, sed nè urerunt quidquam contra tuum stomachum facere, ne & hæc tibi de fide reticendi daretur occasio. An non tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethlehem Presbyteris tuis, ne Competentibus nostris in Pascha traderent Baptismum, quos nos Diospolim ad Confessorem & Episcopum misimus Dionysium baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra Cellulas nostras locum Ecclesiæ non habemus.*

Affirmat varia. Primò, se ac suos quatuor in Monasterio Collegas Hiero-Monachos distinguit à Joannis Episcopi Presbyteris, atque adeò asserit se & illos non fuisse de ejus Clero. Secundo, quod catechizatos & præparatos à se Competentes, ne Joannis stomachum offenderent, noluisse baptizare, sed misisse ad Joannis Presbyteros: Et Joannem his, ne istes, initiarent, vetuisse. Quæ omnia altè clamant Hieronymum istic non fuisse Parochialem Presbyterum. Etenim Parochialis istic Presbyter non poterat non esse Joannis Episcopi Presbyter, & citra ipsius offensam poterat, imò debebat baptizare.

Tertiò Hieronymus affirmat, quod omnis ejus domus communicaret Ecclesiæ Bethlehem. Hæc

aliqui

aliqui intelligunt de Sacramenti ac Verbi perceptione. Existimant omne S. Hieronymi Cœnobium, istius perceptionis causa, accessisse ad Parochialem Ecclesiam. Et ita, licet quid aliud tentent emungere, fatentur ipsum non fuisse Rectorem Parochiæ. At penitùs deviant. Etenim quid vox, *Communio* apud istius ævi fideles significaverit norunt Eruditi. Videantur Observationes Gabrielis Albaspinei, Episcopi Aurelianensis. Laudata igitur Hieronymi verba edicunt omne ejus Monasterium, licet Joanni Episcopo subesse nollet, communicasse Ecclesiæ Bethlehemitici Oppidi: Fraternitatem & alia Catholicæ Communionis jura contesserasse, atque ita non lacerasse Ecclesiam. Quod iterum alibi clamat Hieronymum non fuisse istic Parochialem Presbyterum. Ejus Monasterium degebat apud Bethlehem, uti nunc Mendicantium Cœnobia in quibusvis civitatibus.

S. Hieronymus dicit quartò, quod extra suas Cellulas nullam haberet Ecclesiam. Hoc est, quod tamquam Monachus in Monasterio degeret ac lateret, ac in ejus Oratorio sua Divina cum suis Confratribus peragereret. Hic enim est avitus ac perpetuus mos Cœnobitarum. Quod iterum alte testatur ipsum non fuisse Parochum. Quintò dicit, quod in Monasterio, etsenr quinque Presbyteri, & omnes suo jure posent baptizare.

Sextò, quod ob Episcopale Joannis Mandatum abstinuerint ab isto ministerio, noluerint sui juris usu illum offendere, ideoque suos Competentes ad ejus, utique Paro hiales, Presbyteros miserint.

Septimò, quod tamen ob istud Episcopi Mandatum noluerint à Catechismo cessare. Quæ omnia infinniter firmant antiqua jura Hiero-Monachorum, ac Ecclesiarum Regularium.

Quod S. Hieronymus à stipulatis cum suo Ordinatore Paulino conditionibus numquam recesserit, adeòque semper Monachum, numquam Curatum Presbyterum vixerit, manifestum est ex toto vitæ ipsius decursu. Ex Christianæ eruditionis amore noluit intra unius Oppidi, Civitatis, aut Episcopalis Parochiæ titulum aut limites circumscribi. Voluit liber quosvis Nobiliores Christianorum Doctores accedere, videre, audire. Hinc vixit Romæ, Constantinopoli, Antiochiæ, Hierosolymis, Alexandriæ. Omnem item lustravit Galliam. Etiam dum Bethlehemiticis Cœnobiis præfuit, fui Videntis Didymi amore accessit Alexandriam, & cuncta Syriæ sacra loca est perscrutatus. Et annos impendit. Quod Parocho non licuisset. Et jam apud Bethlehem senex in præfatione ad septimum suum librum super Ezechielem Propheta scripsit ad S. Virginem Eustochium: *Nulla hora, nullumque momentum est, in quo non Fratrum occurramus turbis, & Monasterii solitudinem hospitum frequentia commutemus.* Et in litteris ad S. Augustinum: *Me autem ætatis ultimæ, & penè decrepitum, ac Monasterii ac turis Secreta sectantem, parvi pendunt.* Palàm profitetur se apud Bethlehem fuisse Monachum ac Eremitam, nullatenus Parochialem Presbyterum.

Restat quæstio, Quomodò S. Sulpitius Severus scripserit de Bethlehem Oppido: *Loci illius Ecclesiam Hieronymus Presbyter regit?* Respondeo ac repeto jam laudata senis Hieronymi verba: *Monasterii ac ruris Secreta sectantem.* Proindè Hieronymus non in ipso Bethlehemitico habitavit Oppido, sed in ejus secreto rure. In suo istic Monasterio. Istiusmodi, non autem urbanum situm passim fuisse antiquis Cœnobiis, norunt Periti rerum Monasticarum. S. Hieronymi Cœnobium fuit ad suburbanam ac sacrosanctam specum, in qua Deus Verbum è Sacra Virgine caro prodiit, & apud quam S. Angeli bonæ voluntatis pacem omni humano generi occinuerunt. Istic illustris ac opulenta Romanorum Matrona Paula ædificavit quatuor Cœnobia, & quatuor Xenodochia: Tria sacrarum Virginum Cœnobia, quartum Virorum. Et hæc sanctitas adeò profecit, ut incolis & advenis non sufficeret. Hinc S. Hieronymus ex vendito per fratrem suum Paulinianum patrimonio addidit quintum: Et Cœnobium & Xenodochium. Pro viris. Et hæc omnia ipse rexit. Rexit loci illius Ecclesiam. Hic est sensus Sulpitii Severi. Etenim quod antiqua, quandoque unum fingulare, quandoque plura simul juncta, Cœnobia habuerint suam propriam Ecclesiam, suum Presbyterum, suum Clerum, imò & suum Episcopum, abundè monstravi adversum Joannem Frontonem. Est res notissima Periti rerum Monasticarum.

Ejusmodi Monachales Ecclesias laudat etiam Ephesina Synodus. Etenim ad Pragmaticum Edictum, quo Imperator Theodosius damnavit libros Nestorii, subjunxit hanc subnotationem: *Licita sunt hæc in Ecclesia Monachorum, in Desertis degentium.* Easdem laudat in Prato spirituali S. Johannius Patriarcha Hierosolymitanus, atque affirmat plura. Primò, quod ipsis non solummodò adjuncti Cœnobii Fratres frequentarint, sed etiam vicini Anachoretæ. Secundò, quod istæ Ecclesiæ regerentur à Presbytero Monasterii. Tertiò, quod haberent suos Parochiales limites. Quartò, quod ipsos nemo novus aut extraneus Anachoreta inhabitandos intrare posset, nisi à Presbytero admissus, & Cellam accipiens. Quintò, quod advenæ istam admissionem flexis genibus à Presbytero supplicarint. L. 3. c. 48. Sed C. 86. 177.

Et de S. Sabba Abbate scribit in ejus vita Cyrillus Monachus: *Cum vidisset Monachos magna undique premi inopia, quod neque haberent, qui eorum curam gereret, neque eis vicinum esset Templum ad orandum, sed in Propheticam Ædem quæ est Thecuis, singulis adscenderent Dominicis, partiti paturi Divina Sacramenta, & inde eos deinde inter se decertare, implerique tumultu & perturbatione, quod essent sine duce, & nulli parerent Rectori & Præfecto, referri omnia ad Patriarcham, & vehementer rogat, ut eos congreget & concilet, & eis omnia præbeat, quibus indigent. Ille verò datis Sabbæ septuaginta aureis, ei concedit Dominum & res Monachorum. Et autem cum rerum, quæ illic erant, sic factus esset Dominus, primum quidem eis providet res necessarias, ut nihil eis deficeret, sed omnia suppeterent. Deinde Templum quoque eis magnificè ædificat.*

Agit de nescio quibus in Syria apud Thecuam Anachoretis, & scribit varia. Primò, quod singuli essent Acephali, & non haberent communem Præfectum. Secundò, quod nec ulli Cœnobio essent uniti. Tertiò, quod laborarent inopia

atque discordia. Quartò, quod nec propriam haberent Ecclesiam. Quintò, quod ideò Parochialem deberent frequentare Ecclesiam. Sextò, quod Hierosolymæ Patriarcha ipsos posuerit sub potestate Sancti Sabbæ. Septimò, quod æs dederit ad eos deducendos in consuetam aliorum Anachoretarum formam. Octavò, quod S. Sabbas ipsis statim ædificaverit propriam Ecclesiam. Et quidem magnificam. Et haud dubiè isti Ecclesiæ dedit ex Monachis Presbyterum & Clerum, recturos istam Monachalem Parochiam. Et istiusmodi Parochiam rexit etiam S. Hieronymus. Proinde istum Stephani Baluzii commentarium adnumerabis aliis ejus Scriptis, de quibus nuperrimè edixit Sanctissimus Dominus noster Clemens X. *Ex dialogis Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani deleatur Stephani Baluzii Tutelensis præfatio ad Lectorem. Deleantur pariter Notæ omnes & novæ emendationes ad Gratianum, adjecta ab eodem Baluzio: Quæ Notæ & additiones cum prædicta præfatione omnino prohibentur.* Clemens Pontifex hæc edixit in isto ipso judicio, quo proscripsit Salutaria Monita, ac famosam instructionem ad Tyronem.

Et hinc vides, quod sub Justiniani Imperio non soli Cœnobitæ, sed etiam Anachoretæ habuerint suas Ecclesias, & quidem magnificas. Et hæ erant ipsorum Parochiæ. Etenim S. Sabbas fuit Justiniano coætaneus. Et iste ipse Imperator id disertè affirmat in sua septima Novella. Nec aliud ad quintam ejus Novellam asserit Jacobus Cujacius. Etenim affirmat istius temporis Monachis non fuisse Ecclesiam obstrictam publicæ fidelis populi Apparituræ. Hinc item vides, quod etiam Anachoretæ Parochiales Laicorum non frequentarent Ecclesias. Quod Cœnobitæ ab ipso sui exordio illas numquam, aut saltem rarissimè frequentaverint, lucidè demonstravit *Exhibitio*.

Et demus de Parochiali S. Hieronymi Officio fabulam subsistere: Num ideò cadet mea assertio? Nullo modo. Etenim S. Epiphanius, ac S. Hilarion fuerunt simplices Hiero-Monachi, nequaquam Parochiales Presbyteri, & tamen in suis Monasteriis catechizarunt, baptizarunt, prædicarunt. Et plura alia adduxi exempla. Cur ista Demonstrator non rodit? Etiam Vincentius, & alii quatuor in S. Hieronymi Monasterio Hiero-Monachi non fuerunt Parochiales Presbyteri. Et tamen de istis jam dixit laudatus Hieronymus: *Suo jure poterant baptizare.* Non privilegio, sed *suo jure.*

CAPUT V.

Examinatur Titulus Pastoris.

AD mea circa titulum istum dicta *Demonstrator* nihil etiam potest rodere. Audi anxium ejus spiritum: *Nihil igitur ad rem nostram, quid Canon Neocæsariensis, quid Antiochenus, quid Epiphanius, quid Basilius, quid Hincmarus Remensium Metropolita, quid Synodus Ticinensis, nominis aut appellationis eis dent, quod Pastores sæculum nostrum appellat. De re, non de nomine est quæstio nostra.* Affirmat nostrum sæculum, non unanimen SS. Patrum, ac antiquarum Synodorum sensum & phrasim esse attendenda. Lepidum documentum. Nec hæc est quæstio de solo nomine, sed etiam de nominis nucleo, supremo fastigio Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Nam & hinc sanctus Gregorius VII. suo Dictatui inseruit hoc Capitulum: *Papa est unicum nomen in mundo.* Vetuit Papæ titulum dari Episcopis. Et nequaquam censuit se sancire de nomine. Proindè certum est *Pastoris* titulum Parochis non quadrare. Undè & ipsum hodie numquam illis impertit Romana Ecclesia.

Demonstrator conatur reddere Talionem. Affirmat Mendicantium Ordinum Professoribus non competere *Patris* titulum, sed *Fratris*. Et ita nos passim appellari in Apostolicis Diplomatibus. Respondeo Demonstratorem vera afferere. De *Fratris* titulo non erubescimus, sed gloriamur. Nec alium prætendimus. Est primitivus Christianorum titulus, omnibus nobis datus atque præceptus à Christo Domino, & plurimis sanctorum Apostolorum encomiis commendatus. Ejus mysteria exponunt Minutius Felix, Tertulliani liber Apologeticus, & alii antiqui Christianæ Religionis adversus Gentilium convicia Defensores. Primævæ Christianitatis Sanctitas jam pridem contracta est ad sola Monasteria: Eam sectari obligamus, & studemus. Hinc & *Fratris* titulum pleno animo amplectimur, ac profitemur. Quo tamen sensu possimus & Patres appellari, apud Carthaginenses collationem disci possit ex Responso S. Augustini ad similem quæstionem Petiliani ac Montani Episcoporum Donatistarum. L. 3. c. 242.

Demonstrator adducit hæc mea verba: *Inter omnia Pastoralia Officia primarium est evangelizare, seu catechizando, seu altiora concionando. Primitiva Ecclesia ipsud Officium passim reservavit Episcopis.* Hinc infert: *Non solum id nominis*, utique Pastoris titulum: *deneget Pastoribus, sed rem quoque Autbor noster.* Respondeo non ita esse. Quod enim jam non dumtaxat civitatensium aut oppidanarum, sed etiam pagensium Parochiarum Rectores concionari & possint & debeant, novit omnis Christianitas. Dixi in primitiva Ecclesia circa istud punctum fuisse varios variarum gentium mores. Et dixi verum. Et demonstravi: Et omnem istam varietatem adeò non improbarunt antiqui Patres, ut propter ipsam dixerint Ecclesiam esse Reginam circumamictam varietatibus.

Quæsio est, an S. Hieronymus improbaverit Divini Verbi prædicationem reservari solis Episcopis? Demonstrator affirmat & probat ex ejus per me laudatis verbis: *Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui.* Respondeo Demonstratorem falli, & Hieronymi verba ipsi non suffragari. Eorum sensus hauriri possit ex nescio cujus incogniti Scriptoris in S. Hieronymi appendice ad nescio quem Hilarium Naraonensem Antistitem epistola: *Nulla in conficiendo Corpore Christi ac Sanguine inter Presbyteros & Episcopos credenda distantia est. Et Eucharistiam jam pridem per Presbyteros benedictam, si usus exegerit, Episcopi accipere debent, ac se Christo & plenitudini ejus communicare cognoscere. Nam si quis ad injuriam revocet, aut putet se accipere non debere Eucharistiam, quam Presbyter benedixit, is profectò perversus est, credens Dominum duo corpora habuisse, unum majus, &* Ep. 2. Ep. 13.

unum minus, Majus, quod Episcopus conficit; minus, quod Presbyter. Ex eodem principio quidam olim Episcopi suos Presbyteros non absolutè, sed coram se nolebant concionari. Censebant omnem auditorem esse concionatoris discipulum, ideoque illud suæ dignitati derogare. Et istam opinionem improbavit Sanctus Hieronymus. Optimo jure. An & motem, qui nullam concionem permittebat Presbyteris, improbaverit, est alia quæstio. Non facit ad præsens propositum.

CAPUT VI.

Stabiliuntur quædam alia Asserta circa Hiero-Monachorum Prædicationem in Ægypto, Syria, Anglia, Hibernia.

Demonstrator affirmat, quod Episcopa'em Dignitatem injuriosè tractem, eo quod scripserim Scotorum Abbates eodem, imò & majori, quam Episcopos jure prædicasse. Et quod dixerim Scotorum Episcopos olim non habuisse sedes, sed commorasse in Monasteriis, Abbatibus subjectos, & ab his ad prædicandum fuisse missos, & intra & extra Insulam. Quod item dixerim Scotorum Monasteriis quoad Divini Verbi prædicationem fuisse jus Ecclesiarum parochialium. Audite *Demonstratorem*: *Respondeo Angliæ Monachos plurium Parochiarum habuisse curam, &c.* Ego de Scotis, id est, de Hibernis locutus fum, ille respondet de Anglis. Et ego vera scripsi. Etenim de istis Episcopis statuit Vermeriensis Synodus: *Ut ab Episcopis ambulantibus per Patrias ordinatio Presbyterorum non fiat. Si autem boni fint illi Presbyteri, iterum consecrentur.* Et C. 43. secunda Cabilonensis: *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes absque licentia Dominorum suorum, sive Magistrorum, Presbyteros & Diaconos ordinant, quorum Ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresim, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.* Et in suis selectis C. 75. Capitulis S. Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis: *Qui ordinati sunt à Scotorum Episcopis, iterum ab Episcopo Catholico manus impositione confirmentur.* Quod istiusmodi Episcopi & Clerici per omnem olim Europam prædicantes & confecrantes discurrerint testantur Sigibertus Gemblacensis, Sifridus Presbyter, Theodoricus à Niem, & alii authentici Scriptores. Et quod suo adhuc tempore quivis ferè Hibernorum pagus haberet suum Episcopum, in sancti Malachiæ vita testatur sanctus Bernardus. De qua re vide apud eruditum, licet Hæreticum, Joannem Seldenum in præfatione ad nuper editos Anglicarum rerum Scriptores. Ego istam Hierarchiæ formam non probavi, dumtaxat dixi fuisse: Non in Anglia, sed in Hibernia. Et dixi verissima. Quid igitur deliqui in Episcopalem dignitatem?

Ægypti ac Syriæ Hiero-Monachis scripsi olim fuisse jus catechizandi, baptizandi, ac prædicandi in suis Monasteriis, & probavi per exempla S. Hieronymi, S. Epiphanii, ac S. Hilationis. Et quia S. Hilarion fuit magni Antonii discipulus, ac ejus Cœnobiticum institutum ex Egypto portavit in Syriam, concludi istum morem esse natum sub S. Antonio. Etiam hoc *Demonstrator* rodit. At istorum exemplorum authoritatem, ac item S. Hieronymi testimonia nescit evertere. Ejus verba sunt lucida: *Certè quinque Presbyteri erant in Monasterio, qui suo jure poterant baptizare.* Non quia Parochi erant, sed quia Hiero-Monachi. Et ista Hieronymus in Syria scripsit. Et de S. Hiero-Monacho ac Ægypti Abbate Joanne scribit in vigesima prima Collatione Joannes Cassianus: *Joannes Abbas, meritò sanctitatis* C. 1. *electus, Diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate, aut ambitione provehitur, sed is quem cunctorum Seniorum cœtus, ætatis prærogativæ & fidei atque virtutum testimonio excellentiorem omnibus, sublimioremque censuerit. Ad hunc beatum Joannem cum piæ devotionis studio juvenis Theonas advenisset, deferens religiosa munera inter cæteros possessores, qui certatim Decimas & Primitias frugum suarum memorato Seni de suis subsistantiis afferebant, videretque eos Senes cum multis ad se muneribus confluxisse, & devotioni eorum vicissitudine cuperet compensari, cœpit eis secundum Apostolum spiritualia seminare, quorum metebat carnalia.* Addit Joanni Eliam, Eliæ istum Theonam in Diaconiæ munus successisse. Cur Monasticæ Diaconiæ Præfecto omnes certatim possessores deferebant suarum frugum ac aliarum substantiarum Decimas ac Primitias, atque alia amplissima munera? Quod illic in Monastica Ecclesia acciperent omnia Divina Sacramenta & Ecclesiastica Ministeria. Hoc est unicum fundamentum Decimarum & Primitiarum. Tunc enim nondum apparuerat Carolus Martellus, cujus in Ecclesias violentia postmodò aperuit portas, ex quibus ista Ecclesiastici Ministerii jura cœperunt in alienas sibi solis viventium Monachorum & Clericorum manus devehere. Et ista acta sunt in Ægypto. In Monasteriis S. Antonii. Nempè statim à primo Cœnobiorum exordio omnis Hiero-Monachus habuit cunctæ Presbyteri jura. Potuit in suo Monasterio catechizare, baptizare, prædicare.

Dixi istum morem in Syria viguisse usque ad Pontificatum magni Leonis. Etiam hoc Demonstrator rodit. *Itaque falsum est, quod Author, ut est subtilis consequentiarum Architectus, subjungit.* Et addit morem, qui solis Episcopis permisit prædicationis munus, in sola Africa viguisse. Respondeo mea Dicta esse certissima. Etenim cur magnus Leo istum Monachalis prædicationis morem circumscripsit & abolevit, si usque tunc nunc viguerit? Nulla lex circumscribit aut abolet, nisi mores præsentes. Si quis alius Pontifex, aut quæ post Sanctorum Hieronymi ac Epiphanii tempora Synodus istum morem invaserit, adducatur.

Æquè falsum est, quod mos, solis Episcopis permittens Divini Verbi prædicationem, viguerit in sola Africa. Etenim de Alexandrina, totius Ægyptiacæ Diœcesios Patriarchali Ecclesia L. 7. c. scribit Hermias Zozomenus: *Apud Alexandrinos do-* 19. *ctos*

cet solus civitatis Episcopus. Aiunt tamen hanc consuetudinem non prius invaluisse, quam ex quo Arius Presbyter de doctrina differens, insolitam introduxeret. Quod idem mos fuerit in aliis Ecclesiis, *Exhibitio* demonstravit. Et non refert ad præsens propositum.

Nec item refert, ex qua causa Magnus Leo istum morem apud Syros aboleverit. Constat aboleviſſe. Imò conſtat aboleviſſe ex ipſa illa cauſa, ex qua abolevit & S. Alexandriæ Patriarcha Alexander. Quod apud Syros Presbyteri ſint olim concionati, abſit ut negaverim. Quis enim ignoret Sancti Joannis Chryſoſtomi adhuc Presbyteri Homilias ad populum Antiochenum? An Magnus Leo, uti Alexandriæ Magnus Alexander, iſtud munus non ſolis Hiero-Monachis, ſed etiam Eccleſiaſticæ tabulæ Presbyteris abſtulerit, atque ita contraxerit ad ſolos Antiſtites, eſt non vana quæſtio. Verùm his omnibus, quæ ad præſentem rem non ſunt neceſſaria, elucidandis non permittor pretioſas horas expendere. Quis enim Doctor horas non habeat in ſummo pretio?

Pergit Demonſtrator: *Nec minus inepta ſunt, quæ de Prædicationibus S. Furcæi, aliorumque in Anglia natat, ut vel Dupondius facilè videat illa ad rem noſtram non pertinere.* Reſpondeo iſtas ineptias eſſe hauſtas ex Ven. Beda. Ejus verbis nec addidi, nec detraxi. Et ſpero quod ipſa nec detorſerim. Cur igitur ego ſolus benedicor, & honoror elogio Dupondii? Honoretur & V. Beda. Honoretur & vulgatus per RR. PP. Joannem Bollandum & Godefridum Henſchenium Author, qui Anglicanum S. Furcæi Cœnobium laudat in libro de ejus Miraculis, & adjungit: *Furcæus honorabilior cæteris effectus, cunctis prædicabat remedium pœnitentiæ, & cunctos ab erroribus ſalvabat.* Utique intra ſuum Monaſterium. Et quod iſta forma etiam in Belgio ac omni Gallia olim viguerit, demonſtravi per authentica exempla ac teſtimonia, quæ Demonſtrator neſcit rodere.

Addo nunc & Bonogelenſem in Meldenſi agro Cap. 4. Synodum celebratam ſeptimo ſæculo: *Ut intra Septa Monaſterii non baptizetur, nec Miſſæ Defunctorum ſæcularium celebrentur, nec ſæcularium corpora ibidem ſepelantur. Forſitan permiſſu Pontificis.* Iſtum morem Canon non abolet, ſed ſolummodò circumſcribit, ſanciens deinceps iſta non fieri, niſi de conſenſu Epiſcopi. Textus eſt mutilus. Et hoc modo ſupplendus: *Niſi forſitan permiſſu Pontificis.* Et quod Epiſcopi deinceps conſenſerint, docent exhibita à me teſtimonia.

CAPUT VII.

Bonifacii IV. Decretum, Epiſtola Sancti Petri Damiani, & Nemauſenſis Synodus Urbani II. Pontificis oſtenduntur eſſe authentica.

ACcipio hic nova elogia: *Debebat hoc vir criticus, & antiquitatis, quem ſe venditat, ſtudioſus non ignoraſſe.* De Pythagora in primo Stromatum libro ſcribit S. Clemens Alexandri-
Fol. 300. nus: *Pythagoras ſeipſum primus appellavit Philoſophum.* Eum laudat. Quod nempè ſuorum Antecеſſorum, qui ſe Sapientes ſcripſerant, deriſito faſtu, ſe appellaverit Sapientiæ dilectorem ac ſtudioſum. Hinc in tertio Chriſtiani Pædagogi libro idem Clemens demonſtrat Chriſtianam vitam eſſe veram Philoſophiam, ideoque *Philoſophi* elogium à nullo Chriſtiano renuendum, ſed de ipſo, ut de Chriſtiano nomine, gloriandum. Igitur ſi me Eccleſiaſticæ antiquitatis non peritum, ſed ſtudioſum venditem, quid parvo criminis? Utinam omnes per Eccleſiam Magiſtri noſtri iſtud ſtudium ampleſtantur. Eccleſiaſtica Diſciplina aliam brevi habebit faciem. Attamen abſit, ut me jactitem, aut venditem. Studio degere ac latere in Monaſterio, uti in ſepulchro. Et niſi à Supremis Eccleſiæ Principibus graviter juſſus, non ſcriberem. Loquor in infipientia.

Audi verò, quid debuerim non ignorare: *Quam cum injuria Cleri refert S. Petri Damiani Epiſtolam, cui ſpurium aliquod Bonifacii Decretum ſubnectitur, inter Eruditos convenit non eſſe ipſius, ſed à quodam Anti Cleroſalò huic Doctori affictam. Continet enim errores manifeſtos, diſcrepat ſtylo & ſententiis ab aliis Damiani locis, uti de quibuſdam adhuc aliis hujus Viri ejuſmodi epiſtolis teſtatur Bellarminus.* Reſpondeo aliud eſſe S. Petri Damiani epiſtolam, aliud Bonifacii IV. Decretum. Et hujus præſertim authoritate fui uſus. Et qui ſunt iſti eruditi, inter quos convenit ipſum eſſe ſpurium? Ego illos ignoro. Iſtud eſſe authenticum demonſtravi teſtimoniis Sigeberti Gemblacenſis, Joannis Bromptoni Abbatis Jornalenſis, Sancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi, & antiqui Codicis exſtantis apud Hiſpanos in Monaſterio Populeti.

Inſuper accedit irrefragabilis authoritas Apoſtolicæ Bibliothecæ Vaticanæ, Eminentiſſimi ac Eruditiſſimi D. Francifci Cardinalis Barberini, ac Illuſtriſſimi atque Eruditiſſimi D. Lucæ Holſtenii, non ita pridem Præfecti laudatæ Bibliothecæ. Hic iſtud Decretum ex illo authentico thefauro protulit, paravit vulgandum, & adjunxit ejuſdem quarti Bonifacii litteras, ab ejuſdem Decreti Conditrice Synodo ſcriptas ad Athelredum Regem Anglorum. Epiſtola habet inter cætera: *Quapropter glorioſe Fili, quod ab Apoſtolica Sede per Coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis, libenti animo concedimus. Id eſt, ut veſtra Benignitas in Monaſterio in Doroverenſi civitate conſtituto, quod ſanctus Doctor veſter Auguſtinus, E. Mem. Gregorii Diſcipulus, ſancti Salvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus Frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat, Apoſtolica authoritate decernentes, ut ipſi veſtræ Salutis Prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctam tum moribus exornent. Quæ omnia Decreta ſi quis Succeſſorum veſtrorum Regum, ſive Epiſcoporum, Clericorum, ſive Laicorum, irrita facere tentaverit, à Principe Apoſtolorum Petro Anathematis vinculo ſubjaceat.*

Sanctiſſimus Anglorum Apoſtolus Auguſtinus, omneſque ejus Collegæ erant Monachi ex S. Benedicti Ordine. Et ut in Epiſcopos confecrati

Mona-

Monaſticam vitam non exuerent, eis mandaverat Magnus Gregorius. Et non exuerunt. In ipſa etiam Cantuarienſi, omnium Metropolitana, Eccleſia non Clericale Collegium erexerunt, ſed Cathedrale Monaſterium. Quæ omnia probavit ac firmavit laudatus Gregorius. Verùm poſt ejus mortem natæ ſunt hinc quæſtiones. Quidam Clerici & Laici, ac præſertim libertini Britonum Epiſcopi hæc improbarunt, blateraverunt Monachos non eſſe Epiſcopos aut Clericos, non poſſe prædicare, aut alia Divina miniſtrare. Hæc omnia privativè ſpectare ad Clerum. Non blateraverunt Epiſcopos aut Clericos non poſſe aſſumi è Monachis, ſed perſeverantes in ſua profeſſione Monachos non poſſe ſtare in iſtis dignitatibus aut functionibus. Neophytam Anglorum Eccleſiam graviter inquietarunt. Hinc Athelbertus Rex ſanctum Mellirum, Orientalis Saxoniæ Epiſcopum, legavit ad Sedem Apoſtolicam, exquirens quarti Bonifacii oraculum. Et Pontifex Synodaliter reſpondit duo. Primò, quod Cantuarienſis, per S. Auguſtinum erecta, & tunc per ejus Succeſſorem S. Laurentium directa, Eccleſia poſſet eſſe Regularis ac Monachalis. Deindè, quod iſta forma poſſet ac deberet ſervari in perpetuum. Audi cauſam: *Ipſi veſtræ ſalutis Prædicatores Monachi*, &c. Et adjecit à me adductum Decretum. Contra Monachalis Epiſcopatus, Prædicationis, ac cujuſvis alterius Miniſterii obtrectatores.

Illuſtriſſimus ac Eruditiſſimus D. Lucas Holſtenius, antequam has litteras & hoc Decretum vulgaret, evocatus eſt ad meliorem vitam. Hinc ipſa vulgavit, ac optimæ Mem. Pontifici Alexandro VII. inſcripſit Eminentiſſimus ac Eruditiſſimus D. Franciſcus Cardinalis Barberinus. Ipſa ſcripſit eſſe *Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta pretioſa*, adjunxit & alia ipſorum encomia, & concluſit: *Verùm de utilitate ac præſtantia horum Actorum non aliud requirendum teſtimonium eſt poſt gravuſſimum Tuæ Sapientiæ præjudicium, quo illa tanti habuiſti, ut Ære tuo in editionis pretium liberaliter effuſo, publicationem eorum urgendam duxeris.* Et ecce neſcio quis adversùm tanta teſtimonia non vereatur eſſatire Decretum iſtud eſſe ſpurium, & ita ſentire omnes eruditos.

Et Decretum & epiſtolam laudant, & novis Eccleſiaſticarum Synodorum tomis inſeruerunt Viri etiam eruditiſſimi, Philippus Labbæus, & Gabriel Coſſartius. Et prior dedit Decreto hoc Scholion: *Illud enim Decretum Synodale à Bonifacio Papa IV. promulgatum in Concilio Romano, anno ſexcenteſimo decimo, jam pridem deſcripſimus ex vetere Codice S. Symphoriani Metenſis, qui modò viſitur in Bibliotheca Viri Clariſſimi Claudii Hardii, Pariſienſis Senatoris Eruditiſſimi. Quod cum ab Holſtenſano in quibuſdam plurimùm differre animadverterem, ambigendum mihi non putavi, quin illud etiam tibi Lector offerrem.* Differentia tamen eſt modica. Idem Philippus epiſtolæ dat hoc marginale Scholion: *Ex vetere ſcheda membranacea, quæ apud me eſt.*

Etiam à me adducta S. Petri Damiani epiſtola eſt omninò authentica. Eam enim uti legitimam reliquis ſancti Doctoris operibus adjunxit Vir eruditus Conſtantinus Cajetanus. Ex antiquis & authenticis archivis Eccleſiæ. Et qui ſunt epiſtolæ errores? Quæ puncta diverſi ſtyli? & quo in loco Dominus Robertus Cardinalis Bellarminus ſcribit aut Bonifacii Decretum, aut ſancti Petri epiſtolam eſſe ſpuria? Demonſtrator ignoranti Lectori vendit fumum. Dominus Cardinalis Bellarminus è cunctis ſancti Petri Damiani epiſtolis, licet quarumdam quas aſſertiones notet, nullam arguit de ſpuriis natalibus. Huic noſtræ nihil penitùs infigit Cenſuræ.

Demonſtratorem nihil æquè torquet ac Nemauſenſis Synodus Urbani II. Etenim à me adductus Canon habet hanc Epigraphen: *Quod Monachi Sacerdotali Miniſterio rectiùs fungi poſſint quam Presbyteri ſæculares.* Hanc ei dant eruditiſſimi Viri, Philippus Labbæus, ac Gabriel Coſſartius. Et Canon diſertè ſanxit de prædicandi Miniſterio. O acerbum Canonem! Eſt tamen non ſolius Urbani Pontificis, ſed inſuper totius Gallicanæ Eccleſiæ. Audi *Demonſtratorem* rodentem: *Quæ de Nemauſenſi* Synodo & Urbani *ſententia aſſeruntur, redolent Pſeudo-Damiani epiſtolam. Neque dubium eſt, in Spicilegii Dachertiani multos ſimul tribulos eſſe collectos, cujus proindè Compilatoris nolo authoritate premi.* Quis non videat ac miſereatur hominis angultias?

Erat variè. Primò, quod Nemauſenſis Synodus laudet S. Petri Damiani epiſtolam, aut ab ipſa pendeat. Laudat ac firmat adductum Decretum quarti Bonifacii. Secundò Demonſtrator errat, quod eruditiſſimus Lucas Dacherius ſimul cum ſpicis collegerit tribulos. Sic non ſoli mihi, ſed etiam tanto Viro benedicit. Certè de illo longè aliud ſentit omnis Eccleſia. Illum numerat inter puriſſima noſtri ſæculi luminaria. Deo laus, quod Demonſtrator non audeat Nemauſenſem Synodum pertinaciter abnegare. Interim tertiò errat, quod de ejus veritate non vereatur dubitare.

Etenim hanc Synodum laudat in authentico inſtrumento Calixtus II. Pontifex: *Ego in Concilio Nemauſenſi, in quo Dominus Papa Urbanus præfuit, cum multis aliis interfui.* Calixtus erat tunc Guido Archiepiſcopus Viennenſis. Iſtud Inſtrumentum exſtat apud Catellum in Commentariis Septimaniæ. Eamdem Synodum laudat in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Cauſam Belluacenſis Electi nuper apud Nemauſum coram Domino Papa familiariter ventilari veſtra Paternitas audivit.* Eamdem laudat Malleacenſe Chronicon: *Reverſus eſt Urbanus Santonas, & celebravit ibi ſanctum Paſcha, & indè remeavit Romam, & in eundo remeavit Nemauſum civitatem, ubi item Concilium tenuit, & reconciliavit Philippum Regem Francorum, excommunicatum ob pravas nuptias.* Et Bertholdi Conſtantienſis Presbyteri Chronicon: *Philippus Gallarum Rex jam dudum pro adulterio excommunicatus, tandem Papæ, dum adhuc in Gallis moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abjurata adultera in gratiam receptus eſt.* Ex quo lucet errare illos, qui Philippi Regis reconciliationem cenſent factam in Synodo Turonenſi. Eodem interim anno facta fuit utraque Synodus. Iſtius meminit item ipſe Urbanus Pontifex in litteris ad Richerium Senonenſem, & alios Franco-

Lib. 5. Fol. 878.

Ep. 55.

Anno 1096.

Ep. 20. corum Episcopos: *De cætero universos vos Arelatem in Octavas Apostolorum Petri & Pauli ad Concilium omni seposita occasione invitamus*. Philippus Labbæus addit marginale Scholion: *Nemausi celebratum fuit mense Julio*. Et rectè. Ex quo vides Synodi locum posse mutari per solum Pontificem. Alia hujus Synodi Acta producit Dominus Lucas Dacherius in sexto tomo Spicilegii. Eamdem laudat, & Dominum Lucam fideliter vulgasse scribit in Notis ad Petrum de Marca Stephanus Baluzius.

Lib. 6. Cap. 34.

CAPUT VIII.

Elucidantur magni Gregorii testimonia, quæ publicas Missas vetant celebrari in Monasteriis.

MOrem, quo Anglicana Ecclesia Regulares Basilicas olim æquavit Parochialibus, dixi esse natum à Magno Papa Gregorio, ac ejus Legato S. Augustino. *Demonstrator* etiam hoc rodit: *Exhibitor conticescet spero, si Eminentissimum Italiæ fidus, Cardinalem Bona, planè opposita de Gregorio confitentem audiverit*. Respondeo *Demonstratorem* variè iterum labi. Primò, quod per Eminentissimum Dominum laudata, & qualitercumque intellecta S. Gregorii loca adversùm me faciant. Etenimego scripli de sola Anglicana Ecclesia, at verò Magnus Gregorius scripsit de Ecclesia Italica. Scripsit enim ad Episcopos Ariminensem, Pisaurensem, Lunensem, Firmanum, ac Neapolitanum. At verò quis nesciat Ecclesiam esse Reginam circumamictam varietatibus? Hinc ab antiquo unius gentis more nequit trahi argumentum ad antiquum morem gentis alterius. Porrò quod Magnus Gregorius & S. Augustinus istum morem in Anglia plantaverint, evincunt perpetua illius apud Anglos continuatio, ac jam laudatum atque expositum Decretum Bonifacii IV. Hoc enim emanavit ad instantiam Lauterii ac Melliti Collegarum S. Augustini.

Deinde Sancti Gregorii testimonia non faciunt ad propositum. Hæc enim non ipsis Monasteriis interdicunt publicas Missas, sed nolunt ipsas invitis Monachis istic celebrari per Episcopos. Etenim primus Romanorum Pontifex, qui post Chalcedonense Concilium cœpit Monasteria ab Episcoporum potestate eximere, & Apostolicæ Sedi sine medio supponere, fuit Magnus Gregorius. Et licet hanc gratiam non fecerit cunctis Monasteriis, multis tamen dedit varias & amplas Libertates. Harum una fuit Libertas ab Episcoporum Cathedra & publica Missa. Hujus potestatem non Monasteriis abstulit, sed Episcopis. Ante omnia audiamus singula nobis objecta testimonia.

Primum agit de Ariminensi Monasterio SS. Andreæ & Thomæ. Luminosus Abbas fuerat quæstus de variis excessibus Castorii Episcopi. Quod regendis ac dispensandis Monasteriis facultatibus se ingereret. Quod Fratrum electione spreta, ipse designaret ac intruderet Abbatem. Et quod illic publicas Missas celebraret. Omnia tria illi intercidit Pontifex, præsertim tertium: *Missas autem illic publicas per Episcopum fieri omnino prohibemus, ne in Servorum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur ulla Conventibus*. Gregorius illa appellat *vexationes & gravamina*, ideoque mandat removeri. Lib. 4. Ep. 43.

Secundum testimonium est de novo apud Pisaurenses Monasterio, erecto ac fundato per nescio quem Joannem, qui ejus Consecrationem non ab Episcopo, sed per Pontificem rogaverat fieri. Hinc illam Pontifex delegavit Episcopo, & hic in executione excessit mandati limites. Audiamus verba Pontificis: *Dum in nostro Præcepto inter alia mandatum fit, ut locum ipsum absque Missis publicis deditare, ut ad nos pervenit, Cathedra posita sacra illic publicè Missarum Solemnia celebrantur. Quod si verum est, his vos hortamur affatibus, ut omni excusatione cessante, Cathedram vestram exindè amoveri modis omnibus faciatis, nec denuò illic Missas publicas peragatis. Sed & sicut consuetudo, & præcepti tenor eloquitur, si Missas ibidem sibi celebrari voluerint, à te Presbyter dirigatur*. Lib. 5. Ep. 46.

Pisaurensis Episcopus novi Monasterii exemptione offensus, Cathedram suam in ipso fixerat, celebraverat, illic publicas Synaxes, atque ita tentarat sibi subjicere Monasterium. Hinc ipsi & sacrum Calicem abstulerat. Quo monstraret sibi esse plenam in omnia potestatem. Hinc ad fratrum preces intercessit Pontifex, & ipsorum libertatem noluit per Episcopum violari. Et adjunxit: *Sed & sicut consuetudo, & præcepti tenor eloquitur, si Missas ibidem sibi celebrari voluerint, à te Presbyter dirigatur*. Quod nempè omnes Fratres essent Laici. Etenim Monasterii Presbyter, & quivis in Cœnobio Hiero-Monachus poterant suo jure celebrare. Horum defectum Gregorius nolunt per ipsum suppleri Episcopum, sed per Presbyterum: Utique ne Episcopus haberet ansam rodendi libertatem Monasterii, ac pedetentim exsufflandi. Tertium de Sanctimonialium Monasterio, quartum & quintum testimonium agunt de privatis Sacellis, ideoque ad Eminentissimi Domini Propositum faciunt, non ad nostrum. Quod Monasteria, quorum omnes Fratres erant Laici, Missas agere aut prædicare non potuerint, libenter profiteor. Lib. 7. Indict. 1. Ep. 6. Indict. 2. Ep. 72. Lib. 8. Ep. 3.

Porrò quod Italiæ Monasteria in suis Ecclesiis potuerint per suos Hiero-Monachos celebrare Missas, sepelire mortuos, & obire alia Ministeria insigniter lucet ex magni Gregorii litteris ad Joannem Urbis veteris Episcopum: *Agapetus, Abbas Monasterii S. Gregorii, insinuavit nobis plurima se à vestra Sanctitate gravamina sustinere, & non solùm in his, quæ necessitatis tempore aliquod Monasterio possint inferre subsidium, verùm etiam quod in eodem Monasterio Missas prohibeas celebrari. Sepelire etiam ibidem mortuos interdicas. Quod si ita est, à tali vos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Missas, nulla ulteriùs habita contradictione permittas, ne denuò querelam de his, quæ dicta sunt, prædictas Vir venerabilis Agapetus deponere compellatur*. Non solorum parochialium Presbyterorum, sed etiam nonnullorum Episcoporum inhumanitas, qua Divina apud Monachos Ministeria tentabant violenter opprimere, est adeò antiqua.

Hoc

Hoc ipſum lucet ex alia Magni Gregorii ad Stephanum Chartularium Epiſtola: *Abbas Monaſterii S. Laurentii in Maſſa, quæ dicitur Maratho, aſſerit Presbyterum prædictæ Maſſæ novas Monaſterio ipſi velle imponere conſuetudines, quæ ex tempore conditi Monaſterii per triennale tempus hactenùs non fuerunt. Siquidem ſi quid Deo illic munificentiæ gratia à fidelibus Viris oblatum fuerit, portionem aſſerit ſe debere percipere. Quod Magnitudo veſtra ſtudeat diligenter agnoſcere. Et ſi hoc ita ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat. Quia maximè exiguæ ſubſtantiæ, & Monaſterium pauperum eſſe didicimus, & Abbatem ipſum hoſpitalem omninò eſſe, multorum atteſtatione didicimus.* Palàm agit de Oblationibus fieri conſuetis in Divinorum Adminiſtratione. Proindè hæc fiebat in Eccleſia Monaſterii. Lib. 12. Ep. 10.

Et quid opus multis? Aſſertionem meam firmiſſimè ſtabiliunt antiquæ Romanorum Stationes. Altiſſimè clamant publicas Miſſas potuiſſe fieri, & fuiſſe factas etiam in Monaſteriis. Quis enim ignoret Romanas Stationes nec factas fuiſſe, nec potuiſſe fieri ſine publico Sacrificio? Quis item ignoret iſtius Eccleſiæ Stationes non dumtaxat in Titulis ac Diaconiis fuiſſe celebratas, ſed etiam in Monaſteriis? Proindè publicas Miſſas tunc illic agebat Pontifex, aut ejus vices gerens Epiſcopus. Nempè omnia S. Petro Apoſtolo ac ejus Succeſſoribus ſubſunt, ideoque hi poſſunt, quod aliis interdicunt Epiſcopis, in omni Monaſterio ſuam erigere Cathedram, & publicam Epiſcopalem, quæ ſine iſta erectione fieri non poteſt, Miſſam celebrare. Quare adducta magni Gregorii Teſtimonia ſunt pro nobis, non contra nos.

CAPUT IX.

Sancti Gregorii ſententia largiùs exponitur.

OMittere nolim optimi Gregorii litteras ad Reſpectam Abbatiſſam Maſſilienſis Monaſterii apud S. Caſſianum: *Die Natalis vel Dedicationis Monaſterii Epiſcopus illic Miſſarum Sacra convenit ſolemnia celebrare, à quo tamen ita eſt hoc officium exſolvendum, ut Cathedra ejus, niſi prædictis diebus, dum illic Miſſarum ſolemnia celebrat, non ponatur. Quod decedente, ſimiliter etiam Cathedra illius de eodem Oratorio auferatur. Cæteris verò diebus per Presbyterum, qui ab eodem Epiſcopo fuerit deputatus, Miſſarum Officia peragantur.* Lib. 6. Ep. 12.

Hinc diſcimus variis Monaſteriis fuiſſe tunc libertatem variam. Etenim in Piſaurenſi, ac etiam Ariminenſi Monaſterio Epiſcopus numquam poterat erigere ſuam Cathedram, aut publicam Miſſam celebrare. Nec in ipſo die Dedicationis. At verò in Maſſilienſi, licet Sanctimonialium Cœnobio, Epiſcopus id poterat in quovis Dedicationis Anniverſario. Et tunc cogebatur ſuam Cathedram mox auferre. Erant alia Monaſteria, in quibus Epiſcopus id poterat ad ſuum arbitrium. Dominus Papa iſtud poterat toto orbe terrarum. Proindè non Epiſcopalem ac publicam Miſſam, ſed Epiſcoporum Dominatum Gregorius cenſuit adverſari Monaſteriis, adeoque hunc, non illam voluit ab illis excluſum. Aliter à privatis Oratoriis, aliter iſtam excluſit à quibuſdam Monaſteriis: Ab illis ob defectum dignitatis in loco, ab his ob loci libertatem. Græci etiamnum hodie ſolemnem Epiſcopi Miſſam non permittunt fieri in privatis Oratoriis.

Hæc omnia confirmantur ex variis libertatibus & privilegiis, quæ variis Monaſteriis varii dederunt. Antiquiſſimo apud Anglos Glaſconienſi Monaſterio dedit Imperator Henricus II. *Sed nec aliquis omninò hominum in Eccleſia Glaſconiæ aut in Inſulis, vel Eccleſiis, aut Capellis ſuis, quacumque ex cauſa præſumat Cathedram Epiſcopalem ſtatuere.* Diploma exſtat apud Nicolaum Harpsfeldium, Cantuarienſem Archi-Diaconum, in hiſtoria Anglicanæ Eccleſiæ. Et de ſcandaloſa inter Rudolphum Turonenſem Archi-Epiſcopum ac Guilielmum Majoris Monaſterii Abbatem lite ſcripſit ad Paſchalem II. Pontificem S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Denique ſi cauſam hujus accuſationis inſpicitis, manifeſtè ſcitis non aliundè exarſiſſe iſtam malevolentiam, niſi indè, quod interdicente Sedis Apoſtolicæ Decreto non poteſt Turonenſis Archi-Epiſcopus in Majori Monaſterio publicas Miſſas celebrare.* Iſtud Apoſtolicæ Sedis Decretum exponit in iſtius litis Commentario vetuſtus ac Anonymus iſtius Cœnobii Monachus: *Dominus Papa authoriſavit privilegium noſtrum, ſcilicet ut nullus Epiſcoporum, juxta quod beatus Gregorius prohibet, in domo Majoris Monaſterii publicam ſtationem celebrare audeat, propter ſervorum Dei inquietudinem.* Ecce publica Miſſa confunditur cum publica ſtatione. Iſtud opuſculum Franciſcus Juretus affirmat exſtare in Bibliotheca Laurentii Bouchelli, Advocati Pariſienſis. Eodem in cardine pependit Lis inter Pictavienſem Epiſcopum ac S. Hilarii Monaſterium, deciſa per Gregorium VII. Et Privilegio, quod Caroſenſi Monaſterio dedit, Innocentius III. inſeruit hunc articulum: *Ne Diœceſis Epiſcopus, niſi ab Abbate invitatus fuerit, in eodem Monaſterio Miſſas publicas agat.* Non vetat Miſſas iſtas fieri in Monaſterio, ſed non fieri invito Abbate. Et antiquus ille Majoris Cœnobii Monachus affirmat hunc fuiſſe ſenſum magni Gregorii. Vide plura apud laudatum Juretum, & apud Franciſcum Boſquettum, montis Peſſuli Epiſcopum, in ſcholiis ad Regeſtum Innocentii III. P. 1. c. 2. P. 108. Lib. 1. Ep. 54. Lib. 2. Ep. 18.

At inquies, cur Abbates, ac ipſis favens Magnus Gregorius noluerunt Epiſcopis eſſe publicæ Miſſæ in Monaſteriis poteſtatem? Reſpondeo, ob publicæ Epiſcopalis Miſſæ naturam, quam in ſui Capitularis Appendice exponit S. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis: *Statutum eſt, ut in civitate, in qua Epiſcopus conſtitutus eſt, omnes Presbyteri & populi, tam civitatis quam & ſuburbani, veneſtiti in ipſa Miſſa uſque ad Benedictionem Epiſcopi & communionem devota mente ſtare debeant, & poſteà, ſi voluerint, cum licentia ad ſuos Titulos, Benedictione accepta, revertantur.* Nullus abeſſe poterat, licet anteà privatam Miſſam audiſſet. Hunc numeroſum, adeoque & inquietudini obnoxium fidelis Cleri & populi cœtum Abbates noluerunt ſibi invitis obtrudi. Ob ſimilem ad S. Laurentii Reliquias ac miracula concurſum Leodienſis ad laudatum Martyrem Abbas illi interdixit ulteriorem miraculorum patrationem. Et glorioſus

Martyr,

Martyr, fratrum quieti studens, mandato obedivit. Ita scribit in suæ Ecclesiæ historia Venerabilis Anselmus, Canonicus Leodiensis. Itaque antiqui Abbates in suis Monasteriis semper habuerunt publicas Missas, verum noluerunt istas numerosissimas. Hinc è suis Ecclesiis excluserunt Episcoporum Cathedras ac Stationes, ac publicas Missas per se aut suos Hiero-Monachos celebrarunt. Nam Presbyteros ad Monasterii titulos ordinari, permisit etiam Synodus Chalcedonensis.

CAPUT X.

Exponitur Canon Calixti II. Pontificis.

Demonstrator nobis opponit Lateranensem Canonem Calixti II. *Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, unctiones facere, & publicas Missas cantare.* Respondeo, per Missam publicam intelligi Missam Episcopalem, seu Pontificalem. Hæc est propria istarum vocum significatio. Lucet ex adductis Magni Gregorii, Innocentii III. S. Theodulphi, S. Ivonis, Henrici II. & aliorum testimoniis. Parochialem Parochialis Presbyteri Missam antiqui Scriptores rarissimè appellarunt publicam. Quod ipsum patet ex secunda Carthaginensi Synodo: *Reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licet.* Per Missam publicam intelligi solemnem ac Episcopalem in Dominica Cœna Missam. Hac enim in sola olim potuerunt pœnitentes reconciliari. Et ista est quidem prima mentio vocis, *Missa publica*. Etiam de Joanne Portuensi Episcopo, ac S. Agathonis Papæ ad sextam Synodum Legato, scribit in laudati Pontificis vita Anastasius Cardinalis Bibliothecarius: *Tanta gratia Divina Omnipotentis Dei concessa est Missis Sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi, vel S. Concilii, qui in Regia Urbe erant, Joannes Episcopus Portuensis Dominico die Octavarum Paschæ, in Ecclesia S. Sophiæ, Missas publicas latinè celebraret coram Principe & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes & victorias piissimorum Imperatorum eo die latinis vocibus acclamarent.* Et in Tullensi Synodo Carolus Calvus Francorum Rex Wenilonem Senonensem Episcopum accusavit, quod in Attiniaco palatio coram Fratre suo Ludovico Germaniæ Rege, ac ejus excommunicatis Proceribus publicam Missam celebrasset. Palàm intelligit Missam Pontificalem. Proindè publica Missa est Pontificalis Missa, ad quam omnis Clerus & populus invitatur & convenit.

Cap. 3.

Porrò ad undecimum Christi Domini sæculum Romana Ecclesia cœpit Abbatibus indulgere usum Mitræ, & aliorum Pontificalium Ornamentorum. Et plures Episcopi ardentissimè intercesserunt. Etenim Bernardum Augiensis Cœnobii Abbatem, quod à Joanne XIII. ista accepisset, de suæ Dignitatis pervasione accusavit apud Conradum Imperatorem Warmannus Constantiensis Episcopus, & compulit ad solemnem Apostolici Diplomatis exustionem. Ita habes apud Hermannum Contractum. Habemus plurimas istiusmodi lites. Ista Abbatum Ornamenta adeo averfatus fuit Petrus Blesensis, ut ad Guilielmum Mathinensis Cœnobii Abbatem scripse-

Anno 1037.

rit illa esse *Superbiam Luciferi*. Optimo Viro tantos injecit scrupulos, ut ipsum, qui ista ornamenta non poterat projicere, perduxerit ad deponendam Abbatiam. Et certè quidam Abbates per ista Insignia fuerunt inflati, induerunt vanos spiritus, spreverunt Episcopos, & ipsorum dignitates & functiones invaserunt. Censuerunt harum potestatem consequi ad ista ornamenta. Ita Bononiensis Parochiæ Abbates invaserunt pœnitentiam, Remissionem peccatorum, Reconciliationem, Decimas, Ecclesias. Et ipsos ad Victoris Episcopi querimonias compescuit Paschalis II. Alios hinc indè Abbates, quod de Matrimonialibus causis cognoscerent, publicas injungerent pœnitentias, Indulgentiarum litteras darent, & ad plura alia Episcopalis Dignitatis jura manus extenderent, in sua Lateranensi Synodo compescuit Innocentius III. Plura sunt hujusmodi exempla. Sub secundi igitur Calixti Papatu quidam Abbates, quoniam poterant in Pontificalibus ornamentis celebrare, cœperunt etiam advocare omnem Clerum & populum, publicas Missas agere, in ipsarum fine solemniter benedicere, atque ita se quasi Episcopos ostentare. Et quidem isto tempore, licet plures haberent Pontificalia Ornamenta, pauci tamen Abbates habebant privilegium solemnis Benedictionis. Quidam existimant istis excessibus fuisse injectum obicem à secundo Calixto.

Ep. 90.

Cap. 60.

Verùm Calixtus istis Abbatibus non solùm Episcopalem Benedictionem interdixit, sed omnem penitùs publicam seu Episcopalem Missam. Et hinc gravis quæstio. Etenim quomodò illis, qui Pontificalia Ornamenta habebant ab ipsa Sede Apostolica, potuit istam Missam interdixisse? Istorum ornamentorum palmaris scopus est ista Missa. Calixtus debuerat circumduxisse omnia ista privilegia. Deindè, quod aliqui tunc Abbates omnem civitatis, oppidi, vel Parochiæ Clerum ac populum ad suas Missas Episcopaliter evocaverint, nullo nititur fundamento. Quis istius sæculi Scriptor prodit vel accusat istiusmodi Attentata? Quare certum est Calixti Lateranensem, cui multi interfuerunt Abbates, Synodum contra alium excessum sanxisse.

Calixti II. post secundi Gelasii unicum annum Antecessor fuit Paschalis II. & hujus Cardinales ac in-Gallia Legati Joannes ac Benedictus in sua Pictavensi Synodo ediderunt hunc Canonem: *Ut nullus Abbatum chirotecis utatur, & sandaliis, & annulo, nisi cui fuerit per privilegium à Romana Ecclesia concessum.* Item Guido Cardinalis, & Clementis IV. in Gallia Legatus statuit in sua Viennensi Synodo: *Prohibemus Abbatibus, ne Calices, nec patenas, seu sacras Vestes benedicere vel consecrare, aut alia Episcopalia officia exercere præsumant, nisi super hoc à Sede Apostolica privilegium habuerint speciale.* Et sub Gregorii X. Papatu Fredericus Salisburgensis Archiepiscopus in suæ Provinciæ Synodo rursùm statuit: *Sunt quidam Abbates, qui Indulgentiis & Remissionibus faciendis, in Mitris, Annulis, Sandaliis deferendis, nec non in Benedictione Sacrarum Vestium & Ecclesiasticorum Vasorum, & cæteris, quæ ordinem & officium Ecclesiæ requirunt, sibi Pontificum potestates usurpant. His districtè præ-*

Can. 14.

præcipiendo mandamus, ut de cætero talia non attentent, aut in proximo Provinciali Concilio fidem Nobis faciant privilegiorum, quibus sibi talem vindicant potestatem. Etiam supra laudatus Innocentii III. in Lateranensi Synodo Canon eadem ista
Can. 60. interdicit Abbatibus, & subnectit: *Præsenti Decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, nisi fortè quisquam eorum speciali concessione vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri.* Ad duodecimum Christi Domini sæculum ista Abbatum privilegia cœperunt invalescere: Romani Pontifices, utpotè omnes fetè assumpti ex S. Benedicti Ordine, fuerunt in Abbatum honorem liberales. Hinc quidam Abbates censuerunt ista privilegia esse jam sibi commune jus, & deinceps singulari indulto non esse opus. Cunctos Abbates censuerunt esse Abbates. Et isti Attentato primi obviarunt Cardinales Paschalis II. At ipsum non extinxerunt. Hinc opus fuit novis Decretis, non dumtaxat à Provinciali Salisburgensi, aut Diœcesana Viennensi, sed etiam à Patriarchali secundi Calixti, ac etiam ab œcumenica Synodo Innocentii III. Proindè Calixtus non quibuscumque Abbatibus interdixit Missas publicas, sed solis illis, qui non haberent singularem privilegium. Privilegiatis, nisi circumducto privilegio, non potuit interdicere.

CAPUT XI.

Antiquum Utero-Monachorum in prædicando jus stabilitur aliis adhuc testimoniis.

EXcedere nolim testimonia Gallicanæ Ecclesiæ. Hæc circa septimi sæculi medium statuit Synodaliter apud Bonogelensem Meldensis
Can. 4. agri villam: *Ut intra Septa Monasterii non baptizetur, nec Missa defunctorum sæcularium celebrentur, nec sæcularium corpora ibidem sepeliantur. Forsitan permissu Pontificis.* Textus est mutilus. Existimo supplendum: *Nisi forsitan permissu Pontificis.* Proindè Monasteria anteà agebant ista suo arbitrio. Et Synodus non abolet, sed mandat deinceps non agi, nisi de consensu Episcoporum. Et rectè mandavit.

Ad nonum sæculum statuit in suo Capitulari S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis: *Sanctum ut Missæ, quæ per dies Dominicos, peculiares à Sacerdotibus fiunt, ne ita in publico fiant, ut populus eas audire queat, & propterea à publicis Missarum Solemnis, quæ hora tertia Canonicè fiunt, se abstrahant. Non pessimum usum quidam in hoc habent, quando in diebus Dominicis, sive in aliis solemnibus diebus Missas, licet pro defunctis, sive alias quascumque, qua familiariter à Sacerdotibus fiunt, audire respiciunt, & à primo mane per totum diem ebrietatibus, commessationibus, atque vaniloquiis potius, quam Deo deserviunt. Propterea providendum est ut omnes ad publicam Sanctam Matrem Ecclesiam, ac Missarum solemnia, & prædicationem auditurі conveniant. Simul & hoc statutum est, ut in civitate, in qua Episcopus constitutus est, omnes Presbyteri & populi, tam civitatis, quam & suburbani, revestiti in ipsa Missa usque ad benedictionem Episcopi & Communionem devota mente stare debeant, & postea se voluerint, cum licentia ad suos titulos, Benedictione & Communione percepta, revertantur. Et hoc summoperè cavendum est Sacerdotibus, ut per Oratoria, neque per suburbana Monasteria, vel Ecclesias suburbanas, Missas nequaquam, nisi tam cautè anteà secundam horam, foribusque reseratis, celebrare præsumant, ut populus à publicis solemnitatibus, tali occasione accepta, à Missa sive à prædicatione Episcopi se minimè subtrahere possit, sed omnes, tam Sacerdotes suburbani, quam in Urbe constituti, & populus cunctus unà cum illis ad publicam Missarum celebrationem conveniant, & nulli extra parvulos & infirmos, licet Missam audituri habeant, tam in civitatibus, quàm & in Parochiis edere & bibere præsumant ante publicum peractum officium.*

Prima de Parochiali, secunda Canonis pars agit de Episcopali Concione & Missa. Et prima pars solis Sacerdotibus, utique aut Oratoriorum, aut ipsarum etiam Parochialium Ecclesiarum Titularibus, non autem Monasteriis mandat, ut ante horam tertiam nullas aut pro defunctis, aut alia ex causa peculiares Missas dicant in publico: at verò secunda pars se extendit non dumtaxat ad suburbana Oratoria, aut suburbanas Ecclesias, sed etiam ad suburbana Monasteria. Mandatur & ipsa ante horam tertiam nonnisi clausis januis dicant Missam, atque ita populus ab Episcopi Sacrificio & Verbo non distrahatur. Permittit Monasteria concurrere cum Parochialibus Presbyteris, & vult solis Episcopis cedere. Nec mireris: Etenim Theodulphus ex Floriacensis Cœnobii Monacho est factus Episcopus, & fuit unus è Moguntinæ Concilii Patribus, qui aut in Parochiali Ecclesia, aut in Monasteriis jusserunt catechizari & prædicari. Nec istius Synodi sancita, nec proprii Monasterii jura Theodulphus potuit aut voluit violare. Et hinc vides Bonifacii VIII. Decretum, quo Fratres Mendicantes sanxit cum Parochialibus Presbyteris posse concurrere, & soli concionanti Episcopo debere cedere, nisi antiquis & firmis anchoris. Etiam Episcopum germanè egit Theodulphus. Etenim omnes suos subditos strenuè hortatus est ad frequentandam Parochiam. Et ex similibus Patrum exemplis Trid. Synodus hausit suum Decretum.

Antiquæ Monachorum per omnem Europam Ecclesiæ fuerunt celeberrimæ: Æquales Cathedralibus, imò & ampliores. Nec opus est testimoniis. Plures adhuc restant, ac semet-ipsas repræsentant. Æquè clarum est, quod Divina Officia semper in ipsis fuerint celeberrima. Longè celebriora, quam in Parochialibus Ecclesiis. Istum in finem fuerunt exstructæ. Et solemnis ipsarum Missa, etiam diebus Dominicis ac Festis, omninò fiebat hora tertia, juxta Canones. Et ipsam nec omitti, nec clausis januis fieri justit S. Theodulphus, nisi dum civitatis Episcopus publicam Missam celebraret. Aliis temporibus censuit istas Ecclesias non solis Parochialibus, sed ipsis etiam Cathedralibus esse pares. Et censuit ex communi sensu Gallicanæ Ecclesiæ.

Ejusdem mentis fuit Theodulpho coætaneus Venerabilis Amulo Archiepiscopus Lugdunen-
sis

sis. Ejus tempore quædam Monachales Ecclesiæ habuerunt varias Sanctorum Reliquias coruscantes magnis miraculis. Hinc omnis fere populus deflexit à Parochiis, & frequentavit Divina Officia Monasteriorum. Et quidam Monachi videntur populum per non bonas artes attraxisse. Hinc insignem Pastoralem epistolam vulgavit Amulo, artes detexit, populum retrahere studuit ad Parochias, & scripsit inter cætera. *Unaquæque plebs in Parochiis & Ecclesiis, quibus attributa est, quieta consistat, ubi sacrum Baptisma accipit, ubi Corpus & Sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi à Sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam Decimas & Primitias suas offerre præcipitur, ubi filios suos Baptismatis gratia nutriri gratulatur, ubi verbum Dei assidue audit, & agenda & non agenda cognoscit.* Notanda sunt verba: *Decimas & Primitias offerre præcipitur.* Verbum, *præcipitur*, Amulo nulli alteri adjungit. Quod omnes nempè laudatæ functiones passim, non semper in Parochiis percipierentur, & adversùm Monasteria non esset stricta obligatio. Hinc & Amulo commendavit ex pectore, non præcepit.

Et adjunxit: *Quod si voluntas & desiderium est populorum fidelium, diversorum Martyrum & cæterorum Sanctorum limina suppliciter frequentare, sunt dies certi & legitimi, quibus id juxta antiquam Ecclesiæ observantiam devotè exercere convenit, tempore videlicet generalium Rogationum, & pro diversis tribulationibus ac necessitatibus indictarum Litaniarum, seu Quadragesimalium jejuniorum, sive etiam in Vigiliis & Natalitiis Martyrum. Quæcumque & ex universali Ecclesiæ lege descendunt, & Sacerdotum præ dicatione, ac demonstratione commendantur, & omnium fidelium obedientiâ & pietate attentiùs observanda sunt. Quanquam & cæteris diebus cum silentio & puritate devotionis, non in ostentatione & tumultu, sacra loca probabiliter visitentur.* Istis omnibus diebus affirmat expedire, ut frequententur Monachorum Ecclesiæ. Et istam esse antiquam Christianitatis disciplinam.

Antiqua disciplina sanxit omnem cunctis Dominicis & Festis diebus populum adesse parochiali Sacrificio & verbo; cunctis majoribus Festivitatibus omnem adesse verbo & Sacrificio Episcopali. Adesse omnia oppida & pagos per suos Primates ac Legatos. Istis diebus Domino Deo apparere omnem simul Ecclesiam, quæ non est aliud, quam suo Episcopo adunatus populus. Erat sanctissima vitæ forma, quam utinam videam reparari! Est res magis voti, quam operis. Etenim post quam fidelis populus cœpit supra numerum multiplicari, adimpleta est Scriptura: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Numerus coegit rigorem misericordiæ. Antiqui Monachi studuerunt adjuvare, at quidam: & ex arbitrio citra debitum. Hinc qualis sub Merovingiorum Regum desidia usque ad magni Caroli Principatum, & denuò post extinctum ipsius genus, & patrata in Formosum Pontificem scandala usque ad Mendicantium Ordinum exordia fuerit Occidentalis Ecclesia, cur velim edicere? Legantur Acta S. Leonis IX. S. Gregorii VII. & aliorum tunc Pontificum. Hinc Romana Ecclesia intromisit, & variis privilegiis donavit istos Ordines, & sperato ab ipsis fructu non fuit fraudata. Quæ benè ordinata sunt, quæ fructum fecerunt, & adhuc faciunt, non moveamus.

CAPUT XII.

Exponuntur quædam circa extinctionem Regularium Ordinum, & circa Parochialem Præfecturam Clericorum Regularium.

COmmunem Cleri sub Episcopi oculis in claustro vitam laudavi. Et meritò. Etenim istud S. Rigoberti ex S. Benedicti Ordine Rhemensis Archiepiscopi institutum omnis olim probavit & fovit Ecclesia. At etiamnum probat ac fovet. Et Clerus numquam fuit doctior aut sanctior. Dum Rhemensis Ecclesia commune Refectorium & commune Dormitorium, istius sanctimoniæ reliquias, abolebat, acerrimas ad ipsum litteras scripsit Vener. Tornacensium Antistes Stephanus, ac exclamavit: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Hunc colorem & istud aurum ego à Divina Clementia oro restitui. Et spero istam orationem mihi non posse verti in peccatum. Ep. 169.

Interim ipsam *Demonstrator* non probat, & reponit. *Scilicet his temporibus, quibus Romani Pontifices, Innocentius X. & Alexander VII. aliique de plurium Monasteriorum exstinctione solliciti, ipsa quoque varia exstincta Clericali Ordini, sine claustrali vita degenti, attribuere.* Respondeo hæc à me non planè intelligi. *Demonstrator* videtur non dumtaxat communem Clericorum vitam, sed ipsam etiam monasticam Professionem singularis seu sæcularis Clericatus professioni postponere. Loquatur apertè. At sana loquatur. Et graviter erratur de optimo Pontifice Alexandro VII. Hic enim nullum extinxit Monasterium, sed plura per suum Antecessorem extincta repositi ac reparavit. Et inter cætera celeberrimum S. Pancratii in Romano Suburbano Monasterium. Istam olim Ecclesiam negligentibus Clericis eripuit, & in Monasterium vertit magnus Gregorius. Ejus factum circumduci non sustinuit optimus Alexander, ideoque istud ipsum à suo Antecessore in Clericos translatum tradidit Excalceatis Carmelitis. Et an Decimus Innocentius non fuerit passus istud ipsum, quod à fervo suo Siba circa possessiones Miphiboseth fuit passus Rex & Propheta David, est quæstio meo captu altior.

Interim Monasteria non dumtaxat posse, sed etiam quandoque debere exstingui, profitetur omnis Ecclesia. Etenim de magno Monachorum Institutore ac Patriarcha S. Pachomio habet in ejus vita Authenticus Scriptor apud Simeonem Metaphrasten: *Pachomius vidit multitudinem Fratrum in valle profundissima & ficca, & multos quidem ex eis volentes adscendere ex ipsa, & non posse, cum sibi invicem adversi occurrerent, neque profundissimas tenebras evadere. Alios autem lapsos præ imbecillitate versari apud inferos. Alios clamantes voce miserabili. Paucos verò ex ipsis vix cum magno labore potuisse adscendere. Quibus, postquam adscendissent, lux occurrit. Cumque ad se redisset, Domino egit gratias. Tuac cognovit Beatus ea, quæ verè erant eventura Fratribus in ultimis diebus, & quæ*

ea

in ipſis futura erat, negligentiam, & magnam eorum cæcitatem & errorem, & bonorum defectum, & quod vincent qui ſunt negligentiores, propter inopiam ejus, quæ illis minimè placeat, multitudinis, ſoluſque erit locus in iis poſteà, adeò ut improbi imperent fratribus, & qui neſciunt cognitionem, in Monaſteriis Dominatum obtineant, & de Principatu decerent. Et mali perſequantur eos, qui ſunt meliores, & boni non habeant dicendi libertatem, & Divina, ut dicitur, in humana convertantur. Et exclamans dixit Domino cum fletu: Domine omnipotens, ſi ita futurum eſt, qua de cauſa permiſiſti, ut fierent omnia hæc Cœnobia? Si illi, qui impoſterum ſunt præfuturi Fratribus, erunt mali, quales futuri ſunt, qui ab eis paſcentur? Nam ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Temerè & fruſtrà laboravi. Memento, Domine, præclarorum quos ipſe peregiſti, laborum, & fervorum tuorum, qui nunc teto animo vitæ rectè agendæ dant operam. Memento Teſtamenti, quod te tuis ſervis ſervaturum es polliciti ſuſque ad conſummationem.

Pachomius non fruſtrà laboravit. Bonum & magnum opus fecit in Eccleſia. Nec fruſtrà ejus plantatio eſt eradicata. Etenim Divina Juſtitia, ſicut de gente in gentem regna transfert propter iniquitatem, ita & Judæis dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Et ipſum ſuum Evangelium etiam facit de gente ambulare in gentem. Quot ſanctiſſimæ olim Eccleſiæ nunc degenerarunt in Apoſtaticas Diaboli Synagogas? O infelicem, & ſanguineis lachrymis deflendam lapſi humani generis inconſtantiam! Hæc ipſa evenit non ſingularibus dumtaxat Cœnobiis, ſed integris Ordinibus. Monaſteria, in quibus diſciplinæ ſtudium reponi non poſſit, laborant incurabili cancro, & poſtulant exſtingui. Cancer iſte ab ambitione incipit: Omne virtutis aurum pedetentim mutat in ſcoriam, omne vinum in aquam. Oranda eſt Divina Miſeratio, ut omnes in Monaſteriis ambitioſos dignetur ſupprimere. Quod dum à Divina gratia impetrare non poſſumus, iſtiuſmodi Monaſteria non poſſunt non ire in ruinam. Ita factum eſt Pachomianis, Templariis, Humiliatis, & pluribus aliis. Nec ideò Monaticus Ordo decreſcit. Non plus quam vitis, dum aridi rami præciduntur. Mendicantes Ordines ſperamus eſſe perpetuos, & à Divina Gratia numquam deſerendos. Adversùm hæreſes & pravos mores glorioſa uſque huc geſſerunt certamina: Speramus fore ut eadem gerant & conficiant etiam adversùs Anti-Chriſtum.

Demonſtrator pergit: *Quibus temporibus plurima Monachorum millia per Orbem habitant extra claustra in Capellis, in Parochiis, aliuſque locis, ſine ea, quam Author intendit, communis vitæ norma aut diſciplinæ, contra quoque quam pro ipſis tantùm Monachis, non pro Clericis ſancivit SS. Canones.* Et firmat hæc ex quibuſdam capitulis ſub titulo de Capellis Monachorum. Affirmat Monachos, qui Parochias regunt, & ſoli in ipſis habitant, vivere ac impingere in Canones. Et hujus prævaricationis arguit plurima per Orbem millia.

Reſpondeo eſſe acerbam cenſuram. Et ipſam graviter deviare. Etenim laborat errore Guliel-

mi Lemovicenſis Epiſcopi, de quo ad Gualterum, Regularium in Stirpenſi Eccleſia Clericorum Præpoſitum, ſcripſit S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Graviter ſert veſtra Fraternitas, quod* Ep. 96. *Lemovicenſis Epiſcopus, in Synodo agens, interdixit omnibus Regularibus Clericis & regimen Parochiarum & Confeſſionem Pœnitentium. Qui rectius quidem feciſſet, ſi omnes Sacerdotes ad Regularem vitam invitaſſet, quam regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodia penitùs removiſſet, quibus tantò plus diſplicet aliena malitia, quantò longiùs diſceſſerunt à ſua.* Affirmat iſtud Guilielmi Synodale Decretum fuiſſe *indignam Canonici Ordinis injuriam*. Mecum exoptat, ut omnis Clerus ad communem in claustro vitam invitetur, & tunc ex ipſo Presbyteri in Parochias deſtinentur. Dominicæ oves ſic habebunt longè optimos Duces atque Cuſtodes.

Rationem dat in litteris ad Lundenſem in Dania Archiepiſcopum Ven. Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, ſcribens de Petro, Nobili Dano, profeſſo in Gallia viram Canonicam: *Petrus ſa-* Ep. 129. *cræ Paginæ ſtudens ſcholas veritatis in Auditorio, ſcholas virtutis frequentat in Claustro, cum neque hic ſine veritate virtutem, neque ibi ſine virtute combibat veritatem. Duo ſugens ubera cirò poterit impinguari, ut tamquam ſaginatus vitulus, vel fortis aries, aut filius arietum de grege Domini ad Altare ipſius & ipſe immolari poſſit, & quando Vobis placuerit, pro aliis immolare.* Hi Dominicorum Arietum filii in monaſterio per plures annos vitiis mortificantur, & ſaginantur virtutibus: mortificati ac ſaginari emittuntur in Parochias, futuri Arietes gregum Duces. Et fiunt longè optimi. Ita faciunt etiamnum omnes Regulares Clerici, præſertim Præmonſtratenſes. Omnem Clerum opto eſſe ipſis ſimilem. Opto cum S. Ivone, & multis aliis Eccleſiæ columnis, quarum aliquas laudavit *Exhibitio*.

Proindè *Demonſtrator* debebat inter Monachos & Regulares Clericos diſcernere. Iſti ad perpetuum Claustrum, hi educantur ad Eccleſiæ Præfecturam, & curam animarum. Utinam Eccleſiæ fint ipſorum plurima millia! Attamen eorum Prælati in dirigendis ad Parochias ſuis filiis, dignentur ſequi Regulam, in laudata epiſtola præſcriptam à S. Ivone: *Clerici Regulares ab hoc* parochialis Præfecturæ *officio nec penitus ſunt removendi, nec indiſcretè admovendi. Nam ſi penitus removentur, Canonico Ordini indigna fit injuria, cui tantò ſecuriùs eſt credenda correctio vitæ alienæ, quantò majorem diligentiam adhibuit vitæ ſuæ corrigendæ. Si verò indiſcretè Regularibus Clericis hoc onus imponitur, in quibuſdam Eccleſiaſtica diſciplina frangitur, & ipſi fratres, qui in Claustris, tamquam in caſtris, contra tentatores fortiter ſtabant & vincebant, cum ſoli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facilè ſuperantur.* Emittere non debent, niſi vitiis mortificatos, virtutibus ſaginatos, atque armatos.

CAPUT XIII

Revincuntur quidam Demonſtratoris errores.

INter alios, qui Fratribus Mendicantibus tentarunt prædicandi munus eſeſtucare, poſui Guilielmum de S. Amore, Sorbonicæ Scholæ Doctorem Theologum, & Canonicum Eccleſiæ Belluacenſis. Demonſtrator etiam hic amat rodere, & ſcribit: *Lis eum Guillelmo à S. Amore non fuit de ſubjecta hic materia, ſeu Verbi Dei prædicatione.* Adducit quædam Nicolai Trivetti verba, atque proſequitur: *Guillelmus hic non tam negabat eos poſſe prædicare, quam de eleemoſynis viventes poſſe ſalvari. Volebat vel ipſum prædicationis obſequium, dummodò de eleemoſynis viverent, non eſſe ſalvationis remedium. Et hac de cauſa depoſitus eſt.*

Reſpondeo hæc ſibi ipſis non conſtare. Quid enim eſt, *Non tam negabat?* Qui non tam hoc negat quam iſtud, omninò negat utrumque. Interim iſtam Guilielmi purgationem, at ſine veritatis præjudicio, admittamus, non refragabor. Admitto, quod Guilielmus admiſerit Fratribus Mendicantibus competere Prædicationis officium. Porrò Fratres Prædicatores tunc non dumtaxat in ſuis Eccleſiis aut publicis plateis, ſed etiam in Parochialibus atque Cathedralibus Baſilicis poterant prædicare omni die, & omni hora. Etiam invitis Parochis atque Epiſcopis. Et hoc *Demonſtrator* profiteur à tanto Ordinum Mendicantium hoſte non fuiſſe improbatum aut impugnatum. Proindè Fratrum Prædicatorum jura debuerunt eſſe ferrea aut adamantina, quæ iſte Guilielmus ſuis venenatis dentibus non præſumpſit attingere. Hodierna Fratrum Mendicantium jura ſunt reſidua iſtorum portio: Ergò & ipſa ſunt ejuſdem materiæ, adeoque nec Guilielmus auderet rodere. Ecce, dum me rodit *Demonſtrator*, ſemetipſum evertit. At hæc dixi ſine veritatis præjudicio. Etenim quod iſte Guilielmus etiam prædicandi munus nobis inviderit, eſt longè certiſſimum. Exſtant ejus opera.

Inter articulos, de quibus facer Prædicatorum Ordo apud Sedem Apoſtolicam accuſavit Guilielmum de S. Amore, fuerunt hi: *Qui prædicant, & non ſunt Epiſcopi, qui ſunt Succeſſores Apoſtolorum; vel Sacerdotes & Curati, qui ſunt Succeſſores aliorum Diſcipulorum; vel niſi vocentur à Presbyteris Curatis, ſunt Pſeudo-Apoſtoli, non facientes mentionem de commiſſione Epiſcoporum, vel Papæ, vel Legatorum ejus. Signum falſorum Apoſtolorum eſt, quod vadunt prædicare, ubi Chriſtus fuit prædicatus vel prædicatur ab aliis: Quia Apoſtolus dixit de ſe, quod ipſe prædicavit, ubi Chriſtus non fuit prædicatus. Signum falſorum Prædicatorum eſt, quod de injuriis ſibi factis recurrunt ad Dominum Papam, & impetrant literas. Signum falſorum Prædicatorum eſt, quia volunt recipi in aliqua civitate, vel caſtro, vel ſocietate, contradicentibus illis de communitate vel ſocietate.* Hi omnes articuli nonne manifeſtè arietant prædicandi officium? Arietant præſertim Apoſtolicum privilegium, quo Fratres Prædicatores poterant, etiam invitis Epiſcopis, ubique locorum & temporum prædicare. Hinc Guilielmus cuidam ſuo libro dedit ſceleratum hunc titulum: *Collectiones Catholicæ & Canonicæ Scripturæ ad defenſionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ad inſtructionem & præparationem ſimplicium fidelium Chriſti contra pericula imminentia Eccleſiæ generali per hypocritas Pſeudo-Prædicatores, & penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrovagos.* Impudenter blaterat contra ſacrum Prædicatorum Ordinem. Blaterat per delegatum ipſis prædicationis officium lædi Eccleſiaſticam Hierarchiam.

Pergit *Demonſtrator*, & ponit hunc titulum: *Oſtenditur frequentandæ Parochiæ obligationem ad audiendum verbum Dei fuiſſe jam tum à tempore Apoſtolorum, quidquid ſit interim de antiquis Regularium litibus circa eorum in Eccleſiis ſuis concionandi tantùm libertatem.* Et ad primam tituli partem firmandam conglomerat multa Decreta Romanorum Pontificum, Generalium ac Provincialium Synodorum, & plurium Epiſcoporum. Noſtras autem de variis per Clerum attentatis libus victorias, & glorioſas ſententias nec rodit: Adeo ſunt lucidæ ac firmæ. Et certè jam pridem tranſierunt in rem judicatam.

Et quidem quod Catholicæ Eccleſiæ in tres Patriarchales, ac tres Autocephalas Diœceſes, harum Diœceſium in plures Metropoles ac Provincias, Provinciarum in Epiſcopales Parochias, & harum in plures Presbyterales aut Diaconales Diſtrictus diſtributio ſit Inſtitutum Apoſtolicum, ego plenè profiteor, nec hoc *Demonſtrator* poterit ullo modo negare. Et hinc etiam lucet epiſtolas illas, quæ iſtam poſteriorem diſtributionem adſcribunt *S.* Dionyſio Papæ, eſſe ſpurias atque ſtramineas. Quod item obligatio, qua Chriſtianus populus adſtringitur in ſua Epiſcopali aut Presbyterali Parochia audire Dei verbum, atque alia divina, ſit Apoſtolica lex, eſt æquè certum, & nemo poſſit inficiari. Quare Demonſtrator chartam & tempus expendit ſine neceſſitate, ſine fructu. Omnis quæſtio eſt de Parochialium Eccleſiarum in Regulares, præſertim Ordinum Mendicantium, Eccleſias accumulato jure. Hoc debet non dumtaxat rodi, ſed everti.

Canonum Exhibitio, neſcio ubi, dicit Demonſtratorem eſſe imperitum antiquitatis Eccleſiaſticæ. Eſt calami ex veritatis zelo impetus. Interim Demonſtratoris ſtomachum acriter movit. Hinc doleo me non ſatis meminiſſe regulæ, quæ non minorem exquirit providentiam in emittendo Verbo, quam in jaciendo lapide. Et nihil magis ambio, quam ut omnes prophetent, & mereantur laudem. Graviſſimè doleo, me non poſſe laudare. Etenim ſuam fundamentalem aſſertionem firmat per caduca teſtimonia, atque ita infirmat. Cogor paucis oſtendere.

Presbyteralium erectionem Parochiarum eſſe Apoſtolicum opus, firmare incipit ex Apoſtolica ad Titum epiſtola: *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Et addit Commentarium Theophylacti: *Volebat Paulus unamquamque civitatem habere ſuum Paſtorem. Sic enim labor eſt brevior, & cura exactior.* Reſpondeo & S. Paulum & Theophylactum agere non de presbyteralibus, ſed de Epiſcopalibus Parochiis: Apoſtolum per Presbyteros intelligere Epiſcopos. Ita cenſent omnes Patres,

tres, & Latini & Græci. Etiam Theophylactus, quem certè (dolens scribo) *Demonstrator* videtur nec inspexisse. Etiam hæc sunt ejus verba : *Episcopos hic*, ait Apostolus, *quemadmodum in Epistola ad Timotheum. Noluit enim universam insulam uni esse commissam, sed quamlibet Urbem proprium habere Pastorem. Sic enim & labor levior esset, & cura exactior*. Et quis est Theophylactus, ut inter testes, qui nos de Apostolico Instituto doceant, habeat ducatum, & agmen ducat? Est vir undecimi sæculi, & Michaelis Cerularii Schismaticus Sectator, adeoque ab Apostolico & tempore & spiritu plurimùm remotus.

Secundus *Demonstratoris* testis est S. Clemens Pontifex in Epistola tertia ad Jacobum Fratrem Domini, Hierosolymæ Episcopum. Adducit ille hujus verba, atque prosequitur : *Verba sunt obligationem denotantia. Sed Author mihi occurret quod suprà, eas constitutiones non esse veraciter Apostolicas, nec earum Collectorem esse Clementem Papam. Gratis tamen. Nec enim probat*. Respondeo distincta à *Demonstratore* confundi. Etenim aliud sunt Apostolicæ Constitutiones, aliud est ista epistola. Et hæc esse, illæ possint non esse Clementis. Interim etiam affirmo hanc epistolam esse spuriam. Ita asseverant omnes hodie eruditi. Est res clara. Etenim de S. Jacobo scribit in Virorum Illustrium Catalogo S. Hieronymus : *Jacobus triginta annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum, & juxta templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est*. Est Christi Domini annus sexagesimus tertius. Pergit Hieronymus de S. Clemente : *Clemens IV. post Petrum Romæ Episcopus. Siquidem secundus Linus fuit, tertius Cletus. Obiit tertio Trajani anno*. Est Christi Domini centesimus secundus. Proindè ut Clemens possit ad S. Jacobum scripsisse, debuisset in S. Petri Cathedra sedisse per quadraginta annos, atque ita Petri tempus infigniter excessisse. Et ad duodecimum Domitiani annum scribit in Chronico Eusebius Cæsarænsis : *Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Clemens annis octo*. Est Christi Domini annus nonagesimus tertius. Proindè triginta annis Jacobus obiit ante Episcopatum S. Clementis. Hinc rectè dixi istam epistolam esse spuriam. Quod ipsum demonstrare possim ex multis aliis.

Demonstrator agit Chronologum, & Parochialium Ecclesiarum jura studet firmare per paternam omnium sæculorum testimonia. Et laudo diligentem curam antiquitatis. At doleo, quod è primo sæculo nullum produxerit testem, nisi istam spuriam epistolam. Cur non protulit litteras S. Ignatii? Pro secundo sæculo adducit S. Justini Martyris secundam Apologiam, & librum
Cap. 7. Apologeticum Septimii Tertulliani. Hunc adducit infeliciter. Etenim Tertullianus primum ad Nationes librum affirmat à se scriptum circa Domini annum ducentesimum quinquagesimum: At verò Apologeticus liber est istorum librorum compendium, adeoque & posterior. Proindè est tertii sæculi, non secundi. An ista testimonia Parochiis faveant, ego nolim decertare. Etenim opto ut faveant. Attamen quod suo adhuc tempore multi per Africam pagi nullam haberent Ecclesiam, testatur in litteris ad quosdam Donatistarum Episcopos S. Augustinus. Quod ipsum de suis pagis affirmat Joannes Chrysostomus.

Ep. 136. *Demonstrator* ex Gratiani Decreto adducit & S. Augustinum : *Et hoc attendendum est, ut Missæ peculares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia Canonicè fiunt, abstrahatur*. Esse genuinum Augustini locum firmat authoritate Gratiani, Cardinalis Anselmi, Burchardi, ac S. Ivonis Carnutensis. Et adjungit : *Quem tamen aliqui referunt ad Synodum Agathensem*. Et gloriatur se hæc scripsisse in festo S. Augustini. Respondeo locum nec Augustini esse, nec Agathensis Concilii. Quo in libro, qua in epistola, quo in sermone ista Augustinus scripsit? Vocem, *Missa peculiaris*, nec in Augustino reperies, nec in Synodis Africanis. Adductus locus est S. Theodulphi Aurelianensis Episcopi, cujus integer contextus est suprà adductus.

CAPUT XIII.

Tridentini Decreti data per Exhibitionem *expositio stabilitur ac elucidatur.*

FAmoso sacrosancti Concilii Trid. Decreto dedi hunc Commentarium : *Synodus Ecclesiæ Parochialis jus non firmat contra Mendicantes Ordines, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim contra Oratoria, seu Capellas*. Demonstrator dicit esse *interpretationem insulsam*. Et adæquationem, quam Parochiales inter ac Regulares demonstravi Ecclesias, addit esse *imaginariam*. Et prosequitur : *Septem integris capitibus Chronologum egerat Author noster, sed ipsiusmodi, ut vano delectu ex omnigenis historiarum fragmentis larvam concinnarit, qua obvelare queat hanc* utique frequentandæ Parochiæ, *obligationem, ne à Fideli populo agnoscatur*. Scribit alia id genus plura, quæ irato boni viri calamo libens ignosco.

Lectorem remitto ad septem ista capita: Videat & judicet, an insulsa, imaginaria, & larvatica docuerim. Interim sine fundamento accusor obligationem, qua fidelis populus adstringitur suæ Parochiæ, obvelare. Est non leve crimen. Etenim cunctis Regularibus, ne contra Parochiales Ecclesias prædicent, interdicunt SS. Canones. Proindè ego aliud non docui, quam Regulares Mendicantium Ordinum Ecclesias esse Romanæ Sedis Appendices atque Vicarias, & quoad quasdam sacras functiones æquari Parochialibus.

Et quod S. Tridentina Synodus pro Parochiis non contra Regulares istas Ecclesias, sed contra alias Parochiales, præsertim contra Oratoria seu Capellas decreverit, volo iterum paucis demonstrare. Istam interpretationem non finxi ex meo arbitrio, sed didici à Gallicana Ecclesia. Etenim inter primates Tridentini Concilii Patres fuit Dominus Carolus Cardinalis à Lotharingia, Archiepiscopus Remensis. A Synodo redux mox ad ejus executionem celebravit suæ Provinciæ Concilium, & in ipsius duodecima sessione retulit hanc quæstionem : *Se libenter auditurum à Doctoribus, quid sit faciendum de eo, qui ad rem Divinam & Deum colendum numquam venit in suam Ecclesiam parochialem*. Nota benè : *Qui numquam venit*. Dominus Cardinalis quæsivit, an deberet aut posset excommunicari?

Et decima tertia seſſio respondit: *Decreto de Divino cultu esse addendum, quod Laici tertio quoque Dominico interſint Missæ sacrificio in sua Parœcia.* Nota bene: *Tertio quoque Dominico.* Proindè ista Seſſio censuit duobus Dominicis posse frequentari Regulares Ecclesias, & à Parochia non posse exigi, nisi unam tertiam. Et ad istud judicium firmandum Robertus Furius, S. Theol. Doctor, ac Ambianensis Episcopi Procurator, in septima decima seſſione adduxit epistolam Leonis Papæ, qua populus jubetur convenire ad majorem Missam. Quæ, qualis, & cujus Leonis sit ista epistola, Furius non edixit. Est verò epistola ac Edictum IV. Leonis ad parochiales Presbyteros: *Nullus alterius Parochianum, nisi in itinere, si ibi placitum fuerit, ad Missam recipiat.* Singulas ferè suas Sanctiones Dominus Cardinalis illic firmat ex Tridentino Concilio, hic autem nihil decidere audet, sed anxius quærit, & Doctor Robertus nequit aliud adducere fundamentum, quam Canonem quarti Leonis. Quia nempè omnis ista veneranda Synodus noverat sacrosanctam Tridentinam non adversùm Monasteria sanxisse, sed pro Parochiis adversùm Parochias. Et hoc ipsum sanxit quartus Leo. Et ejus Edictum est Trid. Decreto lucidius. Hinc ipsum Doctor Robertus maluit adducere.

Domini Caroli Cardinalis in Remensem Cathedram Successor Dominus Ludovicus Cardinalis à Guysia Tridentinorum Decretorum fuit perisſimus, & tamen in suæ Provinciæ Synodo emisit hæc Edicta: *Diebus Dominicis ac Festivis in suas Parœcias populus conveniat, & Missæ, Concioni, ac Vesperis interſit. Neminî à propria Parœcia liceat abesse sanctissimis diebus Paschæ, Pentecostes, & Natalis Domini, nisi quum infirmitas, vel alia legitima causa, cum Parochi licentia excusset. Fraternitatis Societates ne diebus Dominicis, hora Missæ Parochialis, quæ competenti horæ celebratur, fiant. Nevè in isdem panis aut aqua benedicatur à Sacerdote sub pœna Suspensionis.*

Primus Canon est ſimplex admonitio. Secundus videtur respicere Decretum Tridentinum. Etenim mandat, ut tribus istis Festivitatibus omnes adsint Parochiæ, nisi legitima causa excuset, hoc est, dum potest commodè fieri. Reponit & antiquam Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam, quæ omnem Diœcesis populum jubebat saltem per singulorum oppidorum & pagorum Primores in præfatis Festivitatibus adesse Sacrificio ac Verbo Episcopi. Ita mandant Synodus Agathensis, Epaonensis, Arvernensis, prima Matiſconensis, quarta Aurelianensis. Et prima Aurelianensis sanxit.

Can. 25. *Nulli Civium Paschæ, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ Solemnitatem in Villa licet celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.* Quod ipsum sanxit & Agathensis. Dominus Cardinalis voluit Parochiis hanc saltem fieri reverentiam. Censuit istos Canones à Tridentino Decreto non fuisse infirmatos. Verùm cur istos tres solos dies adstrixit ad Parochiam? Quod nosset à laudato Decreto nihil actum contra Regulares Ecclesias.

Quod ipsum clariſſimè lucet ex tertio ejus Canone. Hic enim non nostris Ecclesiis, sed solis piarum Confraternitatum Oratoriis aut Sacellis mandat, ne Parochialis Missæ tempore celebrent ſuam Missam, ne benedicant Eulogiam, ne quævis alia faciant Officia, atque ita populum divertant à parochialibus Ecclesiis. Nempè Dominus Cardinalis noverat nostras Ecclesias esse Parochialibus pares, & Tridentinos Patres non adversùm illas, sed dumtaxat adversùm alias Parochias, ac præſertim Sacella sanxisse. Et hanc Remensem Synodum, elapſi ſæculi anno octogesimo quarto celebratam, Gregorius XIII. Trid. Concilii Zelosus Observator ac Executor confirmavit.

Nostra asſertio clarè liquet item ex Provinciali Synodo Domini Cardinalis Caroli Borbonii Archiepiſcopi Rothomagensis. Parochialis Missæ & Concionis obligationem illa strenuè exaggerat, Tridentinum Decretum palam exequitur, atque adjungit: *Ne populus distrahatur à Missa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Ecclesiæ, optamus ne in Capellis, ab antiquo etiam Episcoporum authoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quam illæ, quæ de fundatione exiſtunt. Prohibemus quoque in quibuſdam Ecclesiis, quæ simul Collegiatæ sunt & Parœciales, eadem hora cantari Missas Canonicatorum & Parœcianorum; ſed ſub pœna Excommunicationis fiant in his judicio Episcopi.* Solas Capellas & quædam Clericorum Collegia compescit, nequaquam Monaſteria Ordinum Mendicantium. Quod nempè adversùm illa sola, non adversùm hæc Tridentini Patres sanxisſent.

Eadem mente istos Patres intellexit in suæ Provinciæ Synodo Dominus Franciscus Cardinalis de Joyosa, Archiepiſcopus Tholosanus. Laudat Trid. Decretum, atque adjungit: *Quo tempore Dominicis Festisque diebus Divina Officia recitantur, Sacra Missarum ſolemni cantu celebrantur, Concioneſque in Cathedrali aut Parochiali Ecclesiis publicè habentur, eo tempore nullæ in Confraternitatibus ceremoniæ, nulla Sacra peragantur.* Nec unum iota habet de Ecclesiis Ordinum Mendicantium.

Istæ Parochiarum contra Capellas aut Oratoria quæſtiones sunt veteres, in Gallicana præſertim Ecclesia. Etenim ſimilis olim lis fuit inter Parochialem Caletensem Ecclesiam & Leprosorii ibidem Capellam. Et inter initæ tandem pacis articulos fuerunt hi: *Leprosorii Capellanus aliquid uſurpare non poterit, quod pertineat ad jus Parochiale. Et ſi quis Parochianorum ibi ſæpè ad Missam venerit, admonitus à Presbytero ſuo, ſi hoc non emendaverit, publicè excommunicetur.* Hujus pacificationis inſtrumentum nuperrimè vulgavit Stephanus Baluzius in appendice ad Capiculare Reginonis Abbatis Prumiensis.

Istiusmodi olim lis etiam fuit inter Lambertum, primum Atrebatensis Ecclesiæ Epiſcopum, & S. Mauritii istic Capellam, cui ad Divina in Dominicis ac Festis diebus solemniter celebranda erat antiquum privilegium. Et ipsum tunc celebrata Trecensis Synodus ratum habuit. Attamen ad Lamberti intercessionem excepit Paschale seſtum, Pentecosten, & Dominicam Nativitatem. Antiquam Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam voluit privilegia prævalere. Verùm Capella provocavit ad Sedem Apoſtolicam, & Paschalis II. Pontifex Lamberto reſcripsit: *Nuper frivolam inter vos quæſtionem ortam audivimus, de populo videlicet Capellæ ſancti Mauritii: quod in præcipuis*

cipuis Festivitatibus in Capella ipsi Dominici Corporis & Sanguinis non debeant percipere Sacramenta. Quod profectò frivolum atque irrationabile omninò videtur, ut populus, qui ad Divina Officia in loco ipso per totum annum admittitur, in solemnibus diebus à Communione Dominici Corporis & Sanguinis excludatur. Judicavit pro Capella. Et voluit prævalere privilegium. Exstant hæc in Chronico Belgico Ferreoli Locrii.

Similes quæstiones Ecclesia frequenter vidit inter Parochiales Presbyteros. Hinc enim in suo Capitulari statuit S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis : *Nullus Presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrant, relictâ propriâ Ecclesiâ, & suas Decimas sibi dent. Sed unusquisque sua Ecclesiæ & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat.* Et malum adeò invaluerat, ut duris Presbyteris debuerit comminari degradationem, aut certè diuturnum carcerem. Etiam Venerabilis Herardus Turonensis Archiepiscopus sanxit in suo Capitulari: *Ut nullus Presbyter alterius Parœcianum, nisi in itinere fuerit, vel Placitum ibi habuerit, absque licentia sui Presbyteri ad Missam recipiat, vel sollicitare præsumat.* Istiusmodi quæstiones nulli sæculo defuerunt. Et adversùm illas, nequaquam adversùm nostras Ecclesias decrevit Synodus Tridentina.

Cap. 14.

Cap. 29.

Sacrosanctam Synodum semper ita intellexit etiam nostra Belgica Ecclesia. Lucet ex Provinciali Synodo Domini Matthæi Hovii, Archiepiscopi Mechlinienſis. *Quia unusquisque juxta Concilium Trid. Parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum verbum Dei: ubi commodè id fieri potest, quo tempore illud in Parochiali Ecclesia annunciatur, nemo in Capellis, quæ Parochiæ finibus continentur, concionari aut Missam celebrare præsumat sub pœna arbitrariâ. Et similiter nemo in eadem Ecclesia sub Concione Missam etiam privatam celebret.* Diserè affirmat istum esse sensum Trid. Concilii.

CAPUT XV.

Exponitur S. Caroli Borromæi mens circa Tridentinum Decretum.

QUidam assidue inclamant S. Carolum Borromæum. Et censent ab ipso affirmari, quod Trid. Synodus decreverit in Regulares Ecclesias. Et probant ex ejus sexta Synodo. At doleo istud Synodale Decretum à Demonstratore non produci integrum. Ipsum est meæ assertioni firmissimus murus, ideoque volo integrum exhibere. Parochialium Ecclesiarum frequentationem ex pectore commendat, & prosequitur: *His igitur Trid. Synodi Decretis, & veteri salutarique exemplo adducti, cùm populum urbis, Diœcesis, Provinciæque Mediolanensis nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum, per bona opera ad præmium sempiternum perducere summoperè in Domino cupiamus, hac nostra monitione eos universos & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ* JESU-CHRISTI *obsecramus atque obtestamur, ut quamvis in suis Vicinis, Oppidis, & Suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias habeant, ubi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, aliisque solemnibus Festis diebus ad suam quisque Parochialem Ecclesiam conveniant, ubi à Parocho, cui cura commissa est, verbo Dei pascantur, Fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosiùs percipienda instruantur, ad eorumdemque frequentem usum, ut illa sancta Synodus optat paternis ejus exhortationibus in dies magis inflammentur.*

Notanda sunt verba : *Cohortamur, obsecramus, obtestamur.* Non mandat S. Caroli Synodus, sed dumtaxat hortatur ac monet. Notanda item verba: *Frequenter saltem Dominicis, aliisque solemnibus Festis diebus*: Hortantur ac monent non per singulas Dominicas ac festivitates, sed dumtaxat frequenter adiri Parochialem Ecclesiam. Notanda præfertim sunt hæc palmaria verba : *Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias.* Altè prædicat Trid. Synodi Decretum, uti à me, ita & à S. Carolo, atque ipsi assidentibus Episcopis fuisse intellectum. Istud ipsum clamant hæc verba: *Ad suam quisque Parochialem Ecclesiam.* Clamant Trid. Synodum non adversum Regulares Ecclesias, sed pro Parochiis adversum Parochias, ac præfertim adversùm Oratoria & Capellas sanxisse.

S. Carolus sanxit præfertim pro Rusticis Fidelibus, & pro ipsorum Pagensibus Ecclesiis. Lucet ex his verbis: *Quamvis in suis Vicinis, Oppidis, & Suburbiis.* Nullam facit mentionem de civitatibus. Item ex his verbis: *Nec quemquam aliquod, quod vel ex Parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluvia, frigore æstu, temporisve vicissitudine exilii, incommodum ab hac officio deterreat.* Mediolanensis Provinciæ Rustici ac Oppidani sequebantur hanc Gallicanis olim Rusticis ac Oppidanis factam à secunda Matisconensi Synodo indulgentia : *Si quis vestrum proximam habet Ecclesiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus, lacrymisque afficiat.* Nec solum viciniorem Parochialem Ecclesiam, sed etiam Agraria Oratoria frequentari à Rusticis permisit Gallicana olim Ecclesia. Lucet ex Synodo Agathensi : *Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimum est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem Familiæ, justa ordinatione permittimus. Paschæ verò, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & Natalem S. Joannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis teneant.*

Can. 1.

Can. 21.

Eadem igitur Indulgentia obtinebat in Provincia Mediolanensi, ideoque S. Carolus istum Agathensem Canonem resumpsit, imò & insigniter ampliavit. Sanxit ista Oratoria frequenter deferi, diebus Dominicis ac solemnibus Festis frequenter accedi Parochialem Ecclesiam, & neminem ob defatigationem aut istiusmodi causam debere deterreri.

Quæ omnia lucidissimè patent ex his etiam Synodalibus S. Caroli verbis : *Fuit olim tanti apud antiquos Patres ille frequens ad Ecclesiam propriam*

Parochialem Fidelium conventus, ut ad hanc disciplinam, populi Christiani Institutioni valdè accommodatam, retinendam certis Decretis cautio aliqua adhibita fit. Primò enim hoc jussum est, ut Dominicis Festisque diebus Parochi, antequam Missam celebrent plebem interrogent, an alterius Parochiæ fidelis adsit, qui contempto Presbytero ibi Missam audire velit; quem si invenerint, statim indè ejiciant, & in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant. Deindè, illud planè vetitum fuit alienæ Parochiæ fidelem à Parocho ad Missam recipi, nisi in itinere fuerit, aut Placitum ibi habuerit. S. Caroli Synodus diserte affirmat à Trid. Conc. fuisse innovata & firmata Nannetensis Synodi, & quarti Leonis Decreta, quæ palàm aguntur non adversùm Regulares Ecclesias, sed pro Parochiis adversùm Parochias, ac præsertim adversùm Oratoria ac Capellas.

Pergit S. Caroli Synodus: *Cujus veteris disciplinæ restituendæ, in usumque revocandæ desiderio flagrans olim summus Pontifex Urbanus VI. eo de genere Apostolica Sanctione diligentissimè cavit.* Quod sextus Urbanus de hac re cogitaverit aut sanxerit, fateor me ignorare. Et sanè horrendis tchismatum, & indè natorum in omni Europa bellorum motibus ille distractus videtur ista pristino statui permisisse. Quare pro Urbano VI. fortè legendus sit Urbanus V. Etenim hic per Petrum Narbonensem & Gostiedum Tholosanum Archiepiscopos indixit & celebravit Vavrensem Can. 24 Synodum, in qua editus est hic Canon: *Ut honor debitus Parochialibus Ecclesiis observetur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum, quod Parochiani diebus Dominicis & festivis ad suam Parochialem Ecclesiam veniant, Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos dies continuos Missas in dictis Ecclesiis, legitima causa cessante, non audiant, ex tunc habebunt Parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelaturos in Ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.* Hanc Synodum cum aliis Narbonensis Galliæ Conciliis nuper vulgavit Stephanus Baluzius.

Respondeo istum Canonem esse ejusdem generis, ideoque nobis non obesse. Agit de Pagensibus præsertim, ac Oppidanis Parochiis. Etenim Urbanus quintus succesit Innocentio sexto, & sexto Clementi, coram quibus Mendicantes Ordines de suis potentissimis Adversariis gloriosissimè triumpharunt. Absit ut Urbanus ista judicia circumduxerit. Fuit e S. Benedicti Ordine evectus ad S. Petri Cathedram, & cunctis Regularibus longè amicissimus. Et singulariter Ordinibus Mendicantibus. Etenim è sacro Prædicatorum Ordine Guilielmum Sudre Lemovicensem, ex S. Francisci familia Martum Viterbiensem, & ex Venerando Carmelitarum Ordine Bernardum Ambasiensem promovit ad eminentissimam purpuram Romanæ Ecclesiæ. Eodem tempore Prædicatorum Ordo Hugonem de Vitonio, Gerardum Domarum, Joannem Morlandinum, & Nicolaum Rosellum, Franciscana Familia Pastorem de Albernaco, Eliam de Hannibaldis, Guilielmum Farinerium, & Fortanerium Vasselli, nostèr S. Augustini Ordo habebat in S. Collegio Guilielmum Cremonensem. Absit ut tanti Ecclesiæ Principes viderint suorum Ordinum jura castrari.

Quid opus multis? Praxis est optima interpres legum. Belgarum plurimi visitarunt Italiam, & Mediolanensis Provinciæ tam Metropolim, quam sustitagneas civitates lustrarunt. Viderunt earum mores & Ecclesiasticam disciplinam. Viderunt Ordinum Mendicantium Ecclesias non minùs, quam Parochiales, imò & longè amplius frequentari. Noverunt nullum Episcopum aut Parochialem Presbyterum contradicere isti frequentationi, imò bono operi congaudere. Istiusmodi quæstiones illic ignorantur. Paradoxa ingenia illic norunt sibi capistrum statim non defuturum. Et ista omnia S. Carolus illic invenit, probavit, & stabilivit. Fuit quorumdam Ordinum Cardinalis Protector. Et in ipsis non minùs ipsorum jura, quam Monasticam disciplinam dilexit, fovit, protexit, auxit. Quarè quicumque S. Antistitem student nobis Adversarium suadere, sunt non dumtaxat in nos, sed etiam in ipsum infinguiter injuriosi. Prodicatur vel unum verbum, quo S. Carolus Trid. Decretum dicat emissum in Regulares Ecclesias, cantabo solemnem palinodiam. Et mei erroris veniam ab omni Ecclesia supplex deprecabor. Firmus loquor, quia certus sum neminem, nisi errando, posse contra hæc disputare.

CAPUT XVI.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ circa Tridentinum Decretum sensus expenditur ac stabilitur.

Quod Romana Ecclesia censeat Trid. Decretum non adversùm Regulares Ordinum Mendicantium Ecclesias, sed pro Parochiis adversùm Parochias, ac præsertim adversùm Oratoria & Sacella sanxisse, firmavi ex authentico judicio, quo Eminentissimi DD. declararunt Fideles à suis Episcopis non posse per Censuras aut alias pœnas compelli ad deferendas Regularium Ecclesias. Addidi sic posse compelli ad deferendas alienas Parochias, ideoque Synodum pro Parochiis adversùm Parochias sanxisse. Et spero quod scripserim vera ac recta. Aliud tamen censet *Demonstrator*: En ejus verba: *Quod possit Episcopus suos subditos magis cogere per pœnas aut Excommunicationes ad abstinendum ab alienis Parochiis, quam à Regularium Ecclesiis, falsum est. Nam nec hoc dicit Declaratio, nec aliundè potest manifestum fieri.*

Respondeo esse manifestum. Etenim ista sacra Declaratio non induxit novam reservationem, nec Dominos Episcopos noviter spoliavit potestate, quam semper habuerunt in Ecclesia, & qua semper fuerunt usi. At verò istiusmodi est potestas suos subditos per Censuras & pœnas, etiam per excommunicationem cogendi ad abstinendum ab alienis Parochiis, Oratoriis, & Capellis. Etenim superius laudata Vavrensis Synodus in eos, qui duabus Dominicis suam non accederent Parochiam, diserte edixit: *Ex tunc habeant Parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelaturos in Ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.* Et superiùs adducta inter Catelensem Parochiam, & ejusdem Oppidi Leprosorium concordia habet: *Si quis Parochianorum ibi*, in Leprosorio, *sæpè ad Missam venerit, admonitus à Presbytero suo, si id non emendaverit, publicè excommunicabitur.* Et Sonnatii Remensis Archiepiscopi Synodalia Statuta habent: *Curet Pastor ovem suam, & non*

& non negligat. Et injungat intereſſe Miſſæ Sacrificio diebus ſolemnibus & Dominicis. Agnoſcat ejus factem. Et ſi bis abſit in anno, prohibeatur eidem Eccleſiæ ingreſſus, & careat Paſtorali ſepultura, & conſolatione. Et Franciſcus Cardinalis de Piſanis, ac Narbonenſis Archiepiſcopus, ad quinquageſimum primum elapſi ſæculi annum ſanxit in ſuæ Provinciæ Synodo: *Præcipimus Parochis omnibus, eorumque vicem gerentibus, à Suggeſtu ſeu Pronao Parochialis monere, Excommunicationis ſententiam minitantes, ut unuſquiſque ad Miſſam Parochialem veniat, diebus præſertim Dominicis, & domeſticos omnes ſecum ducat. Neque exeant (ut ſit) aut Concione habita, aut elevato Corpore Chriſti, ſed exſpectabunt quouſque Sacerdos Auditoribus benedixit: Ne in excommunicationis ſententiam incidant.* Synodus excommunicat non ſolùm Parochialis Sacrificii ac verbi neglectores, ſed etiam ipſorum necdum completorum Deſertores. Cap. 4.

Hæc omnia ſanciuntur pro Parochiis adversum Parochias ac Oratoria. Et ſunt plurima iſtiuſmodi exempla atque Decreta. Et ſanè Parochiæ frequentandæ lex eſt antiquus & magnus Eccleſiæ Canon, ideoque ejus prævaricatio eſt grave crimen, dignum compeſci & puniri per Eccleſiæ Cenſuras. At verò Eccleſiarum Regularium Frequentatores Epiſcopus non poteſt cenſurare, nec per ullam pœnam cogere ad frequentandum Parochiam. Nec ulla poteſt id Synodus Epiſcopalis. Dominus Carolus Cardinalis à Lotharingia, Remenſis Archiepiſcopus, etiam illos, qui toto anno Parochiam nec ſemel accedebant, non præſumpſit per Cenſuras invadere. Quare certum & manifeſtum eſt, quod Regulares Eccleſiæ ſint æquales Parochialibus, & quod nullatenus adverſum ipſas ſanxerit Tridentina Synodus.

Hanc meam aſſertionem firmavi etiam ex quadrageſima prima Conſtitutione Beati Pii V. Pontificis. Scripſi Sanctiſſimum Pontificem è Tridentinis circa Regulares Decretis fuiſſe quædam interpretatum ſeu declaraſſe, quædam fuiſſe moderatum. Scripſi ex alia ejus Conſtitutione, cujus hæc ſunt verba: *Nuper quaſdam Declarationes & Moderationes circa nonnulla Concilii Tridentini Decreta, Regulares perſonas Ordinum Mendicantium, eorumque Inſtituta concernentia, edidimus & promulgavimus.* Tridentino de frequentandis Parochiis Decreto dixi eſſe adhibitam non moderationem, ſed Declarationem. Et adduxi lucida Pontificis verba. Adjunxi ſimiles Declarationes eſſe Actus Apoſtolicæ Cathedræ, adeóque infallibiles, qui per Succeſſorem non poſſint circumduci. Et quod vera ac recta dixerim, evincunt antiquæ ac famoſæ quæſtiones circa tria Capitula Concilii Chalcedonenſis. Conſtit. 133.

Interim *Demonſtrator* hæc etiam rodit; affirmat proprias iſtiuſmodi Declarationes fuiſſe ab ipſo Pio circumductas, ideoque & circumduci potuiſſe per Gregorium XIII. Et probat ex vigeſimæ tertiæ Seſſionis Decreto: *Decernit S. Synodus, nullum, etiam Regularem*, utique Presbyterum, *poſſe Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi ab Epiſcopis per examen, ſi ipſis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Decretum hoc Beatus Pius fuit hoc modo interpretatus: *Declaramus, quod circa Confeſſiones à Regularibus audiendas ſtatuitur, hoc etiam Mendicantium Ordinum Fratres, à ſuis Generalibus vel Miniſtris Provincialibus ad audiendas Confeſſiones utruſque ſexus Chriſti Fidelium approbatos, minimè comprehendat.* Declaravit ſub vocibus, *Etiam Regularem*, non comprehendi Fratres Ordinum Mendicantium. Et iſtam fuiſſe mentem ſacroſanctí Concilii. Et benè declaravit. Ex quo lucet, quod in odioſa materia nos non comprehendamur ſub generali nomine *Regularium*. Et hinc Apoſtolica Diplomata, dum nos comprehenſos volunt, paſſim adjungunt: *Etiam Mendicantes*. Quod eſt bene notandum. Cap. 15.

Et Bearum Pium iſtic non fuiſſe moderatum, ſed declaraſſe Demonſtrator fatetur: Verùm adjungit iſtam Declarationem fuiſſe ab ipſo Pio circumductam, ideoque iſtiuſmodi Declarationes non eſſe infallibiles atque immobiles. Et probat ex laudata ejus poſteriori Conſtitutione: *Quia illarum*, Declarationum & Moderationum, *vigore Sacerdotes Regulares* Mendicantium *Ordinum quandoque minùs idonei & inhabiles Confeſſionibus Sæcularium audiendis ab eorum Superioribus præpoſiti abſque aliqua Epiſcoporum, ſed ſola Magiſtri Ordinis Provincialium Miniſtrorum approbatione admittuntur; nos ſuper his pro debito paſtoralis Officii ſalubriter providere volentes, tenore præſentium hac noſtra Conſtitutione perpetua ſanctimus, & declaramus Decretum Concilii Tridentini de Approbatione Regularium, audiendi Confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum, ab Epiſcopis facienda obſervari debere etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium.*

Reſpondeo notanda eſſe verba: *Sanctimus & declaramus obſervari debere.* Senſus eſt: Sancimus, & declaramus hujus ſanctionis virtute debere obſervari. Proindè ſanctiſſimus Pontifex ſuam priorem Declarationem non circumduxit ſed ſtabilivit. Attamen Tridentinum Decretum ad perſonas, quas non comprehendebat, ob rationes extendit. Nec ſimpliciter dixit, *Sancimus*, ſed adjungit, *Hac noſtra Conſtitutione perpetua*. Alta voce prædicat Tridentinum Decretum à ſe non declarari noviter, ſed extendi. Eadem de cauſa addit: *Etiam Mendicantium*. Utique Synodali Decreto non comprehenſorum. Quare Apoſtolicas, quas ex Cathedra facit Pontifex, Synodalium Decretorum Declarationes eſſe infallibiles atque immobiles, ſit ſixum atque inconcuſum.

At verò quod Beatus Papa Pius Tridentinum de frequentandis Parochiis Decretum ſit non moderatus, ſed declarans interpretatus nec Demonſtrator negat. Quare Succeſſor Gregorius iſtam Declarationem non tetigit, ſed reliquit intactam. Et quod alii inſuper Succeſſores idem cenſuerint, demonſtravi pluribus teſtimoniis ac exemplis. Et hæc *Demonſtrator* non ſcit rodere, niſi dicendo eſſe hiſtorias Mexicanas. At an quia Mexicanæ, ideò non Chriſtianæ? Interim adduxi & alias. Porrò Pius quintus lucidè declaravit Tridentinum Decretum eſſe pro Parochiis contra Parochias, non contra Eccleſias Regulares. Et ex dictis vides, quod Romana Eccleſia, dum ita placuerit, ejuſdem Pontifi-

gis de Epiſcopali Fratrum Mendicantium examine Conſtitutionem circumducere poterit ſine vulnere Tridentini Decreti.

His inſuper confirmandis adduxi verba Aug. Barboſæ: *Hodiè uſus obſervat, ut quiſque extra Parochiam ſuam Concionem audire valeat.* Ad hæc Demonſtrator: *Rurſum hoc falſum imponit Barboſæ. Nam non eſt ejus hæc concluſio, ſed teſtè ipſo, Theophili Parochiani.* Et pergit: *Non imus quidem inficias, eum eſſe uſum in multis locis, ſeu corruptelam potius, Canonibus & Decretis Pontificum, ut jam oſtendimus, contrariam.*

Reſpondeo me non falsò impoſuiſſe. Inſpiciatur textus Auguſtini Barboſæ. Quòd autem etiam Parochialis Theophilus eamdem concluſionem habeat, eſt nobis gratulandum. Etenim iſte Theophilus eſt quis pertinax, Fratris Capuccini larvam indutus, Ordinum Mendicantium Adverſarius, ideòque iſtud ipſi à manifeſta veritate extortum pro nobis teſtimonium non eſt parvi faciendum. Et ubi Aug. Barboſam rurſum falsò adduxi? Qui Canones, quæ Apoſtolicæ Sedis Decreta affirmant iſtum morem eſſe ſibi adverſam corruptelam? Aniles calumniæ & fabulæ.

Ad laudatum ab Auguſtino Barboſa & Parochiali Theophilo morem adjunxi: *Verùm an iſte uſus ſe extendat ad alias Parochias, & præſertim ad Oratoria & Capellas, ignoro. Si ſe extendat, debet retrahi, & reponi antiqua diſciplina. Demonſtrator* etiam hæc rodit. *Promiſcuus eſt iſte uſus tam pro Parochiis adverſùm Parochias, quam pro Mendicantium Eccleſiis, adverſúſque eoſdem, quæ tamen non patitur Author, nempè eatenus poſſeſſor boni proprii, ut ſimul ſit æmulus alieni.*

Qualia ſtipendia magnus Papa Leo ab Hilario Arelatenſi Archiepiſcopo, dum ipſum ab invadendis aliarum Provinciarum Epiſcopalibus Confœrationibus compeſcuit, retulerit, edicit ipſe in litteris ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis: *Non enim nobis Ordinationes veſtrarum Provinciarum defendimus, quod poterit forſitan ad depravandos veſtræ Sanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri; ſed vobis per noſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid ulteriùs liceat novitati, nec Præſumptori locus ultrà jam pateat veſtræ toſſandi.* Ego etiam Parochialium Eccleſiarum jura defendi, & dicor aliena bona æmulari. Certè ſi de Parochia adverſùs Parochiam, & præſertim adverſùs Oratoria & Capellas agamus, iſte mos eſt admodùm obnoxius periculo corruptelæ. Etenim Nannetenſis Canon, quarti Leonis Capitulare, & multa alia Eccleſiæ authentica Decreta alienum Parochianum mandant ejici ex aliena Parochia, & ad propriam compelli etiam per excommunicationem, Oratoria & Capellas interdicunt rigidiſſimè. Et hoſce Canones eſſe à S. Trid. Synodo innovatos affirmat in ſua ſexta Synodo, eoſdemque ipſe ibidem innovat atque exequitur S. Carolus Borromæus. Proindè non tantùm Oratoria & Capellæ, ſed etiam Parochiales Eccleſiæ debent obſervare iſtos Canones, aut certè ipſorum mortem demonſtrare. Verùm ipſi omninò vivunt, ideòque citra gravem prævaricationem non poſſunt non obſervari. Ecce ego aliena bona non æmulor, ſed Parochialium Eccleſiarum jura defendo.

Ep. 98. cap. 6.

Demonſtrator pergit rodere: *Enimverò quaſi & Eccleſia circa diſciplinam plusculum aliquid ſanctius ſpectaret à Mendicantium Ordinum, quam ab alterius cujuſcumque Parochiæ Miniſterio.* Reſpondeo hanc quæſtionem jam dudum eſſe deciſam ab Urbano II. Pontifice, & omni Gallicana Eccleſia in Concilio Nemauſenſi. Iſta ſententia à ſæculis tranſivit in rem judicatam, & ejus continua non ceſſat executio.

CAPUT XVII.

Alexandri VII. Pontificis in cauſa Andegavenſi Decretum expenditur ac ſtabilitur.

ALexandri VII. Pontificis, qui motas quæſtiones inter Andegavenſem Epiſcopum & Ordines Mendicantes compoſuit, Reſcriptum ſcripſi eſſe hauſtum ex ſimili Reſcripto Xixti quarti, aſsumpti ad Pontificatum ex S. Ordine ſancti Franciſci. Hinc quædam ejus verba adduxi. Et quia noſtri miſerandi temporis faciem refert, volo nunc integrùm adducere.

Nos igitur attendentes, quod ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ab ejus fundatione primævæ in Ordine Sacerdotali, quem Petrus Apoſtolus & ejus Succeſſores obſervarunt, inſtituta, & per viros providos & Sacerdotes virtuoſos adaucta, & longiſſimis temporibus feliciter conſervata extitit. Ruruſque animadverterus quod hodiernis temporibus hominum creſcente malitia, niſi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiritus ſancti, & prædicatoribus Verbi Dei (qui præter cætcros in Ordinibus Fratrum Mendicantium gratia aſſiſtente Divina in copioſo numero reperiuntur) aſſidùè colcretur, vepribus malorum, & ſentibus vitiorum omnium celeriter obruerctur: Non potuimus non nìſi ab intimis cordis noſtri dolere, quod inter tales vivos, qui ſe mutua charitate diligere, & alter alterius, juxta Apoſtolum, onera portare deberent, diſcordiæ ſeminarium exciterctur. Undè cum vellemus ſuper his ea, quæ decet, maturitate conſulere, Venerabilibus Fratribus noſtris Gulielmo Hoſtienſi, & Angelo Præneſtino Epiſcopis, dilectis filiis noſtris Juliano tituli ſancti Petri ad Vincula, ac Petro tituli ſancti Sixti Presbyteris Cardinalibus, vivæ vocis oraculo commiſimus & mandavimus, ut à ſingulis partibus prædictis, vel eorum Procuratoribus legitimis, auditis hinc indè propoſitis, inter eas concordiam tractarent. Qui quidem Epiſcopi & Cardinales, ſtatutis loco & tempore, convocatis, auditis & intellectis partibus prædictis (ut præfertur) & in præmiſſis graviter & conſultè procedentes, partes ipſas de communi earumdem conſenſu ad concordiam infraſcriptam perduxerunt. Videlicet, quod ipſi Parochiani Sacerdotes de cætero non dicant à Mendicantibus hæreſes proceſſiſſe, cum in veritate fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per Ordines Prædicatorum & Minorum, ut jura teſtantur. Quodque Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus Feſtivis & Dominicis, cum jure ſit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccle-

Eccleſia ; niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent. Quodque etiam nec Fratres, nec Curati inducani aliquo modo Laicos ad eligendum ſepulturam apud eos, & benè caveant propter pœnas, quas imponunt Canones, cum ſit libera. Quod etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quò minùs ſecundùm juris communis & Privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, Confeſſiones audire & pœnitentias injungere valeant. Quod etiam de cætero inter ipſos Fratres Mendicantes & Curatos quoad effectum prædicandi, horas cantandi, campanas pulſandi, ſervetur conſuetudo antiqua, quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſo Oppido Eſlingenſi. Et caſu quo veniat aliqua occaſio ſive neceſſitas, non fiat commutatio temporis vel horæ in ipſis prædicationibus fiendis, niſi de conſenſu partium. Quodque etiam ipſi Fratres in ſermonibus eorum non detrahant Prælatis & Rectoribus parochialium Eccleſiarum. Nec etiam populos à ſuarum Eccleſiarum parochialium frequentia & acceſſu abſtrahant ſive retrahant quoquo modo. Et vice verſa ipſi Rectores & Prælati aliquo modo non detrahant Mendicantibus, ſed illum favorem quem poſſunt, eis impendant, & in omnibus & per omnia præſtent, ita ut vera unitas & perfecta charitas inter eos oſtendatur.

Eſt ipſiſſima prorsùs contentio. Nempè *Impii in circuitu ambulant*. Hoc eſt, impiorum Princeps & Dux diabolus, ut humanum genus in ſuos caſſes circumſcribat, antiquas ac ſepultas, dum novas non valet obtrudere, diſcordias exhumat, ſpargi: per mundum, ambulat in iſtis gyris, & quærit ad ſibi congyrandum apta ingenia. Xixtus Pontifex diſertè dicit: *Eum jure cautum ſit illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum parochiali Eccleſia*. Non in aliqua Parochia, ſed & ipſorum propria. Et adjungit: *Per hoc tamen Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi*. Diſertè affirmat antiquum de frequentanda parochia Canonem eſſe jam circumſeptum moderamine, ut pro Parochia adverſùm Parochiam ſanciat, non adverſùm Eccleſias Ordinum Mendicantium. Et non tacet moderaminis radicem. *Quò minùs ſecundùm juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem*, &c. Per jus commune omninò intelligit octavi Bonifacii Conſtitutionem, quæ & tunc exſtabat in Clementinarum Codice, adeoque erat jus commune. Et ex iſto Xixtino Diplomate dixi eſſe hauſtum non dumtaxat ſeptimi Alexandri Reſcriptum, ſed etiam Decretum Tridentini Concilii. Quid deliquì ? Nonnè avitus generalium etiam Synodorum mos eſt ſuos Canones ex prioribus fontibus ſumere ? Earum munus eſt paternam diſciplinam ſtabilire.

Canonum Exhibitio laudavit hæc verba : *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi*. Et prætermiſit hæc : *Quò minùs ſecundùm Juris communis & privilegiorum eis conceſſorum diſpoſitionem Confeſſiones audire, & pœnitentias imponere valeant*. Hoc *Demonſtrator* rodit : *Exhibitio omiſit duplici de cauſa. Primò, ne appareat ex his falſitas rationis, quam ſubjungit* : Quia nempè Mendicantium Eccleſiæ ſunt parochialibus Eccleſiis per omnia adæquatæ. *Non enim aliter hic adæquantur, ſi tamen adæquantur, quam quoad Confeſſiones audiendas, & pœnitentias imponendas. Secundò, quia Xixtus, uti quoque Alexander, dum circa auditionem verbi Dei privilegiorum non faciunt mentionem, innuebant ejuſmodi nulla reperiri. Adeò fuit artificioſa hæc ab Auctore Verborum omiſſio.*

Reſpondeo nullam interceſſiſſe artem. Prætermiſi verba illa, quod non tangant præſentem quæſtionem. Hic enim non de Paſchali Confeſſione diſceptatur, ſed de Dominicali ac Feſtivali Concione. Nolui parerga adducere. Nec iſta omiſſio aſſertam à me inter parochiales ac Regulares Eccleſias æqualitatem adjuvat, ſed potiùs minuit ac infirmat. Etenim hæc verba, *Quò minùs ſecundùm juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, Confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant*, adverſativam clauſulam, *per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi*, non contrahunt, ſed ampliant, hoc ſenſu: Quò minùs valeant etiam Confeſſiones audire, & pœnitentias injungere. Erat quæſtio de tribus: De parochiali Miſſa, de electa Sepultura, ac de Confeſſione Paſchali. De hac erat palmaris quæſtio. Etenim iſto etiam tempore quidam Sorbonæ Magiſtri ſuſtinebant, iſtam apud Fratres Mendicantes factam Confeſſionem non eſſe validam, ideoque coram parochiali Presbytero repetendam. Hinc Xixtus Pontifex hunc articulum cenſuit ſingulariter exprimendum.

Et quomodò poſſit Xixtus jus commune & Fratrum Mendicantium etiam circa Dei verbum privilegia non agnoſcere ? Erenim è S. Franciſci Familia adſcendit S. Petri Apoſtolicam Cathedram, & Monaſticæ Profeſſionis fuit ſemper amantiſſimus. De antiquo Romanorum Pontificum habitu ſcribit in libro contra Gerardum Engoleſmenſem Epiſcopum Venerabilis Arnulphus, tunc Sagienſis Archi-Diaconus, poſtmodò Epiſcopus Lexovienſis : *Quibus in præſentia- rum veſtibus indicatur Romanus Pontifex, jam non ex ipſius pendet arbitrio, ſed ſanctorum Patrum antiqua Conſtitutione decretum eſt*. Eandem Conſtitutionem laudat Windeshemenſis Capituli Chronicum, atque adjungit : *Niſi ad papatum de regulis Sanctorum Benedicti aut Franciſci quis fuerit aſſumptus. Tunc enim veſtem Ordini ſuo congruam ſolitus eſt deferre*. Hujus pietatis Xixtus fuit tenaciſſimus. Et in ſuo Ordine fuerat zeloſiſſimus Concionator. Proindè noverat Octavi Bonifacii Conſtitutionem, quæ nos omni hora & omni die concionari permittit, non tantùm in noſtris Eccleſiis, ſed etiam in publicis plateis: Et ob nullius, niſi ob ſolius iſta hora concionantis Epiſcopi reverentiam vult nos ſilere. Hoc commune Jus, item & alia privilegia Xixtus pleniſſimè noverat. Cap. 4.

Et iſtud ipſum altiſſimè clamat præſens ejus Diploma. Adduco verba : *Quod etiam de cætero inter ipſos Fratres Mendicantes & Curatos, quoad effectum prædicandi, horas cantandi, campanas pulſandi ſervetur conſuetudo antiqua, quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſo Oppido Eſlingenſi.*

Et

Et caſu quo veniat aliqua occaſio ſive neceſſitas, non fiat commutatio temporis vel horæ in ipſis prædicationibus fiendis, niſi de conſenſu partium. Parochiales iſtius Oppidi & Mendicantium Ordinum Regulares iſtic Eccleſias manifeſtè æquat, & ambas manere jubet in ſua conſuetudine aut Concordato. Ex hoc poſſit illa duxiſſe originem. Pontifex mandat iſtarum Eccleſiarum Conciones eſſe paris fructus & dignitatis, & alteram ab altera non impediri.

Porrò cur ſeptimus Alexander in ſua Andegavenſium quæſtionum deciſione partes non ad privilegia aut antiquum Octavi Bonifacii jus remiſerit, abunde dixi: Quia nempè clarum eſt Trid. Synodum non adversùm Regulares Eccleſias, ſed pro Parochiis adversùm Parochias ſanxiſſe. Licet occidat miſeros crambe repetita magiſtros, denuò audiamus optimi Pontificis Verba. Inter damnatas ab iſta Gallicana ad Andegavenſis Epiſcopi inſtantiam Synodo propoſitiones quarta fuit hæc: *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam Confeſſionem, nec ad Miſſas parochiales, nec ad audiendum Verbum Dei, Divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechiſibus annunciantur & docentur.* Et ſeptimus Alexander reſpondit: *Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta eſt erronea & temeraria; ſuppoſitis verò Apoſtolicis privilegiis, nullam meretur Cenſuram. Et quoad tertiam partem de auditione Verbi Dei ſervetur diſpoſitio Sancti Concilii Tridentini.* Inter damnatos articulos proximus eſt hic: *Talem legem*, nempe ad frequentandam ob iſtos fines Parochiam, *nec Epiſcopi, nec Concilia Provinciarum vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis aut Eccleſiaſticis Cenſuris mulctare poſſunt.* Et Pontifex reſpondit: *Suppoſitis iſtidem privilegiis Apoſt. nullam meretur Cenſuram. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.*

Quod ſuos ſubditos ad propriam frequentandam, & ad alienas Parochias deferendas, non ſola Provinciarum aut Nationum Concilia, ſed etiam quivis Epiſcopi poſſint per leges & cenſuras compellere, eſt abundè demonſtratum. At verò pro Parochiis adversùm Regulares Ordinum Mendicantium Eccleſias rogatus ſeptimus Alexander reſpondit talem legem aut cenſuram non dumtaxat à quovis Epiſcopo, ſed nec à totius Nationis Synodo poſſe ſanciri. Quia nempè ambæ iſtæ Eccleſiæ ſunt inter ſe æqualis juris, quoad tria. Parochialem Miſſam, Parochialem Concionem, & Paſchalem Confeſſionem. Eſt antiqua Romanæ Eccleſiæ ad Trid. Decretum declaratio. Quam etiam in ſua Remenſi Synodo probavit Dominus Carolus Cardinalis à Lotharingia. Et eſt lucidus ſenſus laudati Decreti. Et hinc ſeptimus Alexander adjunxit: *Prout nec præcedens quarta.* Hujus tertia pars eſt de auditione Divini Verbi: *Servetur diſpoſitio S. Trid. Concilii.* Iſtam etiam partem Pontifex verat à Regularibus prædicari. Quia nempè ſacroſanctæ Synodus pro ipſis ſanxit, non contra ipſos. Quare parochiales Presbyteri, dum iſtud Decretum urgent, evertunt ſemetipſos. Apoſtolicæ deciſionis mentem ego optimè calleo: etenim ſeriò fui circa ipſam conſultus ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Emanuele Vizzanio, tunc Sancti Officii Aſſeſſore.

Poſſem longè plura adducere, ſed ſpero hæc ſufficere ad Canonum Expoſitionem liberandam à Demonſtratoris rationibus. Uti ſuum librum de Pœnitentia Septimius Tertullianus clauſit, ita & ego longè potiori jure claudo hanc meam Apologiam: *Peccator omnium notarum ſum, nec ulli rei niſi pœnitentiæ natus.* Et quia propriis lachrymis nequeo mea peccata ex integro mundare, Divinæ Clementiæ ago ſummas gratias, quod mihi dederit hunc Alexandrum, cui voluptè eſt me variis elogiis conſpuere & conſputare. Hæc enim ſputa plurimùm adjuvant infirmitatem mearum lachrymarum. Quin & ipſam veritatem adjuvant. Etenim hæc eſt quaſi crocus: Quò magis tunditur, eò magis ampliatur, & meliores diffundit odores.

DISSERTATIO

DE SANCTISSIMI SACRAMENTI

PUBLICA EXPOSITIONE,

ET DE

SACRIS PROCESSIONIBUS.

In quibus circumfertur cum Sacris Sanctorum Reliquiis & Imaginibus.

VENERABILE ALTARIS SACRAMENTUM.

DISSERTATIO
DE SACRIS
PROCESSIONIBUS

In quibus circumfertur Sacro-ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum.

CAPUT PRIMUM.

Compendio exponitur origo Sacrarum Proceſſionum.

SAcræ Proceſſiones originem trahunt ex antiquo Teſtamento. Etenim ſacræ Arcæ ad Urbem Hierichontinam circumductio fuerat vera Proceſſio, & nobis demonſtravit ſacrarum Proceſſionum virtutem atque effectus. Etenim & noſtræ Proceſſiones Cœlum clamoribus tundunt, & inimicos noſtris animabus muros compellunt ad lapſum. Etiam Rex & Propheta David laudatam Arcam cum ſolemniſſima Proceſſione tranſtulit in novum tabernaculum. Antiquus Dei populus in Paſchate & quibuſdam aliis feſtivitatibus debebat Templum accedere. Erat ſacrum iter. Et illis, qui longè diſtabant à ſancta Civitate, non modicum. Et propter univerſalem concurſum non poterant non turmatim procedere. Hinc probata Hebræorum traditio affirmat pſalmum centeſimum decimum octavum eſſe à Regio Propheta compoſitum, ut à procedentibus turmis per viam decantaretur. Iſta de cauſſa toties in ipſo iteratur viæ memoria: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Non enim qui operantur iniquitatem, in vitis ejus ambulaverunt. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* Iſta namque via præfigurabat futuram novi populi viam, ſempiternam Dei Civitatem, ideoque erat ſacratiſſima Proceſſio. Et fieri non poterat ſine Divinis laudibus.

Quapropter ſacræ Proceſſiones etiam in novo Teſtamento ſunt antiquiſſimæ. Inſtitutæ ab ipſis Apoſtolis. Eas à Synagoga mutuatas Apoſtoli traduxerunt in Eccleſiam. Quod enim ſolemnes noſtri Sacrificii Ritus ſint tanto Myſterio data ab Apoſtolis ornamenta, eſt longè certiſſimum. Certè Sancti Jacobi Apoſtoli liturgia habet antiquiſſimos teſtes, atque authenticos. Quicquid ſit, de iſtis Ritibus ſcribit in Officiorum libris ſanctus Ambroſius ſibi fuiſſe duos non bonæ notæ Clericos, quos numquam permiſit ſecum ad ſacra Miſſarum ſolemnia procedere. Et Magnus Leo de Poſſidonio Alexandrinæ Eccleſiæ Presbytero ſcribit ad novellum ejus Patriarcham Dioſcorum: *Filius noſter Poſſidonius Presbyter noſtris Proceſſionibus frequenter interfuit.* Etenim Poſſidonius, adhuc Diaconus, graſſante Neſtoriana lue, à Sancto Patriarcha Cyrillo Legatus, frequenter Romam venerat: Haud dubiè in iſtius Miniſterii præmium ab eodem provectus in Presbyterum. Et in Neſtorianæ ac Eutychianæ hæreſis Breviario Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiaconus, ſcribit quod Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus Vitalem ac Miſenum, Felicis III. Pontificis Legatos Epiſcopos, fecerit ſecum procedere. Eandem Proceſſionem frequenter laudat Magnus Gregorius. Eſt ſolemnis Miſſæ introitus, quo glorioſè ornatus Epiſcopus cum multo Clero procedit ex Eccleſiæ Veſtiario ad Altare. Patriarchæ procedunt cum Epiſcopis, Presbyteris, Clericis omnium graduum. Repræſentant ſpecioſum forma præ filiis hominum, qui multis Angelorum millibus comitatus è ſecretiſſimo paternæ Majeſtatis ſinu proceſſit in hunc Mundum, ac tandem in Crucis patibulum. Hanc igitur Proceſſionem inſtituerunt Apoſtoli.

Epiſt. 11. c. 3.

Cap. 18.

Præſens quæſtio eſt præſertim de Sacris Proceſſionibus, quæ cum populo & Clero fiunt extra Eccleſiam: per Civitates, aut agros. Quæſtio eſt, an illæ fuerint ſub Gentilibus Romanorum Principibus, antè datam à Magno Conſtantino pacem Eccleſiis? Affirmare videtur Magnus Baſilius in literis ad Clerum Neocæſarænſis Eccleſiæ. Adversùs varias Sabellianorum & Marcellianorum calumnias defendit ſuæ Eccleſiæ Pſalmodiam, & adjungit: *Sed iſta dictis tempore Magni Gregorii non fuiſſe. Verùm neque Litaniæ, quas vos in uſu habetis, illius tempore fuerunt. Quod non reprehendendi gratia dixerim. Optarem enim vos omnes*

nes in lachrymis & jugi Pœnitentia vivere, quandoquidem & nos nihil aliud facimus quam quod pro peccatorum noſtrorum remiſſione ſupplicamus, dempto eo quod non humanis verbis, quemadmodum vos ſoletis, ſed Oraculis Spiritus Deum noſtrum placamus. Per Magn. Gregorium intelligit Thaumaturgum, fundatorem & primum Epiſcopum Neocæſaræenſis Eccleſiæ. Docet varia. Primò, quod Litaniæ tunc eſſent in uſu non ſolius ſuæ Cæſaræenſis, ſed etiam iſtius Neocæſaræenſis Eccleſiæ. Secundò, quod inter iſtarum Eccleſiarum Litanias eſſet aliquid differentiæ. Cæſaræenſis Divinis Oraculis, Neocæſaræenſis utebatur humanis verbis. Per aliquem Epiſcopum compoſitis formulis. Tertiò, quod Litaniæ ſint pœnitentiæ & lachrymarum opera ac voces, quibus à Deo ſupplicamus peccatorum indulgentiam. Quartò, quod eas ſub Magno Gregorio Neocæſaræenſis Eccleſia non habuerit. Quintò, quod iſtud non dicat improperandi aut reprehendendi ſtudio. Quare palam affirmat ipſas Gregorii tempore fuiſſe apud Cæſaræenſes, ac alias Eccleſias. Reſpondeo hæc omnia eſſe veriſſima: Litanias eſſe antiquiſſimas. Verùm quæſtio eſt, An intra ſolas Baſilicas cantarentur ante Magni Conſtantini tempora, an etiam in publicis per Civitates Proceſſionibus? Et erediderim non fuiſſe. Etenim ſub gentili Imperio noſtra Sacra erant clandeſtina. Et ita tunc oportebat ex variis rationibus.

Poſt datam Eccleſiis à Magno Conſtantino pacem publicæ Proceſſiones mox cœperunt: ſolemniſſimæ & frequentiſſimæ. Etenim in Paſchalis feſtivitatis die S. Gregorius Nazianzenus dixit ad populum Conſtantinopolitanum: *Præclara quidem nobis fuit heſterna factum ac luminum geſtatio, quam privatim juxta ac publicè peregimus, omne genus hominum fermè, atque omnes Magiſtratu ac dignitate inſignes, largo igne noctem illuſtrantes, magnumque illud lumen referens, quod vel Cœlum, Univerſum Orbem ſiderum ſuorum pulchritudine illuſtrans, ſupernè nobis trajicit, vel ſupercœleſte eſt, cum in Angelis, tum in ipſa Trinitate, à qua lumen omne produ ctum ab indiviſibili lumine diviſum atque honoratum.* Laudat Paſchalis noctis Proceſſionem, quam omnes etiam Imperii Magnates, accenſam facem geſtantes, pomposè comitabantur, & quam omnes Domus accenſis variis luminaribus illuſtrabant ac honorabant. Affirmat iſtam Proceſſionem fuiſſe æmulum ſtellati Firmamenti, quandam imitationem Sanctorum Angelorum, immò quandam participationem ſupremi Divini luminis. Eandem Proceſſionem laudat in oratione ad novam Dominicam: *Prima Dominica encænium erat quæ ſacratiſſimam illam noctem, & luminum geſtationem excepit.* Eſt Magni Conſtantini Inſtitutum, de quo Euſebius Cæſaræenſis Epiſcopus in illius vita. *Conſtantinus Paſchalis feſti per vigilationem tam claram reddidit, quàm diurnam lucem, accenſis tota Urbe per certos homines, quibus hoc munus delegatum fuit, quàm celſiſſimis cereis candelis, quam lampadibus ignes omnes lateb as colluſtrantibus, ut illa myſtica pernoctatio longè clarior ipſa Solis luce redderetur.* Iſto triumpho Conſtantinus honorabat, quæ circa mediam noctem facta eſt, Chriſti Domini reſurrectionem. Iſta Paſchalis Supplicatio fuit paulatim admiſſa apud omnes Eccleſias. Et ornata multis ac magnis ſolemnitatibus. Gallicanæ Eccleſiæ ſolemnitates deſcribit in Francorum hiſtoria S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Exponit plenam Francorum Procerum cum ſuo Rege Clodovæo converſionem & proſequitur: *S. Remigius, gaudio magno repletus, juſſit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur platææ, Eccleſiæ contiuis albentibus adornantur, Baptiſterium componitur, Balſama diffunduntur, micant fragrantes odore Cerei, totumque Templum Baptiſterii divino reſpergitur odore. Talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, ut putarent ſe Paradiſi odoribus conlocari.* Etenim tanti ornatus pompam conſpiciens Rex barbarus Remigium percunctatus eſt, an hoc eſſet cœleſte Regnum, quod ipſi in Catechiſmo promiſerat. Ita ſcribit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtor. Presbyter Flodoardus. Eccleſiæ hanc Proceſſionem paſſim celebrabant poſt expletum Chriſtianæ regenerationis Miniſterium. Neophitos Chriſto Domino, reſuſcitato mortis Victori, ducebant ac offerebant in triumphum. Hujus Proceſſionis apud Patres, & Latinos & Græcos, eſt frequens memoria. Nec dubitandum, quin & ipſam S. Remigius celebraverit. Ad honorandum Regem duxit iterandam, & celebrandam etiam ante Baptiſmum.

Neque hæc ſola, ſed & plurimæ Proceſſiones aliæ ſunt antiquiſſimæ. Etenim S. Joannes Chryſoſtomus, dum Theophilus Alexandriæ Patriarcha in turbida ad hortos Ruffinianos Synodo tractaret ejus damnationem, declamavit ad ſuum Populum: *Si Deus hoc vult fieri, fiat. Nemo vos conturbet, aut ullum citet tumultum. Orationibus incumbite. Haſce motorias turbellas excitavit Diabolus, ut intercideret, ac prorſus abrogaret ſtudium, quod ſedulò impendebatur Supplicationibus, ſed enim nihil proficit. Invenimus vos ſolito alacriores ac ferventiores. Crat unà vobiſcum proficiſcar ad Supplicationes.* Regiæ Civitatis Populus videtur quotidiè cum ipſo ſupplicaſſe. Etiam Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, dum ob everſas Imperatoris Theodoſii Statuas imminebant toti Civitati ſupplicia, Populum permovit ad quotidiè procedendum ac ſupplicandum. Nec tantummodo in terra, ſed etiam per naviculas in Mari docuit exerceri iſtam pietatem.

De eodem Joanne, Conſtantinopolitanam regente Eccleſiam, ſcribit Hermias Zozomenus: *Ariani, Theodoſio imperante, urbanis Eccleſiis apud Conſtantinopolim privati, cum ante mœnia Conventus agerent, noctu primùm in publicis porticibus congregabantur, & Cœtus diſtribuit alternatim canebant ad Reſponſorium modum, & Corollaria adjiciebant in feſtis ſuæ gratiam. Sub auroram verò ac publicè modulantes, in cum locum abibant, in quo convenire ſolebant, atque hoc quidem faciebant tum in Feſtis ſolemnibus, tum in prima & ultima die cujuſque ſeptimanæ.* Uti hodie Lutherani, ita tunc Ariani dulciſſimè canebant. Quod ipſum in Donatiſtis notat S. Augu-

Orat. 42.

Orat. 43.

Lib. 4. c. 22.

Lib. 2. c. 31.

Lib. 1. c. 31.

Lib. 8.

gustinus. *Joannes igitur veritus, ne qui fortè ex sua Ecclesia pelliceretur, populum suum ad consimilem canendi modum exsuscitavit. Et bi brevi tempore illustriores facti, adversæ hæresis Sectatores tum frequentia tum apparatu superabant. Siquidem argentea Cruces Signa accensis facibus eos præcedebant. Et Eunuchus Imperatricis in hoc præfectus erat, ut & sumptus bis rebus necessarios, & hymnos procuraret.* Eunuchi nomen erat Brisonis. Eadem apud Photii Bibliothecam scribit in S. Joannis vita Georgius Patriarcha Alexandrinus. His igitur sanctissimis Joannis operibus ac institutionibus invidens Diabolus Theophilum Alexandriæ Patriarcham permovit ad ipsum persequendum, & hostiliter degradandum. Etiam inflammavit Arianos ad Brisonem Eunuchum trucidandum, & creandum Martyrem. Eadem pietas olim viguit in plurimis Ecclesiis. Præfertim in Romana. Abundè hoc lucet vel ex solis actis & scriptis Magni Gregorii. Et certè singulas singularum principalium Ec. clesiarum Processiones distinctiùs enucleare non esset labor sine fructu. Non spectat ad nostrum propositum.

CAPUT II.

An antiqua Ecclesia aliquando fecerit Processiones cum Sacrosancto Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

Respondeo publicas istiusmodi Processiones non cohæsisse, cum disciplina antiquæ Ecclesiæ. Ista namque disciplina Sacrosanctam Eucharistiam rigidissimè absconderat, non Judæis dumtaxat ac Gentilibus, sed etiam Catechumenis ac pœnitentibus. Isti infideles à nostris Apostatis, aut ab indiscretis quandoque Fidelibus audiebant à nobis manducari Carnem Filii Hominis, ac bibi ejus Sanguinem, ideoque erant curiosissimi, quid essent ista, & qualiter gererentur. Statim in Evangelii exordio facinorosi Judæi nos accusarunt de Thyestæis epulis, & multis Gentilibus calumniam persuaserunt. Hinc apud multos habiti fuimus tanquam pestifera humani generis monstra: Nostrorum plurimi ob istius facinoris calumniam fuerunt trucidati, & coronati Martyrio. Ex eodem principio tunc vulgò jactabatur. *Pluvia defecit, Tiberis exundavit, evenit fames; causa Christiani.* Nempè ob sparsas istas, & alias calumnias. Joannem Calvinum pudeat inficiari istam Carnem, quam tot Martyres suo sanguine sigillarunt. Attamen prudentiores Gentiles non credebant fabulæ. Etenim non solus Plinius secundus, Bithyniæ Proconsul, sed & alii plures Romanorum Provinciarum Rectores in ipsam seduló etiam per tormenta inquisierunt, & invenerunt esse imposturam sine fundamento. Erant tamen certi à nobis Carnem manducari, & bibi Sanguinem. In nostris Synaxibus. Hinc summa curiositas. Etenim de S. Tharsitio, Romanæ Ecclesiæ Acolytho, ad quintam decimam diem Augusti scribit Romanum Martyrologium: *Tharsitium Acolythum cum Pagani invenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, coperunt disquirere quid gereret. At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis mactatus est fustibus & lapidibus, donec exhalaret spiritum. Et revoluto ejus corpore sacr ilegi discussores nihil Sacramentorum Christi in manibus, aut in vestibus invenerunt.* Aliud nolebant, quam istud Carnis prodigium videre. Et Tharsitius trucidari maluit, quam explere curiositatem. Et Divina Clementia constantiam comprobavit miraculo: Sacrosancta Sacramenta subtraxit & occultavit.

Eadem curiositas invasit, licet Gentilem, nobis tamen amicum, Imperatorem Numerianum. Hinc apud Antiochiam voluit interesse nostro Sacrificio. Et quoniam S. Babylas Patriarcha obsistebat, clausas Basilicæ portas invasit, ac violenter irrupit. Verùm Babylas se demonstravit Episcopum, Romanum Imperatorem violenter extrusit. Hinc ille offensus evasit in Tyrannum:. Nihilominus Babylas trucidari maluit, & suo sanguine nostra Sacra sigillare, quàm ipsa prodendo, vitam redimere. Eandem curiositatem in Gentilibus Fidelium Uxorum maritis, ac in Gentilibus Fidelium Dominorum famulis viguisse, in libris ad Nationes, ac in libro Apologetico testatur Tertullianus.

Antiqua disciplina hoc incomprehensibile Mysterium religiosissimè absconderat non solis Infidelium, Catechumenorum, ac Pœnitentium oculis, sed etiam auribus. Hinc in suis ad populum sermonibus antiqui Patres de ipso sunt rarissimè locuti. Et numquam apertè. Dum enim circumstantia coegit ad aliquam mentionem, sunt involutè locuti, & addiderunt: *Norunt Fideles.* Græci passim addebant: *Norunt Initiati.* Quod nempe post datam Ecclesiis à Magno Constantino pacem etiam Judæi ac Gentiles ad nostras Conciones admitterentur. Easdem tamen formulas habemus in Origenis ad populum declamationibus. Nempe propter præsentes Catechumenos.

Quod etiam Pœnitentes Eucharistiam olim videre non potuerint, docent plurima Patrum testimonia. Et demonstrat Gradus consistentiæ. Erat gradus Communicantium, sed sine Oblatione. Audiebant & videbant Missæ Sacrificium, sed offerre non poterant, ideoque nec communicare de Sanctis. Dicebantur Consistentes, quod olim staretur ad Sacrificium. Et ad istum Gradum è subStrationis Gradu, transmittebantur Sacramentalis Reconciliatio. Nec enim soli flentes aut audientes, sed etiam subStrati ejicebantur ante Offertorium, claudebantur tunc Basilicarum portæ. Atque ita soli Consistentes atque Perfecti Sacrificium audiebant. Et audire poterant. Hæc igitur Disciplina nullatenus patiebatur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum publicè exponi in apertis Basilicis aut Oratoriis, longè minus circumferri per plateas. Plateæ enim tunc erant plenæ oculorum & aurium, quæ hæc sacrosancta nec videre poterant, nec audire. In omni civitate erant Gentiles, Judæi, Catechumeni, Pœnitentes.

Attamen sacræ nostræ Processiones non desiituuntur omni Antiquitatis adjutorio. Habent in ipsa fundamentum. Etenim in prima pro Christianis Apologia Justinus Martyr affirmat Eucharistiam, dum conficiebatur, ex Ecclesia fuisse per Diaconos transmissam ad absentes, juxta exemplum Christi Domini. Etenim dum

ipſe illam confecit in noviſſima Cœna, erat ſolum cum duodecim Apoſtolis: Virgo Mater non aderat. Quod eam ad ipſam tranſmiſerit, Græcorum Patres teſtantur. Et de neſcio quo Alexandrinæ Eccleſiæ Presbytero, à quo infirmus Civis Serapion Viaticum poſtulabat, ejuſdem Eccleſiæ Patriarcha Dionyſius ſcripſit ad Fabium Antiochiæ Patriarcham: *Presbyter modo vexatus accedere ad eum non poterat. Puero exiguam quandam Euchariſtiæ partem dedit præcipiens ut eam madefactam in os ſenis infunderet.* Exſtat epiſtola apud Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebii Cæſarænſis Epiſcopi.

Lib. 6. cap. 36. Diſcimus hinc plura. Primò quod Parochia lium Eccleſiarum Rectores Euchariſtiam pro Infirmis ſemper ſervaverint. Secundò, quod ipſam tunc domi ſuæ ſervarent. Nam iſtud ipſum tunc faciebant integri Laici. Etiam fœminæ. Nempe propter pericula à Gentilium perſecutionibus & curioſitate. Tertiò, quod moribundi ipſam ſub ſola ſpecie panis ſumerent. Quartò, quod lapſi ipſam in domo ſua habere non potuerint. Serapion enim erat lapſus, hinc abſtentus, ideoque Sanctum Domini nec aſpicere poterat, nec in domo habere. Quintò, quod infirmis lapſis, qui tamen ſani poſtulaverant, Presbyter deferret, aut per Clericum deferri juberet beatum illud Viaticum. Verùm erat ſecreta delatio. Iſtiuſmodi enim Delator omninò fuit S. Tharſitius. Nempè propter Gentilium indignitatem: Nihilominus non erat ſine omni honore. Rectè enim in ſecundo ſuo Apologetici tomo ſcribit Venerabilis Guilielmus Lindanus Epiſcopus Ruremondenſis: *Quis adeò momus reprehendat, quod Divi Juſtini ætate, quæ Apoſtolos vidit, ab ſentibus è publico Sacrificio Fratribus Chriſtianis per electiorem Epiſcopi Diaconum Euchariſtia fuerit deſtinata. An nihil honoris inde acceſſiſſe putes tremendo illi Sacramento, quod non per quemvis è plebe, ac ne de Clero quidem, ſed per electiorem Epiſcopi Miniſtrum Diaconum fuerit delata* Fratribus? Delator omninò videtur habuiſſe aliquod ſignum honoris. Ex illo enim curioſi Gentiles agnoverunt, aut conjecturarunt, quod Tharſitius portaret iſta myſteria. Circa deferentis perſonam fuerunt variæ conſuetudines.

Aliam antiquæ delationis ſpeciem docet nos S. Irenæus, Lugdunenſis Epiſcopus, in litteris ad S. Papam Victorem: *Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiæ, cui tu jam præes, præſidebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, Sixtum; Epiſcopis ad ſe accedentibus Euchariſtiam miſerunt.* In ſymbolum communionis & honoris. In iſto quippè Sacramento omnes Orthodoxi ſumus unum. Exſtat epiſtola apud hiſtoriam præfati Euſebii. S. Irenæus ſcripſit: Ενίκησεν. Wolfangus Muſculus tranſtulit ſimpliciter *miſerunt*. Atque rectè ſcripſit laudatus Ruremondenſium Epiſcopus. *Certè honorem, & quandam veluti pompam vox illa D. Irenæi apud Euſebium ſonat: Epiſcopis Romam peregrè adventantibus S. Euchariſtiam Romani Pontifices non ſolùm miſerunt, ut vertit Mus ille Noricus, paſſim arrodens quod ſuo malè ſapit inſulſo palato; Sed uti Ruffinus, ſolemniter tranſmiſerunt, ac ſua quadam Eccleſiaſtica ornatam pompa honorificè deſtinaverunt. Siquidem Euſebii, aut potius D. Irenæi vox Latinis quamdam ſonat Pompam, quæ ab illa Græca derivata eſt, quæ & apud Platonem in primo de Republica libro eſt ſimilis ſignificationis pro Pompaticè deducere. Quamquam hæc non fuerit, qualis nunc temporis de more exhibetur, non tam magnifica, non tam publica, non tam auguſta; fuerit tamen honorifica pro illorum temporum ratione oportet, quæ magis animi devotione, quam externis ritibus præſtabatur propter ſæculi malitiam, Tyrannorumque impotentiam, ſive Theomachorum inclementiam. Quare ſi tunc per Tyrannos licuiſſet, quis obſcero damnaret, ſi Diaconus Romanus accenſa tæda aut ſubluſtri cereo ſuum Dominum Chriſtum Jeſum honoraſſet? Quod enim in templo licebat, cur non & publicè? Si in ara, quidni precor & in platea?*

Tertiam antiquæ delationis ſpeciem habemus in Synodo Laodicenſi: *Quod Sancta nullo modo, cauſſa Euloglarum, tempore Paſchalis Feſti debeant deſtinari.* Per ſancta omninò intelligitur Sacroſancta Euchariſtia. Eam enim Tertullianus, S. Cyprianus, aliique antiqui Patres paſſim appellant *Sanctum*. Nempè ipſum ſupremum ac ſubſtantiale Sanctum. Proindè ipſum Epiſcopus cunctis olim diebus Dominicis, excepta Paſchali, tranſmittebat ad omnes ſuas Parochias. Apud Orientales Eccleſias. Et tranſmittebat cum honore. Canon enim utitur iſto ipſo verbo, quo fuit uſus S. Irenæus. Hunc morem in Latinam Eccleſiam traduxit S. Papa Melchiades. Pontificalis enim liber ſcribit: *Hic fecit ut Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Hoc eſt, habet iſtud ipſum officium inter Eccleſias, quod fermentum in pane. Eſt vinculum unitatis. Idem liber ſcribit de Pontifice Siricio: *Hic conſtituit ut nullus Presbyter per omnem hebdomadam Miſſas celebraret, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* De eadem tranſmiſſione Innocentius I. plura ſcribit in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum. Addit conſuetam fieri per Acolythos. Quin Chriſtianis temporibus facta fuerit cum reverenti pompa, non eſt dubitandum.

Quartam antiquæ delationis, ac veræ & pompaticæ Proceſſionis ſpeciem habemus in veteſtis ritibus Græcorum. Etenim illi conſecrata Elementa cum ſolemni Proceſſione circumferunt per Eccleſiæ gremium. Et omnes adorant. In Florentino namque Concilio Latini circa Græcorum ritus habuerunt plura dubia, quorum hoc fuit ſecundum: *Cur inclinamus capita cùm de minori Altari in majus nondum conſecrata deferuntur ſacra munera?* Agit de magno introitu, in quo benedicta Elementa cum ſolemni Proceſſione & pompa transferuntur ex Diaconico in Altare. Illa Græci inclinato capite venerantur, ideoque Latinorum quidam fuerunt ſuſpicati, quod adorarent. Verum Dorotheus Metropolita Mityleneſis canonicè & legitimè diſſolvit. Quare manifeſtum eſt, quod conſecrata Elementa Græci omninò adorent, ac ſemper adoraverint. Sed iſta Proceſſio fiebat claufis januis intra Baſilicam coram ſolis Perfectis & Conſiſtentibus.

Lib. 5. c. 24.

Habemus tamen etiâ ſolemnis extra Eccleſiam

Pro-

Proceſſionis ac delationis antiqua exempla. Etenim quarta Bracarenſis Synodus ad ſeptimi ſæculi medium ſanxit: *Agnovimus quoſdam de Epiſcopis, quod in ſolemnitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, Reliquias collo ſuo imponant, & ut majoris faſtus apud homines gloria intumeſcant, quaſi ſint ipſi Reliquiarum Arca, Levitæ albis induti in ſellulis eas deportant. Quæ deteſtanda præſumptio abrogari per omnia debet, ne ſub ſanctitatis ſpecie ſimulata vanitas ſola prævaleat, ſi modum ſuum uniuſcujuſque Ordinis reverentia non agnoſcat. Et idcò antiqua in hac parte & ſolemnis conſuetudo ſervabitur, ut in Feſtis quibuſque Arcam Dei cum Reliquiis non Epiſcopi, ſed Levitæ geſtient in humeris, quibus & in veteri lege onus id & impoſitum legimus, & præceptum. Quod ſi etiam Epiſcopus Reliquias per ſe deportare elegerit, non ipſe à Diaconis in ſellulis vectabitur, ſed potiùs pediſſequo eo cum populi progreſſione procedente, ad conventicula Sanctarum Eccleſiarum ſanctæ Dei Reliquiæ per eumdem Epiſcopum portabuntur.*

Per haſce Reliquias, quidquid aliqui in contrarium cenſeant, certum eſt intelligi Sacroſanctam Euchariſtiam. Etenim ipſam Epiſcopi olim ad collum geſtabant in ſuo Encolpio. Lucet ex Philippo Politani Conventiculi in Marcellum Ancyræ Metropolitam ſententia: *Marcellus, quod cum lachrymis & luctu eſt dicendum, conſecratum Domini Corpus, ad Sacerdotum colla ſuſpenſum, palàm & publicè profanabat.* Nempè Marcellus neſcio quibus hæreticis in Galatia Epiſcopis, Metropolitica poteſtate uſus, Encolpium detraxerat, & ipſi incluſam Euchariſtiam, utpotè ab hæreticis conſecratam, contumeliosè abjecerat. Hinc illum Euſebiana Factio degradavit. Ex quo non vanè colligimus degradatos à Marcello Epiſcopos fuiſſe Arianos. Item addiſcimus degradatis Epiſcopis olim conſueviſſe auferri Encolpium. Archiepiſcopali Pallio, ad S. Betinum Anglorum Apoſtolum tranſmiſſo, Honorius I. Pontifex incluſit Sacroſanctam Euchariſtiam: Quod Berinus ipſam ſemper ad collum geſtaverit, teſtatur in ſuis Chronicis Joannes Bromptonus Abbas Tornalenſis. Etiam S. Thomas Cantuarienſis, dum adverſus Henricum Regem pugnaturus & judicandus proceſſit, ſecum detulit Sacroſanctam Euchariſtiam. Lib. 1. cap. 30. Hæc ſuit ejus armatura. Ita in ejus vita teſtatur Heribertus Boſchamenſis. Eundem igitur morem olim habuerunt Hiſpaniarum Epiſcopi. Et hæ ſunt omninò Reliquiæ quas laudat Bracarenſis Synodus. Hinc ipſas non appellat Sanctorum Reliquias, ſed *ſanctas Dei Reliquias*. Et ipſam Thecam appellat *Arcam Dei cum Reliquiis*. Et Canonis præfatio habet: *Bona quidem res eſt Divina Sacerdotibus contrectare Myſteria, ſed cavendum valdè eſt, ne hoc quoque ad prævitatis ſuæ uſum interqueant.* Quis non videat hæc eſſe ſublimiora Sanctorum Reliquiis, & pleno jure quadrare in Sacroſanctam Euchariſtiam?

Adductus Canon nos docet plura. Primò quod apud omnes Hiſpaniarum Eccleſias olim viguerit antiqua & ſolemnis conſuetudo, ut in Sanctorum Martyrum ſolemnitatibus Sacroſancta Euchariſtia ex Epiſcopali Palatio deportaretur ad Eccleſiam. Et quidem cum ſolemni Proceſſione. Fiebat enim *procedente Epiſcopo cum populi progreſſione*. Secundò, quod Euchariſtia deportaretur in ſacra Arca. Tertiò, quod hanc Arcam Levitæ portarent in humeris ad majorem ſplendorem. Quartò, quod quidam Epiſcopi morem hunc immutaverint. Sacroſanctum Sacramentum appendebant ſuo collo, atque ita ſemetipſos transformabant in Dei Arcam, & ſe in ſellulis jubebant ſolemniter deportari ſuper humeros Albatorum Diaconorum. Quintò, quod iſtud fecerint ex gravi vanitate. Forſitan ut unà cum glorioſo Myſterio adorarentur à populis. Sextò, quod Synodus hanc novitatem abſtulerit, & reduxerit antiquam conſuetudinem. Septimò, quod tamen permiſerit Euchariſtiam deportari ab Epiſcopis: Verùm peditantibus. Et ex his lucet iſtam cum Sacroſancta Euchariſtia Proceſſionem eſſe antiquiſſimam apud Hiſpanos. Et tunc fuiſſe frequentiſſimam. Utique in omnibus Martyrum feſtivitatibus. Attamen Euchariſtia non videbatur, clauſa intra Arcam. Attamen hoc dico ex mea ſuſpicione. Non poſſum demonſtrare. Conſuetudo iſta videtur apud Hiſpanos viguiſſe ante plenum totius Gentilitatis ingreſſum in Eccleſiam, ideoque Sacroſanctum Myſterium non potuiſſe deferri apertum omnium oculis. Quidquid ſit, iſtum Canonem, vel certè ſtabilitam ab ipſo pietatem reſpexit beatus Pontifex Pius V. dum fecit quod in ſuo Hiſtoriali Commentario refert Laurentius Surius: *Pius in Feſto Sacroſanctæ Euchariſtiæ, licet fractis eſſet viribus, & Medicorum opera uteretur, attamen veré Pius Pontifex non ſella pro more geſtatus, & non Corona Pontificia ornatus, ſed cum maxima populi ædificatione pedibus ingrediens, illud præſtantiſſimum Corporis Chriſti volvit circumferre Sacramentum.*

Aliud antiquum ſimilis Proceſſionis exemplum nobis demonſtrat Paulus III. Pontifex in Apoſtolico Brevi ad Achillem Carcajum, Familiarem ſuum & Cameratium. Laudatus Pontifex bis Roma exivit. Elapſi ſæculi anno trigeſimo octavo ivit Nicæam, pacem conciliaturus inter Carolum V. Imperatorem & Franciſcum I. Regem Chriſtianiſſimum; Anno autem quadrageſimo primo adiit Lucam, de pace & aliis Eccleſiæ rebus iterum tractaturus cum laudato Imperatore. Hinc igitur ad Urbem rediturus præfato Achilli dedit hoc Breve: *Dilecte fili ſalutem. Cùm nos, concedente Domino, verſus noſtram Civitatem Bononiæ profecturi ſimus, & indè ad Almam Urbem noſtram reverti intendamus, volentes ut Sanctiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus, quod de more præmitti conſuevit, honorificè & religiosè, ut par eſt, ubique recondatur, & perſonæ illud adſolicianes commodè hoſpitentur, Te, de cujus diligentia ſummè confidimus, Commiſſarium noſtrum ad præmiſſa facienda deputamus. Datum Lucæ, decima quarta Septembris.* Eſt antiquiſſima ac piiſſima Romanorum Pontificum conſuetudo. Admodum laudandus eſt Paulus III. quod ipſam continuaverit. Verùm & in iſta Proceſſione Sacroſanctum Sacramentum erat coopertum.

Eſt ritus antiquus. Etenim Gregorius XI. Roma profecturus Anagniam, in Lateranenſi Baſi-

lica Miſſam celebravit, & duas conſecravit Hoſtias : alteram ſumendam, alteram quæ foret Dux itineris, & protectrix. *Primo mane Junii Corpus Chriſti omnibus viam patefecit.* Ampliè hæc deſcribit Petrus Amelius, ex Auguſtinenſi familia, Senogallienſis Epiſcopus, ſub eodem Pontifice Præfectus Apoſtolici Sacrarii. Et de Benedicto
Lib. 10. XIII. Antipapa, per Conſtantienſe Concilium degradato, & tamen dignitatem recuſante deponere, ſcripſit in Francotum Hiſtoria Paulus Æmilius : *Metu ignominiaque permotus, ne à quoquam violaretur, Sacroſanctum Domini Corpus præ ſe ferens, in Catholaniam ad Natales ſuos Tarraconenſes conceſſit.* Et de ſemetipſo Mantuam profici ſcente ſcribit in Commentariis Pius II. *His arcu la jungebatur aurea, equo albo rectus, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Euchariſtia, id eſt, Hoſtia Salvatoris ſacrata, & ſericum deſuper umbraculum.* Alexander VI. ad Var-
Diar. 2. tonis Oppidum profectus fuit, acturus cum Alphonſo II. Rege Neapolis. Quod ante ipſum Sacroſanctа Euchariſtia in albo equo deportata fuerit, teſtatur Brocardus in ſuis Diariis. Eundem ritum ſervatum legimus à Julio II. Leone X. Clemente VII. Clemente VIII. ac aliis Pontificibus. Quin immò de Septimo Clemente & Carolo V. Imperatore, poſt Auguſtam Coronationem ſolemniter equitantibus per Civitatem Bononienſem ſcribit Paulus Jovius : *Non multum inde ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea umbella, loculo chryſtallino incluſa, & ſillæ genereoſi, ſed tamen pacati equi ſuperimpoſita. Lucerna ingens ante, & circum dena funalia ferebantur.* De eodem Clemente, proficiſcente Maſſiliam, ſcribit ex Blaſii Cæſenatis Diario Angelus Rocca, Tagaſtenſis Epiſcopus, ac Apoſtolici Sacrarii Præfectus : *Amburno Maſſiliam uſque Clemens navigavit, Sanctiſſimo Sacramento cum univerſa Societate in alta triremi, quam Ducciſſam vocitabant, ante Summum Pontificem delato. Maſſiliam denique ſolemniſſimo apparatu cum Sacratiſſima Euchariſtia ingreſſus eſt.* Eſt res antiquiſſima. Etenim omnes olim Fideles habebant iſtum ſui itineris Sacroſanctum Comitem, Solatium, & Cuſtodem. Et in terra & in mari. Nec eſt dubitandum, quin Epiſcopi, præſertim Romanus, ei adjunxerint ſingularem reverentiam atque ornatum. Olim in ſolemni etiam proceſſione qua noviter conſecratus Pontifex ex Vaticana Baſilica deducitur ad Lateranenſem, ante ipſum deportabatur Euchariſtia. Omnem horum rituum ſeriem largè exponit laudatus Angelus Rocca in ſingulari opuſculo de Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus, præferendo.

Etiam S. Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus, totius Anglicanæ Eccleſiæ Primas, ſuppeditat exemplum. Et magis appoſitum. Magnus Gregorius omnes Cathedrales Anglorum Eccleſias voluit eſſe Monachales ſub Regula S. Benedicti. Hinc ex variis cauſis lapſam Diſciplinam reſtauraturus Lanfrancus, qui poſt acquiſitum à Normannis Regnum primus gubernavit Anglicanam Eccleſiam, edidit Decreta ſeu Conſtituta, per S. Benedicti Filios obſervanda tam in Eccleſiis, quàm in Monaſteriis. Inter cætera pulcherrimè ordinavit proceſſionem Dominicæ in palmis, & ſtatuit : *Cantore incipiente Antiphonam*, Occurunt turbæ, *exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eis Sacerdotibus illuc debet eſſe delatum, in quo & Corpus Chriſti debet eſſe reconditum. Ad quod Feretrum præcedant ſtatim, qui vexilla portant, & Cruces & cætera, quæ ſuperiùs dicta ſunt.* Sancit ipſum geſtari per omnem proceſſionem : Et honorari piiſſimis ceremoniis. Quò etiam referri poteſt proceſſio, quæ cum Dominico Corpore ſit feria quinta, & feria ſexta majoris hebdomadæ. Apud Latinas Eccleſias eſt antiquiſſima.

Aliud antiquum exemplum habemus apud Joannem, Hugualdenſis Monaſterii Priorem, in ſupplemento ad Anglicanam Hiſtoriam Simeonis Monachi Dunelmenſis. Exponit Davidis Scotorum Regis injuſtum in Stephani Anglorum Regis fines inſultum, enumerat fideles Anglicani Regni in confiniis Barones, & proſequitur : *Qui omnes precedentes ſecus Altertan in campo quodam de feudo S. Cutberti, Standart, id eſt, malum navis erexerunt, vexillum S. Petri, & S. Joannis de Beverlaco, & S. Wulfridi Ripum in eo ſuſpendentes, & Corpus Domini ſuperimponentes, ut eſſet ſignifer & Dux Prælii eorum. Miſit ergo cum eis Archiepiſcopus Turſtinus Radulphum Novellum, Epiſcopum ſuffraganeum ſuum, & viros diſciplinatos, qui ad pœnitentiam ſuſciperent, & ut de ſpe futuræ vitæ per ſatisfactionem inſtruerent. Ipſe Archiepiſcopus à Principibus ab hac proceſſione ad pugnam conſultius revocatus, orationibus & obſecrationibus in efficiſcione magna & contritione cordis inflabat cum ſuis Clericis, donec renunciatum eſt fuit, quantam erepitonis gratiam Populo ſuo præſtitit Deus. Igitur in Octavis Aſſumptionis S. Mariæ, undecimo Kalendas Septembris, feria ſecunda univerſus Exercitus circa Standart convenit, ne quis de fuga præſumeret, equis procul amotis. Omnes autem mori, aut vivere pro Patria unanimiter decernentes.* Turſtinus ille fuit Eboracenſis Archiepiſcopus, vir clarus ſcientia & vitæ ſanctimonia. Anglorum Scriptores bellum iſtud appellant bellum Standardicum. Ipſum ampliè deſcribunt Richardus Prior Hugualdenſis, & Ailredus Abbas Rievalenſis. Hic ſuo in opere nobis reliquit etiam veram Standardi effigiem. Sacroſancta Euchariſtia fuit aperta in iſtius faſtigio, ſine omni velamine. Et Dominus Deus iſti piiſſimo bello dedit plenam victoriam.

CAPUT III.

Exponitur origo ſatrarum Proceſſionum cum Venerabili Sacramento.

MAtthias Feliſius & Gregorius de Valentia cenſent ſolemnes cum Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento Proceſſiones eſſe coævas Hæreſiarchæ Berengarii erroribus, utpoté inſtitutas ad ipſorum confutationem & victoriam. Verùm antiquæ adeò inſtitutionis nullus eſt teſtis, nulla memoria, nullum exemplum. Quapropter prima iſtius pietatis origo eſt Urbanus IV. Pontifex, qui ex magnis rationibus inſtituit Sacroſancti

sancti Dominici Corporis festivitatem, quotannis celebrandam feria quinta post Festum SS. Trinitatis. Ipsum Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconum suis per Venerabilem Hugonem Cardinalem, tunc Priorem Provincialem Patrum Prædicatorum, ac alios eximios Magistros probatis revelationibus moverat Beata Juliana, ibidem in leprosorio Sanctimonialis, postea verò Romanum Pontificem permovit Miraculum, de quo Onuphrius Panvinus : *Miraculum hoc tempore Vulfinii, in Diœcesi & Ditione Urbe-Vetana, in Ecclesia S. Christianæ accidit. Nam dum Sacerdos quispiam sacra Missarum solemnia celebraret, Sacramento jam confecto, de panis & vini transubstantiatione & Christi Corpore dubitavit. Unde statim dicta & audita mirum, ex sanctissima, quam in manibus tenebat, Hostia vivus Sanguis manare cœpit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quo Miraculo attonitus Pontifex Urbanus IV. Corporale primum ad se ab Episcopo loci cum Processione in Urbem-veterem transferri voluit, & illud solemnitate instituta, in Ecclesia Urbe-Vetana recondidit.* Saraceni, à facinoroso Manfredo Siculorum Tyranno evocati, tunc infestabant, ac devastabant superiorem Italiam, ideoque Urbanus cum suo Clero residebat in Urbe-veteri. Hoc ipsum, cum aliqua tamen circa celebrantem Sacerdotem differentia, in sua Historia refert S. Antonius Archiepiscopus Florentinorum.

Distinctè rem exponit in singulari Opusculo Joannes Trithemius : *Quoniam, quemadmodum Beata Juliana dicere sæpè consueverat, hæc solemnitas fuerat in abscondito consilio Summæ Trinitatis, placuit Altissimo illis diebus manifestum signum facere, quod ad sui Vicarii, hoc est, Apostolicæ Sedis Præsulis, & omnium adstantium notitiam proveniret. Igitur Sacerdos veniens Bolsenam, quod est Oppidum non longè distans ab Urbe-veteri, dum celebraret Missam, dubius in Fide, vidit carneis oculis Hostiam in forma pueratis, & de ea Sanguinem fluere in Calicem. Quo territus, dum conaretur occultare, & cooperire de Corporali, apparuit mox forma pietatis in singulis partibus Corporalis, & ita coactus est populo assistenti Miraculum patefacere. Quod ubi populus comperit, ad Urbem-veterem properans Pontifici nuntiavit mirabilia & stupenda, quæ viderat. Stupente autem curia per Summum Pontificem, qui mecum oblivioni tradiderat, quæ in Leodio approbaverat, dum adhuc apud S. Lambertum resideret, interveniente consilio & assensu Dominorum Cardinalium, deliberatum est, quod Festum Corporis Christi per universam Ecclesiam semel in anno solemniter, feria quinta post Octavas Pentecostes, in toto terrarum Orbe celebraretur. Et vocato Beato Thoma de Aquino, qui tum præsens aderat, præceptum fuit, ut Officium de tali festo secundum usum omnium Ecclesiarum componeret. Thomas autem, Divinarum armarium Scripturarum, cujus mentem obedientiæ & omnium virtutum decor collustraverat, præceptum hoc libenter, breviter, atque insignissimè complevit. In cujus rei testimonium in foribus Ecclesiæ Bolsenæ depictum est Miraculum Sacerdotis celebrantis; depictus est Beatus Thomas, sedens & scribens, tanquam Doctor in Cathedra, circumstante Curia, hujus Sacramenti Officium dictans; depictus est etiam Crucifixus, alloquens S. Thomam, coram se super genua adorantem, & dicens : Bene de me scripsisti Thoma.*

Quæstio est, an Urbanus IV. non solùm Festum instituerit, sed etiam solemnem cum ipso Sacramento Processionem ? plures negant, etenim ex Donati Bossii Chronico scribit Gilbertus Genebrardus : *Centum annis* post Festi institutionem *Papiæ cœpit lustratio Sacramenti, qua Corpus Christi in circulum fertur. Atque tunc ad reliquas Occidentis partes manavit, præsertim Andegavum, ubi Berengarius fuerat Archidiaconus, & Sacramentariam impietatem sparserat, ut Corporis Christi præsentia preces sint ardentiores, Fidei publica fiat Professio contra Sacramentarios, debitus cultus Christo exhibeatur, qui nobiscum corporaliter versari dignatur.* Hæc sunt Donati Bossii verba : *Anno Domini millesimo quadringentesimo quarto, vigesimo Maii, die Jovis, Corpus Christi solemniter, ut postea facilitatum est, per Papiam Urbem circumferri cœptum.* Et certè in diplomate, quo Urbanus festivitatem instituit, nulla fit processionis mentio. Etiam S. Thomas Aquinas in Canonico Officio, quod ex Urbani jussu composuit, omnia festivitatem ac ejus institutionem concernentia distinctè digessit, ac de processione penitùs tacuit.

Respondeo rem lucidè exponi à Joanne Trithemio : *Verùm quamquam Apostolica mandata omnibus Ecclesiis directa fuissent super celebranda nova de Venerabili Sacramento solemnitate, omnes tamen Ecclesiæ obedire dissimulaverunt præter Ecclesiam Leodiensem, quæ ubi Apostolicum Nuncium cum Bullis, Decretalibus, ac Officio apportatis honorificè suscepit, tanquam devota sibi mox quàm celerrimè obedivit, rejecto officio quod Virgo Juliana confici fecerat, utens illo Officio quod B. Thomas Aquinas confecerat. Itaque ab adventu præfatarum Bullarum tota & sola Leodiensis Diœcesis præfatam solemnitatem singulis celebravit annis usque ad tempora Domini Papæ Joannis XXII. qui* 1315. *omnes constitutiones Clementis publicavit, & ad universalia Studia transmisit. Et ultra illas ordinationes Urbani IV. Clementinis Constitutionibus insertas, novas Indulgentias concessit, atque Processionem ordinavit. Ex tunc igitur & deinceps Solemnitas hæc per totius Orbis Ecclesias devotissimè acceptata est ad honorem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Joannes igitur Pontifex Institutum ab Urbano Festum innovavit, & misit in generalem executionem. Hinc de ipso scribit Thomas Walsinghamensis : *Hoc anno Dominus Papa instituit festum solemnitatis Corporis Christi, quod ab Urbano Papa IV. sumpsit exordium.* 1317. Et adjecit solemnem Processionem.

Ad eundem annum scribit in Aurelianensis Ecclesiæ historia Carolus Sausæus : *Rursus idem Episcopus*, Milo de Thailly, *haud ita multo post Concilium Viennense in quo calculis omnium Patrum laudatum fuerat, & votis omnium conspirantibus susceptum festum Corporis Christi, ab Urbano IV. institutum feria quinta post octavam Pentecostes, injunxit omnibus & singulis Prioribus, Capitulis,*

pitulis , Curatis , cæteriſque Rectoribus Civitatis & Suburbii , ut virtute obedientiæ ſibi debitæ , ſingulis annis cum ſuis Proceſſionibus , ad pulſationem Tertiæ , convenirent ad Eccleſiam S. Crucis , inde cum Proceſſione dictæ Eccleſiæ ad Eccleſiam S. Petri Vincula , nec à Proceſſione receſſuri , niſi poſt ſermonem , qui ad populum faciendus eſt poſt reditum Proceſſionis , quo completo unuſquiſque ad Eccleſiam ſuam ſit reverſurus , ad Divinum Officium ibidem peragendum . Actum Magduni , die lunæ poſt octavam Pentecoſtes , anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo . Videntur quædam , etiam intra Galliam , Eccleſiæ Joannis item Ordinationibus non ſtatim obediſſe . Hinc aliquot poſt ipſas annis Milo Epiſcopus eas debuit tam rigidis Mandatis mittere in executionem. Ex eodem principio Papienſis Eccleſia non niſi quinti decimi ſæculi quarto anno cœpit hanc Proceſſionem admittere . Haud dubiè & plures Italorum Eccleſiæ non ſtatim admiſerunt. Etenim Romanus Pontifex cum ſuo Clero tunc reſidebat in Gallia, ideoque Italia ad ejus Sanctiones erat ex cauſſis moroſior. Omnes Latinæ Eccleſiæ & feſtivitatem & Proceſſionem jam pridem admiſerunt.

Proinde Urbanus IV. ſolemnem hanc Proceſſionem videtur omninò inſtituiſſe . Etenim Onuphrius Panuinus diſertè ſcribit : Quo miraculo , Volſiniis facto circa Sacroſanctam Euchariſtiam , *attonitus Pontifex ad ſe ab Epiſcopo loci cum Proceſſione Urbem veterem transferri voluit* Sanguinolentum Corporale , *& illud Solemnitate inſtituta in Eccleſia Urbe Vetana recondidit .* Et poſt quædam proſequitur : *In cujus poſteà rei memoriam Cives Urbe-Vetani Nobiliſſimum Templum Deo & Beatæ Virgini Mariæ à fundamentis conſtruere cœperunt , tanta mole , apparatu , & impenſarum magnitudine celebre , ut nullum in toto terrarum Orbe tunc ei potuerit comparari . Cæterum hoc non niſi vigeſimo quinto anno , poſt Chriſti verò milleſimo ducenteſimo nonageſimo factum fuit , Nicolao IV. Pontifice maximo , qui eodem anno , die decima tertia Novembris , primum lapidem in maximi & Auguſtiſſimi Templi fundamentis , Cardinalibus cum omni Romanæ Curiæ , multis peregrinis Prælatis , Epiſcopo Civitatis , Clero , Magiſtratibus , Nobilibus , & univerſo Populo Urbe-Vetano adſtantibus poſt celebres Supplicationes habitas , ſolemniter poſuit , maximaſque ſingulis annis ipſo die Eccleſiam illam viſitantibus Indulgentias largitus eſt , ab aliis poſteà Pontificibus confirmatas & auctas . In quo celeberrimo Templo cum perfectum penè fuiſſet , poſteà Sanctum Corporale collocatum eſt , quod ſingulis annis in die Corporis Chriſti in celebri illa Supplicatione devotiſſimè circumfertur , ſimilimis omnibus populis eò illa die ad videndum confluentibus .* Urbanus igitur quartus omninò videtur Proceſſionem inſtituiſſe ac inchoaſſe , & Urbis-veteris Eccleſia videtur ſemper continuaſſe . Et certè hoc innuunt Urbani , quo feſtivitas inſtituitur , diplomatis verba , *tam Clerici quàm Populi gaudentes in cantica laudum ſurgant . Tunc omnium corda & vota , ora & labia hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris.* Attamen Proceſſionem non præcepit, nec impoſuit toti Eccleſiæ .

Hanc noſtram Doctrinam inſigniter illuſtrat in ſecundo ſui Apologetici Tomo Venerabilis Guillielmus Lindanus . Lutherani non ſolumodò cum Calviniſtis , ſed etiam inter ſeſe ſunt Cadmæi fratres. Quidam Venerabilis Sacramenti & feſtivitatem & Proceſſionem, quidam improbant ſolam Proceſſionem . Hi igitur inquiunt : *Certum eſt Feſtum Venerabilis Sacramenti non ad circumgeſtationem inſtitutum eſſe, ſed ad celebriorem Conventum , & ut homines ſeſe illo die ad Sanctam Communionem venerarent ſuſcipiendam præpararent .* His igitur Venerabilis ille ac eruditus Ruremondenſium Epiſcopus reſpondet : *ſed unde , obſecro , certum eſt ſolemni Plorum Communioni ab Urbano non fuiſſe adjunctum ſolemnem , etiam Venerabilis Sacramenti circumgeſtationem ? Certè qui occaſionem atque ſcopum illius feſti ab Urbano IV. inſtituti prudenter juxta illorum temporum Hiſtorias perpenderit , videbunt , opinor , non pro abſurdo habendum , ſi quis ad illius Feſti originem pertinere dicat illam ſolemnem circumgeſtationem , quæ ſtato die tam ſolemniter toto Chriſtiano Orbe celebratur . Quo enim Reliquias Sacramentariæ hæreſos , per Berengarianos & Albigenſes hæreticos paſſim per Gallias & alibi tunc temporis graſſantes , Urbanus ſemel abolveret , Feſtum illud ſub annum Domini milleſimum ducenteſimum ſexageſimum ſextum inſtituit . Quo die omni honoris pompa , & publica omnium Chriſtianorum lætitia , Venerabile illud Sacramentum voluit omnibus proſequendum . Jam quis Plorum negaverit eximios Chriſto Domino honores , ſi unquam alias , publica hac Proceſſione exhiberi ? Quos nullus dixerit immodicos , niſi qui ſuæ ſalutis oblitus , Chriſto Domino reperiatur invidus .* Proinde Urbanus IV. Proceſſionem , licèt non præceperit , omninò tamen probavit ac inchoavit.

Etiam impoſitum à Joanne XXII. præceptum ſucceſſores Pontifices confirmarunt atque honorarunt . Etenim ad quinti decimi ſæculi exordium ſcribit S. Antoninus : *Curia Florentiæ reſidente , Martinus Papa V. multa auxit ad celebrationem Feſti . Et primò , quod ſtatuit eo die interdictum in omnibus Eccleſiis , ubi fuiſſet poſitum , ipſo jure relaxari , ſicut in Reſurrectione Dominica , die Natali , Pentecoſtes , & Aſſumptionis B. Mariæ . Secundò , duplicavit Indulgentias conceſſas Intereſſentibus Divinis Officiis ab Urbano IV. Tertiò , addidit & novas Jejunantibus Vigiliam Feſti . Ac etiam Communicantibus in ipſo centum dies conceſſit . Et ſimiliter Adſociantibus Proceſſionem , quæ fit de mane cum Sacramento . Aſſociantibus etiam Sacerdotem , cum defert Sacramentum infirmis , aliquot dies Indulgentiarum contulit . Sed & ſucceſſor ejus Eugenius IV. Florentiæ manens cum Curia , duplicavit dictas Indulgentias conceſſas à Martino V. Et mandavit per extravagantem , quod in Dominica præcedente ipſum feſtum Prælati faciant in prædicationibus hoc populis intimari . Et quod debeant hæc inter lectiones , quæ dicentur infra Octavam Feſti , ſcribi & legi , ſeu cantari , ſicut & aliæ lectio-*

lectiones. Dum Hispaniarum Reges cum Romana Ecclesia disceptarunt de Regno Siciliæ, ad ipsos in obedientiam promovendos Romani Pontifices omnia ipsorum in Hispaniis Regna suppositurunt Ecclesiastico interdicto. Verùm ipsi spreverunt omnia. Censebant suum Jus niti firmis & lucidis fundamentis. Quare Catholicissimæ istæ Provinciæ pluribus annis permanserunt sine publico Divinæ Majestatis officio. Hinc post relaxatum vinculum plurimi Adolescentes & Juvenes istius Officii externam paraturam, quoniam nunquam viderant, riserunt, & quasi spreverunt. Puritissimum hoc fuit Bonifacio VIII. Pontifici, & toti Romanæ Ecclesiæ. Hinc fanxit, ut Generale Interdictum semper adnexam haberet exceptionem quatuor Festorum, Paschatis, Pentecostes, Dominicæ Nativitatis, & Assumptæ Virginis. Ità in suis Annalibus scribit Albertus Argentinensis. Facta est ista gratia, quo Divinorum Officiorum solemnitas deinceps ex itali causa non caderet in oblivionem fidelium. Martinus V. extendit ad Festum Dominici Corporis, Calixtus III. postmodò extendit ad Festum Dominicæ Transfigurationis. Ita testatur Magnum Chronicum Belgarum.

Anno 1267.

Dominici Corporis Festivitatem ac Processionem laudat & confirmat, ipsarumque in Ecclesias introductarum rationem exponit etiam Sacrosancta Synodus Tridentina: *Declarat Synodus piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & Festo die præcelsum hoc & Venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari & rara quadam significatione gratos & memores testantur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè Divino Beneficio, in quo mortis ejus victoria & Triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta Universæ Ecclesiæ lætitia positi vel debilitati & fractitabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando respiscant.* Et iterùm: *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque adeò nec Festiva peculiari Celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, Populo proponendum, & ejus Adoratores esse Idololatras, anathema sit.* Ista igitur Processio est quasi solemnis Christi Domini triumphus de Berengario, wicleffo, Luthero, Calvino, & cunctis ipsorum sectatoribus. Quarti Urbani tempore Paganismus erat apud nos plenè extinctus. In Latina Ecclesia nullus Paganus supererat. Nec ullus Catechumenus. Etenim à pluribus jam sæculis omnes baptizmur in prima infantia. Proindè etiam tunc nullus erat obex, ex quo Sacrosancta Eucharistia non posset publicè exponi, & circumferri.

Sess. 13. c. 5.

Tridentina Synodus omninò respexit ad solemnem illam, elapsi sæculi anno trigesimo factam in Augusta Vindelicorum Civitate, & Lutheranorum injuriis affectam Processionem, de qua Laurentius Surius in historiali Commentario scribens de Imperatore Carolo V. veniente in præfatam Civitatem ipsa vigilia Venerabilis Sacramenti: *Intra Urbem excepit eum Augustanus Episcopus cum Clero, & sub Umbella ad summam ædem perduxit. Ejusdem diei vespera, & manè sequenti multum egit per suos cum Saxone & aliis Lutheranis Principibus, ut interessent Processioni publicæ, qua gestanda erat Sacrosanctæ Eucharistiæ. Sed hoc ab eis impetrare non potuit, cum ferè ad meridiem cum illis egisset. Perseverarunt enim illis ipsorum Concionatores Idololatriæ crimen admitti ab iis, qui Eucharistiam adorarent. Negant Christum in Eucharistia esse extra tempus sumptionis. Fuit ea horrenda blasphemia, sed illi in sua sententia, tamquam in magna luce, permanserunt. At verò Cæsar Religiosissimus, cum Hispanis quoque & Belgicæ Proceribus, illi Processioni cum quadam eximia in Deum pietate, & haud vulgari splendore interfuit. Eucharistiam gestabat Cardinalis Moguntinus, à dextris Rege Ferdinando, à sinistris Joachimo Brandemburgico Principe eum deducentibus. Ante Eucharistiam præcedebant Principes sæculares, itemque Cleris cum aliis permultis. Post eam sequebatur Carolus Imperator nudo semper capite, tametsi Sol esset ardentissimus, in manu ferens quadrifidam facem ardentem. Quod idem voluit fieri à cunctis Proceribus & Principibus. Imperatorem sequebantur omnes Archi-Episcopi & Episcopi. Umbellam ipsam, sub qua portabatur Sacrosancta Eucharistia, vicissim gestabant seni Principes Seculares. Porrò longissima Processione diversi generis Musici concinebant in laudem Dei. Omnibus ritè peractis, Cæsar valdè acerbè tulit Lutheranorum Principum detrectationem, justisque ut quamprimùm altera die, cum fide publica, Augusta excederent. Sed Principum Catholicorum precibus se ab ea sententia deduci passus est.* Ad Christum Dominum contra similes Lutheranorum & Calvinistarum contumelias vindicandum prodierunt laudata Decreta Tridentini Concilii.

Fol. 150.

Can. 6.

CAPUT IV,

Expenitur istius Processionis ac Pietatis extensio ad alias etiam Festivitates.

ISta per Urbanum IV. inchoata, & per Joannem XXII. Præcepto confirmata, circumferendæ Eucharistiæ pietas adeò placuit omnibus fidelibus, ut statim extendi cœperit ad plures alias Processiones ac Festivitates, Et ista extensio intra modicum tempus admissa fuit apud omnes Latinas Ecclesias. Etenim ad quarti decimi sæculi annum octuagesimum nonum scribit Thomas walsinghamensis. *Per idem tempus Cantabrigiæ in Festo Commemorationis S. Pauli occurrebat & Festum Dedicationis S. Mariæ ibidem. Ad quod Festum amplius bo-*

Fol. 339.

noran-

norandum in Processione per Parochiam deferebatur Corpus Dominicum super humeros duorum Sacerdotum in Feretro, non ponderoso, sed tam levi, ut à septenni puero sine vexatione portari tota machina potuisset. Procedebat igitur, & præcedebant isti Presbyteri, supportantes Corpus Domini per dictam Villam, donec venirent ad locum Fratrum Augustinensium, qui situati sunt circa Mercatum Villæ, ubi repente Feretrum, quod æqualiter utriusque humeris accline erat, se subevigens nitebatur quasi quadam virtute imperceptibili ab eorum humeris refilire, efficiebaturque adeò ponderosum, ut Sacerdotes vix neque possent sufferre tantum pondus, neque Feretri fines humeris iterùm retrahere & applicare. Torquuntur proindè, & sudant, & anhelant præ labore nimio, Lakorum auxilium flagitantes. Accurrunt Laici, manus super ponunt; sed quod mirabile fuit, nihil ponderis perfenserunt. Cumque pertransissent omnem loci situm dictorum Fratrum, Feretrum igitur repente super illorum humeros æqualiter requievit, sed tunc quidam ineptus, & verè miser, incomposito motu corporis cæpit saltare, sive tripudiare coram Eucharistia, quem incontinenter apprehendit terribilis valdè vindicta. Nam inter jocandum repentè corruit, & post pusillum, spiritum exhalavit. Horum causa mirabilium à multis multipliciter est interpretata, quam judicare nos prætermittimus, malentes aliis judicium derelinquere, quam de incognitis inconsultò aliqua definire. Hoc tantùm audemus adjkere, quod magna & formidabilis pestilentia extemplò subsecuta est Cantabrigiæ, qua homines subitò, pro ut dicebatur, sospites, correpti mentis frenesi, moriebantur sine Viatico, sine sensu.

Quibus addiscimus varia. Primò, quod isto tempore in sacris Anglorum Processionibus Eucharistia deferretur non manu unius, sed humeris duorum Sacerdotum. In Feretro. Erat mos antiquissimus Gentis. Nam & S. Lanfrancus irà gestari jusserat in Processione Dominicæ Palmarum. Quare certum videtur, quod apertam Eucharistiam circumferri jusserit sine omni velamine. Eodem modo olim in Sanctorum Martyrum Festivitatibus delata fuit ab Hispanis. Sed per Diaconos. Lucet ex superius laudato Canone Braccarensis Concilii. An aperta, an velata fuerit, non possim definire. Secundò discimus, quod sacrosancta Eucharistia apud Anglos videatur totam Processionem tunc præcessisse ac duxisse. Et erat fundarum in rationibus. Tertiò, quod Anglicana tunc Ecclesia sacrosanctum Sacramentum non in sola ejus Festivitate, sed etiam circumferret in Civitatum ac Oppidorum Dedicationibus. Etenim quod Cantabrigia tunc faciebat, faciebant & aliæ Civitates ac Oppida. Et iste annus non erat istius circumgestationis exordium, sed illa tunc fiebat ex more Majorum, & antiqua Consuetudine. Oportet morem cœpisse statim post Diploma Joannis Pontificis.

Alium deferendi morem ex Brundusina Joannis Caroli Verani Historia adducit, in laudato superiùs opusculo Angelus Rocca: *Brundusii in hanc usque diem mos observatus obtinuit, ut singulo quoque anno in solemnitate Corporis Christi Sanctissimum Sacramentum equo albo, nec non mansueto, ac pulcherrimè phalerato, per Civitatem deferatur. Quare Archi-Episcopus hac die, Sacerdotalibus vestibus, pluvialique interea indutus, taliquè equo insidens, Sanctissimum Sacramentum à duobus Acolythis astitudè incensatum, in Supplicatione maximè solemni, sub Umbella à sex Canonicis delata, gestare solet, duobus Civitatis Primariis, Gubernatore scilicet & Regio Assessore, equi frenum tenentibus, ipsumque ducentibus.* Et adjungit rirus causlam atque originem. Eucharistia, quæ Summum Pontificem præcedit, quandoque etiam ab albo equo, quandoque deportatum duobus albis mulis. Et magna illis impenditur gratia. Etenim postmodo sunt liberi ab omni opere. Nec mirum. Nam & Corinthii civis equus, qui Joannem Pontificem portarat, nullum deinceps est passus insessorem. An iste mos etiam hodie tenetur apud Brundusium, ignoro. Quidquid sit, est alibi abrogatus. Etenim sacra Dominorum Cardinalium Congregatio sanxit Eucharistiam deinceps in Solemni Processione non de ortari nisi per manus Sacerdotis. Ita testatur Bartholomæus Gavanrus.

Pietas assiduè crevit, extensa ad alias etiam Festivirates ac Processiones. Etenim ad decimi sexti sæculi quinquagesimum octavum annum scribit in Aurelianensis Ecclesiæ Historia Carolus Saussejus, Decanus ejusdem Ecclesiæ: *Maturinus die decima nona Octobris laudat Indulgentias à Reverendissimo Cardinale Trivultio, Pauli IV. Papa à Latere ad Serenissimum Regem Henricum Legato, Confraternitati SS. Sacramenti, in Eccles. S. Petri in semita læta hujus Civitatis institutæ collatas, ejusque Institutum summo studio approbat, per quod singulis primis diebus Dominicis cujuslibet mensis anni, post Vesperarum expletum Officium, fit prædicatio solemnis de Eucharistiæ Sacramento.* Qua facta, *ut acta loquuntur*, processionaliter defertur Eucharistiæ Sacramentum per circuitum Ecclesiæ intra illam, in qua magna populi multitudo cum tædis, cereis & candelis magna devotione confluit. Datum Moreti, Diœcesis Lenonensis, nono Kalendas Aprilis. *Quæ annotare libuit, ut nos qui inde in alias Parœcias similis observationis inolevit per Urbem & Diœcesim, laudatus ab Apostolica Sede, & à nostris Episcopis comprobatus, Adversantium calumnis superior augescat majori in dies erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum devotione, & ad posteros felicissimè transferatur.* Hæc scribit ad laudes Venerabilis Joannis Morvilliers, qui isti Ecclesiæ fuit X. Episcopus illius nominis. Etiam de proximo ejus Antecessore Petro Castellano, quarto istius nominis scribit: *Invenimus eum laudasse Indulgentias à Summo Pontifice Confratribus Sanctissimi Sacramenti concessas in Ecclesia S. Pauli Aurelianensi.* Ex quo lucet hanc pietatem in Ecclesia Aurelianensi ac omni Gallicana Ecclesia esse antiquam. Carolus Decanus rectè adjungit: *Adversantium calumnis superior augescat, &c.* Videtur prophetasse.

Lib. 15. Cap. 3.

Lib. 14. C. 35.

Eadem

Eadem pietas jam pridem viget in omni Italia. Etenim in quarta ſua Synodo ad titulum de pertinentibus ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſanxit S. Carolus Borromæus : *Canonici ſinguli , & qui Dignitates obtinent , cum proceſſiones publicas , illam præſertim ſolemnem , quæ in celebritate ſacræ Dei Corporis Domini agitur , atque alias item in portando ſanctiſſimo Sacramento ſingulis menſibus conſtitutas obeunt , intortitium accenſum in manibus , capite aperto , ferant* . Iſtas menſtruas proceſſiones non inſtituit , ſed paſtim ſupponit jam pridem inſtitutas. Per omnem Provinciam ſuæ Metropoleos. Eandem pietatem obſervat Eccleſia ac Provincia Bononienſis . Etenim iſtius Eccleſiæ Archiepiſcopus , Dominus Gabriel Palleotus , probavit ſanctiſſimi Sacramenti Confraternitates , ipſas obſtrinxit ad ſimilem omni menſe Proceſſionem , & iſtud vinculum perpetuò ſtatuto ſtabilivit in libro Rituali laudatæ Eccleſiæ : *Infra annum ſingulis menſibus Confraternitates has proceſſiones celebrabunt in unaquaque Parochia aut Eccleſia , in qua erecta ſint , prima Dominica cujuslibet menſis , aut aliis Dominicis diebus , dummodo quolibet menſe ea celebrent , eo cultu & veneratione , ut ſanctiſſimum Sacramentum majori præter ſolitum luminum numero reverenter & devotè deferatur.* Eadem pietas obſervatur in Romana Eccleſia. Etenim Vaticana Baſilica habet ſimilem Confraternitatem , & omni menſe ſimilem Proceſſionem . Eadem pietas magno cum fructu jam à ſæculis viget in quatuor Ordinibus Fratrum Mendicantium. Et pietatem Apoſtolica Sedes probat & commendat pluribus Indulgentiis. Eadem pietas ſtatim poſt Joannis Pontificis Decreta implevit omnem etiam Germaniam . Colonienſis Eccleſia Sacroſanctum Sacramentum , non in ſolo ejus feſto circumfert, ſed etiam ſolemniſſimè feria ſexta poſt Paſcha, quem diem jam à multis temporibus appellat Feſtum Theophoriæ . Iſtud ipſum facit etiam in aliis Feſtivitatibus. Nunc per hujus , nunc per iſtius Baſilicæ Clerum ac populum . Hinc ejus Archiepiſcopus Adolphus , quadrageſimo nono anno elapſi ſæculi , ex mandato Imperatoris Caroli V. ad vetuſta Eccleſiæ Dogmata contra Lutheranas novitates ſtabilienda celebravit ſuæ Provinciæ Synodum , & emiſit hunc Canonem : *Eccleſia de theſauro Corporis Chriſti exultans , circumfert longis proceſſionibus extra ſacras Ædes Hoſtiam illam ſalutarem , videlicet ſimul repræſentans itineris Chriſti hiſtoriam , qui dum quæreret ſalutem noſtram , in medio populi verſatus eſt , & univerſam Judæam perambulavit comitantibus diſcipulis* . Marginalis ſcholiaſtes adjungit : *Patres dant & alias rationes , quarum præcipua eſt . Fideles , quando prælata Cruce procedunt extra Eccleſiam , & ad eam revertuntur , admoneri imitationis Chriſti , qui de ſummo cœlo egreſſus in mundum per Crucem regreſſus in gloriam Patris* . Utraque ratio eſt congrua. Verùm poſterior in proceſſiones fidelis populi, prior quadrat in Proceſſionesipſius Chriſti Domini. Nempè in illas , quæ ſacrum ejus Corpus ſolemniter circumferunt . Hanc pietatem vigere per omnem Germaniam,, teſtantur in ſuis Opuſculis de Sacris Proceſſionibus Nicolaus Serarius ac Jacobus Gretzerus.

Joannis Pontificis præceptum fuit à Germanis adeo dilectum , ut proceſſionum pietas creverit in exceſſum , ac ſiſti debuerit . Etenim in ſua Metropoli , ſeu in Eccleſiaſtica Saxonia hiſtoria ſcribit Albertus Crantzius , Decanus Hamburgenſis Eccleſiæ : *His temporibus memorandus diu vir , Dominus Nicolaus de Cuſa , Cardinalis de Latere Legatus , venit in Germaniam , & multa in Provinciis conſtituit , quæ ſi obſervarentur , melùs ſe in pleriſque res haberent . Literæ ſervantur in Archivis Eccleſiarum : Hoc ſatis eſſe putant . Cæterum in executione operis nihil apparet . Fertur idem inter alia ſalubria conſtituiſſe de Venerabili Euchariſtia , cujus erat tunc , ut nunc , quidam abuſus , cum in publicum deferretur in diebus Jovis per anni circulum . Res , ut prima fronte prætenditur , devotioni parata , ſed ut evidenter clarùit , per crebram ejus oſtentationem vileſcente , quæ ſemper ardens & ſumma eſſe debuit , reverentia. Conſtituit ergò ut non in publicum efferretur , niſi infra octavam feſtivitatis inſtitutæ ad honorem SS. Euchariſtiæ. Præſertim quia uſus ejus à cœleſti Magiſtro inſtitutus eſt ad eſum , non ad oſtentationem. Sunt enim pleraque inter homines , quorum initia ſalutaria ſunt , ſed progreſſus non ita* . Revera proceſſio iſta non expedit omni quintæ feriæ. Hæc tamen verba , *Non ad oſtentationem* , non benè olent. Sunt unum ex argumentis Lutheranorum & Calviniſtarum. Antidoton habes in ſecundò Apologetici Tomo Venerabilis Guilielmi Lindani , Epiſcopi Ruremondenſis.

Hanc Germanicam pietatem debemus Sereniſſimæ & Chriſtianiſſimæ Domui Auſtriacæ, de cujus nobiliſſimo Ramo, aut potius radice, Rodulpho I. Imperatore, apud Nicolaum Serarium in Moguntinæ Eccleſiæ hiſtoria ſcribit manuſcriptus Codex incogniri Fratris Minoris : *Rudolphus Comes in Habſpurg juxta Brug in Hergovv , vir timens Deum , die quodam , optimo ſedens equo , trans campum equitans cum quodam ſervo Sacerdotem quemdam Sacramentum Euchariſtiæ ad infirmum portantem , præcedente Miniſtro , obvium habuit . Cui Comes ait : cur bone Domine , tam digna ſarcina onerate , aſperum & lubricum iter non equitatis ? Et ille inquit : Non habeo præbendam valoris tanti , ut poſſim equum comparare . Et Comes : decipite hunc meum equum , & eo deinceps pro Dei honore utamini . Compulſus in hoc facto ſocius itineris , & ipſe ſuum caballum dedit Sacerdotis Miniſtro . Cumque veniſſent ad quandam incliſam , cui Deus hæc revelaverat , inter alia audierunt ab ea : Domine Rudolphe , vos hodie honoraſtis Deum in equo , ecce Deus largus Remunerator infra triginta annos vos honorabit , & ad magnum honorem aſcendetis . Factus eſt enim poſtèà Imperator , poſt viginti duos annos* . Hoc ipſum referunt Chronicon Domus Auſtriacæ, & Chronicum Helveticorum. Rudolphus Imperium accepit decimi tertii ſæculi anno ſeptuageſimo tertio , novem annis poſt inſtitutum Feſtum Sacroſancti Myſterii . Hinc igitur

Lib. II. c. 39.

igitur Domino Deo, qui ex parvo maximum fecerat, ſtudens non eſſe ingratus, feſtivitatem & proceſſionem zeloſiſſimè promovit per omnem Germaniam. Et ipſe, & ejus Succeſſores.

CAPUT V.

An in ſacris Proceſſionibus, quæ Sacroſanctum Sacramentum circùm-ferunt, rectè circùmferantur etiam ſacræ Sanctorum Reliquiæ aut Imagines?

QUidam hodie negant. Et edunt ſtrepitus ac motus. Et adjungunt rationem: *Nec aliquas Sanctorum venerandas Reliquias aut Imagines, etiam B. Mariæ Virginis, cum ipſo ſanctiſſimo Sacramento conferant, aut circumferri permittant, ut populi non diſtrahatur ad plura devotio, & ut uni ſoli Deo, cui debetur in ſolidum, ſuus reddatur honor & gloria.* Reſpondeo tamen longe aliud cenſuiſſe ac ſanxiſſe laudatam Adolphi Colonienſis Archiepiſcopi Synodum. Etenim poſtrema ſua verba, *comitantibus diſcipulis*, commentans proſequitur: *Quamobrem & SS. Reliquias, & Imagines eorum, qui veſtigia ejus ſecuti ſunt, ſimul circumferimus, ſignificantes illos nunc cum ipſo regnare & triumphare in cœlis. Quæ memoria debet plis eſſe jucunda & læta.* Affirmat varia. Primò, quod in ſacris proceſſionibus rectè circumferatur Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum. Sanxit enim in Lutheranorum impietatem, quam Auguſtæ patratam ſuprà audivimus. Sanxit ex mandato Imperatoris Caroli V. iſta impietate graviſſima offenſi. Secundò affirmat, quod iſta circumgeſtatio nobis repræſentet varia Chriſti Domini pro noſtra ſalute itinera. Tertiò, quod Sacramento paſſim & rectè adjungantur venerandæ SS. Reliquiæ ac Imagines. Quartò, quod iſta adjunctio non careat rationibus. Etenim nobis repræſentat Chriſti Domini diſcipulos, ipſum olim comitatos in præfatis itineribus, & jam comitantes, ac per omnem æternitatem comitaturos in ſempiterna gloria. Quæ memoria omnibus piis eſt veraciter jucunda ac læta; Piiſſima ac jucundiſſima per omnem proceſſionem meditatio.

Et hinc Synodus rectiſſimè adjunxit: *Nihil propè tam ſanctum eſt, quod ſæcularium hominum vanitas non trahat in abuſum.* Et iſta evenit circa iſtam piam ac jucundam memoriam. *Hinc ſæcularis ſtultorum hominum vanitas irrepſit, & adhibentur etiam ludi prophani, & ſcurriles magno ſtrepitu, & quaſi ad bellum procedendum eſſet, tympana pulſantur, & otioſa ſpectacula eduntur, rebus iſtis non congruentia, quibus populus delectatus à rebus quæ proceſſione aguntur, avocatur. Mandamus idcircò, ut juxta Sacræ Cæſareæ Majeſtatis reformationem, quidquid non valet ad devotionem excitandam, à proceſſionibus removeatur, ſed ſint proceſſiones compoſitæ, graves, modeſtæ. Abſint riſus, joci, confabulationes. Et orent homines, aut ſuaviter corde & voce modulentur.* Hæreant in iſta pia & jucunda memoria: Ex ipſa orent aut pſallant. Abſint omnia, quæ ipſam poſſint diſtrahere aut turbare.

Synodus pergit. *Nec B. Virginis, aut cujuſlibet alterius Sancti, plures quam imago una unius-cujuſque circùm-feratur, ne videamur magnas & parvas, cultas & incultas ſtatuas ſuſpicere, & non ſurſum mente in cœlum ſubducta rem ſignificatam potiùs cogitare.* Sancta Colonienſis Eccleſia in ſua ſacra Theophoria circùmſert omnes, ſacris thecis iuculuſas & ornatas, Sanctorum Reliquias. Quævis Collegialis Baſilica, quævis Parochialis Eccleſia, omne Monaſterium defert ſuas. Piiſſimum & jucundiſſimum ſpectaculum. Non ita tamen circùmfert omnes Sanctorum Imagines. Cujuslibet non niſi unicam. Et rectè. Plures enim ejuſdem Sancti in eadem proceſſione Imagines, licet non noſtro ſimplici populo, tamen Lutheranis dare poſſint anſam malignarum cogitationum. Lutherani enim hærent carnaliter in ſignis, nequeunt mentem ad ſignificata attollere. Deindè aliquando audivimus ipſos Catholicos de ſimilium Imaginum prærogativa animaliter diſceptantes, cum Adverſariorum riſu & ſcandalo puſillorum. Plures tamen Eccleſiæ pergunt circumferre ejuſdem etiam Sancti plures Imagines. Quod nempè ignorent præfata incommoda. Eccleſia Catholica eſt Regina circumamicta varietatibus: Et pacifica charitas permittit unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Sacrarum Reliquiarum ac Imaginum ſimul cum ſacroſancta Euchariſtia circumlatio eſt antiqua pietas totius Germaniæ. Etenim de Domino Joanne Adamo, Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſcribit in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria Nicolaus Serarius: *Die poſtero, Auguſti decimo quarto, Urbana proceſſio à Clero toto peracta. Interea Reverendiſſimus, & priſco more Variæ SS. Reliquiæ & Protomæ, quæ diu latuerant, cum Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento circumlatæ ſunt.* Lucidè dicit: *Priſco more.* Laudat non ſolemnem in laudati myſterii Feſtivitate proceſſionem, ſed votivam & ſingularem, factam ob Indulgentias datas à Clemente VIII. Pontifice. Idem Scriptor in Opuſculo de Sacris Proceſſionibus enumerat omnia, quibus Germanica Eccleſia conſuevit ſolemnem Dominici Corporis circumlationem in ejus feſto honorare. Et inter alia ponit varia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta. Affirmat ipſa ſimul circumferri. Et adducit cauſam: *Ut per ſenſus ipſos excitentur omnium ad ſalutarem illius recordationem, ipſuſque qui paſſus eſt, amorem, laudem, & cultum.* Germani ſemetipſos ita excitant ad explendum Domini Mandatum: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Lib. 5. c. 20

Eadem pietas ſemper viguit in Gallicana Eccleſia. Etenim ad elapſi ſæculi annum trigeſimum quintum ſcribit Continuator Eminentiſſimi Domini Cardinalis Cæſaris Baronii: *Laudabile valde eſt, quod anni principio Franciſcus Galliæ Rex præſtitit in Sacramentarios Hæreticos, quorum Ante-ſignanus & præcipuus innovator fuit Calvinus. Eorum nonnulli, cum menſe Octobri præterito infames libellos adversùs Sacram Euchariſtiam, & receptos antiquos Chriſtianorum ritus*

Lute-

Lutetiæ ſparſiſſent, & publicis locis, ipſique etiam Regio Palatio affixiſſent, re comperta ejuſdem criminis reos diligenter perquiri, & comprehendi juſſit. Ipſe Rex Pariſiis præſens, placandi ſacri Numinis gratia, præſenti anno, decimo Kalendas Februarii, die Jovis, celeberrimam peregit ſupplicationem ab Eccleſia S. Germani ad Beatiſſimæ Virginis, cum Venerandiſſimæ Euchariſtiæ per Joannem Bellajum Epiſcopum Pariſienſem, & Reliquiarum Sacroſanctæ Capellæ, aliarumque præciouarum Civitatis geſtatione. Cui cum uxore & liberis, atque Regni Primelpibus, & externorum Legatis, multis Cardinalibus, Epiſcopis, & Prælatis, cum cæteris Eccleſiaſticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, interfuit, facem ardentem capite detecto geſtans, umbellamque ſupra Sacratiſſimam Euchariſtiam ferentibus, Delphino, Ducibus Aurelianenſi & Engoliſmenſi, filiis Regis, & Duce Vindocinenſi, primo Regii ſanguinis Principe. Gravemque inde Rex orationem habuit, qua palàm teſtatus eſt ſuum quoque brachium ſe exciſurum, ſi ex ea peſte infectum foret, atque id ipſum in proprios filios præſtiturum. Eandem proceſſionem refert ac laudat in ſuis Annalibus Venerabilis Henricus Spondanus, Epiſcopus Apamænſis. Ex ipſa clarè docemur avitam conſuetudinem Gallicanæ Eccleſiæ.

Eadem pietas ſemper viguit in Belgica Eccleſia. Habet tres Metropolitanas Sedes, quarum nulla eſt Primatialis, ſed omnes tres ſunt ſorores, ideoque conſecratione ſenior Epiſcopus habet Prærogativam loci & honoris. Hæc eſt antiquiſſima forma iſtius Eccleſiæ. Si tamen Epiſcopatus originem ſpectes, Cameracenſis eſt prior & dignior. Quod autem in omni ejus Diœceſi Sacroſanctum Sacramentum circumferatur cum numeroſa ſacrarum Imaginum ac Reliquiarum pompa, eſt omnium oculis exploratiſſimum. Idem ſervatum pridem fuit in Diœceſi ac Provincia Mechlinienſi. Catholica apud Belgas fidei ac ſapientiæ ſedes eſt Alma Univerſitas Lovanienſis: Etiam ipſa in pluribus proceſſionibus ſemper circumtulit, & conſtanter circumferre pergit cum ſublimi iſto Myſterio ſacras Imagines. Eremitæ Auguſtinenſes ibidem à tribus ſæculis habent Sacram Carnem, in quam apud Zelandiæ Middelburgum converſa fuit Sacroſancta Hiſtoria. Et ipſam quotannis circumferunt cum ſolemni ac devota proceſſione. Ipſam probavit & confirmavit magnus ille Cardinalis Julianus Cæſarinus, à Latere Eugenii IV. Pontificis tunc Legatus per omnem Germaniam, & Præſes Concilii Baſilienſis, adhuc legitimi. Quod ipſum fecit Joannes, tunc Leodienſis Epiſcopus. Lovanium enim tunc erat iſtius Diœceſis. Originalia Diplomata exſtant in Archivo prædicti Lovanienſis Monaſterii. Confirmarunt ac probarunt hanc ſolemnem Sacramenti proceſſionem cum expreſſo mandato, ut Sanctorum Reliquiæ unà circumgeſtarentur. Juvat adjungere majorem Diplomatum partem.*

Julianus miſeratione divina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ S. Angeli Diaconus Cardinalis in Germania Apoſtolicæ Sedis Legatus. Dilectis nobis in Chriſto Inclytam Fraternitatem Corporis Chriſti Conventus Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Oppidi Lovanien. Leodienſ. Diœceſis repræſentantibus ſalutem in Dom. Ad ea quæ Chriſti Fidelium ſalutem reſpiciunt libenter intendimus, illaque proſequimur favoribus opportunis. Exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtræ Fraternitatis petitio continebat, quod cum in dicto Conventu Monaſterii Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Domus Lovanienſis reperiatur Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti tranſmutatum & tranſubſtantiatum in verum Corpus, & Sanguinem ejuſdem, cui in exhibitionem debiti honoris ac reverentiæ eadem Fraternitas in qua utriuſque ſexus Chriſti Fideles, Clerici, Laici, & Presbyteri ſimul in devotione uniti & aſtricti exiſtant unà cum Fratribus dicti Conventus, aliiſque devotis Presbyteris & perſonis ſalti ſunt Solemnem proceſſionem cum Corpore Dominico ſic tranſubſtantiato facere & continuare in Parochia Sancti Petri ejuſdem Oppidi Lovanienſis ..... Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pleriſque temporibus in dicto loco ex divina operatione viſa ſunt Miracula fieri prout ſiunt in dies, propter quod devotio Populi magis accreſcit, corpuſque Dominicum in tanta majeſtate habeatur reverentia. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ea, quæ ad augmentum divini Cultus, & Dominici Corporis in honorem ac reverentiam geſta ſunt, rata atque grata habere, Fraternitati veſtræ deinceps ſupra bujuſmodi proceſſione continuanda licentiam & auctoritatem impartiri atque concedere, & in præmiſſis opportune providere de benignitate noſtra dignaremur. Nos igitur qui in partem ſollicitudinis deputati ſalutem Chriſti Fidelium intenſis deſideriis affectamus, volentes etiam divinum Cultum, quantum in nobis eſt, ampliare, veſtris ſupplicationibus inclinati, ea omnia & ſingula quæ per veſtram Fraternitatem in Divini Cultus augmentum ac Corporis Dominici reverentiam & honorem ſicut præfertur geſta ſunt, rata habentes, atque grata, prædictæ veſtræ Confraternitati de cætero ſingulis annis ..... per totum Oppidum Lovanienſe bujuſmodi proceſſionem cum Corpore Dominico ac Sanctarum Reliquiarum deportatione, aliiſque ceremoniis & ſolemnitatibus in talibus fieri conſuetis, faciendi & continuandi..... tenore præſentium plenam & omnimodam concedimus facultatem, contradictione quacumque in contrarium non obſtante. Datum Baſileæ die decima menſis Julii anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, indictione undecima Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Eugenii divina providentia Papæ IV. anno tertio.

Joannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Leodienſis Epiſcopus, univerſis Chriſti Fidelibus ad quos præſentes ..... Salutem in vero omnium Salutari. Inter varias ſollicitudines quibus aſſiduè ex debito Paſtoralis officii ..... immeriti præſidemus noſter undique circumſeptus eſt animus. Illa præſertim inſidet cordi noſtro ut ea ..... obſequuntur operibus, & ad Divini cultus ac Chriſti Fidelium devotionis augmentum proſpiciunt nedum noſtris ..... ſed & futuris auctia temporibus

bus illibata perſiſtant. Fide digna ſiquidem relatione ſuſcepimus, quod cum in Monaſterio ..... Eremitarum Sancti Auguſtini Oppidi Lovanienſis viviſicum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti Sacramentum honorificè conſervetur, cujus reverentiam & honorem inducentibus ad hoc pleriſque manifeſtis miraculis, quæ Divina Majeſtas ibidem per hujuſmodi Sacramentum & illius virtute per ſuam Omnipotentiam in dies operatur, Chriſti fidelium dicti loci pia devotio unà cum Fratribus dicti Monaſterii ſeu Conventus, ac iidem Fratres cum ipſis certam ac devotam habentes inter ſe Fraternitatem, ſingulis annis ..... ſolemnem cum dicto Corpore Dominico in Parochia Sancti Petri dicti Oppidi conſueverunt facere proceſſionem, extindeque quam plurimum ipſorum devotio Chriſti fidelium adaugetur ..... Divinum cultum noſtris cupientes augmentari temporibus ea omnia & ſingula quæ ad Dominici Corporis reverentiam & honorem eſſe geſta noſcuntur rata habentes, dictam faciendi ac continuandi proceſſionem auctoritate noſtra ordinaria favorabiliter elargimur. Dum tamen hujuſmodi proceſſio fiat etiam cum Sacratiſſimi Corporis Chriſti ſub conſueta panis ſpecie Sacramenti aliarumque ſacrarum Reliquiarum deportatione, *cæteris ad hoc adhibitis ſolemnitatibus prout Chriſtifidelium devotioni congruit ſolitis & conſuetis. In quorum teſtimonium ad perpetuam rei memoriam has præſentes litteras Sigilli noſtri ad cauſas appenſione juſſimus communiri, &c.*

Et hinc clarè diſcimus iſtam pietatem eſſe antiquam conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ. Etenim tantus Cardinalis, præſertim Legati authoritate fungens, nihil mandaret, niſi ex diſciplina Romana. Harum proceſſionum pietas originem duxit apud Urbem Veterem, & naſcendi anſam ipſi præbuit Miraculum patratum in ſacro Corporali. Et ad hocce Religioſè recondendum, eſſe publico præfatæ Civitatis Ære exſtructam inſignem Baſilicam ſcribit Onuphrius Panvinus, atque adjungit: *In quo celeberrimo templo ſanctum Corporale collocatum eſt, quod ſingulis annis in feſto Corporis Chriſti, in celebri illa Supplicatione devotiſſimè circumfertur, finitimis omnibus populis eò illa die ad id viſendum confluentibus.* Circumfertur ſimul cum ſacroſancto Sacramento. Eadem piiſſima conſuetudo viget per omnem Italiam. Neapolitana Eccleſia circumfert Caput & Sanguinem S. Epiſcopi & Martyris Januarii. Quod eadem pietas apud Mediolanenſem Eccleſiam vigeat, & probata ſit per S. Carolum Borromæum, inſtà demonſtrabitur. Quid opus multis? omnes ſub cœlo Eccleſiæ in ſacris proceſſionibus, etiam Sacroſanctam Euchariſtiam circumferentibus, pro Duce habent ſanctam Imaginem Dominicæ Crucis. Sine ipſa non fit proceſſio. Eadem pietas viget in Polonia, in Hiſpaniis, ac in omnibus Chriſtianis Latinorum Gentibus. Græci carent iſtiuſmodi proceſſionibus.

Juvat adjungere teſtimonium ac judicium Sacræ Theologicæ Facultatis Colonienſis: *Nos Decanus, Senior, aliique Sacram Facultatem Theologicam in alma ac celeberrima Univerſitate Generalis Studii Colonienſis Regentes, ſacroſanctæ Theologiæ Doctores & Profeſſores Ordinarii, dum more noſtro legitime & collegialiter congregati, debitè requireremur, ut in ſanctæ & ingenuæ veritatis ſubſidium, quoad infra ſcriptos articulos congruum perhiberemus teſtimonium, callatis ad invidem votis, ſecluſa omni amoris vel odii paſſione, ac quovis humano reſpectu, ſolumque Deum præ oculis habentes, unanimi ſuffragio decrevimus, coram omnibus & ſingulis quorum intereſt aliquam de veritate ſequentium articulorum habere notitiam, teſtari & fidem facere de articulis ſequentibus, prout harum ſerie teſtamur, & fidem facimus.*

Primò, ab immemoriali tempore in hac fidei Romano Catholicæ addictiſſima Civitate Imperiali Colonia Agrippina, quæ ſe S. Romanæ Eccleſiæ fidelem eſſe ſillam haud immeritò gloriatur, laudabilem hanc ſemper viguiſſe, & etiamnum vigere conſuetudinem: Quod videlicet in Eccleſiis, tam Collegiatis quàm Parochialibus & Regularibus, ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, de præcepto in foro feriali ſolitis, exponatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Immò in multis ejuſdem Urbis Eccleſiis eandem conſuetudinem vigere pro ſingulis feriis quintis: idque patiſſimum ex pia & antiqua piorum fidelium fundatione.

Secundò, quod in pleriſque, quæ intra eandem hanc Civitatem inſtituuntur, proceſſionibus ſolemnibus idem Sanctiſſimum Sacramentum cum debita reverentia & honore circumferri conſueverit. Immò in proceſſionibus Parochialibus, iis præſertim quæ ſemel in anno, præcipuè in die Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & infrà Octavam ejuſdem inſtitut ſolent, variæ quoque diverſorum Sanctorum, præcipuè verò Beatiſſimæ Virginis Mariæ, debitæ cum devotione & reverentia, circumferuntur Imagines.

Tertiò, quod idem Sanctiſſimum Sacramentum in dictis Eccleſiis tum vel maximè exponatur, quando in aliqua illarum Plenariæ ſunt Indulgentiæ, vel quadraginta horarum preces peraguntur.

Quartò, quod pro exſtimulando Populo ad frequentiam Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, variæ in prædictis Eccleſiis inſtitutæ ſint ſub titulo diverſorum Sanctorum, & notanter Beatiſſimæ Virginis, ſub variis titulis Fraternitates, in quibus varia peraguntur à Confratribus Chriſtianæ pietatis exercitia.

Quintò, hæc omnia pro conſervanda Fide Catholica & expugnandis hæreſibus, quæ in hiſce Partibus circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, invocationem Sanctorum, & cultum Imaginum præcedente ſæculo graſſatæ ſunt, & in locis vicinis etiamnum vigent, fuerunt, & adhuc ſunt utiliſſima. Immò ex hac tam frequenti Sanctiſſimi Sacramenti publica expoſitione, & circumlatione, non ſolùm nihil reverentiæ aut honoris illi debiti derogatur, multò minus apud Fideles videſetur aut contemnitur, quin potiùs Fidelibus ad majorem devotionem & reverentiam ſtimulum addit, adeò efficacem, ut nullibi in Eccleſiis major ſit fidelis Populi concurſus, quàm ubi Sanctiſſimum Sacramentum publicè expoſitum omnibus eſt manifeſtum.

Sextò,

Sextò, verum est, quod non solùm nulla hactenus adversùs laudabilem hanc Sanctissimum Sacramentum publico Cultui exponendi consuetudinem in hac Arebi-Diœcesi innotuerit, sive à Summis Pontificibus, sive à sacris Dominorum Cardinalium Congregationibus emanata prohibitio; verùm etiam id in hisce Partibus, ubi vel cum hæreticis summus permixti, vel ab iisdem circumvicinis cingimur, absque ingenti hæreticorum plausu & exultatione, nec non in hæresi sua majori obfirmatione, Catholicorum verò perplexitate, consternatione, & animorum perturbatione vix fieri possit. In quorum omnium & singulorum fidem, & contestatæ veritatis confirmationem, præsentibus Sacræ Facultatis nostræ sigillum sub imprimi jussimus. Colonæ Agrippinæ in Aula nostra Theologica, die 24. mensis Julii, anno partæ salutis humanæ supràmillesimum & sexcentesimum septuagesimo quinto. Judicium hoc confirmat non dumtaxat jam dicta, sed etiam inferiùs dicenda. Duxi tamen non dividendum, ideoquè integrum posui.

CAPUT VI.

Discutiuntur Adversariorum Argumenta.

PAlmare Adversatiorum argumentum est: *Ut Populi non distrahatur ad plura devotio, & uni soli Deo, qui debetur in solidum, sunt reddatur honor & gloria.* Respondeo hoc argumentum esse mali odoris. Quis enim Orthodoxus unquam audivit per impensam Sanctis reverentiam distrahi Populi devotionem, & per ipsam effici, ut soli Deo suus, cui debetur in solidum, honor & gloria non reddatur? Longè aliud in libris de Orthodoxa fide docet S. Joannes Damascenus: *Honor erga gratos & benignos Conservos, benevolentia erga communem Dominum indicium est. Hi promptuarium Dei, & pura habitacula facti sunt. Quomodò igitur non honoranda sunt Templa Dei animata, & animata Tabernacula?* Lapidea Dei Templa non sunt nisi figuræ & Imagines verorum Templorum, de quibus Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* At verò qui Divinam Majestatem adoraturus adit lapidea Templa, devotionem suam non distrahit, sed colligit; debitum Dei honorem non dividit: longè igitur potiori ratione istud non patrat, qui accedit Templa viva & vera. Idem sanctissimus Doctor in tertia oratione de sacris Imaginibus distinguit varias adorationum & rerum adorandarum species, & pergit: *Primùm adorantur, in quibus requievit Deus, qui solus est Sanctus & in Sanctis conquiescit. Ut in S. Dei Genitrice & in omnibus Sanctis, qui totis viribus operam dederunt ut Deo similes evadrent.* Addit in ipsis habitare Dominum Deum, uti ignem in ferro ignito. Quarè qui ignitum ferrum tangit, tangit ignem, nec ejus tactus extra ignem distrahitur; ità evenit & istis, qui Sanctos venerantur. Idem Joannes in prima Oratione hæc confirmat ex S. Leontio, Neapolitano apud Cyprios Episcopo, discipulo sancti Epiphanii: *Qui Martyrem colit, Deum colit cujus ille amore Martyrium pertulit. Qui Christi adorat Apostolum, adorat eum, cujus ille Apostolus est. Et qui supplex accedit ad Christi Matrem, is nimirùm filio ejus honorem habet. Nullus enim Deus præter unum, qui in Trinitate agnoscitur & adoratur.* Certè Sanctorum veneratio, si nos à Deo distrahit & efficiat ne ei honor reddatur in solidum, est devia & proscribenda. Est unum ex argumentis Iconoclastarum.

Secundum argumentum est, quod fidelis Populus in multis sit animalis, & ista non intelligat, ideoque in Processionibus plus veneretur Sanctorum Statuas, quàm ipsum sacrosanctum Sacramentum. Etenim quotidiè videmus plures faces gestari, & majorem fieri concursum circa istas, quàm circa hoc. Respondeo hic variè excedi. Primo, simplex Christi Domini Populus gravatur temerariis suspicionibus. Etenim quod plurium luminarium gestatio non arguat majorem venerationem, demonstrat Romana Ecclesia in Basilica Vaticana Principum Apostolorum. Ibi longè plura luminaria videmus ad dictorum Apostolorum Confessionem & Reliquias, quàm ad Altare & Tabernaculum gloriosi Sacramenti. Ea pluralitas habet spititales rationes. Et Urbis Veteris Populus pro miraculosi Corporalis custodia exstruxit magnificum Templum, & magnificentissimum Tabernaculum: longè magnificentius, quàm pro Eucharistia. Et Nicolaus IV. Pontifex omnia comprobavit. In pluribus Regionibus ac Ecclesiis videmus esse magnificentiores Capsas & custodias sacris Reliquiis, quàm Dominico Corpori. Omnia sunt ad supremum honorem solius Divinæ Majestatis. Si tamen quis Populus circà istam luminarium gestationem declinet à recto, Episcopi demonstrent se Pastores ac Doctores.

Secundo, periclitamur hic de erroribus Serenì Massilienfis Episcopi: ad quem scripsit Magnus Gregorius: *Indico dudum ad nos pervenisse, quod Fraternitas vestra quosdam Imaginum Adoratores adspiciens, easdem Ecclesiæ Imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari posset, laudamus, sed frangere easdem Imagines non debuisse judicamus. Idcircò enim Pictura in Ecclesiis adhibetur, ut bi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergò Fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu Populum prohibere debuit: Quatenùs & litterarum insciti haberent unde scientiam historiæ colligerent, & Populus in picturæ Adoratione minimè peccaret.* Serenus fuit fuæ opinionis ac operis adeò tenax, ut istas literas non sancti Gregorii, sed sibi submissum à nescio quo figmentum esse crederet, ideoque Pontifex fuit compulsus iterùm scribere: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò reprehendimus. Die Frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis Fratribus, solum te Sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis* Lib. 7. Ep. 110. Indic. 2. Lib. 9. Ep. 9.

præſtat Pictura cervenibus : Quia in ipſa etiam ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt. Undè & præcipuè Gentibus pro lectionibus pictura eſt. Quod magnopere à te, qui inter Gentes habitas, attendi debuerat : Ne dum recto Zelo incautè ſuccenderis, ferocibus animis ſcandalum generares. Frangi verò non debuit, quod non adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodò mentes neſcientium fuit collocatum. Et quia in locis Venerabilibus Sanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione Veteres admiſit, ſi zelum diſcretione condiſſes, ſine dubio & ea, quæ intendebas, ſalubriter obtinere, & collectum gregem non diſpergere, ſed potiùs diſperſum poteras congregare : Et Paſtoris in te meritum non excelleret, non culpa diſperſoris incumberet. Hæc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motu exequeris, ità tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, ut maxima eorum pars à tua ſe communione ſuſpenderet.

Iſtum ipſum fructum, quem ſacræ Imagines habent in Eccleſiis, habent etiam in ſacris Proceſſionibus. Habent & alium. Inſuper enim ſunt Palatini Proceres & ſacri Principes honorantes Solemnem Chriſti Domini triumphum de proſtrata impietate Sacramentaria. Quarè neque hinc ſunt propter Populi imperitiam auferendæ. Hujuſmodi zelus non eſt ſecundum ſcientiam. Veri zeli eſt docere Populum, & ab imperitia liberatum ſtabilire in ſpirituali intelligentia. Similis Populi Epiſcopus pleno pectore debet exequi Mandatum S. Pauli : *Inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Sacri Canones mandant, ut Epiſcopus quotannis circumeat omnem ſuam Diœceſim, non ſoljus Chriſtianæ Confirmationis, ſed præſertim gratia Doctrinæ & Inſtructionis. Obligatur etiam ruſticanam plebem per ſemet-ipſum docere. Eſt enim *debitor ſapientibus ac inſipientibus*. Primis etiam poſt datam Eccleſiæ à Magno Conſtantino pacem annis, aliquæ Baſilicæ permanſerunt ſine Imaginibus. Etſi quæ Eccleſia uſque ad noſtra tempora circa contemptum aut errorem conſervaſſet iſtam Conſuetudinem, damnari non poſſet : Sine rationibus compelli non deberet ad Imagines introducendas. Et uſque hodie plures Eccleſiæ Sacras Proceſſiones celebrant ſine ipſis. Excipe tamen ſacroſanctæ Crucis Imaginem. Et à nullo condemnantur. At verò jam admiſſas & ſtabilitas, vel ab Eccleſiis vel à Sacris Proceſſionibus noviter excludere, non poteſt non eſſe peccatum. Præſertim ſi in aliqua gente, aut in aliqua Provincia fiat ab uno dumtaxat Epiſcopo. Eſt peccatum Sereni Maſſilienſis, ac in talem Epiſcopum omnino poſſit dici : *Dic Frater, à quo factum aliquando Sacerdote auditumeſt, quod feciſti? ſi non aliud, vel illud te debuit revocare,ne deſpectis aliis fratribus ſolum te ſanctum & eſſe crederes ſapientem?* Etiam fidelis populi offenſio, quoniam juſta, eſt Epiſcopo metuenda. Etiam circumvicinorum hæreticorum ſcandalum. Per iſtiuſmodi mutationes credunt & clamant noſtros Epiſcopos declinare in ſuos errores.

Tertium argumentum eſt, quod Chriſtianorum animi ſint avocandi à ſignis, & erigendi in ſolum Dominum Deum. Reſpondeo hunc eſſe ſcopum iſtorum, qui hodie appellantur Doctores & Sectatores *Alti ſenſus*. Eſt olidum fundamentum. Palmare firmamentum erroris Iconoclaſtici, adverſus quod in prima pro ſacris Imaginibus Oratione infigniter ſcribit S. Joannes Damaſcenus : *Quod ſi dixerit mente atque intelligentia tantùm Deo conjungi nos oportere, res omnes corporeas tolle, luminum ſplendorem, tburis ſuavitatem, preces quas voce proferimus, Myſteria ipſa Divina quæ conficiuntur ex materia, panem, vinum, Unctionis Oleum, Crucis ſignum*. Eximiè hæc illuſtrat & concludit : *Quandoquidem duplex creatus ſim, & videns venereor id quod videtur, non ut Deum, ſed ut rei venerandæ venerabile ſimulacrum. Tu quidem fortè ſublimior es, & à materia remotior, & ſupra corpus incedens, & carne quodammodo carens, deſpicis quidquid ſub aſpectum cadit. Ego verò, ut qui homo ſim, & corpore circumdatus, cupio cum eis, quæ ſancta ſunt, corpore verſari, eaque oculis contueri. Tu qui ſublimis es, ſubmiſſius te gerens, ignoſce mei ſenſus humilitati, ut ſublimitatem tuam conſerves*. Libens fateor optandum eſſe, ut omnes tota & ſola mente, ſine ſignorum ductu & Miniſterio, Domino Deo adhæreamus. Profiteor eſſe rem ſanctiſſimam. Verùm addo eſſe, & maximam. Eſt cibus Grandium. Immò Maximorum. Inſuper adjungo eſſe rem periculoſiſſimam. Ex ejus præſumptione Iconomachi cecidérunt in ipſam abyſſum impietatis. Adhæreamus ſacris ſignis, & ipſorum Miniſterio reverenter utamur.

Quartum argumentum eſt authoritas S. Caroli Borromæi, in quarta ſua Synodo ad titulum de pertinentibus ad ſanctam Euchariſtiam ſancientis : *In ſolemni illa Proceſſione, in quæ ſanctiſſimum Domini Corpus per Urbem Religioſo Cultu defertur, ne Reliquiæ ullæ, ſed illud ſolum; ut veteris inſtituti, Eccleſiæque Romanæ Matris Conſuetudinis eſt, pio Religioſoque apparatu, ſolemnique celebritate feratur*. Reſpondeo S. Carolum ſanxiſſe de ſola iſta unica Proceſſione, non de aliis. Exceptio enim firmat Regulam in contrarium. Lucet ex præcedenti ejuſdem tituli Decreto : *In Eccleſia Cathedrali, quoties oratio quadraginta horarum vel inchoatur, vel peragitur inalis Eccleſiis illius curſu, in eadem iteratur, aliave ratione Sanctiſſima Euchariſtia exponitur, indicituruè, omnis ratio ſuadet, ne ſplendidiori luminum apparatu, & majori Cleri frequentia, majorique Populi concurſu habeatur atque celebretur. Quarè illius orationis initio, quod in ea Eccleſia fit, rurſuſque in ejuſdem fine, ut Epiſcopo videbitur, cum illius Eccleſiæ Clerus, Populuſque, ſi quem pro Parochiæ ratione peculiarem habet, tum etiam univerſus Urbis Clerus, tam ſæcularis quàm Regularis, qui ſupplicationibus publicis intereſſe ſolet, ac Sodalitates omnes, & cunctus præterea Populus, ſuis Parochialibus Sanctorum inſignibus diſtinctus, in illam Matricem Eccleſiam generatim ac univerſè ad Orationis celebritatem conveniat*. Quadraginta horarum Orationem, dum in Cathedrali fit Eccleſia, mandat ſemper inchoari ac finiri per generalem cum Sanctiſſimo

Sacra-

Sacramento Processionem, & ad ipsam convenire omnes Parochias, omnia Monasteria, omnesque Sodalitates cum insignibus suorum Sanctorum Patronorum.

Quod S. Carolus sacras etiam Reliquias nequaquam censuerit à Sacrosancta Eucharistia dimovendas, lucidissimè patet ex eadem ipsius Synodo ad titulum de cultu Sanctorum: *sacris Reliquiis, si Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non ita propè quidem eæ collocatæ sint, ut illius lampade harum cultui satisfiat, lampas propria assiduè præluceat, nisi hanc impensam nimia & Ecclesiæ & Populi egestas Episcopi Judicio non patitur.*

Permittit Reliquias Sacrosancto Sacramento esse adeò vicinas, ut eadem lampade honorentur. Porrò de solemni, quæ in Dominici Corporis festivitate fit, Processione aliud censuit ob duas rationes. Primò ob veterem morem Mediolanensis Ecclesiæ. Deinde ob similem morem Ecclesiæ Romanæ. Quidam apud Mediolanum cœperant istam Processionem honorare sacris Reliquiis. At sanctus Carolus interessit, & retinendam voluit antiquam Consuetudinem. Secutus est consilium S. Hieronymi, suadentis ut quævis Ecclesia antiquas suas Consuetudines veneretur ac tueatur, tanquam traditiones Apostolicas. Et S. Bernardus inter Lugdunenſis Ecclesiæ laudes ponit: *Lugdunenſis Ecclesia non admittit novitates.* Etiam in solemni illa Processione Consuetudinem servant plures Ecclesiæ. Attamen diversam suarum sororum Consuetudinem non damnant aut improbant. Etenim me-
Lib. 3. cap. 5. ritò audirent, quod circa similem sacri Ritus speciem scripsit in libris de Sacramentis S. Ambrosius: *Et nos homines sensum habemus.* Omnis Ecclesia retineat suum morem. Etenim Catholica Mater nostra est Regina circumamicta varietatibus.

Quintum argumentum est authoritas Domini Nicolai Godau, Vincienſis in Gallia Episcopi, qui in suis Synodalibus Instructionibus *Reliquias cum Venerabili deferri non admittit.* Accedit nescio quæ ordinatio Ecclesiæ Narmurcensis: *In Processionibus Dedicationum, ad quas Populus magis accurrit spectandi gratia, quam devotionis, non deferatur Venerabile Sacramentum. Et quando contigerit deferri, nullæ aliæ Reliquiæ vel Imagines Sanctorum deferantur.* Aliqui respondent similia quorundam hinc inde Episcoporum Decreta esse devia, non minùs quàm Decretum & factum Sereni Episcopi Massilienſis. Adversantur enim Pietati ac moribus omninm sub cœlo Ecclesiarum. Item adversantur Decreto Juliani Cardinalis Cæsarini, & Consuetudini Ecclesiæ Urbi-Vetanæ, isthic plantatæ per Urbanum IV. Pontificem. Adversatur etiam moribus Gallicanæ Ecclesiæ, manifestè demonstratis in Solemniſſima illa Processione, quam celebravit Rex Franciscus Primus.

Absit tamen, ut ego taliter respondeam. Etenim versamur in materia, de qua S. Augustinus rectè scripsit ad Januarium: *Miror sanè, quid ità voluerit, ut de his quæ vario per*
Epist. 119. c. 18. *diversa loca observantur, tibi aliqua consciberem, cum & non sit necessarium, & una in his*

saluberrima Regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contrà bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque instituì videmus, vel institutis cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majorum studiorum lucra speranda sint, quam calumniantium detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maximè illud, quod etiam de scripturis defendi potest. Et infrà: *Quod autem institutur præter Consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum, Etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum, vel Sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis dolco, quia multa, quæ in Divinis libris saluberrimè præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per Octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec Consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione retexanda existimo.*

At verò Processionalis sacrarum Reliquiarum aut Imaginum cum sacrosancta Eucharistia circumgestatio non est contra fidem, nec contra bonos mores, & habet aliquid ad exhortationem vitæ melioris. Ergò juxta saluberrimam regulam, ubicumque institura cognoscitur, non solùm non est improbanda, sed laudanda, retinenda atque sectanda. Etiam aliquorum infirmitas non ita impedit, ut majus detrimentum sit. Etenim nulla hic esse possit talis infirmitas, nisi imperitia simplicis Populi. At verò per Episcopos est docenda & sanan. da, nequaquam verò vetustus ac probatus propriæ Ecclesiæ ritus propter ipsum auferendus. Præterea hæc Pietas, licèt forsitan non in sacris Scripturis, tamen in Episcoporum Synodis, ac in universæ Ecclesiæ moribus habet fundamentum, ideòque nullatenus est retexanda. Nec introducenda consuetudo contraria. Similiter diversus aliquarum hinc inde, quæ Imagines aut Reliquias circumferre non solent, Ecclesiarum mos est damnandus. Servanda est Apostoli Regula: *Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui manducat, manducantem non judicet.* Adversùs spernentem aut judicantem dici poterit cum laudato superius Ambrosio: *In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam, sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideò quod alibi rectiùs servatur, & nos rectè custodimus.* Longè potiori Jure dici hoc possit Namurcensi aut Vincienſi Ecclesiæ. Namurcensis sanctionis rationes ignoro. Ejus Metropolis Cameracensis per omnem Diœcesim servat contrarium.

Eadem de re S. Augustinus rectissimè scribit

in alia Epistola ad eundem Januarium: *De illo tertio* Ecclesiasticarum Consuetudinum *genere, quod per loca Regionesque variatur, faciat quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra Fidem fit, aut contra mores hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quoque mutatio Consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.* Hæc saluberrima Regula omninò obtinet circa usum Sacrarum Imaginum: præsertim in Regionibus, quæ Lutheranos & Calvinistas habent admixtos aut vicinos. Ipsarum à sacris Processionibus contra priorem Consuetudinem proscriptio simplici isthic Populo scandalum, istis autem Erroribus præbet materiam & ansam calumniarum. Et certè plura Divina Præcepta hodie minus curantur à Christiano Populo: In ejus moribus grassantur plura graviora vitia. Permovendi sunt Episcopi, ut hisce
Can. 25. eradicandis omnem impendant operam, ac desinant ciere quæstiones de rebus Adiaphoris.

CAPUT VII.

Expediuntur aliquot quæstiones circa præfatas Processiones.

QUæstio prima est, An sacræ cum Sanctissimo Sacramento Processiones expediat esse rares, an frequentes? Respondeo hanc etiam pietatem per loca terrarum & Regiones variari, ideoque in ipsam congruere Regulam, quam ad præfatum Januarium circa raram & frequentem Eucharistiæ Oblationem & perceptionem scripsit laudatus Augustinus: *Alii quo ritiè communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantùm & dominico, alibi tantùm Dominico. Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec Disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra Fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum.* Præcipua & gravior quæstio erat de quotidiana communione. Et utraque pars fulciebatur rationibus. Hinc Augustinus rescripsit: *Rectius fortasse inter eos quispiam dirimit litem, qui monet ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum inhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam, susceperit Dominum, alter dixerit:* Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Ambo Salvatorem honorificantes, diverso & quasi contrario modo.* Idem ergò per omnia dixerim de frequentibus & raris sacrosancti Sacamenti circumgestationibus.

Et quidem si omnes Christiani essent in tali statu, ut nullus ad flentes, audientes, aut substratos mereretur proscribi, sed omnes digni essent perfectionis, aut saltem Consistentiæ gradu, suaderem sublime istud Mysterium quotidiè exponi, & circumferri. Ei namque debetur omnis honor & gloria. Et tunc quotidianam à nobis acciperet reverentiam. Verùm nos sumus in statu alio. Ecclesia militans numquam fuit fine macula aut ruga: Et nos devoluti sumus in periculosa novissimorum dierum tempora, in quibus abundat iniquitas, & refrigescit charitas multorum. Hinc penitus probo fynodale Decretum Domini Antonii Granvellani, Presbyteri Cardinalis ad S. Bartholomæum in Insula, & primi Mechlinienssium Archiepiscopi: *Sacrosancta Eucharistia piè & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis Supplicationibus defertur, potissimum verò in festo sacro Christi Corpori consecrato, ejusque Octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, variis extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis pacis, & publicæ necessitatis, vel utilitatis. In illis autem Processionibus, ad quas populus consuevit non tam eundi, quàm spectandi gratia confluere, abstineatur. In communibus autem supplicationibus circumgestari poterunt Sanctorum Reliquiæ.* Decretum fynodaliter confirmavit ac innovavit laudati Archiepiscopi successor, Venerabilis Matthias Hovius. Etiam probo Decretum Domini Nicolai Cardinalis Cusani, qui istiusmodi Processiones judicavit non faciendas in omni quinta feria.

Perplacet sententia S. Caroli Borromæi, Eminentissimi Cardinalis Gabrielis Paleotti, Joannis Aurelianensis Episcopi, & similium Patrum, qui censuerunt istiusmodi processiones celebrandas semel in omni mense. Quod ipsum censet & in Vaticana Basilica observat Romana Ecclesia. Eandem pietatem jam pridem probavit in quatuor Ordinibus Fratrum Mendicantium, confirmans Constitutiones, quæ mentruam istiusmodi processionem præcipiunt. Et ipsa observatur per omnem sub cœlo Ecclesiam cum summo fructu. Ab hac probatissima ac universalissima Regula & praxi nullatenus est recedendum. Et ipsis non obstat Antonii Cardinalis Granvellani Decretum. Sancit enim de Generalibus totius Cleri & Populi processionibus. Et omninò verum est quod has fieri non expediat, nisi ex causa publica. Decretum præsertim agit adversùs Belgicarum Dedicationum processiones, quas ex variis rationibus non expedit comitari à Sanctissimo Sacramento. Hinc sanctus Carolus Borromæus etiam generales cum SS. comitatu Processiones fieri fanxit semel in mense. Præsertim in publicis quadraginta horarum intra Cathedralem Basilicam Orationibus. Quam pietatem exercent etiam quædam Cathedrales Belgarum. Quod nempè publica Belgii necessitas à multo tempore sit continua, ideoque continuis ad Divinam Clementiam Supplicationibus mitiganda, ac tandem aliquandò divertenda. Hæc est antiquissima Ecclesiæ forma.

Ità

Ità audivimus ſuprà à S. Joanne Chryſoſtomo. Eandem in ſuis Capitularibus confirmarunt Carolus Magnus, Ludovicus Pius, aliique ſimilis diſciplinæ Principes. Porrò nulla apud Deum Supplicatio eſt potentior, quàm iſta, cui ſubſtantialiter adeſt ille, de quo in omni oratione clamamus: *Per Dominum noſtrum Jeſ. Chriſt. Filium tuum.*

Dominus Cardinalis Granvellanus ſuo decreto rectè addidit: *Vel utilitatis*. Utique quoniam ita ſemper obſervavit Eccleſia. Etenim Anglia ita fecit in Civitatum Dedicationibus. Chriſtianiſſimus Galliarum Rex Franciſcus Primus idem ſolemniſſimè fecit, dum Regni ſui conſtantiſſimam contrà Calvinianarum blaſphemiarum novitates fidem voluit toti mundo demonſtrare, ac prædicare. Moguntina Eccleſia iſtud ipſum ſervat in Jubilæis, ac in aliis plenariis apud Cathedralem Baſilicam Indulgentiis. Iſtud ipſum omni menſe ſervat ex Sancti Caroli inſtituto Mediolanenſis Eccleſia. Eadem omnia ſervantur apud Belgas, numquam impetita, aut improbata per laudatum Cardinalem Granvellanum, aut ullum ipſius in Mechlinienſi Throno Succeſſorem. Inſuper Cathedrales Baſilicæ, Parochiales Eccleſiæ, ac plerique Monaſteria paſſim habent ſuorum Patronorum ſolemnia Feſta cum numeroſo & pio concurſu populi: & pietatem non parum auget proceſſionaliter geſtata Euchariſtia. Iſtiuſmodi proceſſiones, licet non ſemper ob publicam neceſſitatem fiant, ſemper tamen fiunt cum inſigni utilitate. Ad ipſas igitur ſtabiliendas Cardinalis Archiepiſcopus præfatas voces addidit. Joannes Aureliæ Epiſcopus menſtruam iſtam proceſſionem voluit non per plateas, ſed fieri intrà Eccleſiarum gremium. Quod ipſum agit Vaticana Eccleſia. Etiam Regulares Mendicantes paſſim tunc non procedunt, niſi intra ſua Clauſtra, aut certè intra limites Monaſterii.

Secunda quæſtio eſt, An expediat iſtiuſmodi proceſſiones fieri diebus ferialibus? Reſpondeo paſſim non expedire. Hinc enim Dominus Nicolaus Cardinalis Cuſanus ipſas fieri noluit in omnibus quintis feriis. Uti ad Euchariſtiæ confectionem aut ſumptionem, ità etiam ad ejuſdem proceſſionalem circumgeſtationem certa & varia præparamenta ſunt neceſſaria: Etiam hic locum habet Mandatum Apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo*. Ad tanti Principis tranſitum adhibenda ſunt plura ornamenta. Quanta reverentia noſtri olim Majores Domeſticam Euchariſtiam in ſecretis etiam cubiculis tractaverunt, demonſtrant authentica Acta S. Lucæ Anachoretæ & Taumaturgi. Etenim Corinthiorum Archiepiſcopo circa ejus ſumendæ modum propoſuit hanc quæſtionem: *Amabo, ô Domine, qua ratione nos, qui propter multa peccata noſtra collimus montes & ſolitudines, horrenda Myſteria poſſimus percipere? Videt enim, ut ne dum Colleda, ſed neque Sacerdos ſuppetat*. Et Archiepiſcopus reſpondit: *Bene Pater, ac de bona re & maxima interrogaſti. Nam bonum quoque, ut ajunt, non bonum eſt, ſi non bene fieri contingat. Primò igitur ac principaliter Sacerdotem adeſſe decet. Quod ſi ille neceſſaria omninò ratione abſit, imponendum ſacræ Menſæ Præſanctificatorum vaſculum, ſi quidem eſt Oratorium, ſin autem cella, ſcamno mundiſſimo. Tum explicans velum minus, propones in eo ſacras Particulas, accenſoque Thimiamate, Typicorum Pſalmos, aut Hymnum, Ter Sanctus, cantabis cum ſymbolo fidei, trinaque genu-flexione adorans, manus quidem contrahes, ore autem ſacrum pretioſi Chriſti ac Dei noſtri Corpus ſumes*. Et de Euchariſtiæ ad infirmos delatione ſanxit in ſua Octava apud Piſco-Bambam celebrata Synodo Venerabilis Thoribius Alphonſus Mogroveius Archiepiſcopus Limenſis: *Cum corda contrita & humiliata Deo ſint placita, & creaturarum ergà Creatorem devota gratitudo, omnes Clerici Parochialium Eccleſiarum hujus noſtri Archiepiſcopatus, cum SS. Sacramentum ad infirmorum Viaticum deferetur, quiſque in ſua Parochia, vel qui etiam in alterna præſentes fuerint, ipſum ſuperpelliciis induti reverenter comitabuntur, vel ſuſtentabunt Conopeum quo tegitur*. Proindè ſolemnis ac proceſſionalis delatio fieri debet cum longè majori humilitate contritione ac reverentia: Interna atque externa. Externam deſcribit Ceremonialis liber Epiſcoporum: *Omnia decenter & diligenter præparentur & præviideantur. Nempè ut viæ, per quas proceſſio tranſire debebit, mundentur & ornentur auleis, pannis, pluviis, floribus, frondibuſque virentibus ſecundùm poſſe & qualitatem loci*. At verò diebus ferialibus populus & in ſuis Officinis, & plateis diſtrahitur ad alia. Etiam plateæ tunc habere non poſſint præfata ornamenta. Nihil eſt diſpoſitum ad tranſitum ſupremi Principis. Cap. 13.

Excipe tamen ferias octavas Sacroſancti Sacramenti. Tunc enim ex antiqua pietate populus & ſemet-ipſum, & ſuas domos, & plateas componit, aut certè debet componere. Spectat ad providentiam Epiſcopi. Hinc eaſdem ferias Dominus Nicolaus Cardinalis Cuſanus excepit. Si quis Epiſcopus aliis etiam Feriis has proceſſiones fieri permittat aut velit, etiam debebit debita hominum ac platearum præparamenta providere. Eccleſia Iprenſis 29. hujus ſæculi anno edidit ſalutare decretum: *Conſuetudinem quorumdam locorum, deferendi paſſim in omnibus proceſſionibus Venerabile Sacramentum, abrogari cupimus. Nec id fieri, niſi diebus ſolemnioribus vel publicæ neceſſitatis cauſa*. Sancit tria. Primò tales proceſſiones fieri permittit non in ſolo Dominici Corporis feſto, ſed in omnibus diebus ſolemnioribus. Secundò ipſas fieri prohibet diebus ferialibus: Excipit tamen illas quæ fiunt ex cauſa publicæ neceſſitatis. Reſtiſſimè. Etenim publica neceſſitas etiam diebus feriatis cogit ad devotam mentis collectionem, ideoque aptam iſtis proceſſionibus. Hæc exceptio eſt tertia ſanctio laudati Decreti.

Quæſtio tertia eſt, An hæ proceſſiones congruè fiant etiam poſt meridiem? Præſertim diebus Dominicis aut Feſtis. Quidam negant. Reſpondeo tamen affirmativè. Etenim ſupra laudatus Joannes Aurelianenſis Epiſcopus mandat ipſas fieri poſt meridiem. Nec ſine rationibus. Etenim Chriſtianus populus multis in locis conſuevit poſt meridianas Dominicorum aut Feſtorum dierum horas ludicris ac vanis impendere: quandoque etiam noxiis. Præſertim versùs Septemtrionem, ubi ſolet graſſari ebrietas. At verò ſacræ cum Sanctiſſimo Sacramento proceſſiones hæc impediunt ac divertunt. Plurimos permòvent ad ornandas plateas, ad erigenda Altaria, ad comparendum

cum face, aliaque id genus. Plurimorum mentes à terrenis eriguntad Dominum Deum. Quare videntur isti etiam tempori infigniter convenire. Et plurimæ per omnem Europam Ecclesiæ etiam infra Sacramenti Octavas procedunt post meridiem. Ita procedit Vaticana Romanæ Ecclesiæ Basilica, honorata comitatu plurium Eminentissimorum Dominorum Cardinalium. Et ita suadet Ceremoniale Episcoporum: *Solita est etiam octava die hujus Festi post Vesperas fieri processio ad reponendum Sanctissimum Sacramentum, quæ non tam solemnis, & longa via, ut prima, sed vel per Ecclesiam, vel parùm circa extra eam fieri debet.*

Plurimorum item mos est processionem, quam matutini imbres impediunt, celebrare post meridiem.

Quæstio quarta est, quænam singulariter conducant ad reverentiam ac pietatem harum processionum? Respondeo esse varia. Primum edicit in prima sua Synodo sub titulo de pertinentibus ad Sacramentum S. Eucharistiæ S. Carolus Borromæus: *Die Festo Corporis Christi Domini, cum sacrosancta Eucharistia in solemni Supplicatione gestatur, si adfuerit Episcopus, is coferendæ Eucharistiæ officio fungatur. Si non adfuerit, id munus exequatur solus is Presbyter, qui secundùm Episcopum, pro loci ejus consuetudine, honore cæteris præstat. Nisi ex privilegio aut consuetudine ad alium Presbyterum ea cura pertineat.* Quibusdam enim in locis pia fundatio istud munus adstruxit certo beneficio. Etiam expedit, ut populi per sacrosanctum Sacramentum Benedictio semper detur ab Episcopo, aut certè à digniori Presbytero. Et ita omninò observatur in rectæ disciplinæ Monasteriis.

Alterum congruæ devotionis articulum edicit idem S. Carolus in eadem Synodo ad titulum de Processionibus ac Supplicationibus: *Videant Episcopi, ut in Supplicationibus ac Processionibus qui buscumque præsertim cum sanctissima Eucharistia circumfertur, & cum frequenter Populus ad Ecclesias, Indulgentiæ, Festi dies, sacræ Concionis gratia, vel alia de causa convenire solet, ea modestia & reverentia adhibeatur, quæ Pits & Religiosis hujusmodi Actionibus maximè debetur. Ne inter viam inaniter spectandi gratia subsistatur. Ne quæ minùs deceant, spectacula adhibeantur. Ne actiones pro foribus ædium, aut in via repræsententur.* Ubi vides quod S. Carolus in Ecclesiis, apud quas est Indulgentia aut singulare Festum, permittat exponi sanctissimum Sacramentum, & processionaliter circumferri.

Istam pietatem elucidat & adjuvat in prima sua Limensi Synodo laudatus ejusdem Civitatis Archi-Episcopus: *Quo tempore ab Ecclesia solemnes sanctissimi Christi Corporis Processiones aguntur, nulla fœminarum discooperto vultu per vias publicas inambulet, vel de fenestris prospiciat. Sed quæ omnes observent, ne levitate fœminea à Cultu Dei populum avocent, sed Religioso potiùs modestoque habitu & gestu internam fidem, pietatemque fateantur. Magistratus quoque ac Reipublicæ Ministros monemus atque hortamur in Domino, ut eædem sanctius Supplicationes agantur, dent sedulò operam, ne viri fœminæque mixtim confuseque incedant, sed præeant viri omnes. Mulieres, juxta Prophetam, seorsim sequantur Dei Ministros.* Litaniarum seu Processionum modus & ordo, quem Romanæ Ecclesiæ dedit Magnus Gregorius, fuit devotissimus ac elegantissimus. Et facilis induci in mores. Certè hæc inductio spectat ad officium Episcoporum.

De indecentibus spectaculis ac inanibus spectatoribus supra audivimus salutare Decretum Domini Adolphi Archi-Episcopi Colonensis: *Sæculares stultorum hominum vanitas erepsit, & adhibentur etiam ludi profani & scurriles magno strepitu, & quasi ad bellum procedendum esset, tympana pulsantur, & otiosa spectacula eduntur, rebus istis non congruentia, quibus populus delectatus, à rebus quæ Processione aguntur, avocatur. Mandamus idcirco, ut juxta Sacræ Cæsareæ Majestatis reformationem, quidquid non valet ad devotionem excitandam, à Processionibus removeatur, sed sint Processiones compositæ, graves, modestæ. Absint risus, joci, confabulationes. Et orent homines, aut suaviter corde & ore modulentur.* Adversùs eundem abusum fanxit in sua Synodo Venerabilis Ludovicus à Guisia, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ac Remensium Archi-Episcopus: *In solemni Festo, Supplicationeque Corporis Christi observetur exactè Canon de Indicris prohibendis diebus Festis supertus expressus. Neque larvæ & personati homines adesse permittantur, qui Populum à Religiosa contemplatione & adoratione tanti Mysterii avocent.* Laudatus Canon est hic. *Ludi theatrales, etiam prætextu consuetudinis, exhiberi solitos, & puerilia cætera ludicra, quibus Ecclesiæ imquinatur honestas & sanctitas, in Christi & Sanctorum Festivitatibus omninò prohibemus. Contra tentes pœnis coercere volumus à Superioribus.* Coercendos censuerunt etiam Adolphus Archi-Episcopus, & S. Carolus Borromæus.

Ex eodem principio Dominus Antonius Cardinalis Granvellanus, ac Venerabilis Matthias Hovius, Ecclesiæ Mechlinienfis Archi-Episcopi, in suis Synodis fanxerunt: *In illis autem Processionibus ad quas Populus non tam orandi, quàm spectandi gratia confluere solet, abstineatur.* Utique à circumferenda Eucharistia. Exponit in sua Synodo Dominus Joannes Malderus, Episcopus Antverpiensis: *Quoniam in Processionibus, quas vocant Dedicationum, multas contigit insolentias plerumque committi, & quædam inepta & lasciva immisceri, quæ tamen non esse toleranda decernimus, omninò prohibemus in illis Venerabile Sacramentum circumferri.* Quod ipsum rectissimè statuerunt & aliæ Belgarum Ecclesiæ. Etenim varias, in Dedicationum Processionibus fieri consuetas, sæculares vanitates & petulantias auferre non poterant. Hinc penitùs expedit eis suberahi Sanctissimum Sacramentum. Eidem principio innititur laudatum Decretum Ecclesiæ Iprensis, mandantis tales Processiones non fieri, nisi diebus solemnioribus, vel ex causa publicæ necessitatis. Reverà enim istiusmodi Processiones, dum ex sola devotione fiunt, non quadrant, nisi diebus aut in toto Populo, aut in aliqua Ecclesia solemnioribus.

Ad harum Processionum pietatem ac reverentiam conducit etiam hoc S. Caroli Borromæi in quarta Synodo Decretum: *Canonici singuli, & qui Dignitates habent, cum Processiones publicas, illam præsertim solemnem quæ in celebritate sacræ diei Corporis Domini agitur, atque alias item in portando Sanctissimo Sacramento singulis Mensibus constitu-*

tas

tas obeunt, interstitium accensum in manibus, capite aperto, ferant. Capitulum autem decenti magnitudine & crassitudine habeat, quod Canonicorum numero satis sint. Reliqui Chori Ministri cereos item accensos habeant, eosque in forma conveniente. Ad istud ipsum inducantur omnes idonei Laici. Sanctissimus Antistes in ista Synodo præscribit plura pietatis officia, per quæ sacræ cum Venerabili Sacramento processiones evadant devotissimæ ac fructuosissimæ.

Secunda ejusdem Synodus habet & aliud salutare Decretum: *cum Christianæ pietatis ratione illud alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo Religionem non excitant, sed per quæ intuentium mentes facilè cadunt in fœdas turpesque cogitationes, propterea ne quis ad ea ornanda peristromatis Aulæisque utatur, quæ obscœnis figuris intexta sunt, neque item pictas Imagines & figua adhibeant, quæ vel Ethnicorum hominum, vel allarum rerum loci sanctitati repugnantium, formam & speciem præ se ferant. In omni præterea publicarum Supplicationum aut processionum apparatu, quæ obscœnarum rerum speciem ostendunt, ea non adhibeantur.* Et in Ecclesiis & in processionibus subinde videmus exponi textas aut pictas Gentilium Deorum ac Sacrificiorum, item prophanorum militum ac bellorum Imagines. Etiam circa Altare, in quo est ipsum Sanctissimum. Hæc amoveri debent, non sacræ Reliquiæ, aut Imagines: ista, non hæc amotio spectat ad officium Episcopi.

Apostolicus Canon de non enuntiandis nostris Mysteriis etiamnum omninò obligat. Quare Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum producere nequaquam possumus ad oculos & aures prophanorum hominum. Præsertim Judæorum, qui istud Sanctum blasphemare non cessant, & sceleratissimè tractare. Quarè Ecclesiæ, quæ in sua Civitate, Oppidis, vel Pagis Judæos habent, obligantur ipsos ab istis Processionibus, itemque à nostrarum Babilicarum ingressu omnino prohibere. Disciplinatæ Ecclesiæ illos, dum tales Supplicationes fiunt, solent in suis Domibus concludere. Quod ipsum fieri deberet de Calvinistis. Horum enim in Sacrosanctum Sacramentum perfidia atque blasphemia transcendit omnem cœcitatem ac impietatem Judaicam. In fonte Christiani, in corde sunt plusquam Pagani. Et hinc in istis Civitatibus, quarum ipsi Præfecturam ac Dominatum habent, forsitan expediet abstinere à similibus Processionibus. Certè Clerici illi, qui istiusmodi Præfectos aut alios Nobiles invitant ad suas Processiones aut sacrificia, indigne prævaricantur.

CAPUT VIII.

An sacræ Reliquiæ aut Imagines simul cum sacrosancto Sacramento rectè exponantur in eodem Altari?

ALiqui negant. At certum est deviare. Etenim cum sacrosancto Sacramento adesse in Altari semper debet Imago S. Crucis: sine ipsius præsentia nequit offerri Sacrificium. Insuper Altaria, quæ pictam aut sculptam Sanctorum tabulam non habebant, nulla sunt per omnem Europam, aut certe rarissima. Etiam sine Sanctorum Reliquiis, nullum possit esse Altare, nec offerri Sacrificium. Sine istis nequeunt Altaria conferari. Quæ illis carent, non sunt Altaria, sed mensæ communes. Et ut in tali mensa offeratur, nos Latini Altare portatile, Græci habere debent Antimensium. Et dum offerimus, præter istas sacro Altaris sepulchro inclusas Reliquias, passim adjungimus publicè alias. Etiam Sanctorum Imagines. Proximè elapso Pentecostes Festo Beatissimus Pater noster Innocentius XI. publicas preces Romano Clero ac Populo indixit in Vaticana Basilica. Et in summa Ara supra Principum Apostolorum Corpora celebravit Missam publicam. Et sacrosanctum Sacramentum erat expositum. At vero stabat inter duodecim argenteas statuas Sanctorum Apostolorum. Antiqua disciplina Sanctorum Imagines adeo dilexit adjungi Sacratissimo Mysterio, ut plures & Græcorum & Latinorum Ecclesiæ ipsum supra Altaria suspenderint in aurea vel argentea columba, symboli ab Imagine Spiritus S. Et secunda Turonensis Synodus sanxit: *Ut Corpus Domini in Altari, non in Imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur.* Mandat ipsum non in communi sacrarum Imaginum ordine, sed collocari in singulari ac dignissimo loco: In ipso Altaris medio, sub titulo Sanctæ Crucis. Palam supponit simul cum ipso fuisse in eodem Altari sacras Imagines. Supponit apud quasdam Ecclesias fuisse in Imaginario ordine, seu inter sacras Imagines. Et hunc abusum merito improbat ac abolet. Ista sacrarum Imaginum, ac præsertim sacrarum Reliquiarum apud Sanctissimum collocatio est antiquissima consuetudo omnium Ecclesiarum. Eandem hodie probant Rubricæ Romani Missalis. Cap. 2.

Audiamus Adversariorum argumenta. Primum est: *Superioribus sæculis solebat esse in omnibus Ecclesiis tam intrita, profundaque reverentia, ut in eo Altari, ubi de Ordinarii consensu illud videbatur expositum Fidelium venerationi, non liceret celebrare Sacrum Missæ Sacrificium.* Et maximè decens est, *ait Ceremoniale Episcoporum*, ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramentum est, Missæ non celebrentur. Quod antiquitus observatum esse credimus. *Et hujus quidem antiquæ observantiæ ea quibusdam Religiosioribus Eucharistiæ Cultoribus videtur subfuisse ratio, quod alius sit Christi status in Missæ Sacrificio, alius vero dum in Altari cum Solemnitate publicè exponitur adorandus. Ille quasi humiliationis ac mortis, hic vero exaltationis ac gloriæ. Cujus diversitatis meditatio, cum nata sit mentem in diversa distrahere, censuerunt Majores nostri Missam in eo Altari non esse celebrandam, in quo Christi Fidelium adorationi expositum erat Venerabile Sacramentum, cum quadam quasi Cœlestis gloriæ adumbratione, in quam eodem totaliter absorberi quàm maximè est conveniens.*

Respondeo hoc Argumentum esse mixturam varii erroris. Antequam id demonstrem, adverto Authorem palàm recedere à Sancto, quem jure merito veneratur, Carolo Borromæo. Etenim hujus prima Synodus sub titulo de pertinentibus ad Sacramentum Eucharistiæ habet hoc Decretum: *ut oratio, quam vocant quadraginta horarum, coram Sanctissimo Sacramento, quo frequentissimus populus convenire solet, qua pietate*

pietate & Religione inſtituta eſt, eadem retineatur & propagetur, decernimus ut Sacramentum in Altari decenter ornato collocetur, vel ſi temporis ratio patiatur, Miſſa celebretur. S. Carolus ſanxit ex veteſta conſuetudine totius, etiam Romanæ Eccleſiæ, quæ jam pridem ſolet in ipſo, in quo expoſitum eſt Sanctiſſimum, Altari Miſſas celebrare. Et privatas & publicas. Hinc in prima ſui Theſauri parte Bartholomæus Gavantus docet etiam illis Altaribus, quæ habent Sanctiſſimi Tabernaculum, debere adeſſe S. Crucis effigiem & adjungit cauſſam: *Sacerdos*, Solemnem Miſſam celebrans, *remota Cruce, quid inceſſabit in medio? Non Crucem, quæ non eſſet ex ſuppoſitione. Neque Sacramentum, quod latet. Cui quidem genuflectimus, ut illud adoremus, ſed illud incenſare, more Romano, non ſolemus, niſi aperte pateat.* Quid opus authoritate Commentariorum? Romani Miſſalis Rubricæ palàm ac diſertè admittunt offerri Sacrificium ſuper Altare, in quo eſt Tabernaculum Sanctiſſimi.

Porrò iſtius Scriptoris primus error eſt, quod ſuperiora ſæcula in eo Altari, in quo Fidelium venerationi erat expoſitum Venerabile, non perniſerint celebrari Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium. Errat in ſuppoſito. Etenim ſuperiora Chriſtianæ Religionis ſæcula Sacroſanctum Sacramentum numquàm exponebant publicæ Veneration, niſi Paſchali nocte in gratiam Neophytorum. Quod ipſum fiebat in nocte Pentecoſtes. Neophyti ſtatim à Baptiſmo ducebantur ad Altare, adſpectui ſublimiſſimum ac ſecretiſſimum Chriſtianæ Religionis Myſterium, ad quod pia ipſorum curioſitas dudum anhelaverat. Tunc igitur exponebatur Myſterium in Altari. Quare aut expleta iſta curioſitate auferebatur, aut in iſto ipſo Altari offerebatur Sacrificium. Etenim omnes tunc Eccleſiæ non habebant, niſi unicum Altare. Quem bonis anchoris nixum morem Græci etiamnum hodiè conſtanter obſervant. Et apud nos Latinos ante Vigilii Pontificis tempora non reperies plura Altaria intra eandem Baſilicam. At verò quod antiqua diſciplina Euchariſtiam, ubi à Neophytis fuerat viſa & adorata, mox abſtulerit ex Altari, quo probabis teſtimonio? Penitùs nullo. Proinde penitùs apparens eſt Euchariſtiam Sacrificii tempore iſthic permanſiſſe.

Secundus error eſt ſiniſter intellectus Ceremonialis Epiſcoporum. Etenim & verba mutilantur, & ſenſus detorquetur. Hæc ſunt verba integra: *Et ideò non incongruum, ſed maximè decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſſimum Sacramentum eſt, Miſſæ non celebrentur. Quod antiquitus obſervatum eſſe videmus.* Pro intellectu notanda ſunt plura. Primò, quod Ceremoniale iſto loco non agat de publicè ad adorationem expoſito, ſed de quovis modo ſuper Altare exiſtenti Sacramento, etiam de clauſo intra turrim aut Tabernaculum. Secundò, quod agat non de qualibet Miſſa, ſed de ſola ſolemni, celebranda per ipſum Epiſcopum, aut ſaltem coram ipſo Pontificaliter præſente & aſſiſtente. Tertiò, quod etiam talem Miſſam non prohibeat fieri in Altari, ubi Sanctiſſimum eſt publicè expoſitum. Etenim id permittit in Feſto Dominici Corporis. Quartò, quod aliis etiam diebus iſta non prohibeat. Solummodò ait non eſſe incongruum, ſed maximè decens, ut Sanctiſſimum propter talem Miſſam extrahatur ex ſuo Tabernaculo, & transferatur in aliud Altare. Et credit antiquitus ſic fuiſſe factum. Et adjungit rationes: *Quod ſi Sanctiſſimum in Altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omninò transferendum eſt, ne propterea ritus & ordo Ceremoniarum, qui in hujuſmodi Miſſis ſervandus eſt, turbetur. Quod utique abſque dubio eveniret, ſi illud ibi remaneret. Siquidem nec Altaris Thuriſicatio, nec Celebrantis actio, nec Miniſtrorum operatio rectè fieri aut ſervari poſſent: Cum neceſſè ſit, quoties ante illud tranſimus, genua ad terram flectere, nec deberet celebrantem ante illud ſtare vel ſedere cum Mitra.* Et infra: *Epiſcopus nunquam ſedere, ſed* ſemper *ſtare* debet *ſine Mitra.* Nempe in Miſſis, quas cantat coram expoſito Venerabili. Quocircà Ceremoniale iſta omnia ſuadet, non quia inter expoſitum Sacramentum & celebrandum Sacrificium ſit aliquid incompatibilitatis aut incongruentiæ, ſed quia tale aliquid eſt inter publicè aut occultè præſens Sacramentum & ſolemnes laudati Sacrificii ceremonias. Hinc ceremoniale Sanctiſſimi tranſlationem ſuadet etiam in ſolemnibus Epiſcoporum Veſperis. Proinde hæc omnia nihil penitùs faciunt ad Propoſitum.

Hæc omnia manifeſtè lucent etiam ex Rubricis Romani Miſſalis, circa Altaris à celebrante Presbytero faciendam incenſationem ſtatuentis inter cætera: *Si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti; accepto Thuribulo, antequam incipiat incenſationem, genuflectit, quod idem facit quotieſcumque tranſit ante medium Altaris.* Rubrica palàm admittit ac probat ſolemnem etiam Miſſam celebrari in Altari, in quo eſt Sanctiſſimum. Nec contrariatur ceremoniali. Abſit. Etenim Miſſale de Presbyterali, ceremoniale ſancit de Epiſcopali Sacrificio, cujus Ritualia ornamenta commodè & plenè excerceri non poſſint in Sanctiſſimi Sacramenti præſentia. Hinc licet non mandet, tamen ſuadet iſtud non adeſſe tali Sacrificio.

Et adjungit: *Quod antiquitus obſervatum eſſe videmus.* Affirmat duo. Primò, quod Epiſcopale Sacrificium olim non fieret in præſentia Sanctiſſimi. Nempè mediis Chriſtianæ Fidei ſæculis. Etenim ſuperioribus ſæculis omnes etiam Latinæ Eccleſiæ non habebant niſi unicum Altare: Et in iſto ſervabatur Sacroſancta Euchariſtia, ideoque nec Epiſcopus, nec Presbyteri offerre poterant, niſi in iſtius præſentia. Memoratum à ceremoniali morem, ejuſque originem diſquirere, non ſpectat ad noſtrum propoſitum. Et Ceremoniale morem iſtum non conſtanter affirmat. Etenim prior ejus ſub Clemente VIII. Pontifice editio habebat: *Quod antiquitus obſervatum eſſe videmus.* Hodiernus textus habet: *Quod antiquitùs obſervatum eſſe creditmus.* Quidquid ſit Ceremoniale affirmat iſtum morem jam abjiſſe in diſſuetudinem. Addit tamen, non eſſe vetitum, aut incongruum, ſi reſumatur ac ſeiveiur. Et ita lucet nihil fundamenti hinc ſubminiſtrari Adverſario.

Tertius ejus error eſt, *quod alius ſit Chriſti Domini ſtatus in Miſſæ Sacrificio, alius verò dum in Altari cum ſolemnitate publicè exponitur adorandus.*

Iſte

Iſte quaſi humiliationis ac mortis, hic verò exaltationis & gloriæ. Etenim ſacroſancta Euchariſtia, ſive conſecretur, ſive circumferatur, ſive publicè exponatur, ſive intra Tabernaculum cuſtodiatur, Dominicam ſemper Paſſionem ac mortem nobis repræſentat, numquam ejus reſurrectionem aut exaltationem. Semper ei adeſt Apoſtoli elogium: *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Hinc Collecta, quam pro ejus ſolemni expoſitione, & circumgeſtatione S. Thomas Aquinas compoſuit, eſt hujuſmodi: *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ,* hoc eſt tuæ Paſſionis & Mortis, *fructum ſentiamus.* Sacramentales ſpecies, ubicumque fuerint, ſemper nobis repræſentant Corpus diviſum à Sanguine, ideoque Domini mortem, non reſurrectionem. Dum Sacroſanctum Sacramentum exponimus aut circumferimus adorandum, explemus Domini in Evangelio verbum: *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium Hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Euchariſtiam exponimus & circumferimus, ut omnes in Domini noſtri mortem adſpiciant, atque ità per ipſum liberentur à morſibus ſpiritalium ſerpentum.

Quartus error eſt, quod diverſi iſtius in Chriſto ſtatus meditatio ſic nata mentem noſtram in diverſa diſtrahere. Nempè meditatio Dominicæ Paſſionis ac mortis, ac meditatio Dominicæ Reſurrectionis. Eſt paradoxus error. Etenim quæ piæ aures ſine gravi offenſione ſuſtineant nos mente diſtrahi in varia, dum attentè ac devotè dicimus in Sacroſancto Sacrificio: *Unde & memores Domine nos ſervi tui, ſed & Plebs tua ſancta, ejuſdem Chriſti, Filii tui, tam Beatæ Paſſionis, nec non ab Inferis reſurrectionis, ſed & in Cælos glorioſæ Aſcenſionis, offerimus, &c.* Etiam alibi Eccleſia orat: *Gratiam, quæſumus, Domine mentibus noſtris infunde, ut qui, Angelo nunciante, Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus, per Paſſionem ejus & Crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur.* Oratio omnes iſtos Chriſti Domini ſtatus in unum colligit, ideoque dicitur Collecta. Plures Eccleſiæ orationes ſunt iſtiuſmodi. An ergò mentem noſtram ad diverſa diſtrahunt? Abſit. Sola noſtri amoris in Deum & Creaturam diviſio eſt noſtræ mentis diſtractio, ideoque variorum ad adorandam Dominicæ Incarnationis œconomiam ſpectantium Myſteriorum meditatio ipſam nullo pacto diſtrahit, ſed quàm maximè colligit in iſtud ſupremum Unum, de quo ad Martham Dominus: *Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima, porrò unum eſt neceſſarium.*

Quintus error eſt, quod Majores noſtri ad iſtam diſtractionem evitandam noluerint in iſto Altari, in quo eſſet expoſitum Sanctiſſimum, celebrari Miſſæ Sacrificium. Etenim iſta variorum Myſteriorum meditatio neque eſt diſtractio noſtræ mentis, nec poſſit improbari ab Eccleſia, ideoque ad ipſam evitandam non poſſit emanaſſe iſtiuſmodi Decretum. Quin immò iſtam noſtri Mediatoris multifariam meditationem Mater Eccleſia inſtantiſſimè commendat. Hinc ex ejus juſſu cantamus: *O Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Mater Eccleſia mandat in iſto modico verborum compendio meditemur ſacroſanctam Euchariſtiam eſſe præſentis Chriſti Domini, ac datæ per ipſum gratiæ repræſentativum Dominicæ Paſſionis ac Mortis commemorativum, & glorioſæ noſtræ reſurrectionis ſignum ac pignus promiſſivum. Eccleſia iſta ordinavit ex mandato ipſius Domini, qui mentem noſtram non diſtraxit in diverſa. Deindè oblata, & expoſita Euchariſtia, non ſunt diſparata ſigna. Eſt ſemper & ubique idem ac uniforme Sacramentum, ideoque mentem noſtram non ducit in varias meditationes. Porrò qua de cauſſa quaſdam Miſſas coram ſacroſancto Sacramento celebrari diſſuadeatur, eſt ſuprà declaratum.

Adverſarius Scriptor pergit: *Sed nec in hoc ſolum, quod in Altari, in quo* Venerabile *erat expoſitum, nulla omninò ſoleret antiquitùs Miſſa celebrari, ſtetit Majorum noſtrorum Religio, & exactior cultus erga idem* Venerabile: *Sed & hoc quod eos obſervari quoque conſuevérat, quòd in eo Altari aut proceſſione, in quo vel qua, permittente Ordinario, viſebatur* Sanctum Sanctorum, *nullæ adhiberentur ſacræ Reliquiæ aut Imagines. Quia ſole ſplendente minora cœli luminaria non apparent. Et Uni ſoli Deo tunc debetur Cultus latriæ, honor & gloria.*

Addit errores erroribus. Primus eſt, quòd Majorum noſtrorum Religio, & exactior erga Venerabile Cultus in illo, in quo erat expoſitum Venerabile, Altari non permiſerit Miſſas celebrari. Eſt acerba in Majores injuria. Secundus, quod eidem noſtri Majores in eodem Altari non permiſerint ſimul cum ſacroſancto Sacramento eſſe Sanctorum Imagines aut Reliquias. Eſt injuria æquè acerba. Nullum exſtat ſimile Decretum. Nec ullius Orthodoxi Epiſcopi exemplum. Niſi forſitan Sereni Epiſcopi Maſſilienſis. Tertius error eſt, quod Majores nec in proceſſionibus, in quibus viſebatur Sanctum Sanctorum, præfatum Comitatum admiſerint. Etenim inter iſtos Majores oportet omninò numerare Urbanum IV. Pontificem, qui in prima iſtiuſmodi, omnium aliarum origine ac matre, apud Urbem veterem proceſſione circumferri juſſit miraculoſum Corporale. Eoſdem inter Majores numerare oportet Venerabilem Julianum Cardinalem Cæſarinum, Joannem Leodienſem Epiſcopum, Cardinales & Epiſcopos cum Franciſco I. Galliarum Rege procedentes, & alios plurimos, qui ſacras Reliquias atque Imagines juſſerunt ſimul circumferri. Iſtiuſmodi circumlationem pauciſſimi quidam Epiſcopi abſtulerunt à ſola proceſſione, quæ fit in feſto ſanctiſſimi Sacramenti. Abundarunt in ſuo ſenſu. Quinimmò non abſtulerunt, ſed ſolummodò priorem, quæ ſacrum iſtum Comitatum uſque tunc non adjunxerat, conſuetudinem cenſuerunt non immutandam. Et aliud facientes Eccleſias nullatenus judicarunt. Abſit. Devius iſte Scriptor pauculorum judicium tranſcribit in omnem Eccleſiam. Et unius proceſſionis ſingularem ritum facit omnibus univerſalem. Quartus error eſt, quod Sanctum Sanctorum

nec

nec exponi, nec circumferri unquam possit, nisi ex permissu Ordinarii. Etenim istiusmodi Canonem usque huc ignoramus.

Quintus error est in his verbis: *Et uni soli Deo omnis tunc præcipuè debetur Cultus latriæ, honor & gloria. Quid sibi volunt verba, tunc præcipuè debetur?* Etenim latriæ Cultus semper & ubique debetur soli Domino Deo. Quid item sibi volunt verba, *Honor & Gloria?* Vitentur affirmare, quòd in tremendo nostro Sacrificio nullus præter Dominum Deum possit honorari ac glorificari. Est error paradoxus. Etenim damnat ac evertit Missas, quas omnis sub Cœlo Ecclesia à sancto Apostolorum tempore celebravit cum commemoratione & invocatione Sanctorum. Et totus Missæ Canon, illustrior portio, vix est aliud, quàm Sanctorum commemoratio ac invocatio. Et certè si Sanctorum Reliquiæ ac Imagines non possint Sacrificio adesse, quomodò possint commemorari ac invocari ipsorum nomina?

Quidquid Scriptor in istis verbis sentiat, adductus ejus contextus affirmat per impensam sacris Imaginibus aut Reliquiis reverentiam detrahi exposito sanctissimo Sacramento, aut certè ab eo distrahi, ideoque istas esse ab ejus præsentia removendas. Ista assertio certè nimium accedit ad profanum Imperatoris Constantini Caballini Palatio agitatum conventiculum, de quo ad septimam Synodum dixit Reverendissimus Joannes, Presbyter & Monachus, Legatus Orientalium Patriarcharum: *Pseudo-synlogus illud susurravit, quia qui adorat Imaginem, dividit Christum in duo, & qui videt Imagines, & dicit vel superscribit, Quia hic est Christus, dividit Christum. Quod est blasphemissimum.* Act. 4. Hoc est, reverentiam suam dividit ac distrahit partim in Proto-Typon, partim in Imaginem. Est unum ex argumentis, per quæ Icono-clastæ circumscripti ceciderunt in istud barathrum. Errorem ex Magno Basilio insigniter revincit laudatus Joannes, & tandem concludit: *Undè & hic Pater ostendit non duas adorationes, sed unam esse & Imaginis & principalis, cujus Imago est.* Eodem penitùs modo & sacrosancti Sacramenti, & circumstantium Imaginum ac Reliquiarum una est adoratio, una gloria, unus honor. Quomodo Dei ac proximi unica est dilectio. Hinc Romani Missalis Rubricæ etiam in isto Altari, in quo est sacrosanctì Sacramenti Tabernaculum, admittunt sanctorum Reliquias ac Imagines, & mandant ipsas singulariter incensari. Et Bartholomæus Gavantus reverentiæ istius ritum rectè fundat in laudato per Venerabilem Hiero-Monachum Joannem testimonio Magni Basilii.

Adversarius Scriptor prosequitur: *Fluxit quoque ex eodem veteri Ecclesiæ instituto & ex sacrarum Ceremoniarum observantia, quod sanctorum Reliquiæ, ab Altaribus remotæ vel abscondæ, honoris accipiunt nihil tunc, quando in iis adsunt Divina Mysteria. Et si forte contingat ex incuria, vel ad ornatum, vel ex alia simili causa conspiciat adesse aliquas Reliquias, licitum non est, incensato supremo Domino, ipsis aliquam incensationem adhiberi. Immò nequidem Imagini ipsius, si adsit, Crucifixi, licet de eo canat Ecclesia: Tuam Crucem adoramus Domine.* Perstitit in errore, quo vult à veteris Ecclesiæ Disciplina sacras Imagines ac Reliquias non fuisse in eodem Altari toleratas cum Divinis Mysteriis publicè expositis ad adorationem. Rursùm errat in supposito. Etenim usque ad Urbani IV. Decreta Sanctissimum publicè non exponebatur, nisi in nocte Paschatis ac Pentecostes.

Porro quod intra suum Tabernaculum super Altare existenti sanctissimo passim adsuerint sacræ Imagines, aut Reliquiæ, est longè certissimum. Etenim in libro contra Vigilantium S. Hieronymus laudat Rom. Pontifices, quod supra Principum Apostol. Corpora offerrent Missæ Sacrificium, & ipsorum tumulos haberent pro Christi Altaribus. Quædam olim Gallicanæ Ecclesiæ sacro-sanctam Eucharistiam super Altaribus ponebant in Imaginario ordine, seu inter Sacras Imagines: Secunda autem Turonensis Synodus istud corrigit mandans ipsam poni in Altaris medio, sub titulo S. Crucis. Non mandat auferri Imagines: Nullo modo. Solummodò mandat Christum Dominum constituì in loco dignissimo. Absit ut Christum Dominum spoliare, aut separare voluerit à suo Sanctorum exercitu. Hanc rationem S. Joannes Damascenus laudat in prima ac secunda oratione pro sacris Imaginibus. Et in Constantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo Antiochenæ Civitatis Archi-Mandritæ suum Pseudo-Patriarcham Severum accusarunt etiam de hoc Articulo: *Eas, quæ in Typum S. Spiritus sunt, aureæ, & argenteæ columbæ, suspensæ supra sacros fontes, & Altaria cum aliis de fraudabat.* Pendentes super Altaria columbæ in quibusdam Ecclesiis custodiebant Eucharistiam, & Sacrificii tempore non deponebantur. Et istas Archi-Mandritarum preces comprobavit septima Synodus. Ad eandem Synodum de Ezido Sacraenorum Principe dixit laudatus Hiero-Monachus Joannes: *Omnem Imaginalem picturam, sive in tabulis, sive per musiva in parietibus, sive in vasis sacris, & vestibus Altarium, & quotquot hujusmodi reperiuntur in cunctis Christianorum Ecclesiis, exterminare justit.* Utique in omnibus Ecclesiis sui Regni. Et in responso ad præfatum Constantini Caballini Conventiculum scripsit S. Stephanus Abbas in monte S. Auxentii: *Sed & in sacris vestibus & Cimeliis Imagines à S. Patribus dipingebantur, & in ipsis incruenta Sacrificia celebrabant.* Sacris nostris Calicibus insculptæ Imagines sunt adeò antiquæ, ut ipsas in libro de pudicitia laudet Tertullianus. Ad confundendos Iconoclastas Græcorum Episcopis suis etiam Epimanichiis, sacræ Eucharistiæ intra Sacrificium vicinissimis attexere cœperunt sacras Imagines, utique post septimam Synodum. Adduci possunt alia plurima, ex quibus luceat, quod antiqua Ecclesiæ disciplina nullo pacto voluerit sacrosanctam Eucharistiam esse in Altari solam sine sacris Reliquiis, aut Imaginibus. Et hodiernæ, quæ certè non sunt novæ, Romani Missalis Rubricæ ipsas diserte admittunt. Cap. 3. Act. 5.

Antiqua Patrum disciplina idipsum omninò censuit de publice ad adorationem exposito Sanctissimo. Etiam Gallicanæ Ecclesiæ, quæ ipsum aut imaginario ordine, aut in altario medio custodie-

ſtodiebant, in ſacra Paſchatis ac Pentecoſtes nocte omninò reſerabant Tabernaculum, & ejus myſteria Neophytis videnda ac adoranda exponebant. At verò numquam credidero, quod ſacras tum Imagines, aut Reliquias abſtulerint, præſertim Imaginem S. Crucis. Nulla tunc Eccleſia auferebat aureas vel argenteas columbas, nec ſacris Imaginibus inſculptos Calices, nec ipſis intertextas Caſulas, aut alia Miniſtrorum aut Altarium ornamenta. Liber Pontificalis laudat Magnum Conſtantinum Imperatorem, quod in Conſtantiniana Baſilica ſupra Altare fecerit faſtigium argenteum, ac in ipſo argenteas ſtatuas Domini Salvatoris, duodecim Apoſtolorum ac Sanctorum Angelorum. Statuas grandes. Et tamen in iſto Altari erat ſanctiſſimum Tabernaculum. Et dum ipſum præfatis noctibus reſerabatur, non auferebantur iſtæ ſtatuæ. Deſinamus tempus expendere, & noſtris iconoclaſtis præbere materiam, ac fomenta riſus & gaudii.

Secundus error eſt, quod ſacræ Reliquiæ, aut Imagines non fuerint Chriſto Domino in eodem Altari olim adjunctæ, uti modò adjunguntur, niſi per incuriam. Etenim Turonenſis Synodus, dum Dominum noſtrum non inter Imagines, ſed in ipſarum medio locandum voluit, egit Synodaliter, hoc eſt, ex maturo examine. Etiam aureæ & argenteæ columbæ, quæ ſuper Altaria pendebant, & ipſum Sanctiſſimum paſſim conſervabant, nec factæ nec appenſæ fuerunt per incuriam. Omnes Eccleſiæ, dum Sanctiſſimum exponeretur, paſſim adjungebant Imagines Sanctorum Angelorum candelabra geſtantium, incenſantium, aut alio modo adorantium. Qui mos eſt antiquiſſimus, abſit, ut ex incuria ducat originem.

Tertius error eſt, quod ſi exponi poſſint, poſſint non ad reverentiam, ſed ad ſolùm ornatum. Etenim tunc, incenſato ſupremo Domino, nulla eis poteſt adhiberi incenſatio. Reſpondeo à Rubricis Miſſalis Romani ſanciri directè contrarium: *Si verò in Altari fuerint Reliquiæ, ſeu Imagines Sanctorum, incenſata Cruce, & facta ei reverentia, antequam diſcedat à medio Altaris, primum incenſat eas, quæ à dextris ſunt, id eſt, à parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, & iterum facta Cruci reverentia, ſimiliter incenſat bis alias, quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt, à parte Epiſtolæ ..... Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incenſationem genuflectit.* Ob reverentiam, licet intra Tabernaculum clauſi Sacroſancti Sacramenti. Quare tunc ſimul incenſat & Crucem, & Sacramentum. Nec prætermittit incenſare Reliquias, ſeu Imagines. Quod ipſum omninò facit dum Sanctiſſimum patet, publicæ adorationi expoſitum. Quin immo non ſolùm tunc conſpicuas, ſed etiam occultas veneramur, ac venerari obſtringimur Reliquias. Etenim propter ipſas Altari ſepulchro clauſas oſculamur Altare, & humiliter precamur: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Certè oſculari non eſt minus quàm incenſari. Eſt vera adoratio, adorare enim eſt os admovere. Fateor tamen S. Crucis ſignum, dum Sanctiſſimum eſt patenter expoſitum, non incenſari. Quia nempè eſt extra celebrantis oculos, aut certè non ſuo loco. Quædam Eccleſiæ non inter candelabra ponunt in loco Reliquiarum aut Imaginum à dextris ſacram Crucem, à ſiniſtris Deiparam Virginem, & tunc omninò incenſatur, ac debet incenſari.

Audiamus iſtius Scriptoris concluſionem. *Expoſito Venerabili Sacramenti, gloriæ & Regni Cæleſtis Majeſtatem adumbrat in terris, in quibus, quæ apud nos eſt Eccleſia, almæ Sionis Æmula, etium Regnum Cælorum nuncupatur. In iſto autem regno Cælorum, ſeu in iſta Cæleſti Jeruſalem, quæ ſursùm eſt, Sancti Deum ſolum & unicum intuentur, ipſum ſolum adorant, deprædicant, nec ceſſant clamare quotidie una voce dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Unde & Joannes in Apocalypſi ſua inquit: Omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni, & Seniorum, & quatuor Animalium. Et ceciderunt in conſpectu, non ſeniorum, non quatuor Animalium, ſed Throni, id eſt, ſedentis in Throno, & adoraverunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio & claritas, &c. De illis autem, qui erant amicti ſtolis albis, & venerunt ex magna tribulatione & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ſubditur: Idcò ſunt ante Thronum Dei & ſervitunt ei die ac nocte in Templo ejus, & qui ſedet in Throno habitabit ſuper illos: Non autem cum illis in eodem Throno, in quo ſedet Agnus, qui occiſus eſt.*

Eſt eximia concluſio, inſigne argumentum. Audi ejus compendium & ſcopum: Eccleſia militans in omnibus æmulari debet Eccleſiam triumphantem: At verò triumphans nullam colit Imaginem, nullas Reliquias; nullum S. Angelum, aut hominem, ſed ſolum Dominum Deum. Hæ ſunt præmiſſæ, concluſionem erubeſco proferre. Primus itaque iſtorum verborum error eſt, quod publica ſacroſancti Sacramenti expoſitio adumbret Majeſtatem Cæleſtis Regni & gloriæ. Eſt abundè refutatus in ſuperioribus. Secundus eſt, quod Sancti in cæleſti Regno intueantur ſolum Dominum Deum. Etenim intuentur etiam ſeſe mutuò, ac Sanctos Angelos. Intuitivè. Non ſolum matutina cognitione, ſed etiam veſpertina. Et etiam hæc intuitio ſpectat ad noſtram, accidentalem tamen, beatitudinem. Eſt eximium noſtræ beatitudinis accidens.

Tertius error eſt quod ſolum Deum adorent. Etenim æterna vita eſt plena Juſtitia, ideoque plena expletio ſupremi Mandati: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Proximum tuum, ſicut teipſum. Proindè ſeſe mutuò diligunt, ideòque etiam venerantur & adorant. Etenim in prima ac tertia oratione pro ſacris Imaginibus Sanctus Joannes Damaſcenus diſtinguit ſeptem adorationis ſpecies, quarum non ſolùm prima & ſuprema in Dominum Deum, ſed etiam quædam aliæ à Sanctis Angelis & hominibus omninò obſervantur in ſeſe invicem. Etenim Sanctorum vita eſt plena perfectio rationalis creaturæ. Sancti Angeli & homines, licet non ſint, aut ſedeant in Dei Throno; ſunt tamen Dei Thronus: & ſinguli per ſemetipſos, & omnis ſimul ipſorum ſanctiſſima

societas & congregatio. Hic est supremus Thronus, in quo sedet cum suo Agno Dominus Deus. In hujus circuitu sic stant S. Angeli, ut sint illius pars & portio. Et in ipso sedentem ita adorant, ut & ipsum Thronum colant & venerentur: sese mutuo propter inhabitantem Dominum Deum. Proindè licet Sanctorum invocatio sit cum nostris, ob quas sit, miseriis finienda; ipsorum tamen veneratio, & ipsis congrua adoratio erit omninò sempiterna. Sacra Apocalypsis plura habet, quæ omninò demonstrant sacras Imagines ac reliquias in eodem Altari rectissimè exponi cum Sanctissimo Sacramento.

CAPUT IX.

Quando inceperit publica Sacro-sancti Sacramenti expositio.

QUod expositio hæc primis Ecclesiæ seculis non fuerit, est manifestum. Rationem adduxi in superioribus, quod nempè tunc essent plures Gentiles, Judæi, Pœnitentes, & Catechumeni, & quod istis omnibus patenter nostræ Basilicæ; ideoque Sacro-sancta Eucharistia, quæ ab illis videri non poterat, non posset publicè exponi. Prima Ephesinæ Synodi actio ad Sanctum Cælestinum Pontificem retulit: Sanctum Evangelium, quod ipsum Christum nobis præsentem monstrabat, in Throno, qui medium locum obtinebat, propositum fuit. Evangeliorum liber erat supremus Concilii præses utpotè ipsius Jesu-Christi D. Nostri Vicarius ac Legatus. Et ita observatum semper fuit in Generalibus Conciliis. Hinc aliqui quærunt, cur ista suprema Præsidentia non fuerit data Sanctissimo Sacramento? Respondeo ob varias rationes. Primò, quod Synodi Præses debeat loqui & veritatem docere: Hoc autem Sanctissimo Sacramento non quadrat, sed Sacro Evangeliorum Codici. Deinde in Synodis agitantur etiam criminalia judicia: Et quandoque fiunt disputationes turbidæ: Etiam cum clamoribus. Ista autem non quadrant debitæ in Sanctissimum Sacramentum reverentiæ.

Nihilominus ipsum olim fuit aliquandò publicè expositum. Etenim in Paschali Festo dixit
Serm. 8. ad Neophytos S. Augustinus: *Memor sum promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis sermonem, quo exponerem Dominicæ Mensæ Sacramentum, quod modò etiam videtis; & cujus nocte præterita participes jam facti estis. Debetis scire, quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, sanctificatus per Verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immò quod habet Calix, sanctificatum per Verbum Dei, Sanguis est Christi.* Et infrà: *Non tibi videatur vile, quia vides. Quod vides, transit; sed quod significatur invisibile, non transit, sed permanet. Ecce accipitur, comeditur, consumitur.* Episcopalis sermo apud Afros fiebat intra Missam, statim post cantatum Evangelium: Et adesse poterant non solummodò Pœnitentes & Catechumeni, sed insuper Gentiles & Judæi. Verùm hic sermo fuit ad solos Neophitos. Ex hesterna promissione. Nempè Sabbatho in plura & longa Ecclesiasti cæ Apparituræ Officia distractus Augustinus Eucharistiæ Mysteria exponere ex integro non potuerat; ideoque se obstrinxit explere debitum in ipso die Paschatis. Proindè hic est secundus istius Festi sermo ad solos Neophytos.

Paschales S. Augustini Sermones sunt passim perbreves. Quod nempè plerumque duos tum haberet: Primum ad omnes Domesticos & Extraneos, post hoc dimissos secundum ad solos Neophytos, & ad solos Fideles in gratiam Neophytorum.

Hic igitur S. Augustini Sermo est habitus non solummodò ante Consecrationem, sed etiam ante Præfationem & Offertorium. Et tamen dicit: *Quod modo etiam videtis. Panis ille, quem videtis in Altari.* Proindè non tunc consecrata ipsius Sacrificii Eucharistia videbatur, sed præsanctificata, expolita ad videndum & adorandum. Expolita in Altari. Et notanda sunt verba: *Calix iste, immò quod habet Calix.* Palàm edicunt Sacro-sanctam panis speciem non in Ciborio fuisse vasè clausam, sed nudam in vasè Monstratorio. Hinc Augustinus adjecit: *Non tibi videatur vile, quia vides.* Quale autem Monstratorium in istis temporibus fuerit, fateor me ignorare. Diligens inquisitio possit ad scientiam perducere. Porrò solemnis Baptismus palàm etiam dabatur in Pentecoste. Apud quasdam Ecclesias etiam in Festo Dominicæ Epiphaniæ. Quare etiam tunc Sanctissimum Sacramentum Neophytis exponebatur. Non solummodò in sanctis istis noctibus, sed etiam die, aut diebus sequentibus. Forsitan per totam Octavam. Etenim præsens S. Augustini Sermo est dictus in die Paschali. Et addit: Debetis scire quid accepistis in præterita nocte, quid etiamnum hodie accepturi estis, quid quotidie accipere debetis. Nempè per omnem hanc Octavam. Etenim nullus Africanus Canon obstrinxit ad quotidianam Eucharistiæ Communionem.

Similem sancti Augustini sermonem habemus apud sanctum Fulgentium in fine libri de Baptismo Æthiopis: *Hoc quod videtis in Altari Dei, etiam transacta nocte vidistis. Sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnum esset Sacramentum contineret, nondum audivistis. Quod ergo videtis Panis est & Calix: Quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est Corpus Christi, Calix est Sanguis Christi.* Sacro sancti Sacramenti veritatem, & omnia Mysteria insigniter exponit. Sanctus Fulgentius sermoni dat hunc titulum: *Sermo sancti Augustini Episcopi ante Altare ad Infantes de Sacramento.* Ex quo discimus quod hunc sermonem non ex Ambone, sed ante Altare dixerit. Nempè ante ejectos infideles, Pœnitentes, & Catechumenos Episcopus descendebat ex Ambone, & istis impendebat congrua monita. Exinde non redibat ad Ambonem, sed Neophytos ad Altare ducebat, & expolita istic Sacro-sancta Sacramenta ipsis demonstrabat & exponebat. Publicè expolitam utramque Sacramenti speciem.

Primam, quæ in ipsa sacra nocte fiebat, Sacro-sancti Mysterii expositionem & ostensionem lau-

Cap. 2. laudat etiam S. Ambrosius. In tertio de Sacramentis libro exponit, Christianæ quæ ſtatim à ſacri Fontis egreſſu dabatur, Confirmationis Sacramentum, atque profequitur: *Poſt hæc quid ſequitur? Venire habes ad Altare. Quoniam veniſti, videri habes, quæ ante non videbas, hoc eſt, Myſterium quod legiſti in Evangelio. Si tamen non legiſti, certè audiſti.* Exponit varia circa tremendum Myſterium, ac præterea Domini Acta & dicta circa illuminatum à nativitate cæcum, præſertim hæc verba: *Vade ad Natatoria Siloe, & lava.* Et pergit: *Iſti, lavaſti, veniſti ad Altare, videre cœpiſti quæ ante non videras. Per Fontem Domini & Prædicationem Dominicæ Paſſionis ſunt aperti oculi tui, qui ante corde videbaris eſſe cæcatus. Cœpiſti lumen Sacramentorum*
Cap 8. *videre.* Etiam in libro de Initiandis ſcribit baptizatis ſtatim à ſacri Fontis egreſſu imprimi Sacroſanctum ſignaculum Chriſtianæ Confirmationis, & adjungit. *His abluta plebs dives inſignibus, ad Chriſti contendit Altaria, dicens, Introibo ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Venit igitur, videns Sacro ſanctum Altare compoſitum, exclamans ait: Paraſti in conſpectu meo Menſam. Nunc illud conſideremus, ne quis viſibilia videns dicat fortè: Judæis Deus Manna pluit, pluit coturnices; Eccleſiæ autem illi dilectæ hæc ſunt quæ præparavit, de quibus dictum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum: Ergo ne quis hoc dicat, ſummo ſtudio volumus comprobare quod & an ſiquitora ſint Sacramenta Eccleſiæ quàm Synagogæ, & præſtantiora quàm eſt Manna.* Hac de cauſa Epiſcopus expoſita & demonſtrata Myſteria Neophitis pleniſſimè explicabat. Expoſitio durabat per omnem Octavam. Erat ſimilis expoſitionis hodiernæ, niſi quod fieret clauſis Baſilicæ januis. Quo nullus prophanus poſſet obrepere ac adeſſe. S. Ambroſius ſcribit Altare fuiſſe compoſitum, ſeu ſplendidè ornatum. Utique cum luminibus, & haud dubiè etiam cum SS. Reliquiis ac Imaginibus.

Antiqua Eccleſia Sacro-ſanctam Euchariſtiam expoſuit etiam feria quinta & ſexta majoris hebdomadæ. In Dominico ſepulchro. Omnes iſti ſanctiſſimi Ritus ſunt antiquiſſimi. Quod enim feria iſta ſexta non offeratur Sacrificium, ſed ex Præſanctificatis celebretur, affirmat in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Sanctus Pontifex Innocentius I. adjungens eſſe traditionem Eccleſiæ, id eſt, vetuſtam conſuetudinem. Etiam publicæ, quas tunc pro omni hominum genere ſolemniter facimus, preces ſunt antiquiſſimæ. Has ſanctus Auguſtinus palàm laudat in litteris ad Vitalem Carthaginenſem. *Numquid ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus Altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat, non reſpondebis, Amen?* Laudat iſtarum precum verba: *Oremus etiam pro Paganis, Oremus etiam pro perfidis Judæis.* Et ad iſtas orationes omnis tunc populus reſpondebat, *Amen.* Eaſdem orationes palàm laudat in primo libro de vocatione gentium
Cap. 12. Magnus Leo: *Suppliciat ubique Eccleſia Deo non ſolùm pro Sanctis ac in Chriſto regeneratis, ſed etiam pro omnibus Infidelibus, & inimicis Crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in ſuis membris perſequuntur, pro Judæis,*

pro Hæreticis & Schiſmaticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni ſunt. Palàm affirmat hunc eſſe morem omnis ſub cælo Eccleſiæ, & adjungit ipſum proceſſiſſe ex Apoſtoli ad Timotheum, adeoque & ad omnes Epiſcopo mandato: *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his qui in ſublimitate ſunt.* Iſto tempore Infidelibus ac Paganis.

Quod ipſum ſcribit Author Capitulorum de Divina gratia, quæ paſſim ſubnectuntur ſancti Cæleſtini Pontificis Apologeticæ epiſtolæ pro perſona ac doctrina S. Auguſtini. Ex quibus lucet etiam efformandi iſtis diebus Dominici ſepulchri, ac in ipſo Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ exponendæ ritum eſſe antiquiſſimum, inductum ab Apoſtolis. Hæc enim omnia ſunt connexa. Quare Patres, licet expoſitionem diſerte non laudent, omninò tamen ſub connexis ritibus intelligunt. Attamen & hæc expoſitio intra clauſam Eccleſiam fiebat pro ſolis perfectis & conſiſtentibus. Et Euchariſtia erat velata. Exponebatur tamen ad adorationem. Extra Confeſſionem & ſumptionem. Quod notent Lutherani & Calviniſtæ. Antiqui Fideles habebant Euchariſtiam Domeſticam. Hinc celebrabant & domeſticam ejus expoſitionem. Infigne exemplum habemus à ſancta Gorgonia, de qua Germanus ejus frater ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Gorgonia adverſa corporis valetudine tenebatur, & quidem incurabili. Quid igitur magna illa anima facit? Hic enim arcanum ſitum eſt. Deſperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium Medicum confugit, atque intempeſta nocte captata cum morbus non nihil remiſſiſſet, ad Altare cum fide procumbit, cumque, qui ſuper illud honoratur, cum ingenti clamore invocans, omnibuſque nominibus appellans, atque omnia ea, quæ umquam mirificè geſſerat, velut in memoriam convocans, tandem pia & præclara quadam impudentia effertur. Eam quæ Chriſti fimbria ſanguinis profluvium compreſſerat, imitatur. Quidque fecerit, audite. Cùm caput ſuum pari cum clamore lacrymiſque, quibus abundabat, mulierculæ illius inſtar quæ olim Chriſti pedes rigavit, Altari admoviſſet, nec ſe priùs illud dimiſſuram eſſe denuntiaſſet, quàm ſanitatem obtinuiſſet, ac deinde hoc ſuo Pharmaco Corpus totum perfudiſſet, & ſi quid uſpiam Anti-typorum pretioſi Corporis eat Sanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiſcuiſſet. O rem admirandam! ſtatim ſe liberatam morbo ſentit.* Domeſticam Euchariſtiam in Domeſtico ſuo Altari expoſuit, & Chriſtum Dominum iſtic adoravit. Ei in memoriam reduxit omnia variis per ipſum præſtita ſanitatum Miracula, eamque gratiam expoſtulavit ac impetravit. Et mulierem, quæ ſanguinis fluxum patiebatur imitata, non ſolam Dominici veſtimenti fimbriam, nec ſolùm Domini Altare; ſed ipſum ejus Sacro-ſanctum Corpus, & Sanguinem tetigit, ſuo languido Corpori admovit, & ſuis lachrymis miſcuit, atque ita conſecuta eſt plenam ſanitatem.

Orat. in laudem Gorgoniæ.

Diſcimus hinc varia. Primò, quod ſancta Gorgonia domi ſuæ habuerit Sacroſanctam Euchariſtiam ſub utraque ſpecie: Erat ſingulare. Ignoro ſecundum exemplum. Præſertim in fœmina. Omnes enim Laici pro domeſtica Euchariſtia paſſim habebant ſolam Panis ſpeciem. Exiſtimo diſpen-

fatorie induleum & perſonæ & generi. Erat enim Sanctiſſima: Sanctiſſimi Epiſcopi Soror, ac Sanctiſſimi Epiſcopi Filia. Secundò addiſcimus, quod antiqui olim fideles pro domeſtica Euchariſtia habuerint domeſticum Altare. Quod ipſum lucet ex Actis S. Lucæ Anachoretæ, & Taumaturgi. Ex Corinthi Metropolitæ Reſponſis ad ejus quæſtiones. Ex eiſdem lucet, quod quidam ipſo caverent, & ornato ſeamno uterentur. Tertiò addiſcimus, quod iidem fideles in ſuis neceſſitatibus ad iſtud Altare confugerint, præſentem iſtic Chriſtum Dominum noſtrum cum plena fiducia alloquerentur, & poſtulata per fidem impetrarent. Addiſcimus ſuſas ante Sacroſanctum Sacramentum orationes ſemper fuiſſe, etiamnum eſſe, ac ſemper fore efficaciſſimas. Hinc enim etiam de S. Clara Virgine ſcribic Romanum Breviarium: *Clara, Saracenis aſſiſtum obſidentibus, & Monaſterium, cui illa præerat, invadere conantibus, ægra ſe ad portam adferri voluit, unaque vas, in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum erat incluſum. Ibique oravit in hunc modum: Ne tradas Domine Beſtiis animas confitentes tibi, & cuſtodi famulas tuas, quas pretioſo Sanguine redemiſti. In cujus oratione ea vox audita eſt: Ego vos ſemper cuſtodiam. Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt; partim qui in murum aſcenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt.*

Eamdem efficaciam novit atque expertus eſt S. Thomas, Archiepiſcopus & Martyr Cantuarienſis. Etenim in litteris, quibus Henricum Angliæ Regem graviter, paternè, ac Epiſcopaliter hortatur ad feriam de ſuis in Eccleſiæ libertatem vio-
Lib. 1. lentiis pœnitentiam, adjungit: *Quod ſi me non*
Ep. 65. *audieritis, qui ſolitus fui ante Majeſtatem Corporis Chriſti in abundantia lachrymarum & gemitibus non minimis orare pro vobis, certè ibidem clamabo contra vos, & dicam: Exurge Deus, judica cauſam tuam, Memor eſto improperiorum tuorum & injuriarum, quæ à Rege Anglorum & ſuis tibi & tuis ſunt tota die.* Notanda ſunt verba: *Qui ſolitus fui.* Laudant, & omnibus imitandam commendant ſimilis orationis conſuetudinem. Notanda ſunt & hæc verba: *Ibidem clamabo.* Affirmant orationem iſtam eſſe potentiſſimam, & à Divina Clementia paſſim exaudiri. Etenim & S. Thomas fuit omninò exauditus. Lucet ex amara & vera pœnitentia, quam Henricus Rex egit poſt ejus mortem. Hæc enim ita adſcribenda eſt ejus pretioſo Sanguini, ut tamen iſtis orationibus non ſit abjudicanda.

Hujus efficaciæ radicem ſanctus Auguſtinus aperit in Refcripto ad quæſtiones ſancti Paulini
Ep. 59. Nolenſis Epiſcopi. Quinta quæſtio erat circa in-
q. 5. tellectum Apoſtolicorum verborum in priori ad
Cap. 2. Timotheum Epiſtola. *Obſecro primò omnium fieri Obſecrationes, Orationes, Poſtulationes, gratiarum Actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt.* Quæſtio erat, quid per iſta quatuor Apoſtolus intelligeret, & quomodo ipſa inter ſe intelligerentur? Et ſanctus Auguſtinus poſt varia reſpondit: *Multa hinc dici poſſunt, quæ improbanda non ſunt, ſed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccleſia, ut Precationes accipiamus dictas, quas facimus in Celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Dominì Menſa, incipiat benedici. Orationes, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum commimitur: Quam totam petitionem ferè omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit.* Addit non quamvis orationem intelligi ab Apoſtolo, ſed illam, quam facimus ad votum, & concludit: *Voventur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè S. Altaris Oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum illud votum maximum, quò nos vovimus in Chriſto eſſe manſuros. Utique in Compage Corporis Chriſti.* Docet orationem, quam vel in confecratione, vel in ſumptione, vel in adoratione hujus Sacroſancti Sacramenti facimus, oportere eſſe talem, qua factam à nobis in Baptiſmate Profeſſionem repetamus, ac Domino Deo ex pectore voveamus ſemper in ipſo manere, ac eſſe in Catholica ejus Compage viva membra; Abnegare omnem impietatem ac ſæcularia deſideria, & ſobriè, caſtè, juſtè ac piè vivere in hoc ſæculo; eſſe acceptabilem Deo Populum, ſectatorem bonorum operum. Hæc oratio, uti ſanctiſſima, ita eſt & efficaciſſima. Ipſam docendus eſt Populus, non Sacroſancti Sacramenti pio aſpectu privandus. Etiam hujus Sacramenti cauſa dixit nobis Dominus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Ad noſtras orationes exaudiendas.

Et hunc in finem Latina Eccleſia omnino cenſuit Sanctiſſimum Sacramentum publicè exponendum: Quæ forma quando inceperit, fateor me ignorare. Attamen planè exiſtimo eſſe multo antiquiorem Decretis Urbani IV. Etenim S. Clara, ipſum nequaquam juſſiſſet deportari ad Monaſterii portam, niſi conſueviſſet exponi in Eccleſia. Et ſorſan extra ipſam etiam deportari. Certum eſt, quod Sanctiſſima Fœmina nihil novi circa ſupremum hoc Myſterium attentarit. Etiam Venerabilis Eboracenſis Eccleſiæ Antiſtes Turſtinus, dum ipſum in Standardo ſeu navis Malo juſſit ac permiſit circumferri per Anglicana Caſtra, ſecutus eſt priores mores Eccleſiæ. Priorem exponendæ & circumferendæ Euchariſtiæ Ritum extendit ad Caſtra. Quidquid ſit, poſt Urbani IV. Decretum pietas cœpit eſſe frequentior. Et brevi tempore ſuit admiſſa apud omnes Eccleſias. Præſertim tamen apud Ditiones Auguſtæ Domus Auſtriacæ, ac apud Leodienſem Eccleſiam. Eodem tempore quidam cœpiſſe putant Monſtratoria Sacramenti vaſa. In variis formis. Sunt dignæ quæſtiones, extra noſtrum propoſitum.

CAPUT X.

An frequens Sacro ſancti Sacramenti expoſito expediat?

Reſpondeo hic etiam locum habere Regulam, quam ſuprà à ſancto Auguſtino in litteris ad Januarium audivimus circa frequentem ejuſdem Sacramenti oblationem & ſumptionem. Dum iſtiuſmodi expoſitio rectè fit, certum eſt frequentem expedire & eſſe ſuadendam. Porrò ut rectè fiat, requiruntur varia. Primò, ut fidelis Populus noverit ipſi exhibere debitam reverentiam mentis & corporis. Mentis reverentia eſt humillima adoratio, & congrua oratio. Ipſam laudavit & Populos docuit Venerabilis Guido, ex Ciſtercienſi Abbate Præneſtinus Epiſcopus

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ac Innocentii III. Pontificis in Germaniam Legatus, de quo Cæsarius Hesterbacensis: *Guido Cardinalis cum missus fuisset Coloniam, bonam illic consuetudinem instituit: Præcepit enim ut ad elevationem Hostiæ omnis Populus in Ecclesia ad somitum noctis veniam peteret, sicque ad Calicis Benedictionem prostratus jaceret.* Petens veniam de præteritis, & de futuris spondens rectè vivere. Idque per Dominum nostrum Jesum, cujus istic commemoratur Passio, qui istic est præsens, & qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.*

Ab illo igitur optimo Guidone venit, quod fidelis populus etiam hodiè ad Dominici Corporis & Sanguinis in Missæ elevatione profundè incumbat ac inclinet, pectus percutiens, adeoque & petens veniam. Percussio ista est antiquissima: Ex Synagoga migravit in Ecclesiam. Nam & humilis ille, ac pœnitens, quem nobis in exemplum Dominus fixit, Publicanus percutiebat pectus suum, caput usque ad terram deprimens, ac humillimè dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

Exponit in primo apud Photii bibliothecam contra Novatianenses libro S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus: *Publicanus ideò percussit, quia, id est receptaculum peccatorum. Ex corde enim veniunt cogitationes malæ, &c. Unde percutit fontem malorum, confessuria vitius, ut fluenta peccatorum exsiccet.* Istud ipsum omnes pii faciunt, dum Sacerdos cum exposita Eucharistia dat benedictionem.

Corporis reverentiam exponit idem Cæsarius, addensde eodem Venerabili Guidone: Præcepit etiam idem Cardinalis, ut quoties Sacramentum deferendum esset ad infirmum, Scholarius sive Campanarius Sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet, sicque omnis populus, tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret. Retulit eis eodem tempore casum satis miraculosum: Miles quidam in Francofurt tantæ devotionis, ut quotiescumque Christi Corpus elevari, ac deferri videret, prostratus illud adoraret. Contigit ut die quadam, vestibus suis pretiosis indutus, intraret Civitatem; cumque platea in qua equitabat, nimis esset lutosa, ex improviso obvium habuit Corpus Domini. Quo viso, modicum intra se dubitans, ait: Quid facies modo? Si in tanta profunditate te prostraveris, perdita sunt vestimenta tua hæc delicata; si verò non descenderis, saluberrimæ consuetudinis transgressorem te semper accusabit conscientia. Quid plura? Prævalescente devotione de equo prosiliens in lutum se misit, in quo flexis genibus, elevatis manibus Corpus Domini adoravit. Et quia dulcissimus Dominus honorantes se, non solum in futuro remunerat, immò etiam in præsenti nonnunquam rehonorat, hoc egit sua potentia ut totius luti nec una quidem guttula vestimentis ejus adhæreret. Tunc equum multa cum admiratione reascendit, & ampliùs in fide confortatus Dominum glorificavit. Simile contigit cuidam Religiosæ fœminæ in Provincia nostra. Hæc sunt verba Cæsarii. Agunt de Germania.

Secunda ad publicam expositionem requisita conditio est debitus ornatus Altaris, ac totius Ecclesiæ. Etenim de sancto Ludovico Francorum Rege, ad sacrum Bellum profecto, scribit Gaufredus à Belloloco: *Rex navem adscensurus ex devotione sua fecit poni in navi Corpus Domini nostri Jesu-Christi pro communicandis infirmis, & pro se ipso, & pro suis, quando sibi expediens videretur. Et quia alii Peregrini, quantumcumque magni, hoc facere non solebant, obtinuit super hoc à Domino Legato Odone Tusculano Episcopo licentiam specialem. Hunc autem Sacrum Thesaurum in loco navis dignissimo, & convenientissimo fecit poni, & pretiosum Tabernaculum ibi erigi, pannisque sericis & aureis operiri. Fecit insuper ibidem Altare collocari, & decenter ornari, ubi quotidie Divinum Officium solemniter audiebat. Videlicet omnes horas Canonicas, & præter Canonem, quæ pertinebant ad Missam, Sacerdote, Ministris Sacris Vestibus indutis, secundum quod congruebat, dici.*

Discimus hinc varia. Primò quod vialis Eucharistia, seu ipsius per iter conferendæ à Laicis mos tunc plenè desisset. Hinc enim S. Ludovicus id fecit præter aliorum Principum morem: Et non nisi do singulari venia Apostolici Legati. Secundò, quod ante ipsam S. Ludovicus non solas Canonicas horas quotidiè decantari jusserit, sed insuper Missam Sicam celebrari. Quod nempè integra Missa nequeat celebrari in navibus. Alioquin jussisset celebrari integram. Quia nempè tunc ita fiebat per Gallicanam, immò per omnem Ecclesiam. Porrò Missas Siccas jam pridem abolevit Ecclesia. Tertiò addiscimus Altare, immò & omnem, in quibus exponendum erat Sacrosanctum Mysterium, Ecclesiam consuevisse olim ornari, & etiamnum hodie esse ornanda. Hinc enim S. Ludovicus istud ipsum in navi jussit fieri. Et sanè S. Remigius, dum Clodovæum baptizari oportuit, Baptisterium & omnem Basilicam adeò ornavit, ut admirans Rex barbarus quæreret: An istud esset cœleste Regnum, quod ipsi Episcopus in Catechismo promiserat. Et istum ornatum omnes laudamus. Et meritò. Quid igitur non faciendum est pro Rege Regum Domino nostro Jesu-Christo?

Tertiam legitimæ expositionis conditionem præscribit in sua prima Provinciali Synodo Venerabilis Thoribius Alfonsus Mongrovejus Archi-Episcopus Limensis: *Gloriosissimum Eucharistiæ Sacramentum, tum in die Cœnæ Domini, tum in Festo & Octava Corporis Christi, ac quoties populo adorandum exponitur, à Ministris Ecclesiasticis, cum omni devotione assistentibus adsolectur. Cui officio Prælatus ex Capitularibus & reliquo Clero deputet per vices suas, quos ipse placuerit.* Eamdem conditionem supponit ac laudat in prima sua Synodo sanctus Carolus Borromæus, sub titulo de spectantibus ad Sacramentum Eucharistiæ, sanciens de Oratione quadraginta horarum, ut Sacramentum in Altari decenter ornato collocetur, quo tempore vel Litaniæ cantentur, vel si temporis ratio patiatur, Missæ celebrentur. Nemini autem eò, præter orantes custodes, orationis causa, nocu convenire liceat. Sanxit Altare debere esse decenter ornatum. Et Sanctissimum numquam esse solum, sed semper ei adesse, cantantes, celebrantes, aut saltem orantes etiam de nocte. Hinc sub eodem titulo adjungit quarta ejusdem

Paſtoris Synodus, *Quod ſi noctu orantes deerunt, Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo reponatur.* Et ſuprà lucidiùs exponit: *Dum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari propoſitum eſt, interdiù Clerici duo, ſuperpellicео induti, capite aperto ad Altare ſemper aſſiſtant, quorum alter Diaconus ſaltem ſit. Noctu verò ſaltem unus: Iſque in ſacro Ordine conſtitutus.* Quartam conditionem adducit ibidem laudatus Carolus: *Cerei præterea in Altari accenſi ad ſummum decem, nimirùm verò ſex decenti craſſitudine & longitudine colluceant. Lampades item ne plures, quàm duodecim, aut tredecim, nec verò pauciores quàm tres. Licebit tamen Epiſcopo ob cauſam permittere, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur.* Addit & quintam, ſanè perlaudabilem, conditionem: *Proceſſio in exponendo Sanctiſſimo Sacramento per Eccleſiam agatur cum Litaniis, ſtatiſque Antiphonis, precibus & orationibus, cum Cereis accenſis. Idemque in eo reponendo agatur.* Attamen hæ conditiones non ſunt immobiles, nec conſiſtunt in indiviſibili. Habenda eſt ratio Feſtivitatum, Baſilicarum, Conſuetudinum. Cathedralis, Collegiata, Parochialis, Regularis, Dives, Pauper, alio & alio modo obligantur iſta exequi.

Hæc omnia inſigniter confirmat divinæ gratiæ donum, quod in libro de Miraculis à Sacro-ſancto Bruxellis editis refert Theodoricus Loer Anno 1529. *Eliſabeth à Gerven, Buſcoducì uxor Henrici à Beveren, è puerperio tali claudicatione contracta ut nonniſi ſcipionis aut baculi adminiculo vix aliquò proreperet, Bruxellas profecta eſt. Poſquam in publica Proceſſione, quomodocumque poterat, ſecuta eſſet Venerabile Sacramentum, perreptavit tandem & in Templum ad Venerabile Sacramentum à Supplicatione in medio Eccleſiæ in Altari repoſitum, coram quo magno deſiderio, devotione, fiduciaque in genua procumbens ex animo Dominum comprecata eſt. Inter precandum ſenſit ſuas precationes à Domino exauditas eſſe. Erat illi in loculis nummus offertorius ut appellant: Exurgens igitur alacris & lætabunda, ſcipiones ſuos exhibuit Domino Sebaſtiano Michaeli apud Divam Gudulam Sacellano, ibidem hærenti ad recipiendas oblatiunculas. Heu tu, inquit, Domine mi, hos tibi accipe ſcipiones, ago Deo gratias, plenè convalui. Sacerdos arbitratus Mulierculam motæ mentis eſſe, prorſus inſanire, inquit: Mulier, dic quæſo quid tandem novi tibi accidit? Domine, inquit, ab hinc perpetuum ſexennium non licuit abſque ſcipionibus ambulare, at immò, ut ipſe coram vides, probè incedo, ambuloque.* Eliſabetha coram Sacro-ſancto Sacramento imitata eſt ſanctam Gorgoniam, ideoque à Divina Clementia conſecuta eſt eamdem gratiam. Tunc demonſtravit, & hodie nobis demonſtrat ſuſas ante Sacro-ſanctum Sacramentum preces eſſe efficaciſſimas, ideoque & iſtius expoſitionem eſſe utiliſſimam.

CAPUT XI.

Expenduntur adverſa cujuſdam alterius Scriptoris argumenta.

PAlmare argumentum deſumitur ex antiqua primorum ſæculorum Diſciplina, quæ à Sacro-ſancti Sacramenti conſpectu arcebat non ſolos Judæos ac Gentiles, nec ſolos Catechumenos, ſed inſuper Pœnitentes: Etiam ſubſtratos. Hi omnes ante donorum illationem ac oblationem expellebantur, & ad Sactificium conſiſtere non poterant, ideoque nec Sacro-ſanctum Myſterium videre. Hæc viſio non permittebatur, niſi perfectis & conſiſtentibus Sacramentaliter poſt expletam ſubſtrationem reconciliatis. Rationem dat S. Dionyſius, vel quiſcumque alius Author Librorum de Eccleſiaſtica Hierarchia. Quod ſupremum iſtud Chriſtianæ Religionis Arcanum videri nequeat ab impuris oculis. Quod ipſum frequenter ſcribunt S. Joannes Chryſoſtomus, & alii Patres. At verò hodierna Eccleſia, licet neque Gentiles, neque Catechumenos, niſi pauciſſimos ex Judæis habeat admixtos, habet tamen plurimos pravos & impuros Chriſtianos, qui licet non redigantur, tamen omninò deberent redigi in publicam pœnitentiam: Non ſolummodò ad ſubſtrationem, aut audientiam, ſed etiam in longum & durum ſtetum. Hi omnes ſunt veraciter profani & penitùs indigni videre Myſterium. Propter hos igitur omninò expedit, immò oportet, ut Sacro-ſancta Euchariſtia numquam, aut certe rariſſimè exponatur. Aut ſanè dum exponitur, ut illi expellantur.

Reſpondeo hæc variè impingere. Etenim Canon, qui Pœnitentes à Sacrificii Conſiſtentia, adeoque & ab Euchariſtiæ conſpectu arcebat, habuit ſemper varias & magnas exceptiones. Primam adducit in Canonicis ad S. Amphilochium litteris Magnus Baſilius: *Adulterio pollutas Mulieres, & confitentes ob pietatem, & quomodocumque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus. Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Adulterium erat unum ex tribus peculiaribus peccatis, quibus antiqua Diſciplina Sacramentalis reconciliationis pacem, ac Viaticum negavit, etiam in exitu. Ei etiam poſt S. Zephyrini Pontificis, qui ei pacem poſt expletam pœnitentiam dari juſſit, tempora, infligebatur non ſola ſubſtratio, ſed etiam audientia ac ſtetus. Canones hæc imperabant rigidiſſimè. Attamen excipiebant fœminas; Eas omnes, non ſolas confeſſas, ſed etiam in Eccleſiæ judicio convictas, admittebant ad Conſiſtentiam. Stare *ſine Communione juſſerunt*. Et quidem *donec impleretur tempus Pœnitentiæ*. Iſtic igitur explebant omnium trium Pœnitentialium ſtationum tempora. Per multos annos impuris oculis aſpiciebant Euchariſtiam. Baſilius adjecit cauſam: *Ne convictis mortis cauſam præbeamus*. Adulterium enim in fœminis per Romanas Leges eſt capitale peccatum, ideoque illis, ne aut publico Juſtitiæ gladio, aut furioſis iratorum Conjugum manibus trucidarentur, Majores noſtri ipſis fecerunt iſtam gratiam. Eas ſtatim à confeſſione, aut etiam convictione admittebant ad conſiſtentiam. Erat leviſſimæ Pœnitentiæ claſſis, ad quam quis à perfectione relegabatur etiam ob peccata venialia.

Dico, *Etiam ob peccata venialia*. Quia relegatio iſta etiam fiebat ob mortalia peccata. Amplum

plum exemplum habemus in litteris Siricii Papæ ad Himerium Metropolitam Tarraconensem : *De his Dilectio tua non incongruè Sedem Apostolicam credidit consulendam , qui acta pœnitentia , tamquam canes & sues ad vomitus prisstinos & volutabra redeuntes , & militiæ cingulum , & ludicras voluptates , & nova conjugia , & inhibitos denuò appetiveres concubitus . Quorum professam incontinentiam genetas post absolutionem filii prodiderunt . De quibus , quia jam sufficium non habent pœnitendi , id duximus decernendum , ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur , sacræ Mysteriorum celebritati , quamvis non mereantur , interfint , à Dominicæ autem Mensæ convivio segregentur , ut hac saltem distinctione correpti & ipsi in se sua errata castigent , & aliis exemplum tribuant , quatenùs ab obscænis cupiditatibus retrabantur . Quibus tamen , quoniam carnali fragilitate ceciderunt , Viatico munere , cùm ad Dominum cæperint proficisci , per Communionis gratiam volumus subveniri . Quam formam & circa Mulieres , quæ se post Pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt , servandam esse censemus .*

Num. 8.

Publica olim Pœnitentia, & impensa ipsi Sacramentalis Absolutio , non poterant iterari . Et habebant varios effectus . Arcebant à militiæ cingulo , Ludicris voluptatibus , ac novo conjugio. Et à pluribus aliis. Nihilominùs plurium infirmitas redibat non solummodò ad ista , sed etiam ad pejora , per plures annos solemniter deplorata, carnalia præsertim flagitia: Et divinitùs tacti redire volebant etiam ad pœnitentiam ac ad Dominum Deum . Quare Metropolita Himerius difficilem ac dubiam quæstionem retulit ad Apostolicam Sedem . Et Siricius Papa rescripsit varia . Primò, ipsos iteratò non posse admitti ad Pœnitentiam . Secundò , ipsos non esse deferendos. Utique ne deserti desperarent ac inciperent gentiliter vivere. Tertiò , ipsos esse admittendos , ad solam intra Ecclesiam cum Fidelibus orationem . Hoc est , ad solam Consistentiam . Et hoc, licet non mererentur. Erant enim circumvoluti multo luto turpium peccatorum . Quartò , respondet Pontifex ipsos esse arcendos à Dominicæ Mensæ Convivio . Quatenùs hac saltem distinctione correpti , sua errata ipsi in se castigarent . Agerent voluntariam pœnitentiam: Eò duriorem , quod ipsam Ecclesiæ Claves non adjuvarent . Per Claves injuncta pœnitentia habet operis operati virtutem & adjutorium : Nec solam Sacramentalem reconciliationem , sed etiam istud relapsis denegabat antiqua Disciplina . Eos tandem Pontifex in extremis admittit ad Viaticum . Ex quibus patet , quod antiqua Ecclesia etiam sordidissimos, ac ipsa etiam publica pœnitentia indignos peccatores admitteret ad audiendum Sacro-sanctum Sacrificium , & consperciendam Sacro sanctam Eucharistiam .

Hoc ipsum lucet ex quinto Canone Neo-Cæsarensis Synodi : *Si quis mulierem concupiscens prosecuerit cum ea procumbere , & cogitatio ejus non perveniat ad effectum , apparet , quod Dei gratia liberatus sit* . Non obligatur ad publicam pœnitentiam , ideoque licet Eucharistiam percipere non possit , potest tamen, quoniam inter Consistentes permanet , aspicere. Eadem est ratio de quibuscumque internis peccatis , quæ certum est esse mortalia .

Et non quibuscumque , sed solis gravioribus flagitiis ac facinoribus avita Disciplina imposuit publicam pœnitentiam : nempè Idololatriæ , Homicidio ac Adulterio , & aliis similibus. Et non nisi per Confessionem aut convictionem publicis. Media fœcula eam non imposuerunt Juvenibus , nec Conjugatis, nec ullis invitis. Quare manifestum est quod Mater Ecclesia variarum speciarum peccatores, etiam manifestos, semper admiserit ad Consistentiam , adeoque ad audiendum Sacro-sanctum Sacrificium , & videndam Eucharistiam . Non ita pridem vidi Epistolam cujusdam sublimis Ecclesiasticæ Potestatis apud alium altum Prælatum , graviter lamentantis grassari Novatores, qui dicunt, Fidelem mortalis culpæ sibi conscium sine novo mortali excessu , non posse adesse Sacrificio : Nempè propter adductum suprà argumentum . Se fundant in antiquis Christianæ Disciplinæ Canonibus . At sint ex numero istorum, de quibus Apostolus : *Converti sunt in vaniloquium , volentes esse legis Doctores , non intelligentes , quæ loquuntur , neque de quibus affirmant* . Ecclesiam , dum reformare ambiunt , turbant ac deformant . Ejusdem formæ sunt S. Athanasii , S. Joannis Chrysostomi , S. Ambrosii , aliorumque Patrum testimonia , ex quibus adducti argumenti Author suadet Sanctissimi Mysterii aspectum improbari ac prohiberi . Etenim omnia agunt de Paganis , Judæis , Catechumenis & publicè pœnitentibus , quibus Ecclesia semper istam interdixit gratiam , & etiamnum hodie debet interdicere. Priores enim non credunt in Jesum, posteriores sunt illi , qui licet in Jesum credant, Jesus tamen non se creditillis. Non sunt ejus Fideles. Et nostri Fideles sunt , non qui nobis fidunt , sed qnibus nos fidimus. Præsertim nostra interiora .

I. ad Tom. I.

Avitam Gallicanæ Ecclesiæ Disciplinam docet nos secunda Vasensis Synodus : *Placuit præterea accusandi licentiam , etiam in vestris Ordinibus , si qua exsistit , lenitate comprimere , quod etsi Episcopus aliquem judicat abstinendum pro humiliatione & correctione Fratris , & assurgitur exorari à cæteris , acquiescat , Fratri , de qua agitur , correptione & communicatione adhibita . Sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum , accusatoris vice discutiendum sciat: Fas est enim , ut quæ uni probantur , probentur omnibus . Quod si tantùm Episcopus alieni scelcris se conscium novit , quamdiu probare non potest , nihil proferat , sed eum ipso ad compunctionem ejus , secretis correptionibus elaboret . Quod si correptus pertinacior fuerit , & se Communioni publicæ ingesserit , etiamsi Episcopus in redarguendo ille , quem reum judicat , probatione deficiat , indemnatus licet , ab his qui nihil sciunt , secedere ad tempus pro persona majoris authoritatis jubeatur , ille , quam diu probare nihil potest , in Communione omnium , præterquam ejus , qui eum reum judicat , permanente .*

Cap. 7.

Cap. 8

Synodus sanxit varia . Primò quod nolit quempiam esse facilem ad accusandum . Nec tantùm in ordine ad publicam vindictam , sed etiam ad Ecclesiasticam pœnam , ad publicam Christianitatis pœnitentiam , ad meram peccantium spiri-

tualem emendationem. Etiam reſpectu gravium criminum, quæ Canones damnant ad ſolemnem pœnitentiam. Obtinere id vult in ipſo etiam Epiſcopo.

Secundò ſanxit, ut Epiſcopus ſubditum ſuum, quem talis criminis reum novit, aggrediatur ſecretis correptionibus & commonitionibus, atque ita conetur permovere ad ſuſcipiendam publicam pœnitentiam. Tertiò, ut Epiſcopus, qui quempiam velit invitum eò cogere, ſciat ſe obligari ad Leges Accuſantium, ideoque & ad plenam probationem. Etenim fas, ſeu neceſſarium eſt, ut quæ uni probantur, probentur & omnibus. Quartò, quod reus non teneatur ſemetipſum prodere, ſed poſſit in Communione permanere: Utique in Conſiſtentia. Quintò, quod Epiſcopo, licet perperàm & temerariè accuſanti, debeatur aliquid reverentiæ: Quod reus ille, licet indemnatus debeat ad tempus ſecedere. Non à Conſiſtentia, ſed à ſola Perfectione: Hoc eſt, à ſola oblatione ad Epiſcopi manus, & à publica ſumptione Sacroſancti Myſterii.

Canonem ita exponit Magnus Gallicanæ Eccleſiæ Doctor, Gabriel Alba-Spinæus, Epiſcopus Aurelianenſis, Major in Gallia Epiſcopis fuit reverentia, quàm in Africa. Nam hic ſecedere, in Africa remanere jubetur. Quid autem ſit, & quomodo intelligendum, quod eodem tempore ſecedit, & in Communione permanet? A Sacris & Euchariſtia aliquo tempore removebatur, & Epiſcopi conſpectum vitabat: Hoc eſt ſecedere. Cæteris tamen Fidelibus, præterquam Epiſcopo, communicabat, & Chriſtiana *Communione & Societate fruebatur*. Reſpicit hunc Carthaginenſem Canonem: *Si quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſolì proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur, etſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit, neganti nolle communicare*. A proprio accuſatus, & ad publicam pœnitentiam poſtulatus Aſer, licet reus eſſet, nec fateri debebat, nec ad momentum à quavis Communione ſecedere. Per iſtam agendi contumaciam quandoque peccare poterat, peccare item poterat ſine debitis forſan præparamentis ſuſcipiendo Euchariſtiam. Attamen citrà crimen poterat conſiſtere, & ſolus apud Dominum Deum pro ſuo facinore aut flagitio ſatisfacere. Proindè antiqua & Gallorum & Afrorum Diſciplina occultos peccatores non excludebat ab audiendo Sacrificio & ſuſcipiendo Sacroſancto Myſterio, Nequidem ſuſpectos, immò nec ab Epiſcopo accuſatos excludebat, ſed ſolos convictos aut ſponteneè confeſſos.

Aliud ejuſdem Scriptoris Argumentum deſumitur ex Sacris Sanctorum Reliquiis, quas antiqua Diſciplina nec videri patiebatur, nec tangi. Etenim Conſtantiæ Imperatrici ad dedicandam novam in Regia Civitate Baſilicam poſtulanti Reliquias, reſcripſit Magnus Gregorius: *Sanctæ Memoriæ Deceſſor meus, ad Corpus S. Laurentii Martyris quædam meliorare deſiderans, dum neſcitur, ubi Venerabile ipſius Corpus eſſet collocatum, & effoditur exquirendo, ſubitò ſepulchrum ipſius ignoranter apertum eſt. Et illi, qui præſentes erant atque laborabant, Monachi & Manſionarii, quia Corpus ejuſdem Martyris viderunt, quod minimè tangere præſumpſerunt, omnes intra decem dies defuncti ſunt, ita ut nullus vitæ ſupereſſe potuiſſet qui ſanctum illius Juſti Corpus viderat*. Affirmat Sanctorum Corpora non ſolùm non tangi, ſed nec videri poſſe. Demonſtrat hanc Eccleſiæ diſciplinam eſſe à Divina Majeſtate olim confirmatam, ac etiamnum confirmari multis Miraculis. Et certè plura ſunt iſtiuſmodi exempla, & plures Canones fanciunt Sanctorum Corpora aut oſſa non exponi nuda in Eccleſiis, ſed tecta thecis aut aliis velaminibus. At verò Sacroſancta Euchariſtia eſt omnibus iſtis longè ſanctior: Ergo longè minùs poſſit tangi aut videri.

Reſpondeo nos ab iſto argumento cogi ad devia, ideoque ipſi non poſſe non ineſſe vitium. Etenim Gregorius pergit: *In Romanis vel totius Occidentis Partibus omninò intolerabile eſt atque ſacrilegum, ſi Sanctorum Corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit. Quod ſi præſumpſerit, certum eſt quia hæc temeritas impunita nullo modo manebit*. Et ad Carolum Magnum Francorum Regem, aliquod ſanctum Corpus ad ſe tranſmitti poſtulantem reſcripſit Adrianus Primus Pontifex: *Sed vos, ſicut jam dudùm vobis diximus per revelationem territi, nullo modo audemus ex ipſis Sanctorum Corporibus amplius quid exogitare*. Nempè antiquam Latinæ Chriſtianitatis pietatem ſpernentes prophani Longobarbi ceperant extrahere, viſuque ac tactu invadere Reliquias, & è Romano Clero quidam aſſumpſerant eamdem fiduciam. Et ipſam ſciens Magnus Carolus præfatas preces Romam miſit. Verùm Divina Providentia interceſſit, & Miraculoſis honoribus reparavit avitam in Sacras Reliquias reverentiam. Et per ipſos Adrianus Pontifex optimo Regi ſatisfecit. Proindè Sanctorum Cadavera olim numquam videri aut tangi poterant. Ex nulla cauſa. Nec per ipſos Sacrorum Cuſtodes aut Curatores Clericos. Immò nec per Epiſcopos aut ipſum Papam. Quare ſi eadem ſit Euchariſtiæ ratio, vides quò ducamur. At longè alia ipſius, longè alia eſt ratio ſacrarum Reliquiarum: Hæ namque ſunt humana cadavera & oſſa, ideoque terram aut certè tegumen diligunt, averſatæ omnem viſum & tactum. Antiqui Ægyptii cadavera non intrà terram, ſed ſuper ſcamna locabant, expoſita oculis: At verò morem iſtum, ut cadaverum reverentiæ adverſum improbavit S. Antonius, ac Magnus Athanaſius abolevit. Videri poſſint S. Athanaſius in vita S. Antonii, quinta decima Collatio Joannis Caſſiani, S. Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani Pratum ſpirituale, & S. Joannis Damaſceni prima Oratio pro ſacris Imaginibus. Etiam Capitalium Reorum Cadavera meliores Leges humari mandant. Eorum in patibulis aut rotis derelictio eſt maxima pœna atque infamia. Aliqui, nec ſine fundamentis, cenſent Barbarum. Iſthæc reverentia præſertim debetur Sanctorum Corporibus & Oſſibus. Hinc avita Latinorum pietas nec videri ipſa permittebat, nec tangi. Quare nimium inconcinnè hinc ratiocinaris ad Sacroſanctam Euchariſtiam.

Lib. 3. Ep. 30.

Dico, *Avita Latinorum Pietas*. Etenim Græci ſemper habuerunt alium morem. Hinc in laudatis ad Conſtantinam Imperatricem litteris Magnus

gnus Gregorius adjungit: *Pro qua re Græcorum consuetudinem, qui ossa Sanctorum levare se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.* Censet id à Sanctis non permitti, ideoque esse Græcorum impostura. Hinc profequitur: *Nam quidam Monachi Græci huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxtà Ecclesiam S. Pauli Corpora Mortuorum, in campo jacentia, effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cùm deprehensi, & cur id facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt quod illa ossa in Græciam essent tamquam Sanctorum Reliquiæ portaturi. Ex quorum exemplo major nobis dubietas nata est, utrum verum sit, quod levare veraciter Ossa Sanctorum dicantur.* Attamen Gregorii dubitatio non fuit firma. Etenim Imperatore Justiniano, ad ædificatam à se Basilicam postulante Reliquias S. Laurentii Martyris, ad Hormisdam Pontificem scripserunt ejus apud Orientalem Ecclesiam Legati: *Habuit quidem petitio prædicti Viri secundùm morem Græcorum, & non contra consuetudinem Sedis Apostolicæ expositum. Accepit rationem.* Quare Pontifex ei non Reliquias misit, sed sola Sanctuaria, sive Brandea. Græci igitur SS. Corpora omninò exhumabant, tangebant, aspiciebant, transmittebant. An publico conspectui exponerent, non possum affirmare. Existimo quod non. Etenim S. Joannes Chrysostomus & alii ipsorum Patres sacrarum Reliquiarum Thecas frequenter laudant, ideoque extrà ipsas videntur non fuisse Reliquiæ. Idem Chrysostomus morem istum, quo Antiqui cum pretiosis ornamentis humabant Cadavera, atque ita sceleratæ essossioni præbebant ansas, graviter arguit, ita & vecat Cadavera nuda sepeliri. Affirmat esse indecorum. Nempè regumentum est naturalis Cadaverum reverentia.

Hom. 85. in Evang. Joan.

CAPUT XII.

An quarumdam Ecclesiarum, Sacrosanctum Sacramentum frequentiùs exponentium consuetudo sit pia, rationabilis, retinenda?

PLures, & scientia, & disciplina eminentes, per Latinum Orbem Ecclesiæ, Sacrosanctum Sacramentum publicæ Fidelium adorationi exponunt singulis diebus Dominicis & Festis, singulis quintis Feriis, & quibusdam aliis singularis pietatis diebus, & cum ipso benedicunt populum. Hæc pietas præsertim viget in Augustæ Austriacæ Domus Provinciis. Et est antiquissima. Eam enim uti antiquam laudat in sua Metropoli Albertus Crantzius. Nec expositionem, sed nimis frequentem extrà Ecclesiam elationem affirmat fuisse improbatam à Venerabili Cardinali Nicolao Cusano, Legato Sedis Apostolicæ.

Respondeo istam consuetudinem esse non dumtaxat rationabilem, sed insuper piissimam ob varios fructus. Primus est, quod fidelem Populum abstrahat à vanis & ludicris, & numerosè deducat ad Ecclesias. Hæc enim Expositio præsertim fit hora quarta aut quinta post meridiem, quo præsertim tempore festivalis otii occasio solet fidelem Populum circumscribere. Apostolica Disciplina, quæ omnem populum & manè & vesperè cogit ad Ecclesiam, apud plurimos dormit, ac propemodùm extincta est. Etiam Dominicis & Festis diebus. Hanc verò resuscitat laudata Expositio. Facit omnem populum ad Ecclesias concurrere. Ecclesias enim, quibus ista deest Expositio, licet in ipsis cantentur Divinæ Laudes, passim videmus vacuas. Secundus fructus est ablatio profanarum in Ecclesiis confabulationum. De hocce vitio gravissimè lamentantur, ac acerbè in ipsum invehuntur plures Ecclesiæ Patres, præsertim S. Joannes Chrysostomus: Et auferre non potuerunt. Illud verò aufert laudata Expositio. Etenim laudatus Joannes illos, qui tremendam, id est Eucharistiæ Consecrationis horam non erubescunt garrulitatibus inquietare, censet facinorosos ac impios: Et jure meritò. At verò nostra Sacrosancta Expositio habetur, & haberi debet in non minori reverentia; atque ita facit omnem, ut in Præscriptionum libro habet Tertullianus, Ecclesiam Collectam. Collecta & unanimi mente & prece elevatur ad Dominum Deum. Nemo Orthodoxus est adeò oblitus sui Baptismatis, & in ipso factæ Professionis, ut tunc præsumat aut semetipsum, aut suos vicinos per fabulas distrahere. Tertius fructus est, quod omnes tunc Fideles permoveantur ad explicitos Theologicarum Virtutum actus, Christum Dominum credunt præsentem, & ipsi exponunt privatas & publicas necessitates, & ejus implorant Benedictionem atque solatium. Suppliciter exposulant peccatorum remissionem, & bonorum operum vires, quibus sobriè, castè, justè ac piè vivant in hoc sæculo, fiant ipsi circumstantialis populus, atque ita tandem Serenum videant Judicem, quem jam læti Redemptorem vident in Altari. Explent Divinum Mandatum: Sicut Moyses exaltavit Serpentem, ita exaltari oportet Filium Hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Plures sunt fructus Sacrosanctæ hujus Expositionis.

Et dum Sacrosanctum Sacramentum exponitur, præsens populus cum ipso passim benedicitur. Græci in suis Sacris Fidelem suum populum frequenter benedicunt, cum Tricerio aut Bicerio. Hic duas Christi Domini naturas in eadem persona, ille in eadem natura repræsentat tres Divinæ Majestatis Personas. Sunt signa suprema & sacrosancti Fontis, ex quo omnis in nos dimanat Benedictio. Sunt Ritus laudabiles & optimi: Verùm quis ambigat, Benedictionem, quæ cum S. Eucharistia datur, esse longè sanctiorem, digniorem, efficaciorem? Ex Sacerdotalibus super populum Benedictionibus sanctus Augustinus frequentissimè firmat necessitatem & virtutem divinæ gratiæ: Hanc istæ Benedictiones nobis impetrant, ideoque sunt utilissimæ, frequenter postulandæ à populo, & à Sacerdotibus numquam denegandæ. Quò sanctiores ac validiores essent, Græci ipsas vestiebant laudatis Symbolis. Nos eas ipso Sacramento vestimus & ornamus, ideoque credimus efficacissimas apud Dominum Deum. Et omninò rectè credimus.

Constanter asserimus has omnes consuetudines esse per omnia sanctissimas ac insuper fundatissimas.

tiſſimas. Etenim Fidelis populus olim Euchariſtiam deportabat domum, & quotidie aſpiciebat. Etiam portabat per viam & itineris pericula atque faſtidia, per ejus aſpectum ſolabatur, levabat, ac evadebat. Etenim palàm ſuum Satyrum, è Sardinia reducem, ac in Mari Mediterraneo periclitantem, S. Ambroſius laudat, quod Viaticam Euchariſtiam à Comitibus poſtularit, ipſam Orario involutam ad collum contra Matris impetus alligarit, & quod Catechumenus eſſet, non præſumpſerit aſpicere. Nempè Fideles ipſam aſpiciebant, atque ita ſuas calamitates conſolabantur. Domi in privato Altari exponebant, adorabant, & pro ſuis poſtulationibus exorabant. Hæc Fidelium ſolatia jam pridem ex cauſis ceſſant: Quiſquis jam Euchariſtiam adorare, & à Chriſto Domino aliquid iſtic poſtulare deſiderat, debet accedere Eccleſiam. Cur igitur frequenter exponi, quam Fideles olim videbant quotidiè in propria domo, cur inquam hodie bis aut tertiò per hebdomadam videri, adorari non poſſit in Eccleſia?

Quin immò, Romana Eccleſia quotidiè exponit. Licet non in omnibus ſimul Eccleſiis, tamen in aliqua aut aliquibus. Omnes enim illic, & Sæculares & Regulares Eccleſiæ per omnes totius anni dies continuant orationem quadraginta horarum, ideoque quotidiè in quibuſdam Eccleſiis Sanctiſſimum exponitur. Quin immò in Eccleſia S. Mariæ Germanorum exponitur ſingulis quintis Feriis, ad diei Veſperam cantantur ejus Laudes, & populo per ipſum Venerabile Sacramentum ſolemniter benedicitur. Eſt pia, per Apoſtolicam Sedem firmata, Fundatio: Et plurimum fructuoſa. Etiam tunc & populi & pietatis plena ſemper eſt iſta Eccleſia. Piiſſimus mos ab omnibus laudatur. Et frequentioris Expoſitionis improbatio eſt quaſi heſterna. Ejus cauſa poſſit eſſe recens illud in exemptos Regulares, immò in ipſam exemptionem odium. Nuperrimè prodiit Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi Liber Pœnitentialis, cujus Scholiaſtes eſſutire & ſcribere non erubeſcit, quod omnes Apoſtolicam Exemptionem prætendentes Clerici aut Monachi, ſint rebelles ſuis Epiſcopis, atque Schiſmatici. Eſt omninò ſchiſmatica Aſſertio. Eſt Aſſertio tendens ad Euſebianam Factionem, quæ dum vidit ſe ſtare non poſſe ſine uno Capite, coacta fuit Imperatorem Conſtantium celebrare & venerari ut Epiſcopum Epiſcoporum. Ita teſtatur in lib. de Filio Dei Lucifer Calaritanus Epiſcopus, & in ſecunda Apologia Magnus Athanaſius.

Quidquid ſit, antiqua noſtræ Expoſitionis conſuetudo nullatenùs eſt turbanda, longè minùs abolenda aut circumſcribenda. Eſt pia & laudabilis conſuetudo, ideoque ab omnibus veneranda. Etenim de iſtiuſmodi conſuetudinibus ſrequenter dixit Nicæna Synodus: *Servetur antiqua conſuetudo.* Et iterùm: *Suis Privilegia ſerventur Eccleſiis.* Utiquè fundata in conſuetudine. De Nicænis Canonibus Magnus Leo, aliique Romani Pontifices & Synodi ſcripſerunt: *Sunt Spiritu Dei conditi, & totius Mundi reverentia conſecrati*, ideoque nec per Majorem Synodum abrogabiles aut derogabiles. Et tamen eis derogarunt rationabiles conſuetudines. Etenim laudati Canones ſanxerunt Cypriam Eccleſiam ſubeſſe Antiochenæ Cathedræ, & iſtius Metropolitam ad hujus Patriarcham accedere, & per ipſum confirmari & conſecrari. Et tamen hoc abjudicavit Epheſina Synodus, eò quod Evagrius Solenſis Epiſcopus, aliique teſtarentur in ſua Cypro jam pridem invaleſcere aliam conſuetudinem. Hæc Cypriis poſt repertum ab ipſis S. Barnabæ Corpus dedit plenam Autocephaliam. Quid magis non ſolummodò Nicænis, ſed inſuper Apoſtolicis Canonibus adverſatur, quam plures in eadem perſona Epiſcopatus? Iſtam tamen pluralitatem propter conſuetudinis reverentiam eadem Epheſina Synodus probavit & confirmavit in Europæ apud Thraces Provincia. Etiam Africana Eccleſia plures habuit Canonibus adverſas conſuetudines: Et tamen omnes Romana Eccleſia frequenter comprobavit. At verò Sacroſancti Sacramenti exponendi conſuetudinem nullus Canon improbat. Eſt conſuetudo rationabilis, laudabilis, piè & variè fructuoſa. Proindè nullus Epiſcopus ipſam poſſit auferre.

ORATIO
PANEGYRICA
IN LAUDEM
SACROSANCTÆ HOSTIÆ
MIRACULOSE IN CARNEM CONVERSÆ
MIDDELBURGI ZELANDORUM
ANNO M. CCC. LXXIV.

ORATIO PANEGYRICA

IN LAUDEM.

SACROSANCTÆ HOSTIÆ

MIRACULOSÆ IN CARNEM CONVERSÆ

MIDDELBURGI ZELANDORUM

ANNO M. CCC. LXXIV.

Quæ Lovanii in Eccleſia FF. Eremit. S. P. AUGUSTINI religioſe aſſervatur & colitur.

Dicta in Solemni Tri-ſæculari Jubilæo, Anno M. D. CC. LXXIV. die 16. Septemb. quæ erat ejuſdem Solemnitatis Octava.



Acroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum antiqui Eccleſiæ Patres honorant ſublimiſſimis titulis. Ipſum appellant vitam, gratiam, perfectionem, panem cæleſtem, myſticam ac vivificam benedictionem, cibum Sanctiſſimum ac Diviniſſimum, Sacramentum Sacramentorum, Sanctum, hoc eſt, ipſum ſupremum & ſubſtantiale ſanctum, de quo ad ſacratiſſimam Virginem dixit Archangelus Gabriel: *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ejus veritas in Evangelio eſt adeò lucida, ut ipſam ex prima ſtatim, licet obſcuriori, Domini prædicatione etiam Judaica & carnalia Diſcipulorum ingenia intellexerint. Etenim abierunt offenſi, & ſcandalizati dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poſſit illum audire?* Exiſtimabant Schyticam barbariem juberi à Domino. Item tremenda tranſelementationis ſanctitas eſt æquè lucida. Ipſam ſceleratus & mente cœcus Judas etiam intellexit. Quod conſecratam à Domino bucellam foras extulerit, perfidis Judæis enuntiaverit omne Myſterium, atque ita Chriſtum Dominum noſtrum accuſaverit de Paradoxo Dogmate, in Magni Baſilii ac ſancti Joannis Chryſoſtomi Liturgia profitetur omnis Eccleſia Orientalis. Iſtam eſſe nobis eſcam, licèt primitiva Chriſtianitas omni ſtudio occultaret, etiam antiqua & perſecutrix Gentilitas non ignoravit. Quia per ſuos Curioſos & Frumentarios audiebat à nobis edi carnem Filii Hominis, & bibi ejus ſanguinem, firmiſſimè credebat Thyeſteas epulas & quotidiana infanticidia à nobis facinoroſè patrari. Hinc nos ut Romani Imperii & totius humani generis abominandas peſtes averſati ſunt, & in amphitheatris à Provinciæ aut Prætorii Præfecto, aut ipſo etiam Auguſto Principe ad Leonem unanimi & frequentiſſima voce poſtularunt. Joannem Calvinum pudeat inficiari iſtam carnem, pro qua tot Chriſtianorum millia Romano olim gladio occubuerunt.

Cœcam calumniam ſanctus Juſtinus, ſanctus Quadratus, ſanctus Ariſtides, ſanctus Athenagoras, Tertullianus, Origenes, aliique antiqui noſtræ Legis Doctores per eruditas apologias tandem purgarunt & plenè abraſerunt. Gentilibus perſuaſerunt à nobis manducari Filium hominis, ſed ſine infanticidio; potari ſanguinem, ſed ſine cruenta effuſione. Et iſti audierunt quidem, ſed ænigma non intellexerunt. Hinc illius fuerunt curioſiſſimi. Nobis amicus Imperator Numerianus à ſancto Babyla, Antiochiæ Patriarcha, gratioſe admitti voluit ad Eccleſiæ Conventum, & iſtud noſtrum Paradoxum intueri. Verùm Babylas rejecit Principem, atque ita ille ex amico demutatus in hoſtem, occidit Epiſcopum, & Martyrem effecit. Ex eadem curioſitate neſcio qui tunc Romani in ſanctum Tharſitium Romanæ Eccleſiæ Acolythum patrarunt, quod habet ejuſdem Eccleſiæ Martyrologium: *Cum Pa-* Aug. 19
gani Tharſitium invenìſſent Corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid geveret. At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis mactatus eſt fuſtibus, donec exhalaret ſpiritum. Et revolute ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in ejus manibus aut veſtibus invenerunt. Quod ſola ſacra lintea, in quibus Chriſtiani ſolent deferre Euchariſtiam, invenerint, teſtatur in tertio contra Berengarium libro S. Guitmundus. Horrendum exemplum habemus in

Actis

Actis sanctæ Eudociæ Samaritanæ, passæ martyrium sub Imperio Trajani. Viatica ejus Eucharistia, dum ipsam curiosus Provinciæ Præses & intueri & tangere parat, transmutata in amplissimas flammas invasit audacem Tyrannum, & extinxit cum omni sua Apparitura. Quæ omnia evincunt primis Evangelii sæculis nec ipsos nostros Gentiles persecutores de nostro circa Eucharistiam sensu dubitasse. Fœdissimos hæreticos habuerant ista tempora: Et tamen istorum nullus Sacramenti hujus veritatem præsumpsit vel tangere. Primus nono Christi Domini sæculo ipsam invasit Joannes Erigena, homo Scotus: At fine successit. Gallicana Ecclesia fœnavit audaciam, & extinxit. Eam sæculo undecimo resumpsit Sophista Berengarius Archi-Diaconus Andegavensis Ecclesiæ: Sed & ipsum sanctus Lanfrancus Cantuariensis, sanctus Guitmundus Aversanus, Theodoinus Leodiensis, aliique isto ævo doctissimi Episcopi convicerunt, & in mortis lecto fecerunt seriò pœnitere. Interim ex ejus pessimo semine zizania devenerunt in Petrum Bruttium, Albigenses, wicleffistas, atque Hussitas, ac tandem ad Lutheranos & Calvinistas.

Antiquus ac eruditus, quem passim dicunt Dionysium Areopagitam, Scriptor rectè affirmat Eucharistiam esse Sacramentum Sacramentorum. Hinc ante ejus distributionem Christus Dominus noster Discipulis suis lavit pedes, id est, expurgavit ipsorum omnia peccata, etiam venialia. Demonstravit à fructuosa sumptione exquiri talem animam. Et talem tunc legem fixit: Et in primum prævaricatorem Judam executus est horrendum vindictæ exemplum, de quo sanctus Joannes Apostolus: *Et post buccellam tunc intravit in eum Sathanas.* Exponit sanctus Augustinus: *Non quia malum accepit.* Hinc & *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Utique à vindicante Eucharistia. Et quod Judas non tam ob Domini traditionem, quàm potiùs ob indignam Eucharistiæ Communionem desperaverit, ac semetipsum suspenderit, disertè scribit in litteris ad Cheremonem sanctus Isidorus Pelusiotes. Et ipsum repetit ac multis demonstrat in Epistola ad Nilamnonem Diaconum. Et adjungit traditionis crimen, si ex pravæ conscientiæ metu se ab Eucharistia temperasset, fuisse remittendum. Ex eadem lege ad istius præparationis neglectores Corinthios scripsit sanctus Paulus Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quicumque manducaverit vel biberit indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Laudatus Isidorus urget hæc posteriora verba, & ex ipsis affirmat indignam Eucharistiæ perceptionem esse istud ipsum facinus, quod in Christum Dominum Crucifixores Judæi, & Romanorum milites patrarunt. Esse dignum sexcentis suppliciis. Quod ipsum constanter tradunt & alii Patres, præsertim sanctus Augustinus ac sanctus Joannes Chrysostomus. Quin immò sanctus Optatus Milevitanus Episcopus affirmat esse crimen longè graviùs. Etenim Crucifixores mortale & infirmum, indignè communicantes invadunt Christi Domini Corpus gloriosum, exaltatum ad Patris dexteram. Quod ipsum affirmat gloriosus Martyr Cyprianus in sermone de Lapsis. Et hinc Apostolus subjungit: *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Nempè tunc indignè communicantes Dæmonis incursu, gravi morbo, aut subita etiam morte percutiebantur. Ita testantur sanctus Pacianus Barchinonensis Episcopus, sanctus Anastasius Sinaita, ac præsertim sanctus Joannes Chrysostomus. Divina Clementia, quæ peccata nostra patienter sustinet, & castiganda reservat in futurum sæculum, istud horrendum sacinus numquam desiit, & numquam desinet etiam in hac vita ad aliorum terrorem durissimè castigare. Et volo paucis ostendere.

Prima ad dignam communionem requisitæ præparationis pars est recta in Deum & hoc mysterium fides. Hujus præsertim defectum solet Divina vindicta invadere. Quod fœminæ Macedonianæ, ausæ de sancti Joannis Chrysostomi manu accipere, Eucharistia fuerit in durissimum ignoti coloris lapidem transmutata, testatur Hermias Zozomenus. Addit lapidem suo adhuc tempore inter Majoris Ecclesiæ cimelia fuisse servatum apud Constantinopolim. Similem Romanam Matronam vidit etiam Gregorius Magnus. Per susas ad Dominum Deum preces impetravit datam ipsi Eucharistiam mutari in carnem, hanc coram omni populo monstravit mulieri, atque ita ipsam reduxit ad rectam fidem. Et carnem coram omni populo impetravit denuò reduci in Eucharistiam. Ita in ejus vita testatur Joannes Romanorum Diaconus. Et ipsum hæc ex authenticis Romanæ Archivis scripsisse, testatur in tertio contra Berengarium libro sanctus Guitmundus. Et de quodam Judæo, qui Christianorum Eucharistiam exploraturus, se Christianum simulavit, ac in Magni Basilii Sacrificium irrepsit, scribit in istius vita Sanctus Amphilochius Metropolita Iconiensis: *Judæus videt in Basilii manibus puerulum velut membratim incidi. Et cum sumerent omnes, etiam ipse accessit, datumque quod veritate caro esset accepit. Tunc venit ad Calicem, & ipsum plenum sanguine, coque etiam participavit.* Amphilochius adjungit, quod Judæus reliquias domum detulerit, ostenderit uxori, & omnia Basilio confessus, sit cum tota familia factus Christianus. Et de sancto Odone, ad decimum Christi Domini sæculum Cantuariensi Episcopo, scribit in opere de Anglorum Pontificum Gestis Guilielmus Malmesberiensis Cœnobii Bibliothecarius: *Odo plurimos de veritate Dominici Corporis dubitantes ita roboravit; ut panem Altaris versum in carnem, vinum calicis in sanguinem, palam ostenderet, & denuò in genuinam speciem retorta usui humano conducibilia faceret.* Quod ipsum in opere de Cantuariæ Episcopis scribit Gervasius ejusdem Ecclesiæ Monachus. Isti dubitantes erant reliqui Joannis Erigenæ, qui Gallia ejectus fugerat ad Anglos. Hæresiarcha Berengarius fuit non parvi nominis Doctor. Hinc & magnos Viros fecit cespitare. Horum unus fuit venerabilis Petrus,

Lib. 1. Epist. 170.

Lib. 3. Epist. 364.

Cap. 11.

Lib. 8. Cap. 5.

Lib. 8. Cap. 41.

F. 201.

trus, Amalphitanus Archi-Episcopus, & sancti Leonis IX. ad Constantinum Monomachum Imperatorem & Constantinopolitanam Ecclesiam pro componendo Michaelis Cerularii Schismate Legatus. Et isto dubio perseverante præsumpsit peragere Sacrificium. Quod tunc sacro-
Lib. 2. Epist. 18. sancta Hostia fuerit ipsi in cruentam carnem transversa, testatur in litteris ad Desiderium Cassinensis Monasterii Abbatem sanctus Petrus Damiani, & adjungit: *Ubi notandum est, quam sit immane periculum, indignis manibus attrectare tam terribile Sacramentum.* Eodem tempore scelerata mulier ad patranda in proprium maritum maleficia accepit Eucharistiam. Et de hac etiam ad eundem Desiderium scribit idem Petrus Da-
F. 162. miani: *Dominici Corporis particula inventa est usque ad medietatem in carnem conversa, altera medietas panis speciem non mutavit.* Cur medietas dumtaxat conversa fuerit, Petrus dat ingenem rationem. Ad sequentis sæculi medium Coloniæ Agrippinæ evenit quod habet magnum Belgii Chronicon: *Quidam ex Patre Judæo converso communicans in Paschæ Corpus Christi in ore deportavit domum festinans. Sed Ecclesiam egressus terretur, & illud in fossa sepelit. Cùm Sacerdos superveniens fossam aperit, infantis formam inveniens, ad Ecclesiam deferre vult. Sed luce cœlitus emissa, è manibus elabens infans cæ-*
Cap. 1. *los petit.* Quod quidam in Claromontana Diœcesi rusticus, dum prava fide accipit & tractat, Eucharistiam suam, viderit transformari in visibilem puerum, & à suarum apum examine adorari, refert in primo de Miraculis libro Petrus
Lib. 4. Venerabilis, Abbas Cluniacensis. Cuidam no-
Cap. 24. bili in Alsatia Viro, Albigensis Hæresis sectatori, Eucharistiam fuisse versam in flammantem carbonem, atque ita ipsi insolicem mortem intulisse, Richerius Monachus scribit in Chroni-
Lib. 5. co sui Cœnobii Senonien sis. Item nobilis apud
a. 1372. Anglos miles, & durus wicleffista, dum Londini in P trum Prædicatorum Ecclesia Missam audit, in celebrantis manibus vidit hostiam converti in veram ac sanguinolentam carnem, atque ita ipse ad veram fidem est conversus. Ita in Angliæ Eventibus scribit Henricus Conychronus, Canonicus Ecclesiæ Leicestrensis.

Doctissimus ac gravissimus Scriptor Robertus Abbas Montensis in sua ad Sigeberti Gemblacensis Chronicon appendice adducit plurima istiusmodi exempla, & volo ejus verba recitare: *In Solemnitate Paschæ apud Castrum, quod dicitur Mons aureus, quædam mulier infamis, cum acciperet Corpus Domini Salvatoris in ore, non glutivit illud, immò tulit, & posuit in arca sua involutum panno lineo. Cum autem quidam Juvenis amasius ejus aperiret eandem arcam, invenit Hostiam Dominici Corporis transmutatam in effigie carnis & sanguinis. Hoc etiam accidit in quadam Villa Abbatis S. Petri Carnutensis cuidam Sacerdoti, dum teneret Corpus Domini in manibus suis ad Missam. Simile miraculum iterum accidit in Carnutensi Episcopio, tempore Roberti Episcopi Britanni, quod quidam Rusticus posuit Corpus Domini in ora cappæ suæ, & ibi servavit illud usque ad mortem suam, & tunc ibi inventum est in specie carnis. Idem miraculum accidit cuidam mulier-*

culæ in Flandria, quod cum posuisset in cista sua, postea invenit in effigie carnis. Similiter evenit in civitate Andegavensi, cum quidam Sacerdos cantaret Missam, puer parvulus intererat Missæ, & vidit idem puer puerum parvum pulcherrimum in manu Sacerdotis sacrantis Corpus Domini, qui protinùs exivit foras Ecclesiam, clamans omnibus quos invenit, & dicens: Venite & videte mirabilia Dei. Et intrantes in Ecclesiam nihil viderunt præter speciem panis. Hoc idem accidit cuidam sanctissimo Presbytero juxta Fiscannum, dum cantaret Missam in die dedicationis Ecclesiæ sanctæ Trinitatis Fiscanni, qui mittens Diaconum suum, vocavit Episcopos, qui ad dedicationem convenerant, & venerunt, & Presbyter tulit in manibus suis in calice ita ut erat revestitus, & posuerunt illud in altari. Hæc fecit pietas Domini ad confirmandam fidem Sacramentorum suorum in nobis, in quos fines sæculorum devenerunt. Robertus scribit hæc omnia contigisse ad duodecimi sæculi annum octogesimum secundum. Istud de impudica muliere exemplum refert ad eûdem annum Nicolaus Trivettus.

Nec dumtaxat in infidè fumentes, sed etiam quosvis infidè tractantes Divina Majestas consuevit exercere istiusmodi judicia. Etenim de sacinorosis hæreticis Donatistis, nostram Eucharistiam ad suos canes projicientibus, scribit S. Optatus Episcopus Milevitanus: *Canes accensi rabie ip-*
Lib. 2. *sos Dominos suos, quasi latrones sanctæ Corporis reos,* Fol. 55. *dente vindice tamquam ignotos & alienos laniaverùt.* Affirmat fuisse Divinum judicium. Nescio quis Isidorus Melitinensis in secunda Armenia civis, Severianæ hæresis sectator, Catholicam uxorem verberibus violentavit ad acceptam in Ecclesia Eucharistiam evomendam, & evomitam tractavit pessimè. Quod sacrosanctæ species Divino lumi-
Cap. 30. ne circumcinctæ in cœlos evolarint, testatur in Spirituali Prato S. Sophronius Patriarcha Hierosolyminitanus. Et adjungit scelleratum militem, qui Christum Dominum Alapa percussit, Isidoro apparuisse in hæc verba: *Ego & tu sumus condemnati in unum simul supplicium.* Verùm Isidorus erat ex Dei Electis. Hinc pœnitens se clausit in monasterio, & omnem vitam in continuo fletu exegit. Nec ad momentum quievit flere. Apud Seleuciam Syriæ Urbem quidam ejusdem hæresis sectator parabat nostram Eucharistiam exurere. Verùm referato armario *vidit omnes sanctas particulas in culmos & spicas germinasse.* Quare ipsas ejusdem civitatis Episcopus Dionysius cum totius Cleri & populi comitatu ad Ecclesiam de-
Cap. 97. tulit, & laudatus Sophronius: *Plurimi ex hoc miraculo credentes, adjecti sunt sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ.* Nescio cujus Parochialis Ecclesiæ apud wormatiam Rector Eucharistiam ultra præscriptum per sacros Canones tempus neglexerat mutare, atque ita illius species incurrerant corruptionis periculum. Ipsas in veram carnem fuisse conversas scribit ad Damianum, suum ex forore nepotem, sanctus Petrus Damiani. Adjungit se id habere ab oculata teste, Domi-
Lib. 6. Epist. 21. na Agnete Imperatrice, vidua Henrici IV. Alius apud Comum Presbyter resiluas Dominici Sanguinis Reliquias irreverenter projecit in marmoreum labrum aquæ benedictæ. Laudatus Petrus affirmat omnes labri partes, in quas sacro-

sanctæ guttæ incidérant, mox accepisse sanguineas maculas, & has numquam potuisse deleri. Affirmat se scribere ex testimonio Venerabilis Reynaldi Episcopi Comensis. Sacram Eucharistiæ pixidem, dum a Presbytero projicitur sine reverentia, evolasse in altum aerem, & istic diu pependisse, restatur Glaber Rudolphus. Et Lib. 5. cap. 1. adjungit ab illis Monasteriis, quæ tanto Sacramento non impendunt plenam observantiam, aufugere omnem Divinam benedictionem. Quidam Erfurtensis oppidi Parochialis Presbyter, dum infirmam mulierem extremo Viatico donat, Eucharistiæ particulam permisit cadere in pelvim aqua plenam, & istic neglexit. Fuisse versam in cruentam carnem ad terrorem omnium circumstantium, asserit in Sclavorum Chronico ve- Lib. 4. c. 14. nerabilis Arnoldus Abbas Lubecensis. Quemdam in Frisia nobilem, dum Eucharistiam blasphemat, statim horribiliter periisse refert in Ca- Lib. 3. c. 22. meracensis Ecclesiæ Chronico Baldricus Episcopus Tornacensis. Apud Parisios nequam Judæus emptam a Christiana muliere Eucharistiam pennario suo cultello pupugit, clavis confixit, & crucifixit. Et cum ex ipsa copiosissimus sanguis efflueret, projecit in bullientem cacabum. Istic se sacrosancta Hostia transformavit in hominem Crucifixum, & territum Judæum vertit in fugam atque amentiam. Res est omnibus nota. Facta ad postremum annum sæculi decimi tertii. Ea enim de causa Philippus Pulcher Francorum Rex omnes Judæos proscripsit è Gallia. Ejusdem sæculi anno nonagesimo octavo simile facinus Judæi patrarunt in Franconia. Et tantus emanavit sanguis, ut celari non potuerit. Hinc Herbipoli, Nurembergæ, Rotemburgi, ac per vicina oppida, collecti fideles invaserunt Judæos, & crudeliter occiderunt. Ita in suis Annalibus refert Henricus Stero Monachus Althanensis. Simile Hallensis in Saxonia Judæi facinus refert in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius. Et Bruxelleasis Judæi facinus est nobis omnibus notum. Authenticum est Constantinopolita- A. 1514. num similis Judæi facinus. Filiolum, quod cum Christianis pueris Eucharistiæ reliquias sumpsisset, misit in ardentem fornacem. Et puerum mansisse ac exivisse illæsum testantur Evagrius Epiphanienſis, Georgius Cedrenus, & alii Græcorum Scriptores. Factum fuit sub Imperio Justini II.

Altera necessariæ ad fructuosam Eucharistiæ sumptionem præparationis pars est pura & integra, aut certe purgata ac redintegrata mens. Primitiva Ecclesia nonnisi perfectos ad istud perfectionis Sacramentum admisit. Quorumdam graviorum criminum reos, licet multorum annorum dura pœnitentia perfunctos, numquam dimisit: Nec in articulo mortis. Et in hujus præparationis prævaricatores Divina Majestas exercuit dura semper judicia. Etenim de duobus suis subditis, qui sine purgata mente præsumpserant Eucharistiam accipere, scribit in Sermone de Lapsis sanctus Cyprianus: *Cum quædam arcam suam, in qua Sanctum Domini fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Alius qui, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, Cinerem se ferre apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, immerentibus ad salutem non prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur.* Addit & aliam sumpto Dominico Sanguine fuisse mox angina percussam, palpitantem ac trementem ad suos pedes cecidisse, Quin & innoxium infantem, quem lapsa nutrix pagano sacrificio admoverat, scribit Divinitus fuisse à sacrosancto calice rejectum. Hujus divini operis justitiam exponit sanctus Augustinus in litteris ad Episcopum Bonifacium. Ep. 23. Quod quibusdam indigne communicantibus Eucharistia fuerit in nigrum carbonem conversa, habemus in vitis Patrum. Et de quodam usurario Salernitanæ Ecclesiæ Presbytero scribit ad quemdam sui temporis Episcopum sanctus Petrus Damiani: *Hic aliquando cum Missarum celebraret officium, inter ipsam Dominici Corporis confractionem tres repentè favillæ ignis ex ipso cœlesti Sacramento prodeuntes emicuerunt, & in sacrificantis pectus terribiliter impegerunt.* Ad undecimum Christi Domini sæculum Albertus Viromandensium Comes scelerate vixerat, & moribundus accepit Eucharistiam. Verùm ista in ejus stomacho est transversa in ferrum, ideoque ille exclamavit: *Ferrum quod mihi dederunt Clerici, me occidit.* Et fuit mox infelicissimè extinctus. Ita scribit in Cameracensis Ecclesiæ Chronico Baldricus Epis- Lib. 3. copus Tornacensis. Stephanus Boloniæ Comes c. 23. Henrici I. Anglorum Regis Regnum, quod hujus filiæ Mathildi debebatur, contra juramenti fidem invasit, & permisit se coronari. Quod ipsi à coronante Episcopo solemniter data Eucharistia subitò in cœlum disparuerit, atque ita perjurus Rex communicare non fuerit à divina vindicta permissus, testantur Joannes Bromptonius Abbas Jornalensis, & Henricus Cnychtonus. Et sub isto Rege Anglia fuit plena calamita- Anno 1135. tibus.

Tertia laudatæ præparationis pars est immaculatum corpus. Etenim licet conjugalis thorus sit sanctus & immaculatus, de conjugatis tamen fidelibus scribit ad Corinthios sanctus Paulus: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Per orationem intelligit Christianum sacrificium atque Eucharistiam. Primitiva Christianitas fuit adeò sancta, ut qui vel solus semetipsum per unicam etiam immundiam fœdasset, omni vita, etiam in mortis articulo, ab Eucharistia arceretur. Ad septimi sæculi exordium Joannes cognomento Jejunator, istius nominis quartus Constantinopolitanus Episcopus emisit canonem mandantem, ut nullus à tali lapsu, nisi post quadraginta dierum abstinentiam ac pœnitentiam, ad Domini Sanctum admitteretur. Et ex isto Canone etiamnum vivit orientalis Ecclesia. Nec desunt qui affirment ipsum esse nimis clementem & laxum. Et sane nullum crimen magis adversatur Domino nostro virgini, filio virginis. Prima Ecclesiæ sæcula, quosvis immundos nec ingredi permiserunt Ecclesias. Ita habes in litteris S. Hieronymmi ad Ep. 50. Pammachium. Et istam sanctitatem suo adhuc tem-

tempore viguisse testatur sanctus Petrus Damiani. Ad plura sæcula omnis in sacro Ordine lapsus fuit perpetuò irregularis, extra omnem gratiæ spem proscriptus à sacro Altari, ejectus ab omni ministerio. Et hujus Canonis prævaricatorem Presbyterum fuisse subito ac incurabili cancro percussum, & ab ipso penitus exesum, scribit in Lausiaca historia Palladius Episcopus Helenopolitanus. Posterioribus sæculis Ecclesiæ disciplina est clementior, & ista clementia abutentes Clericos Divina justitia frequenter invasit. Etenim post carnis lapsum celebranti Sacerdoti consecrata elementa fuisse in picem transmutata scribit in suæ Ecclesiæ historia Simeon Dunelmensis. Simili Sacerdoti Eucharistiam, dum sumere parat, tribus continuis diebus evolasse è manibus, scribit in primo de miraculis libro Petrus Venerabilis. Addit eidem post legitimam pœnitentiam celebranti omnes ipsas tres hostias ex alto rediisse. De alio item apud Hispanos simili Presbytero ad decimi tertii sæculi annum undecimum scribit Guilielmus Nangianensis: *Peracto confectionis Sacramento, Columba cum impetu ad volans, rostro misso in calicem, totum absorbuit, & hostiam de Sacerdotis manu abripiens avolavit.* Addidit etiam huic postmodum pœnitenti rediisse columbam, & omnia reddidisse. Magnus Basilius quotiescumque consecrabat Sacrificium, externo symbolo videbat Spiritus sancti in elementa adventum. Quod ipsi ministrans impudici oculi Diaconus eum isto Chrismate privaverit, scribit in ejus vita sanctus Amphilochius.

Cap. 20. Lib. 3. c. 20. Cap. 2.

Uti in indignos tremenda judicia exercet, ita Divina Majestas in dignos Eucharistiæ sumptores & tractatores frequenter effundit amplissima gratiæ beneficia. Magnus Basilius ad sacrosanctam & tremendam Consecrationis horam quandoque videbat aureum, quæ supra altare fixa fervabat Eucharistiam, columbam moveri à Spiritu sancto, quandoque à cœlesti igne circumcingi totum altare. De sancto Epiphanio scribit in ejus vita Joannes Monachus: *Epiphanius numquam perficiebat oblationem, nisi visionem vidisset.* Quod Joannes Abbas, postmodo Cæsaræensis in Palæstina Archiepiscopus, numquam consecraverit, nisi Spiritus sancti adventum vidisset, testatur in spirituali Prato sanctus Hierosolymæ Patriarcha Sophronius. Quod ipsum scribit de venerabili Mardardo, Ciliciæ Presbytero, ac de Italiæ Episcopo Rumellensi. Et de sancto Martino Turonensi Episcopo, solemne sacrificium offerente, scribit in secundo Dialogo sanctus Sulpitius Severus: *Globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita ut in sublime contendens, longius collum & crinem flamma produceret.* Et istud Martini Chrisma Romana Ecclesia laudat in suo Breviario. Pergit in tertio Dialogo Sulpitius de Illustri Præfectorii ordinis viro Arborio: *Testatur Arbortus vidisse se Martini manum Sacrificium offerentis, vestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dexteræ colliserum inter se fragorem audisse gemmarum.* Quod etiam supra celebrantis sancti Gregorii VII. Pontificis caput nobilis vir Joannes candidam & auratam columbam viderit, testatur in Cassinensis Cœnobii Chronico Leo Cardinalis Episcopus Gostiensis. Per sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum consecrata hostia erat quasi cœlestis carbo, cœlestes emittebat radios, & ad ejus elevationem posita in altari Crux conetiebatur. Ita in ipsius vita scribit Nicetas Paphlago. De sancto Lupo Senonensi Archiepiscopo habet Romanum Martyrologium: *Quadam die, dum præsente Clero sacris Altaribus adstaret, lapsa est cælitus gemma in ejus calicem.* Sanctum Carpum, beati Pauli Apostoli discipulum, ac apud Cretenses Episcopum, ante consecrationem semper fuisse simili Chrismate donatum, affirmat in epistola ad Demophilum vulgaris Dionysius Areopagita. De domestico Beneventani Principis Presbytero, devote in dies celebrante, ad Alexandrum II. Pontificem scribit sanctus Petrus Damiani: *Angelus Domini ex consuetudine veniebat, & videnti Principe Sacramentum Dominici Corporis ex afferentis manibus assumebat.* Et certe quod cuilibet Sacrificio plures astent sancti Angeli, semper credidit Catholica Ecclesia. At postmodò carne lapsus iste Presbyter amisit istam gratiam, & dum celebrare præsumit, fuit ab eodem Angelo longe aliter tractatus. Etiam sequentis sæculi venerabilis Parisiensium Antistes Mauritius in extremo morbo nihil sumere poterat, ideoque Eucharistiæ Viaticum postulanti Clerus, vomitationis periculum timens, dedit hostiam non consecratam. At consuetum Chrisma non amisserat optimus Episcopus, ideoque respondit: *Non est hoc Salvator meus, quem summo desiderio postulaveram.* Ita refert in Occidentalis Ecclesiæ historia Jacobus Cardinalis de Vitriaco, & adjungit: *Illi vehementer admirantes, Christi Corpus attulerunt. Episcopus verò Christi præsentiam percipiens, cum lachrymis & devotione, ore tantùm osculando tetigit, & sic Domino spiritum in pace reddidit.* Joannes Bromptonus Abbas Jornalensis, licèt istud in venerabilem Hugonem de Sancto Victore perperam transcribat, addit adoratam Eucharistiam in cœlos adscendisse. Dominus Cardinalis affirmat idem Charisma fuisse Beatæ Mariæ Ognicensi. Et simile Charisma veneramur in S. Philippo Nerio. Suo tempore fuisse & cuidam Anglicanæ puellæ scribit in opere de Sacramentis magnus Doctor Thomas Waldensis. Et addit ipsam per quindecim annos ex sola Eucharistia vixisse. Habemus plura hujusmodi authentica exempla. Quod sanctus Malachias, Dunensis in Hibernia Episcopus, indigne præsertim ob luxuriam communicantes ex odore cognosceret, testatur in ejus vita sanctus Bernardus. Quod ipsum Charisma in sancto Monacho ac Presbytero Eulogio laudat Lausiaca Palladii Historia. Et de Imperatore Othone IV. scribit in Neustriæ Hypodigmate Thomas walsinghamensis: *Cum instante morte Viaticum recipere, quia nihil retinere poterat, non auderet, tamen Corpus Christi ad instantiam ejus, ut illud videret, allatum humiliter adoravit. Et cum quasi amplexaturus brachiis expansis, nudato corpore appropinquaret, hostia illo in loco, ubi cor latuit, facta apertura intravit, prosilliens de manibus Sacerdotis, & absque omni cicatricis ve-*

Lib. 3. cap. 54.

Septembris 1.

Lib. 1. Ep. 10.

Cap. 38.

Anno 1135.

Cap. 42.

Anno 1215.

Cap. 78.

stigio reclusus est locus. Et sic recumbens spiritum reddit. Affirmat se scribere ex oculato testimonio Anglicani Nobilis, qui Othoni militaverat. Quod ipsum eisdem verbis refert Nicolaus Trivettus. Divina Clementia pios sui Sacramenti dilectores solet ita honorare & consolari.

Adduci possint & plurima miracula, quorum radix & scopus latet in Divinæ Providentiæ Arcanis, & à nobis ignoratur. Ad duodecimi sæculi annum decimum sextum scribit Chronicon Abbatiæ Vezeliacensis; *In Delensi cœnobio cuidam Monacho Missas agenti puer super altare loco hostiæ apparuit ante calicem.* Quod ipsum scribit in suo Chronico Guilielmus Nangiacensis. Et adjungit ad ejusdem sæculi annum nonagesimum octavum: *Apud Rofetum in Calabria in Sacrificio altaris vinum visibiliter mutatum est in sanguinem, panis in carnem.* Quod ipsum testantur magnum Belgii Chronicon, in vita Philippi Augusti Francorum Regis Rigordus, & Guilielmus Armoricensis. Suo etiam tempore puerum loco hostiæ apparuisse apud Suessionenses, testatur in primo de Sanctorum pignoribus libro venerabilis Guibertus, Abbas sanctæ Mariæ apud Novigentum. Et in Saxonici Belli historia scribit Bruno Presbyter Merseburgensis Ecclesiæ; *Quidam Presbyter in Episcopatu Magdeburgensi, in villa Weddinghe, in neutra parte conversationis egregius, qui nec vitiorum labe, nec virtutum laude claruerat eximius, dum in Sacramentorum confectione veniisset ad communionem, calice levato, vidit unum non solum spiritualiter, sed visibiliter conversum in sanguinem, cujus rubore pariter ac* Cap. 2. Fol. 113. *densitate perterritus, nihil inde sumere præsumpsit, sed in Magdeburgi civitatem, ubi adhuc venerabiliter servatur, cum magno timore portavit.* Magnum Belgii Chronicon ad duodecimi sæculi annum sexagesimum nonum affirmat similia contigisse apud Aureliam, apud Castrum Caroli, apud Brennense Præmonstratensis Ordinis Cœnobium, ac in civitate Atrebatensi. Addit facta à Domino Deo ad confundendos, qui tunc nascebantur, hæreticos Albigenses. Ad ejusdem sæculi annum nonagesimum septimum affirmat contigisse etiam in territorio Carnutensi. Ad postremum istius sæculi annum habet Chronicon Fol. 199. Augustensis Ecclesiæ: *Corpus Domini versum est in cruentam carnem in civitate Augusta.* In secundo contra Berengarium libro scribit Sanctus Guitmundus Episcopus Averfanus: *Cùm in Italia Presbyter quidam Missam celebrans, inventam super Altare veram carnem, & verum in calice sanguinem, secundùm propriam carnis & sanguinis speciem, sumere trepidaret, rem protinus suo Episcopo, consilium quæsiturus, aperuit. Episcopus autem cum multis Cœpiscopis ad hoc convocatis calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter opertum in medio Altaris inclusit, pro summis reliquiis perpetuò reservandum.* Et in sa- Cap. 3. cri Canonis expositorio opusculo scribit venerabilis Hugo de sancto Victore: *Cum in Vivariensi Ecclesia Ordinis Præmonstratensis Missa celebraretur, quidam frater de choro respiciens ad Altare, vidit super illud circulum claritatis immensæ, & columbam nivei candoris supra calicem in eadem claritate.* Et lumen fuit tantum, ut curiosum inspectorem excæcaverit. In Sclavorum Chroni- Lib. 2. co scribit Presbyter Hemboldus: *Sacerdos qui cap. 13. dam in terra Danorum assistens sacro Altari, cum sublevasset calicem, sumpturus hostiam, ecce visa est in calice species Carnis & Sanguinis. Ille de timore tandem resumpto spiritu, non audens sumere insolitæ visionis speciem, transiit ad Pontificem, ibi in conventu Cleri calicem videndum obtulit. Cum multi dicerent id factum Divinitùs ad confirmandam plebis fidem, Pontifex altiori sensu protestatus est gravem Ecclesiæ imminere tribulationem, & multum Christiani populi sanguinem fundendum. Quotiès enim sanguis Martyrum effunditur, Christus denuò in suis membris crucifigitur.* Hemboldus adjungit Episcopi propheiam fuisse veram, impletam per calamitates proximè illatas à barbaris Sclavis. Etiam Bruno Merseburgensis censuit per supra laudatum Magdeburgense miraculum fuisse prænunciatas horrendas calamitates, quas à scelerato Imperatore Henrico IV. tunc Saxonia sustinuit.

At verò in præfato opere Jacobus Cardinalis de Virriaco Catholicæ Ecclesiæ de sacrosancta Eucharistia fidem insigniter exponit, atque prosequitur: *Quoniam hujus Sacramenti profunditas incomprehensibilis & admirabilis omnem excedit intentionem, credere præcipimur, discutere prohibemur. Propter quod Dominus, ut infirmorum fidem circa hoc Sacramentum hæsitantium roboraret, variis miraculorum argumentis ipsius ostendit veritatem. Etenim similitudo carnis cruentæ in Altaris Sacramento frequenter ostensa est à Domino. Cujusmodi propriis oculis in Monasterio Præmonstratensis Ordinis apud villam, quæ Brenna nominatur in Regno Franciæ, inspeximus.* Adjungit se simile miraculum vidisse in regione Pictavensi, & pergit: *Longum esset enarrare, quot & quibus modis Dominus hujus Sacramenti veritatem exterius ostendendo manifestaverit, vel interius efficiendo suavius & secretius præsentiæ suæ veritatinem animabus sanctis revelaverit. Ipse enim novus homo venit in mundum, ut nova faceret opera, quæ nullus alius fecit. Quæ si omnia essent rationi comprehensibilia, quomodo essent profunda & inscrutabilia? Nequo fides haberet meritum, cui humana ratio præberet experimentum.* Quam doctrinam existimo esse veriffimam. Nam & istud Brennense, & alia illius sæculi miracula fuisse facta ad confundendam Albigensium hæresim, & infirmam quorumdam fidem roborandam, jam audivimus à Magno Belgii Chronico. Et hinc Divina Clementia Occidentali potiùs, quàm Orientali Ecclesiæ dedit istiusmodi portenta. Huc usque tetuli non pauca, & pleraque sunt apud Occidentem, rarissima apud Orientem. Quia nempe Sacramentariæ hæreses solam Latinam vexarunt Ecclesiam, ideoque hæc sola indiguit istis infirmæ fidei adjumentis. Etiam paucissima, quæ apud Orientem, eyenerunt ad istud adjutorium. Eadem de causa pleraque Latina evenire cœperunt ad Christi Domini undecimum sæculum. Quod nempè vanus Berengarius Sacramentariis erroribus tunc portam reseraverit.

Porrò nostrum, cujus hodiè memoriam læti celebramus, miraculum evenit ad prima exordia hæresis Wicleffianæ. Et ad sacrosanctæ Eu-

chariſtiæ fidem firmandam Divina Clementia tunc edidit plura. Inſigne in Cantuarienſi Eccleſia ſub Domino Archiepiſcopo Thoma de
Cap. 63. Arondell factum narrat Thomas Waldenſis. Nec dubitandum, quin per hoc noſtrum Divina Pietas voluerit non dumtaxat caſtigare indignum ſumptorem, ſed & Belgicæ plebis fidem ſtabilire. Præſertim civitatis Colonienſis, ac hujus almi oppidi Lovanienſis. Non ſine cauſa hujus portenti gratia Middelburgum deſeruit, & elegit Coloniam atque Lovanium. Quod tutelares Sancti ſint ſuarum urbium firmiſſimi conſervatores, rectè ſcribit ad ſuæ civitatis Senatum
Lib. 1. ſanctus Iſidorus Peluſiotes. Et de ſancto Jacobo
Ep. 228. Niſibenſi ad Perſicos Romani Imperii fines Epiſcopo habet in ſuo Martyrologio ſanctus Ado
Jul. 15. Antiſtes Viennenſis: *Sanctus Jacobus Epiſcopus, magnæ virtutis Vir, ita ut ad ejus preces ſæpè urbs diſcrimine fuerit liberata. Intrà urbis ſuæ muros ex præcepto Imperatoris Conſtantini ad tutelam & munimentum ſepultus, poſtea zelo Juliani Apoſtatæ eſt extrà urbem elatus & conditus. Sed mox eadem civitas, tanti Patroni orbata reliquiis, Perſarum dictioni ſuccubuit.* Rei ſeriem pluribus exponit in Virorum Illuſtrium Catalogo Gennadius
Cap. 1. Maſſilienſis. Habemus plurima iſtiuſmodi exempla. Et hinc de Imperatore Anaſtaſio, quod Meſopotamiæ Daras exaltans in Anaſtaſiopolim, ac inde ſancti Bartholomæi corpus auferens, ipſam plenè exarmaverit, rectè ſcribit in Colle-
Lib. 2. ctaneis Theodorus Lector. Etenim tunc ipſam, antea inſuperabilem, Perſæ mox ſubjugarunt. Etiam varios & horrendos à Deo & Regi rebellibus Calviniſtis, Swecis, Francis, aliiſque hoſtibus inſultus ſuſtinuerunt Colonia & Lovanium: Et omnes vicinæ civitates ſuccubuerunt. Solum cum Colonia Lovanium permanſit orthodoxum, nec ſuum legitimum Principem umquam amiſit. Divinæ Majeſtatis judicia ſunt alta & ſecreta: Quis ſapiens, & intelliget hæc? Et adversùm hoſtilia arma quid eſt Lovanium? Quare Divinam ejus tutelam ſi huic ſacroſancto Theſauro adſcripſerim, non ero temerarius. Dura hodiè patimur. Redacti ſumus in Attilana tempora, de quibus ad ſanctum Exuperium Tholoſæ Epiſcopum ſcripſit ſanctus Hieronymus: *Dives eſt qui habet panem.* Non imitemur antiquos Romanos, ad quos à barbaris Gothis captos & ſpoliatos declamat in libris de Dei civitate ſanctus Auguſtinus: *Perdidiſtis utilitatem calamitatis. Miſerrimi facti eſtis, peſſimi permaniſtis.* Ex corde redeamus ad Divinam Clementiam, & confidamus in Sapientis verba: *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem.* Humani cordis converſionem eſſe cœli ac terræ creatione majus miraculum affirmant atque demonſtrant ſanctus Auguſtinus ac ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Et quod illam per ſacroſanctum Eucharistiæ Sacrificium ac Sacramentum operari conſueverit Divina miſeratio, Chriſtiani omnes novimus. Hæc veneremus, his piè & ſanctè utamur & in opportuno tempore reperiemus Divinum auxilium.

FINIS.

Ad majorem Dei & omnium Sanctorum gloriam.

INDEX TRACTATUUM ET CAPITUM.

TRACTATUS PRIMUS.

DISSERTATIO de antiquitate, auctoritate, ac legitimo usu Sententiæ Probabilis.

CAPUT I. *Ostenditur quòd juris naturalis ignorantia sit pars originalis peccati, ideoque durum nostræ animæ vulnus.* Fol. 1

CAP. II. *Quænam sententia sit censenda verè probabilis.* 2. 2

CAP. III. *Ostenditur quòd Ecclesia Catholica circa humanas Leges semper permiserit uti sententia probabili.* 5. 2

CAP. IV. *Ostenditur quòd Catholica Ecclesia etiam circa Divini juris materiam semper nos permiserit uti sententia probabili.* 7. 1

CAP. V. *Præcedens assertio demonstratur per alia insuper exempla.* 8. 2

CAP. VI. *Ostenditur quòd Romani etiam Pontifices sua quandoque Rescripta forment ex istiusmodi probabilibus sententiis.* 11. 2

CAP. VII. *Ostenditur quòd Catholica Ecclesia semper admiserit probabiles sententias etiam circa jus naturale.* 13. 1

CAP. VIII. *Hæc firmantur aliis exemplis.* 16. 1

CAP. IX. *An omnia per naturalis juris ignorantiam patrata iniqua opera sint peccata?* 19. 2

CAP. X. *An per naturalis juris ignorantiam patrata opera sint semper peccata mortalia?* 23. 2

CAP. XI. *An semper & ubique sit observanda hæc Regula:* In dubiis pars tutior est eligenda? 26. 1.

CAP. XII. *Demonstratur quòd inter probabiles sententias vera, quandoque videatur immò & sit minùs tuta.* 28. 2

CAP. XIII. *Resolvuntur aliquot quæstiones.* 32. 1

CAP XIV. *An omnes sanctorum Patrum sententiæ sint verè probabiles?* 34. 1

TRACTATUS SECUNDUS.

DISSERTATIO de Simonia Monasteriorum.

CAP. I. *Opulenti olim fideles, suscipientes vitam Monasticam solebant suarum facultatum aliquid largiri Monasterio.* 42. 1

CAP. II. *Exponuntur aliquot antiqui Ecclesiarum ac Monasteriorum abusus.* 44. 2

CAP. III. *Exponitur varia pœna Monasticæ Simoniæ.* 45. 2

CAP. IV. *Ostenditur quòd Religiosæ professioni nullum possit apponi temporale pactum.* 48. 2

CAP. V. *An nullo in casu liceat aliquid ab ingredientibus exigere?* 51. 1

CAP. VI. *Discutitur Doctrina Theodori Balsamonis, Patriarchæ Antiocheni.* 53. 1

CAP. VII. *An antiquus Ecclesiæ Canon aut mos omnia profess Monachi bona per professionem devolveret in firmam proprietatem Monasterii?* 57. 1
CAP. VIII. *Exponuntur Imperatoris Justiniani de hac re Leges.* 59. 2
CAP. IX. *Demonstratur quòd hasce Imperatoris Justiniani Leges non sola Orientalis, sed etiam cuncta Occidentalis, Romana præsertim, Ecclesia semper probaverit atque admiserit.* 63. 2
CAP. X. *Demonstratur quòd omnis Ecclesia semper perrexerit laudatas Justiniani leges probare & observare.* 64. 1
CAP. XI. *An Monasticam vitam professuri substantia non solummodò possit, sed etiam debeat devolvi in Monasterium.* 68. 1
CAP. XII. *Exponitur nova quorundam Regnorum consuetudo, quam appellant amortizationem, seu manum mortuam.* 69. 2
CAP. XIII. *Exponuntur vera apud Græcos exordia manus mortuæ, atque amortizationis.* 74. 2
CAP. XIV. *Exponitur mortuæ manus & amortizationis exordium apud nos Latinos.* 78. 2
CAP. XV. *An bodie in regionibus, ubi viget manus mortua, Monasteria valide ac legitimè stipulentur de hæreditatibus debitis professuro apud se Monacho?* 81. 2
CAP. XVI. *Præcedens Assertio stabilitur ex aliis Principiis.* 84. 1
CAP. XVII. *Expediuntur aliquot Quæstiones.* 86. 1
CAP. XVIII. *Quædam supplementa ad Dissertationem de Simonia.* 88. 2

TRACTATUS TERTIUS.

DISSERTATIO de Antiqua Disciplina Christianæ Militiæ.

CAP. I. *EXponitur prima bellorum Origo.* 94. 1
CAP. II. *Exponitur bellorum commoda & incommoda.* 91. 1
CAP. III. *An bellum in Novo Testamento sit licitum?* 100. 2
CAP. IV. *Quid de bellorum justitia senserint Patres, qui Ecclesiam docuerunt sub Christianis Imperatoribus?* 105. 2
CAP. V. *Qua potestate, & quomodo debeat indici bellum.* 110. 1
CAP. VI. *De intentione requisita ad justè bellandum.* 114. 2
CAP. VII. *Rectæ intentionis in milite qualitas ac necessitas demonstrantur ex antiqua forma creandi militis.* 118. 1
CAP. VIII. *Quinam Principem, dum ex probabili dumtaxat causa indicit bellum, obligantur sequi?* 122. 2.
CAP. IX. *Quænam causæ sufficiant ad indicendum bellum?* 125. 1
CAP. X. *Exponitur necessitas militaris disciplinæ.* 129. 1
CAP. XI. *De Militari Clero, custode disciplinæ.* 131. 2
CAP. XII. *Quibus diebus præliari liceat.* 133. 2
CAP. XIII. *De pia Militum ad Prælium præparatione.* 136. 2
CAP. XIV. *Quænam homicidia in bello sint licita.* 142. 1
CAP. XV. *Exponitur varia Christianorum Militum Disciplina.* 144. 2
CAP. XVI. *Exponuntur Militum Stipendia.* 148. 1
CAP. XVII. *Exponuntur Provincialium erga Milites obligatio.* 151. 1
CAP. XVIII. *Exponuntur justa militum spolia.* 153. 2
CAP. XIX. *De Militum Furtis, Rapinis, aliisque Facinoribus.* 158. 2
CAP. XX. *Quæstiones circa initam à Regibus Pacem.* 160. 2

TRACTATUS QUARTUS.

Antiqua Ecclesiæ ac Reipublicæ in Pelagianam Hæresim Decreta, breviter elucidata Scholiis Chronologicis.

SYnodus Carthaginensis, ab Aurelio Archi-Episcopo habita adversùs Cœlestium. 165. 1
Fragmenta Synodalia. ibid.
Synodus Diospolitana. 166. 1
Alia Synodalia, à S. Augustino ducta in compendium. ibid. 2.
Actio prima. ibid.
Actio secunda. ibid.
Actio tertia. ibid.

Actio quarta. 166.
Actio quinta, 167. 1
Actio sexta. ibid.
Actio hæc exstat integra in Libro de peccato originali, ibid. 2
Actio septima. 168. 1
Actio octava, ibid.
Actio nona, ibid.
Actio decima, ibid. 2
Articulorum ab hac Synodo damnatorum recapitulatio, 169. 1
Dioſpolitanæ Synodi Compendium, quod ex Creſconii Cardinalis Collectione publicavit Cæſar Cardinalis Baronius, ibid. 2
Sequitur Catholica Pelagii confeſſio poſt recenſita ex libello adverſariorum capita in eum objecta, quæ omnia confutavit. 170. 1
Secunda Synodus Carthaginenſis. ibid. 2
Innocentii primi Pontificis de hac Synodo judicium. 171. 1
Synodus Milevitana, ibid. 2
Exponitur Pontificis Reſponſum. 172. 1
Africanus quinque Epiſcoporum Conventus. ibid. 2
Exponitur Pontificis Reſponſum. 173. 1
Romana Zozymi Pontificis Synodus. Actio prima, ibid. 2
Actio ſecunda. 174. 2
Tertia Carthaginenſis Synodus. 175. 1
Romanæ ſub Zozymo Pontifice Synodi. Actio tertia. ibid. 2
Paulini Carthaginenſis Diaconi epiſtola, quâ Zozymo Pontifici de ſuæ accuſationis in Celeſtium firmato judicio agit gratias. 176. 1
Paulus Diaconus Zozymo Pontifici. ibid. 2
Quarta Carthaginenſis Synodus, 177. 2
Acta Synodalia, 178. 1.
Capitulum I. 178. 1. *Capitulum II.* ibid. *Capitulum III.* ibid. *Capitulum IV.* ibid. 2
Capitulum V. ibid. *Capitulum VI.* ibid. *Capitulum VII.* ibid. *Capitulum VIII.* 179. 1
Relatio Synodi, & confirmatio. ibid.
Primi Honorii ac Theodoſii Auguſtorum adverſùm Pelagianos Lex. ibid.
Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Palladio Præfecto Prætorio. 180. 1
Conſtantinopolitana Attici Epiſcopi Synodus. ibid. 2
Honorii & Theodoſii Auguſtorum ſecunda Lex adverſùs Pelagianos. 181. 2
Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Aurelio Epiſcopo ſalutem. 182. 1
Epiſtola S. Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi ad omnes Epiſcopos per Byzacenam & Azuritanam Provinciam conſtitutos de damnatione Pelagii & Celeſtii hæreticorum. ibid.
Conſtantii Auguſti Lex adverſùs Pelagianos. ibid. 2
Imperator Conſtantius Volufiano Urbis Præfecto. 183. 1
Junius Quartus, Palladius, Monachius, & Agricola, iterùm Præfecti Prætorio dixerunt. ibid.
Duodecim Articuli, quos in hac materia eſſe fidei regulas judicavit Sanctus Auguſtinus. ibid. 2
Capitulum primum. ibid.
Valentiniani tertii Imperatoris adverſùm Pelagianos Lex. 184. 1
Imperatores Theodoſius Auguſtus, & Valentinianus Cæſar Armatio, viro illuſtri, Præfecto Prætorio Galliarum. ibid.
Romana S. Celeſtini Pontificis Synodus. ibid. 2
Actio prima. ibid.
Actio ſecunda. ibid.
Actio tertia, 185. 1
Gallicana incerti loci Synodus. ibid.
Generalis Epheſinæ Synodi adverſùs Pelagianos acta. ibid. 2
S. Celeſtini Pontificis Apologetica pro S. Auguſtino ad Gallorum Antiſtites Epiſtola. 186. 1
Dilectiſſimis Fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Siſiucio, & cæteris Galliarum Epiſcopis Celeſtinus. 187. 1
Capitulum I. ibid. *Capitulum II.* ibid. 2
Sanctorum Proſperi ac Hilarii per Celeſtini Epiſtolam confirmata Capitula. ibid.
Capitulorum præfatio. 188. 1
Capitulum I. *Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi gratia poſſe ſalvari.* ibid.
II. *Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus.* ibid. 2
III. *Quòd niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus.* ibid.
IV. *Quòd per Chriſtum libero benè utamur arbitrio.* ibid.
V. *Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.* ibid.
VI. *Quòd omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.* 189. 1
VII. *Quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur, & præſtet ut lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facilè, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.* ibid.

VIII. *Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.* 189. 2
IX. *Quòd gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflatione Spiritus ab eis abiguntur.* 190. 1
X. *Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitùs aſſerendæ.* ibid.
Romani Xiſti Tertii Pontificis Synodus. ibid.
Aquilejenſis Synodus. ibid. 2
S. Gelaſii Pontificis Decreta. 191. 1
Arauſicana Synodus. ibid. 2
Actorum Synodalium Præfatio. 193. 1
Capitulum I. *Quòd per peccatum Adæ non ſolùm corpus, ſed anima etiam læſa fuerit.* ibid.
II. *Quòd peccatum Adæ non ipſi ſolùm nocuit, ſed ad poſteros quoque tranſiit.* ibid.
III. *Quòd gratia Dei non ad invocationem detur, ſed ipſa faciat ut invocetur.* ibid. 2
IV. *Quòd Deus, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram non expectet, ſed præparet.* ibid.
V. *Quòd initium fidei non ex nobis, ſed ex gratia Dei ſit.* ibid.
VI. *Quòd ſine gratia Dei, credentibus & petentibus miſericordia non conferatur, cùm gratia ipſa faciat, ut credamus & petamus.* ibid.
VII. *Quòd viribus naturæ bonum aliquid, quod ad ſalutem pertineat, cogitare aut eligere ſine gratia non poſſimus.* 194. 1
VIII. *Quòd per liberum arbitrium ad gratiam Baptiſmi nullus pervenire poſſit.* ibid.
IX. *De adjutorio Dei, per quod bona operamur.* ibid.
X. *De adjutorio Dei omnibus ſemper implorando.* ibid.
XI. *De obligatione votorum.* ibid.
XII. *Quales nos diligat Deus.* ibid. 2
XIII. *De reparatione liberi arbitrii.* ibid.
XIV. *Quòd ut liberemur à miſeria, miſericordia Dei prævenimur.* ibid.
XV. *Quòd per gratiam Dei in melius mutatur fidelis.* ibid.
XVI. *Quòd ex eo quod habemus non ſit gloriandum, cùm ex Deo ſit.* ibid.
XVII. *De Fortitudine Chriſtiana.* ibid.
XVIII. *Nullis meritis gratiam præveniri.* ibid.
XIX. *Neminem niſi Deo miſerante ſalvari.* ibid.
XX. *Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.* 195. 1
XXI. *De natura & gratia.* ibid.
XXII. *De his quæ hominum propria ſunt.* ibid.
XXIII. *De voluntate Dei & hominis.* ibid.
XXIV. *De palmitibus vitis.* ibid.
XXV. *De dilectione qua diligimus Deum.* ibid.
Dilectiſſimo Fratri Cæſario Bonifacius. 196. 1
Carthaginenſis Synodus. ibid. 2
Capitulum I. *Quòd una tantùm ſit Prædeſtinatio Dei.* 197. 1
II. *Quòd liberum hominis arbitrium per gratiam ſanetur.* ibid.
III. *Quòd Deus omnes homines velit ſalvos fieri.* ibid.
IV. *Quòd Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit.* ibid. 2
Valentina Synodus. ibid.
Capitulum I. *Quòd novitates vocum omni ſtudio vitandæ ſint.* ibid.
II. *De æterna Dei præſcientia bonorum & malorum.* 198. 1
III. *De Prædeſtinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.* ibid.
IV. *De redemptione Sanguinis Chriſti, & de quatuor, & novemdecim Capitulis.* ibid. 2
V. *Quòd omnes regenerati à peccatis abluti ſint, non tamen omnes ſalvi fiant.* ibid.
VI. *De Gratia & libero arbitrio.* 199. 1
Sancti Nicolai primi Pontificis de his quæſtionibus Decretum. ibid. 2

TRACTATUS QUINTUS.

DISSERTATIO DOGMATICA de germano ac avito ſenſu ſanctorum Patrum, univerſæ ſemper Eccleſiæ, ac ſacroſanctæ præſertim Tridentinæ Synodi circa Chriſtianam Contritionem & Attritionem.

CAP. I. EXponitur definitio Contritionis generatim ſumptæ, tradita per ſacroſanctam Synodum Tridentinam: Contritio eſt dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. 205. 1
CAP. II. Ex-

CAP. II. *Exponuntur Contritionis necessitas, & virtutes adnexæ.* 207. 2
CAP. III. *Exponitur Contritionis actus fundamentalis, de quo sacrosancta Tridentina Synodus:* Deum tamquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt, &c. 209. 1
CAP. IV. *Sacræ Synodi verba,* Deum tamquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt, *largius exponuntur.* 211. 2
CAP. V. *Exponuntur variæ Divinæ dilectionis gradus seu species,* 213. 2
CAP. VI. *Quanta & qualis charitas requiratur ad Contritionem generatim sumptam.* 216. 2
CAP. VII. *Exponuntur verba sacrosancti Tridentini Concilii:* Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, ipsa nihilominùs Reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda. 218. 1.
CAP. VIII. *Quæstiones quædam circa justificationem per solam sine actuali Sacramento Contritionem* 221. 1.
CAP. IX. *Discutitur doctrina Eminentissimi Domini Cardinalis Roberti Bellarmini.* 225. 1
CAP. X. *Examinantur alia Domini Cardinalis fundamenta.* 226. 2
CAP. XI. *Elucidantur quædam per Dominum Cardinalem adducta loca sacrosancti Concilii Tridentini.* 228. 2.
CAP. XII. *Exponitur servilis gehennarum timor,* 230. 2
CAP. XIII. *Exponitur varia utilitas timoris servilis.* 232. 2
CAP XIV. *Exponitur varia imperfecta servilis timoris.* 233. 2
CAP. XV. *An ob istas imperfectiones servilis gehennarum metus sit peccatum?* 236. 1
CAP. XVI. *Quæstiones aliquot circa servilem gehennæ metum.* 237. 2
CAP. XVII. *Exponitur essentia Attritionis, seu Contritionis imperfectæ.* 239. 2
CAP. XVIII. *Quæstiones aliquot de imperfecta Contritione.* 241. 1

TRACTATUS SEXTUS.

Epistola familiaris ad Reverendum ac Eximium Patrem Henricum Noris, Veronensem, Ordinis Eremitarum S. Augustini, S. Theologiæ Doctorem ac Professorem. Qua F. Christianus Lupus, eodem in Ordine S. Th. Doctor & Professor, quibusdam ad nonnulla nuperæ suæ de Christiana Contritione Dissertationis capita hæsitantibus, juxtæ Apostoli Mandatum, humiliter conatur dare rationes.

CAP. I. *Exponitur Dissertationis, necnon & hujus Epistolæ scribendæ ratio.* 247. 1
CAP. II. *An Lutheranus de christiana Contritione error largius exponitur.* 250. 2
CAP. III. *Quòd cæsa Dei adfectu saltem super omnia dilectio sit Christianæ Contritionis pars essentialis & præcipua, demonstratur ex orthodoxis Doctoribus, per quorum Scripta de Martino Luthero Ecclesia usque hodie triumphat.* 253. 2
CAP. IV. *Servilis Attritio ostenditur esse dumtaxat beslernum commentum.* 256. 1
CAP. V. *Edita nuper Dissertatio à variis Accusationis capitibus expurgatur.* 257. 2

Prima Accusatio diluitur.	258. 1.	*Diluitur secunda Accusatio.*	259. 1
Diluitur tertia Accusatio.	ibid.	*Quarta Accusatio diluitur.*	261. 1
Quinta Accusatio diluitur.	ibid. 2.	*Sexta Accusatio diluitur.*	ibid.
Diluitur septima Accusatio.	262. 1.	*Accusatio octava diluitur.*	ibid. 2
Accusatio octava diluitur.	265.	*Diluitur nona Accusatio.*	ibid. 2
Decima Accusatio diluitur.	266. 1.	*Accusatio undecima diluitur.*	ibid.

Divi Augustini auctoritas defenditur. 266. 2
CAP. VI. *Quædam alterius Accusatoris capita exponuntur.* 267. 2
Exponitur ac defenditur Joannes Driedo. ibid.
Quorumdam Articulorum à Pio quinto Pontifice facta damnatio exponitur. 268. 1
Diversi charitatis & contritionis gradus defenduntur. 270. 2
Mortalis peccati conscientiam habenti Ministro, antequam Sacramentorum Administrationi se ingerat, qualiter sit agendum? 272. 1
CAP. VII. *Exponitur sanctorum Thomæ Aquinatis, Thomæ de Villa-nova, Francisci Salesii, ac Bernardini Senensis de Contritione sententia.* 273. 1
CAP. VIII. *Epistolæ Epilogus.* 276. 1

TRACTATUS SEPTIMUS.

Exhibitio Sacrorum Canonum, circa jus Regularium Ecclesiarum, quoad prædicationem Divini Verbi.

CAP. I. Examinantur fundamenta per hunc Scriptorem adducta pro jure Ecclesiarum Parochialium. 281. 1
CAP. II. An catechizare sit proprium officium Parochialium Presbyterorum? 282. 2
CAP. III. Monachi Presbyteri in suis etiam Monasteriis olim potuerunt catechizare & concionari. 284. 1.
CAP. IV. Exponuntur diversæ Clericorum adversùm Monachos de hac materia lites, in quibus hi semper fuere Victores. 286. 1
CAP. V. Exponuntur similes lites motæ contra Ordines Mendicantes, in quibus & hi semper fuere Victores. 287. 2
CAP. VI. Harum Sententiarum justitia demonstratur ex scopo, ob quem Catholica Mater Ecclesia instituit Mendicantes Ordines. 290. 1
CAP. VII. Præfatarum sententiarum justitia demonstratur etiam ex Apostolicis privilegiis. 291. 2
CAP. VIII. Bonifacii VIII. Constitutio exponitur. 294. 2
CAP. IX. Tridentini Concilii, in quo unico hodie se fundant Adversarii. Decretum exponitur. 296. 1.
CAP. X. Tridentini Concilii Constitutio largiùs exponitur. 208. 1
CAP. XI. Exponitur nuperum Alexandri VII. Pontificis Rescriptum ad Relationem Henrici Episcopi Andegavensis. 299. 2
CAP. XII. Examinatur Doctrina Joanni Frontonis circa potestatem Sedis Apostolicæ. 301. 1
CAP. XIII. Aperiuntur ac revincuntur quidam alii ipsius Scriptoris errores. 303. 1

TRACTATUS OCTAVUS.

Exhibitio Sacrorum Canonum circa Jus Regularium Ecclesiarum, quod prædicationem Divini Verbi, adversùs Larvati Christophori Pilatethis responsionem stabilita, seu confirmata.

CAP. I. Purgantur illa, quæ Demonstrator rodit in secundo suæ Responsionis capite. 309. 1
CAP. II. Refelluntur illa, quæ Demonstrator adducit pro Apostolicis Constitutionibus. 310. 1
CAP. III. Stabiliuntur quædam alia Exhibitionis Dicta. 311. 1
CAP. IV. Examinatur Parochialis apud oppidum Bethlehemiticum cura S. Hieronymi. 312. 1
CAP. V. Examinatur titulus Pastoris. 314. 1
CAP. VI. Stabiliuntur quædam alia Asserta circa Hiero Monachorum prædicationem in Ægypto, Syria, Anglia, Hibernia. 315. 1
CAP. VII. Bonifacii IV. Decretum, Epistola sancti Petri Damiani, & Neumausenses Synodus Urbani II Pontificis ostenduntur esse authentica. 316. 1
CAP VIII. Elucidantur magni Gregorii testimonia, quæ publicas Missas vetant celebrari in Monasteriis. 318. 1
CAP. IX. Sancti Gregorii sententia largiùs exponitur. 319. 1
CAP. X. Exponitur Canon Calixti II. Pontificis. 320. 1
CAP. XI. Antiquum Hiero-Monachorum in prædicando jus stabilitur aliis adhuc testimoniis. 321. 1
CAP. XII. Exponuntur quædam circa exstinctionem Regularium Ordinum, & circa Parochialem Præfecturam Clericorum Regularium. 322. 2
CAP. XIII. Revincuntur quidam Demonstratoris errores. 324. 1
CAP. XIV. Tridentini Decreti data per Exhibitionem expositio stabilitur ac elucidatur. 325. 2
CAP. XV. Exponitur sancti Caroli Borromæi mens circa Tridentinum Decretum. 327. 1
CAP. XVI. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ circa Tridentinum Decretum sensus exponitur ac stabilitur. 328. 2.
CAP. XVII. Alexandri VII. Pontificis in causa Andegavensi Decretum exponitur ac stabilitur. 330. 2.

TRA-

TRACTATUS NONUS.

DISSERTATIO de sanctissimi Sacramenti publica Expositione, & de sacris Processionibus, in quibus circumfertur cum sacris Sanctorum Reliquiis & Imaginibus Venerabile Altaris Sacramentum.

CAP. I. Compendio exponitur origo sacrarum Processionum. 335. 1
CAP. II. An antiqua Ecclesia aliquando fecerit Processiones cum sacrosancto Venerabili Eucharistiæ Sacramento? 337. 1
CAP. III. Exponitur origo sacrarum Processionum cum Venerabili Sacramento. 340. 2
CAP. IV. Exponitur ritus Processionis ac pietatis extensio ad alias etiam Festivitates. 343. 2
CAP. V. An in sacris Processionibus, quæ sacrosanctum Sacramentum circumferunt, recte circumferantur etiam sacræ Sanctorum Reliquiæ aut Imagines? 346. 1
CAP. VI. Discutiuntur adversariorum Argumenta. 349. 1
CAP. VII. Expediuntur aliquot quæstiones circa præfatas Processiones. 352. 1
CAP. VIII. An sacræ Reliquiæ & Imagines simul cum sacrosancto Sacramento recte exponantur in eodem altari. 355. 1
CAP. IX. Quando inceperit publica sacrosancti Sacramenti expositio. 360. 1
CAP. X. An frequens sacrosancti Sacramenti expositio expediat? 362. 2
CAP. XI. Expenduntur adversa cujusdam alterius Scriptoris argumenta. 364. 1
CAP. XII. An quarumdam Ecclesiarum, sacrosanctum Sacramentum frequentius exponentium consuetudo sit pia & rationabilis, retinenda. 367. 1
Oratio Panegirica. 371

nos an liceat? 108. 1. Negabant Græci. *ibid.* Et Greg. X *ibid.* & *seqq.* Et alii. 109. 1
Bella censuit militibus illicita esse Tertullianus: ratus Christum exarmasse totam Ecclesiam, dum dixit Petro *qui gladio percusserit*, &c. 101. 2. & *seqq.* Rationes ejus non sunt firmæ. 103. 1
Bellum propter fidem Catholicam offensivum non licet. 98. 2. *seqq.* Defensivum licet. 100. 1
Bellum contra Turcas licet, quia rerum Christianarum raptores sunt. *ibid.*
Bella civilia omnium sunt nefandissima. 97. 2
Bella Christianorum Principum defienda sanguineis lachrymis. 98. 1
Bellorum commoda & incommoda. 97. 1
Bella qua potestate & modo indici debeant? 110. 1. Primò authoritas legitima requiritur, quæ est alicujus supremi. *ibid.* Romanus Senatus priùs consulebatur, & dein referebatur ad populum. *ibid.* & *seqq.* Regibus Romanis indicere bellum absque Senatu non licuit. *ibid.* Secùs tentans Tarquinius pulsus est. *ibid.* Reges Catholici Episcopos consulunt. 110. 2. *seqq.* Eorum preces & sententiam exquirunt. 111. 2. Ita censuerunt Galli. *ibid.* & *seqq.* Ita Constantinus Magnus. 113. 2. Requiritur secundò, ut læsus petat reparationem injuriæ; & illa contentus pacem offerat, non bellaturus nisi id recusetur. 114. 1. & *seqq.* Tertiò ut feciales mittantur. *ibid. seqq.* Denique recta intentio desideratur. 115. 2
Bella suscipientem Principem quinam comitari debeant? 122. 2. Apud Gallos olim omnes puberes armati; quorum ultimus necabatur. *ibid.* Germani non cogebant invitos; eos verò qui sponte non procedebant, aspernabantur. *ibid.* Similiter Hungari. *ibid.* Item Franci. *ibid.* & *seqq.* Aliique. *ibid.* Præsertim feudales apud omnes. 123. 2. *seqq.*
Belli causa justa quænam & quotuplex. 125. 1. & *seqq.* Virtutis & pietatis protectio sola. *ibid.* Destructio hæreseos & schismatis. *ibid.* 2. Etiam reparatio temporalis injuriæ. *ibid.* Ut si malè excepti sint Legati. *ibid.* Debet esse injuria publica. 126. 1. Ut si negetur innoxius transitus. *ibid*
Bella ob avaritiam indicta injustis cædibus plena sunt & homicidiis. 19. 2
Bellum utrimquè justum esse potest respectu militum, non respectu Principum. 128. 2
Bellum utraque ex parte potest esse injustum. 127. 2. Puta si ex avaritia prælientur, quemadmodùm tres filii Imperatoris Ludovici Pii, qui sibi ob testamentum Patris crudele bellum indixerunt. *ibid.* & *seqq.*
Bello directè occidere innocentem non licet. 142. 1. Varia exempla. *ibid* & *seqq.* Nec quæris homicidia licent. 143. 2. Ne quidem in Bello justo. 144. 1.
Bella quævis Deo providente utilitatem habent. 98. 1. *seqq.*
Bella sunt sæpè occasio propagandi fidem. 98. 2. *seqq.*
Belisarius amans disciplinæ militaris. 131. 2. ejus concio ad milites, ob modica cibaria per militem à Rustico Afro ablata. *ibid* & *seqq.*
Beneficiorum pluralitas an sit licita? 31. 1. & *seqq.*
Bigamiam quæ impedit suscipientem Ordinum, variè olim accipiebant. 6. 1
Bigamiæ impedimentum respectu Ordinis quidam Patres intellexerunt de successiva tantùm. Et erat sententia tunc probabilis, ab Ecclesia Catholica permissa. 5. 2
Brunia Laurica apud Francos; seu *Mansus* est terra arabilis duodecim jugerum, quam debebat juxta leges habere quilibet feudalis miles. 123. 2

C

CAdaverum crematio est Gentilium desperatio. 102. 2. Christiani fepeliunt ob spem resurrectionis. *ibid.*
Cælestius *Vide* Pelagiana Hæresis.
Cain opinabatur jura Primogeniti translata esse in juniorem Abel. 95. 1. Ita Genesim exponit S. Irenæus, & S. Chrysostomus. *ibid.* Malè hanc expositionem in hæresim transcribit S. Philastrius. *ibid.*
Calvini errores circa contritionem, *Vide* contritio.
Carnalia peccata, *Vide* peccata carnalia.
Carolus Audax, quàm Religiosè procedebat ad bellum. 131. 2 In dies cum Mendicantibus præter Missam celebrabat Officium. *ibid.* & *seqq.*
Castitatis exempla varia. 147. 1. Sub Totila Virginem compressorat mulieres generosissimus; Pater Virginis conqueritur: omnes deprecantur; Sed Totila stupratorem addicit morti, ejusque bona Virgini. *ibid.*
Cathecumeni non semper ex metu incipiunt. 241. 2.
Charitatis Dei varii gradus. 213. 2. Alia quoad affectum super omnia. *ibid.* Alia quoad affectum, *ibid.* Nata. *ibid.* Robusta. 214. 1. Perfecta. *ibid.* Patienter vivit hæc, & delectabiliter moritur. 215. 2. Excludit timorem. *ibid.* Non omnes amores volatices. 216. 1.
Charitas quædam sine Sacramento justificat. 219. 1. Non omnis; quod ostenditur ex Augustino. *ibid.* 2. *seqq.* Datur ratio. *ibid.* Sola nempè perfecta charitas stata lege justificat. 220. 2. Et hæc non nisi cum voto Sacramenti. 221. 1. Attamen contritio imperfecta sine Sacramento quandoque justificat. *ibid.* In testamento antiquo, 221. 2. Etiam in novo. *ibid.* Præsertim in articulo mortis. 223. 1. Hoc non est infallibile extra articulum mortis. 224. 1. In Articulo mortis tenendum est. *ibid.* 2. Exponitur Bellarminus fusè. 225. 1.
Christo moriente divinitatem recessisse ab humanitate, ex Evangelii verbis: *Deus meus quare me dereliquisti*, docuerunt S Hilarius Pictavienfis, S. Ambrosius, aliique. 40. 2. Errarunt, sed sine mortali peccato. 41. 1
Christianorum multitudo tempore Tertulliani. 99. 1. Si voluissent, tyrannos armis superas-

sent. *ibid.* 2. Sed abſtinebant manus, ſentientes quòd ſecundùm diſciplinam Chriſtianam *magis occidi* liceret quàm occidere. *ibid.*

Cleri tertienſium Sanctimonialium, præſertim in Diœceſi Leodienſi præclarum encomium. 46. 1.

Clerus militaris. *Vide* militaris diſciplinæ neceſſitas.

Confeſſio poteſt eſſe informis. 34. 2.

Contritio. De Contritione Diſſertatio dogmatica. 201. *ſeqq.*

De contritione Diſſertatio diluitur ab objectionibus ſuis. 257. 1

Circa contritionem turbæ & motus Lovanienſes. 247. 1. *ſeqq.* Comparantur quæſtionibus antiqui temporis. *ibid.*

Contritionis definitio Tridentina exponitur. 205. 1. Dicitur *dolor animi*, contra Lutherum, qui Pœnitentiam dixit non eſſe niſi novam vitam. *ibid.* 2. Neceſſarium autem hunc dolorem, probatur ex Patribus. *ibid.* Neceſſariam quoque eſſe deteſtationem. *ibid. ſeqq. Propoſitum non peccandi* de cætero, itidem ex Patribus probatur. 206. 2. Hæc non ſubſiſtunt niſi excludatur peccandi affectus. 207. 1 Non excluditur autem niſi per charitatis actum. 209. 1. Charitatis ergo actus in contritione involvitur. *ibid.* Idque eſſentialiter. *ibid.* Ex Aug. 210. 2. Et Trid. 211. 1

Contritionem Lutherus negavit neceſſariam, abſolutionis vim reponens in *verbum Chriſti* per Sacerdotem enuntiatum. 207. 2

Calvinus autem, contritionem requiſivit quidem, ſed non ut abſolutionis cauſam. 208. 1 Utrumque revincit Trid. *ibid.* Et Patres. *ibid. ſeqq.*

Contritiones comites, ex mente Tridentini ſunt, fides, ſpes, charitas. 208. 2. Deinde deſiderium ſuſcipiendi Sacramentum. *ibid.*

Contriti *Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, inquit Trid. 211. 2. Quid hoc ſit, ex Auguſt. oſtenditur. 212. 1. *ibid.* Charitas ad contritionem requiſita quænam ſit? 212. 2. Sufficit quævis, licèt affectu ſolo, ſed ſuper omnia. 217. 1. Et hæc requiritur. *ibid. ſeqq.* Exponitur deſuper S. Joannes Chryſoſtomus. 217. 2. Et Godeſchalchus. *ibid.*

Contritio ex metu quidem concipitur, ſed ex metu non emanat. 241. 1. Requirit charitatem ſuper omnia. 240. 1. 2. Et Eccleſia numquam aliud docuit. *ibid.*

De Contritione ſententia SS. Thomæ Aquinatis, Thomæ de Villanova, Franciſci Saleſii, ac Bernardini Senenſis. 273. 1. *ſeqq.*

Conſtitutiones Apoſtolicæ non ſunt S. Clementis. 310. 1

Convivia celebrabant Chriſtiani in die ſui Baptiſmatis, ex more Romanorum, qui conviviis celebrabant ſuum nomen. Conſuetudinem quidam malè traxerunt in legem; ita ut quidam inopes tardarent Chriſtiani fieri. Conſuetudo abrogata eſt. 49. 2. Immo meliores Epiſcopi Convivia exhibuerunt Baptizatis. 50. 1

S. Crucis ſignum variis encomiis celebrat Nicolaus I. 141. 2. Inſtruit Bulgaros ut pro ſigno militari, quod habebant caudam equinam, aſſumerent hoc ſignum. *ibid.*

Cupiditas latens ſub timore ſervili, eſt peccatum mortale. 235. 1. Non quòd ipſe timor malus ſit, vel hoc peccatum, ſed hanc malitiam involvat; ſed quòd cupiditatem quæ in peccatore ſupponitur præxtitiſſe (de peccatore enim agitur) per ſe non auferat. *ibid.* 2. *ſeqq.* Hinc ille timor peccatum non eſt 236. 1. *Vide* timor ſervilis.

S. Cyprianus rebaptizandum credidit quia erat tutius, non quia oppoſitam doctrinam condemnandam duxit. 29. 1. Ita Patres reordinarunt Chorepiſcopos, ordinatoſque à Simoniacis. *ibid.* Quod & Romanis Pontificibus accidit. *ibid.*

Cyprianus quibus rationibus ab Auguſtino excuſetur. 7. 2

S. Cyprianus ex cauſa converſus eſt quia gentiles bellis ſcatebant; quæ Chriſtiani ſibi illicita dicebant. 105. 1

D

Decimæ fideliſſimè ſolvebantur Eccleſiis, & hinc de Simoniacis exactionibus non erat periculum. 92. 2. Uſque ad Carolum Martellum, qui decimas invaſit, & militibus diſtribuit; ob hoc, damnatus corpore & anima apud inferos. *ibid.*

Diſpenſare an poſſit Pontifex in matrimonio rato. *Vide Matrimonio rato.*

Divortium ob adulterium; *Vide* Matrimonium adulterio dirimi.

Doctoris cujuslibet, immò Doctorum plurium ſententia non eſt ſtatim probabilis. 40. 1

Doctor Catholicus practicat ſicut ſentit; ſed oppoſitam praxim ſi verè probabilis ſit, non condemnabit. 27. 1. 2

Doctores Catholici dum diſſident, confidant alios ex amore veritatis procedere, diſputent non litigent, quæſtiones tractent ut Doctores, non præſumant dirimere quod ad ſolam Sedem pertinet Apoſtolicam. 8. 1

Doctores acriter inter ſe diſceptantes excuſare poteſt charitas, licèt error interludat juris naturæ ex ignorantia 22. 2. tamen non excuſante à toto. 23. 1. Diſtinguenda ſunt charitatem naſci ex errore, & eamdem naſci ad errorem, primum implicat, ſecundum familiare eſt. *ibid.*

Donatiſtarum error à probabilitate incepit, exordium ſumens ab Agrippino Carthaginenſi Archiepiſcopo, vel forte Tertulliano. 3. 1

Donatiſtæ negabant valere Baptiſma collatum abs Catholicis quos reputabant Hæreticos; Auguſtinus verò cum Catholicis affirmabat Baptiſma ſuum valere & Donatiſtarum. Hinc aliqui à Donatiſtis Baptiſmum recipere maluerunt utpotè ex utraque ſententia validum. Reſpondet Aug. ſed Donatiſtarum Baptiſmum certò eſſe illicitum; & ideò non ſuſcipiendum. 26. 2

Dos Religioſa. *Vide*, Simoniacæ pactiones.

Dubium. In dubiis clementior ſententia præferatur ſeveriori, ſi forum externum ſpectes, non vero ſi internum. 26. 2
Dubium practicum ſeu Academicum eſt quod relinquit operantem in bivio. Tunc eligenda eſt pars tutior. 27. 2

E

EPiſcopi qui Regibus utuntur, ut horum armis fides propagetur Catholica, graviter perſtringendi. 100. 1
Error aliud eſt, aliud ignorantia; omnis error eſt nobis vitium, varia ignorantia eſt ſimplex imperfectio. 2. 1
Euchariſtiæ antiquitus varia nomina & encomia. 371. 1. Gentilitas varia de illa ſuſpicata eſt, quia Religionis erat illam occultare. *ibid.* 2. Erant Gentiles curioſi ut cognoſcerent. Sed fruſtrà. Nam etiam mortem oppetebat Chriſtianus, ne proderet; & Euchariſtia miraculosè ablata fuerat. *ibid.* Sic mutata in flammam eſt aqua. Extinctus eſt Præſul dum curioſiùs inquiſivit. 372. 1
Euchariſtia in primitiva Eccleſia Gentilibus & Judæis abſconſa. 337. 1. Ideò in Proceſſionibus non circumferebatur. *ibid. ſeqq.* Etiam pœnitentibus abſcondebatur. *ibid* 2
Ex ea ſanguis exivit, dum pungebatur. 374. 1
Ad eam neceſſariæ præparationes, & quales. *ibid. & ſeqq.*
Euchariſtia per accidens confert gratiam primam. 229. 2.
Euchariſtia primis ſeculis publicè non exponebatur, propter Gentiles & Judæos. 360. 2. Exponebatur tamen aliquandò Chriſtianis. 361. 1. Neophitis. *ibid.* Omnibus in hebdomada ſancta. 360. 2. *& ſeqq.*
Euchariſtiæ expoſitio quàm frequens eſſe debeat. 362. 2. Quomodò. 363. 1. Quis ornatus Altaris, *&c.* *ibid ſeqq.*
Euchariſtiæ publica expoſitio, in Sacris Proceſſionibus, etiam cum Sanctorum Reliquiis & Imaginibus. 337. 1. *& ſeqq.*
Euchariſtiam vexillo militari imponi juſſit Turſtinus Archi-Epiſcopus Eboracenſis, in ſignum quòd Chriſtus ſit verus Dux juſti belli. 110. 1.
Euchariſtia Laicis domi concedebatur ſub ſpecie panis tantùm. 362. 2. S. Gorgonia ex diſpenſatione habuit etiam ſub ſpecie vini. *ibid.* Variæ viſiones circa eam dum Sancti Patres conſecrabant. 375. 1. Lapſa gemma in Calicem de cœlo. *ibid.*
Euchariſtia avolat lumine circumcincta. 373. 2
Iterum. 374. 1.
Ante conſecrationem apparet puer ante Calicem. 376. 1
Euchariſtiæ magnum lumen circumfulget. 367. 2
Euchariſtiam malè ſumentes facinus perpetrant crucifixorum Domini, & Judæ. 372. 2
Euchariſtiam multi diſtinxerunt à pane non conſecrato, ex Charifmate. 375. 2
Euchariſtia mutata in lapidem. 372. In puerulum. 372. 2. *& ſeqq.* Et in ſanguinem. 373. 1. Ruſus in carnem & ſanguinem'. *ibid.* Iterùm. *ibid.* Tertiò. *ibid.* In infantem. *ibid.* In carbonem flammantem. *ibid.* Iterùm in carnem. *ibid.* Denuò in carnem. *ibid.* Iterùm. *ibid.*
Euchariſtiam Catholicorum dum Donatiſtæ canibus objiciunt, à canibus lacerantur. 373. 2
Euchariſtia in ferrum mutatur in ſtomacho indigni. 374. 2
Iem in carnem. 374. 1
Iem in carnem & ſanguinem. 376. 1
Iterùm in ſanguinem. *ibid.* Iterum. *ibid.* Iterumque. *ibid.* Ruſus. *ibid.*
Euchariſtia in carnem & ſanguinem. 376. 2
Iterùm. *ibid.* Hæc omnia fermè in Occidente; quia in Oriente errores circa veritatem Euchariſtiæ non ita viguerunt. 377. 1
Exorciſtæ olim in primitiva Eccleſia erant etiam Laici cujuſcumque conditionis. 102. 1
Exhibitio Canonum circa jus Regularium quoad prædicationem Verbi Dei. 279

F

FEoffare Anglis idem quod feudum dare. 80. 2.
Fidei articulus pedetentim poteſt degenerare in ſententiam probabilem. 3 1. 2. Probatur exemplis. *ibid.* S. Cyprianum inter & Stephanum cauſa, à Patribus multis cenſebatur diſciplinaris, & ideò pro varietate Epiſcopatuum variè practicabilis. 3. 2. Et ideò Cyprianus non culpavit Stephanum quia Romæ non rebaptizabat, ſed quia rebaptizantes alibi minaretur proſcribere. *ibid.*
Cauſa eſt duplex, nimia ignorantia Epiſcoporum, & nimia ſubtilizandi audacia Doctorum. 4. 2
Fidem Catholicam liceatnè armis plantare apud Barbaros? 99. 1. Oſtenditur id illicitum ex S. Chryſoſtomo, & Tertulliano. *ibid.* 2. Scilicet *tum ſuadela, tum ratione, tum manſuetudine hominum ſalus eſt conciliandæ.* *ibid.*

G

GAlba expediente adverſus Vitellium quidam filius à Galba conſcriptus patrem incognitum obtruncat: quem ut agnovit, exclamavit, totaque inde commota acies bellum deteſtata fuit. 98. 1
Galli bellorum amantes. 91. 2
Gallo-græciam condiderunt Galli. *ibid.*
Gentilium ignorantiæ circa jus naturæ non excuſant à mortali. 23. 2. *Vide* ignorantia juris naturæ.
Græci faciles erant ut ſuos Principes ob peccata deponerent & Monaſteriis includerent. 126. 1.
Gratiæ duodecim articuli quos S. Aug. cenſuit de fide. 183. 2
Gratiam habitualem infundi parvulis fuit Auguſtino certiſſima Eccleſiæ doctrina. Hæc tempore Innocentii III. habita eſt ut probabilis; Tempore Viennenſis Concilii ut probabilior;

Tridentino autem Concilio visa est de fide. 4. 1.

H

Hæreticorum in carnalia vitia sceleratus appetitus, necessitatis quæsito colore, studuit libidinem à peccato distinguere. Hoc Simon Magus incepit; secutus est Valentinus cum Gnosticis; Eunomius & Etius successit, usque ad Lutherum. 37. 1
Hæreticorum filii ac nepotes qui in errore permanent seducti, nulla pertinacia sulti, excusantur. 20. 2
Hæretici arcebantur à nobili militia. 124. 1. similiter Constantinus Judæos & infideles arcuit. *ibid.* Arcebantur etiam parvi Christiani. *ibid. & seqq.*
Henricus Imperator salvatus merito calicis in honorem S. Laurentii oblati. 38. 1
S. Hieronymus non fuit Parochus, sed Monachus Presbyter, jure Monachatus gaudens Privilegio Catechizandi & Prædicandi. 302. 1 Etiam invito ordinario Hierosolymitano. *ibid.* 2.
Homicidia quævis, seu per bella seu per sententiam, censuit Tertullianus illicita. *ibid.* 2. & *seqq.*
Homicidium quodvis an induceret irregularitatem olim disputatum. 27. 1. Ecclesia Romana priùs ut irregulares habuit, postea verò amentes, infantes, dormientes, & se cum moderata tutela defendentes exemptos voluit. *ibid.*
Hospitalariorum varia vitia. 46. 1. *seqq.* hinc fere redacti in nihilum. *ibid.* 2
Hyberni numquam subfuerunt Romano Imperio, hinc ejus leges ignoraverunt. 57. 1

I

Iberi fidem suscepernnt per captivam ancillam. 99. 1.
Jejunium quadragesimale imperitè ab hæretico redarguitur. 133. 1
Ignorantiam facti quandoque excusare ab omni culpa, inficiatur nemo. 39. 2
Ignorantia juris humani excusat ab omni culpa, si fuerit innocua. 20. 1. Etiam juris divini. *ibid.* Ratio est quia antequam obliget, promulgatio necessaria est, quæ sine culpa potest ad aliquos non pervenisse. *ibid.* Excipiuntur Sacerdotes respectu Canonum, quos ignorare nefas. *ibid.*
Ignorantia legum positivarum imperfectio dici potest, non vitium; negatio est, non privatio; abesse naturæ potest, non debet. 2. 1
Ignorantia juris Evangelici, si innocua sit, excusat ab omni culpa. 20. 1
Ignorantiam juris naturæ inter & concupiscentiam hoc interest, quòd per hanc simus bestiis assimilati, per illam verò bestiis inferiores. 2. 1. Rursus: quòd ignorantia in hac vita consumi, concupiscentia non possit, 16. 2.
Ignorantia juris naturalis est essentia peccati originalis. 1. 1
Ignorantia juris naturæ per Baptisma tollitur quoad reatum præteritum. 1. 2
Ignorantia juris naturæ laborarunt sancti Patres, etiam Augustinus, quoad aliquas quæstiones. 2. 2.
Ignorantia juris naturæ numquam excusat à culpa, quemadmodùm numquam excusat concupiscentia. 21. 2. 22. 1. Nulla excusat sententia probabilis, nullus Canon, nullius Patris authoritas, nullius Præpositi mandatum. 14. 1. Occurrit argumentis. *ibid. & seqq.*
Ignorantia juris naturæ quandoque à mortali excusat, non semper. 23. 2. Non excusat gentiles, non hæreticos, non schismaticos, non omnes fideles. *ibid. & seqq.*
Ignorantia juris naturæ excusat quandoque à mortali. 24. 2. Nimirum si interveniat probabilitas fundata in Rescriptis Pontificum, Constitutionibus Synodalibus, magnorumque Patrum placitis. 25. 1
Ignorantiam juris naturæ excusare ab omni peccato docuerunt Pelagiani. 21. 2. Errorem resumpsit Roscelinus Compendiensis. 21. 1 Magistrum hunc secutus est suus discipulus Petrus Abaelardus. *ibid.* Pelagianos revinxit S. Hieronymus, & S. Augustinus. 21. 2. & *seqq.* Roscelinum Ivo Carnutensis, 21. 1. Petrum Abaelardum S. Bernardus. *ibid.*
Infidelitatem purè negativam esse peccatum, meritò damnavit Pius V. 20. 2. Innocua enim juris positivi etiam Evangelici ignorantia excusat a culpa. 20. 1
Innocentem directè occidere in bello non licet. 142. 1. *seqq.* Gehardum Catholicum infideles ad Malum exposuerant gentiles, ut terrerent Godefridum Loth Ducem obsidentem civitatem Assur. *ibid.* Sed neque hic precibus Gehardi licèt obsidis sui motus, perrexit, telis vulneratus Gehardus fuit: res non cessit benè: nam civitatem deferere compulsus est. 142. 2. Et hæc immisericordia vituperata est. *ibid.* supervixit tamen Gehardus, & pro afflictione præmium retulit. 143. 1 Varia similia exempla. *ibid. seqq.*
Imago Christi ad Edgarum missa, juxta Cedrenum in porta Edessæ posita est ab Edgaro usque ad Regnum Nepotis. 141. 1. Dein ab Edesseno Episcopo occultatam usque ad Justiniani Imperium. *ibid.* Tunc Græci ita coluerunt, ut illam in exercitibus præferrent victoriam expectantes. 140. 1. 2
Inferni pœnas aliquando extinguendas, ex Platone Origenes in Ecclesiam inducere studuit. 35. 1. Ruffinus Palæstinos restrinxit ad peccatores Christianos; sed malè. *ibid.* Hieronymus tamen Ruffino huic, sententiæ hujus author extitit. 35. 2. Plures secuti sunt in Gallia & Italia. *ibid.* Quæ sententia multis Græcis placuit. 36. 2 Augustinus verò rejecit. *ibid.* Et cum aliis constanter impugnavit. 39. 2. probabilis. *ibid.*
Joannis Frontonis amarulentum Scriptum de protestate Pontificis contra Mendicantes, discutitur,

titur, refelliturque. 301. 1. Alii ejuſdem errores. 303. 1. *ſeqq.*
Irenæus Metropolita Tyrius fuerat ſucceſſivè bigamus. 5. 2. Et plures hujuſmodi fuerunt ordinati. *ibid.*
Judas cum nutu peccans fornicatus eſt, non inceſtuoſus ob ignorantiam facti. 19. 2
Judas periit, vindicante SS. Euchariſtia quam malè ſumpſerat. 372. 1
Judex ſi erret in facto, innocentem damnat ſine peccato. 19. 2
Judicium in fine vitæ, ad ſtateram bonorum & malorum operum, librantibus Angelis bonis & malis. 38. 1. *& ſeqq.*
Julianus Epiſcopus Memorii Campani Epiſcopi filius, per eleemoſynas, multos in Pelagianam hæreſim trahit. 181. 1. Appellat ad generalem Synodum. *ibid.* Repellitur. *ibid.* Hinc fûtit in Auguſtinum vilis civitatis Epiſcopum, ceu Manicheiſmum inducentem. *ibid.* Aug. verò ex Præſcripto Bonifacii Papæ ſcriplit quatuor libros ad Bonifacium, quibus concludit, poſt Pontificis judicium non eſſe ultra appellandum. *ibid.* 2. *ſeqq.* Vide *Pelagiana hæreſis.*
Juramentum de non ſuſcipiendo Epiſcopatu an validum, variæ olim erant ſententiæ utrimque probabiles. 16. 2. *& ſeqq.*
Juramentum exigere ab eo quem certò prævides perjuraturum, eſt grave peccatum. 24. 1

L

LEx Caroli Magni de non Clericando vel Monachando ſine Principis Licentia. 44. 1. Juſta fuit. 45. 1. Sed contra libertatem Eccleſiæ: quia res hæc ad Epiſcopos ſpectabat. *ibid.* Lex verò Mauritii injuſta fuit: quia impediebat ne Clerici vel Monachi fierent omninò. *ibid.* Sed neque lex Caroli uſu recepta fuit. *ibid. ſeqq.*
Lex Evangelica non eſt aliud quàm naturalis Lex veſtita pauciſſimis novi teſtamenti Sacramentis. 2. 2
Lex de manu mortua, eſt quaſi mortificans manus Eccleſiaſticas ad apprehendendas poſſeſſiones immobiles. 83. 1. Eſt juſta. *ibid. vid.* Manus mortua.
Lovanienſis utbis protectio, piè confiditur eſſe Miraculoſa Euchariſtia apud Patres Auguſtinianos cuſtodita. 377. 2
Lucretia Auguſtino viſa eſt non conſenſiſſe ſtupro: *Duo fuerunt, & unus commiſit adulterium*, inquit. 45. 1
Lutheri errores circa contritionem. *vide* Contritio.

M

MAnus mortua eſt duplex. Prima quæ olim viguit erat, cùm Principibus ſupremis debebatur poſt mortem Patris familias optimum ejus pignus; aut in ejus defectum abſcindebatur manus dextera defuncti, & Dominis tradebatur in ſignum præteritæ ſervitutis. 69. 2. 70. 1. Hoc jus extinxit Leodienſis Epiſcopus Alberon, motus planctu cujuſdam mulieris quæ noctu lamentabatur amotam ſibi cuticulam. 70. 1
Manus mortua ſecundo modo pro amortizatione accipitur, varia interpretatione. 69. 2. 70. 2 In re nihil eſt aliud quàm exemptio rerum Monachalium & Eccleſiaſticarum immobilium à foro civili. 70. 2. Circa hoc lex lata de non amortizandis bonis, id eſt, ne Monachi & Eccleſiaſtici hæreditates adeant; vel donationes. *ibid.* Quandonam apud Græcos id cœperit fieri? 75. 1 Primò incæpit anno 920. A Romano Primo. *ibid.* Secundò à Nicephoro Phoca. *ibid.* Sed has leges damnavit Patriarcha Conſtantinopolitanus Polyeuchis. 15. 2. Cum ſua Sy nodo. 76. 1. Poſt mortem Phocæ, Polyeochis noluit coronare ſucceſſorem Joannem Tremiſcem, niſi & hic priores leges damnaret & laceraret. 75. 1. Quod fecit. *ibid.* & leges contrarias promulgavit. 75. 2. Sed poſtea Iſaacus Comenus cœpit leges Nicephori reducere reſpectu Monaſteriorum. 76. 2. Egit autem pœnitentiam, depoſuit Imperium, & Monaſterium ingreſſus eſt. 77. 1. Poſt mortem, ſepultura ejus plena humoris fuit; quod alii in ultionis ſignum, alii in ſanctitatis interpretati ſunt. 76. 2. Sed reſumpſit rurſus Emmanuel Comenus. 77. 1. *& ſeqq.* Iterum verò eas ſuſtulit hujus filius Alexius. 78. 1. Rurſus leges reſumpſit Henricus Imperator; ſed Innocentius tertius damnavit. *ibid.* Quandonam cœperint in Galliis? 78. 2 A Chilperico Rege, qui dictus eſt Herodes & Nero ſui temporis. 78. 2. Suntramnus Rex, Chilperici conſtitutionem caſſavit. 79. 1. Ludovicus Sanctus donationes in favorem Eccleſiarum confirmavit. *ibid.* Sed Philippus Auguſtus iterum aſſumpſit. Innocentius verò tertius fortiter ſe oppoſuit. *ibid.* In Anglia verò incepit per Richardum Archiepiſcopum Cantuarienſem S. Thomæ Martyri proximum ſucceſſorem, contra Ciſtercienſes. 79. 2. Res hæc variè cucurrit uſque ad Eduardum è Nortmannis primum, qui in Richardi ſententiam abiit per legem. 80. 1. Idem præſtitit Richardus I. 80. 2. Vetans ne etiam per interpoſitas Perſonas, tes immobiles apprehenderentur ab Eccleſiaſticis. *ibid.* In Germaniam introductæ ſunt iſtæ leges tempore ſchiſmatis quod contra Urbanum VI. ſuſcitavit Robertus Gebenenſis Epiſcopus dictus Clemens VII. 81. 1. Contra quas egit Bonifacius IX. Conſtantienſe, Baſilienſe, & Carolus IV. 81. 2. Sed tandem querelæ factæ ſunt in Conventu Nurenbergenſi.
Anno 1522. Præſide Fernando Caroli V. Fratre, & Imperii Vicario. Ita ſcilicet, ut Proſeſſis non ampliùs ſequerentur bona hæreditatia; ea tamen lege ut eis, à Parentibus & amicis juxta cujuſque fortunam & facultates, mediocritet provideri debeat, ut habeant unde commodè in Monaſteriis vivere poſſint. 82. 2. Tantum abeſt ut per Germaniam lex amortizationis, e cludat jus ad dotem, quin econtra illud ſuppoſuerit & involverit. *ibid.* Et hanc legem cum iſta Modificatio-

ficatione confirmari poſtularunt ab Adriano VI. 83. 1. Servanda eſt ſub pœna. 83. 2. Ab Eccleſiaſticis veneranda. *ibid.*

Matrimonium cum prima ſecundùm legem eſt, cum ſecunda ſecundùm veniam, cum tertia iniquitas eſt, cum quarta planè porcinum, ex ſententia S. Gregorii Nazianzeni. 13. 2. & aliorum. 14. 1

Matrimonium cum tertia & quarta an eſſet validum longa inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam Controverſia. 14. 2. *& ſeqq.*

Auguſtinus cum Occidentali ſtetit à valore. 15. 2. Pax tandem utrique Eccleſiæ reliquit morem ſuum. *ibid. & ſeqq.*

Matrimonium cum quarta, Baſilius & alii cenſebant peccatum grandius fornicatione. 14. 1. Quartas nuptias appellabant Patres Belluinas. *ibid.*

Matrimonium cum quarta irritavit Imperator Baſilius Macedo. *ibid.* 2

Matrimonium inter fidelem & infidelem ab initio & nunc habitum eſt juri divino & naturali adverſum; tamen tempore Auguſtini pars oppoſita fuit tam probabilis, ut non fuerit auſus damnare. 4. 2. Idem de Matrimonio contracto poſt repudium ob cauſam adulterii à parte innocenti. *ibid.*

Matrimonium cenſebant olim plures mutuo conſenſu ſolvi. 10. 2

Matrimonium etiam conſummatum ſolvi ingreſſu Religionis cenſebat S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, ſecutus Canones. 11. 4. Et ſententia erat probabilis excuſans à mortali. *ibid.*

Matrimonium adulterio dirimi plures olim ceu fuerunt. 9. 2. Variæ de hoc ſententiæ. *ibid* Utraque contradictionis pars erat tunc verè probabilis. *ibid.* Eamque ſequentes excuſabantur à mortali. 10. 1. Idem de lepra. 11. 2.

Matrimonio rato, an poſſit diſpenſare Pontifex, quæſtio utrimque probabilis, in qua pars utraque excuſari poſſit à peccato lethali. 12. 2 De ea quæſtiones ſub Paulo IV. 12. 1. Variæ Pontificum ſententiæ. *ibid. & ſeqq.*

Mendicitas Monaſtica, *vide* Monaſtica mendicitas.

Mendicantium Ordinum Scopus & Inſtitutum quod ab Eccleſia obtinent, evincunt ipſorum eſſe in ſuis templis Catechizare & Prædicare. 290. 1, *ſeqq.* Quòd confirmatur ex Privilegiis Apoſtolicis. 291. 2. *ſeqq.* Bonifacii VIII. Conſtitutio exponitur. 294. 2. uti & Tridentinum Decretum. 291. 1. *ſeqq.* uſque ad 301

Meretrices publicæ primùm proſtituebant ſe extra urbes, ſed perſonatæ ob verecundiam. Poſtea pudore poſito etiam perſonas depoſuere; tandem verò omni diſciplina depravata auſæ ſunt ſubire urbes. 20. 1

Militia Chriſtiana. 93. 1

Milites facti Chriſtiani, ex ſententia Patrum militiæ reſignare juſſi. 103. 2. *ſeqq.* Aut ſaltem cavillari, ubi quid injuſtè præcipiebatur à Gentili Principe; aut tandem mortem oppetere. 104. 1

Miles nil magis fugere debet quàm otium. 145. 1 Deliciæ omnes arcendæ à Caſtris. 146. 1. Præſertim libidinoſæ. *ibid.* 2

Militia ſi cum caſtitate bene geratur eſt ſancta, & Eccleſiæ ac Reipublicæ eſt utilior quàm Monachatus. 106. 1. eſt autem valde periculoſa. 107. 1

Militis creandi forma antiqua. 118. 1. Apud Gentiles incepit. *ibid.* Tum ad Chriſtianos tranſiit. *ibid.* Ritus, leges, & Privilegia. *ibid. & ſeqq.* De genere Militum agitur, quos Equites auratos vulgò dicunt. 121. 1.

Miles ad omnia bella paratus & nunc hanc nunc illam partem ſequens, eſt palam ſceleratiſſimus. 124. 1

Militibus in expeditionibus & tranſitu aliqua à Provincialibus debentur. 151. 1. Nam pro Provincia depugnant. *ibid.* Non ferendum tamen ut Milites aliquid furentur. *ibid.* 2. Ne Gallinam quidem, inquiebat Imperator Aurelianus. *ibid.* Aliique *ſeqq.* Variæ pœnæ ſecùs facientium Militum. *ibid.*

Militum furta aliaque facinora. 158. 2. Per leges caſtigata. 159. 1. *ſeq.* Et per Canones. 160. 2.

Militum luſtratio perquàm neceſſaria. 148. 1

Militum Spolia. 153. Gentiles horum ſolo intuitu ſæpè præliabantur, *ibid.* Etiam Chriſtiani. *ibid.* 2. Sed malè. *ibid.* Spolia tamen ſunt licita; ſi nimirum primariò intenta juſtitia, ab hoſte victo ſpolia referantur. *ibid.* Idque ex Gentium jure & conſuetudine. 154. 1. Varia exempla. *ibid. & ſeqq.* Templa verò ſpoliare non licet, etiam iis rebus quæ tamquam ad aſylum depoſitæ ſunt. 155. 1. Hoc etiam ſervarunt Barbari. *ibid.* 2. Captas urbes Catholicas non ſpoliare licet, ſed exemplo Beliſarii eum manſuetudine ingredi. *ibid. ſeqq.* Multò minùs cum deferuntur expoliare, vel incendere. 156. 1. Hoc Turcarum & Barbarorum eſt, non Chriſtianorum. *ibid.* 2. Bella ſiquidem non geruntur ad evertendum hunc mundum: ſed ad reparandas injurias. *ibid.* Spolia non ex privatis bonis, ſed publicis ſumenda ſunt. *ibid. ſeqq.* Privati enim ſæpè ſunt innocentes. *ibid.* Nec Ruſticorum pecudes aut bona cedunt in ſpolia, ſed ſi rapta hoc prætextu fuerint, ſunt reſtituenda. 157. 1. In direptiones pecudum aliorumque ad forenſem vitam agentes ſpectantium bonorum, videntur ſucceſſiſſe exactiones, quas *Contributiones* vocant: nec laudandas nec inprobandas. 156. 2. Spolia verò non ſunt capientis, ſed colligenda in unum ſunt; & ex æquo diſtribuenda. 157. 2

Militum ſtipendia. 148. 2. Partim in pecunia, partim in annona conſiſtunt, *ibid.* Pro annona Romani dabant laridum, frumentum, buccellam, oleum, vinum, fœnum. *ibidem* Non debent eſſe ſuperflua. *ibid.* Sed ſufficientia. *ibid.* Variæ diſtributiones olim. *ibid. ſeqq.*

Militaris diſciplinæ neceſſitas. 129. 1. Commoda ejus

da ejus & incommoda, virtutes & vitia, cum exemplis. *ibid. & ſeqq.* Illius cuſtos eſt Clerus militaris. 131. 2. Cum eo preces & ſacrificia celebrabant antiqui Principes Catholici. 132. 1. Carolus Audax. 131. 2. Conſtantinus Magnus. 132. 2. Alique. *ibid. 2. ſeqq.* Carolus Magnus requiſivit Epiſcopos. 133. 1. *ſeq.*

Miracula circa SS. Euchariſtiam. *Vide* Euchariſtia.

Monachi olim dicti *Renunciantes*, quòd non Dæmoni tantùm & pompis ejus renunciarent in Baptiſmo, ſed etiam poſſeſſionibus temporalibus. 42. 1

Monachorum varia genera. Præcipui erant quibus jus natum ſuſcipiendi Ordines Sacros. 53. 2.

Monaſterium aliqui incolebant, ob culpam detruſi. Horum bona debebantur filiis, ſi habebant; ſin minùs, ad Monaſterium devolvebantur ſecundùm leges. 65. 2

Monachi aliqui erant ſolitarii, extra omne Monaſteriorum degentes. Et hi habebant proprium; teſtabantur; vel ab inteſtato ſuccedebant eis, non Eccleſia vel Monaſterium aliquod, ſed propinqui. 64. 1. Tales non vocabantur, nec erant Cœnobitæ, neque Juſtinianæis de Monachis legibus erant conſtricti. *ibid. & ſeqq.*

Monachi, à pueritia ad Profeſſionem deſtinati manum parentes involvebant palla altaris, & ſic eum offerebant. 49. 1

Monachi omnes olim vovebanr ſtabilitatem loci. 153. 2. non transferebantur niſi vel per novam in aliud Monaſterium incardinationem ſeu affiliationem de ſe perpetuam; vel per temporalem habitationem; & tunc Abbas à quo ſolvebar expenſas. *ibid.* Jus hoc ad temporale alimentum poterat vendi. 154. 1. Non verò jus affiliationis perpetuæ. *ibid.*

Monachiſmus non eſt capitis minutio; ſed Monacho etiam poſt profeſſionem ſuccedit hæreditas in Monaſterium transferenda. 69. 2

Monaſticam vitam profitentes partem bonorum ſuorum dabant Monaſteriis. 42. 1. *& ſeqq.* partem erogabanr pauperibus. *ibid.* 2. Epiphanius inſuper ſervavit ſibi. 400. Nummos comparandis libris. 42. 2

Monaſticam vitam profitens Pater familias, de bonis ſuis diſponere jubebatur, ita ut filiis legitimam, uxori verò dotem relinqueret. Monaſterium autem penitus non excludere, ſed ad minimum ut unum ex filiis conſiderare. 69. 1

Monachi capaces Dominiorum retinendorum & acquirendorum. 56. 2. Proprietas tamen in aliquibus partibus hoc ipſo cenſebatur tranſire ad Monaſterium; non in omnibus partibus. 61. 1. diſponebant de bonis ut volebant. *ibid.* Excepta legitima, ſi filios habuerant. 61. 2. Et dote, ſi conjuges. 63. 1. De cæteris etiam per teſtamentum diſponebant. 62. 1. Sed Auguſtinus hoc cavit ſuo ſpeciali Inſtituto. 62. 2. Quod poſtea leges Juſtinianææ comprobarunt. *ibid.* Non tantùm hæ Leges Civiles, ſed & Canones Eccleſiaſtici. 63. 1. Et omnis Eccleſia. 66. 1

Monaſticam vitam profitens Filius familias, non valet renuntiare ſucceſſioni futurorum bonorum; ſed ex Legibus Juſtinianæis hæc devolventur ad Monaſterium. 68. 1

Monaſticam vitam profeſſi bona omnia ad Monaſterium pertinenr. 43. 1. Debent autem diſpenſari hæc bona partim in uſus pauperum, ex regula S. Baſilii. 42. 2. Et S. P. Auguſtini. 43. 1. Regula verò S. Cæſarii, S. Iſidori, & S. Benedicti requirit ut profeſſurus diſponat vel in favorem pauperum vel in favorem Monaſterii, ut voluerint qui bona habent, aut id faciant cum eis de jure bona per ſucceſſionem advenerint. 43. 2. Regula autem Pachomii non patiebatur ut Monaſterio conferretur quidpiam; idque ne profeſſi inde ſuperbirent poſſet. *ibid.*

Monachi translati bona pertinent ad Monaſterium non *à quo*, ſed ad quod transfertur, ex ſententia S. Auguſtini, contra S. Alipium. 54. 1. 2. Scilicet ea bona de quibus nondum, de conſenſu Superioris diſpoſuerar. 55. 1. Ex cauſis tamen S. Auguſtinus voluit bona Honorati, taliter translati, inter utrumque Monaſterium dividi. *ibid.* Poſtea verò ad Monaſterium à quo, pertinere juſſa ſunt. 56. 1. Bona acquiſita ſcilicet, non acquirenda. *ibid.* 2

Monacho morienti, ſæpè non Monaſterium, ſed hæredes ſuccedebant. 54. 2

Monachi hiberni equo utebantur, immò & curru, &c. 57. 1

Monachi plures admittendi non ſunt, quàm ex reditibus Monaſteriorum, & conſuetis eleemoſynis ali poſſint. 52. 1. *ſeqq.* Idem de Clericis viventibus in communi. *ibid.* Aquiſgranenſe exponit rationes. *ibid.* Qui ultra has facultates admittuntur, ſunt ſupernumerarii; & ab illis exigi poteſt unde alantur. 52. 2. Nec hoc vetuit Tridentinum. *ibid.* Item dum reditus per iniqua tempora minuti ſunt; poſſunt exactiones novæ fieri ab ingredientibus, ne neceſſarius numerus minuatur. 53. 1. Exactiones illæ ſunt velut contractus anteuptiales. Perſonæ admittuntur puræ; & dein de neceſſariis agitur ad ſpirituale Matrimonium. *ibid.* Exponitur ſententia Theodori Balſamonis. *ibid.*

Monachorum jura Catechizandi & Prædicandi in Palæſtina. 312. 1. In Ægypto. 315. 2. In Syria. *ibid.* in Anglia & Hibernia. *ibid & ſeqq.* Ea generatim demonſtrantur variis teſtimoniis. 321. 1. Mens S. Caroli Borromæi. 327. 1. Alexandri VII. Decretum in cauſa Andegavenſi exponitur. 330. 2.

Monachi Presbyteri in ſuis Monaſteriis Catechizabanr & Prædicabant. 284. 1. Clerici ſæpè moverunt eis deſuper lites. 286. 1. Sed Monachi ſemper triumpharunt. *ibid. 2. ſeqq.* Similiter & Mendicantes. 287. 2

Monaſteriorum abuſus varii circa receptionem candidatorum. 44. 1. Præſertim Avaritia. *ibid.*

Sed

Sed quæ à Clericis incepit. *ibid.* Et dein ad Monachos transiit. *ibid.* 2. Erat & Simonia, sed mentalis. 45. 1

Monasteriis admitti non debent soli divites, neque determinari debet certa Dos omnibus. 86. 2. Non debet tamen recipi copia omnimodò vilium personarum. 88. 1

Monasteria debitè fundata, nihil licitè exigunt à professuris nisi à supernumerariis. *ibid.* 2. Similiter nec Franciscana, propter altissimam, quam laudabiliter profitentur paupertatem. *ibidem.*

Monasteria quæ juxta fundationem solos nobiles admittunt, qualis est Illustris Abbatia S. Gertrudis Lovanii, sunt laudanda, & conservanda. 87. 1

Monasteria Africana suscipiebant regulam S. Augustini. 54. 2

Monastica mendicitas viguit à principio Seculi duodecimi. 44. 1

N

NUptiæ, *Vide* Matrimonium.

O

OBlatus in honorem S. Laurentii Calix Henricum Imperatorem salvat. 38. 1

Orationibus S. Cypriani adjuvari Augustinus desideravit. 7. 2

Ordinem collatum ab hæretico & simoniaco esse validum, fuit olim de fide; postea tamen in Ecclesiis dubitatum, tandem verò res antiquæ certitudini restituta est. 4. 1

Originale peccatum. *Vide* peccatum Originale.

Oscula ex carnali delectatione fixa, esto absit animus ulterioris fœditatis, est peccatum mortale. 24. 1

P

PActiones de dote Religiosi, *Vide* simoniacæ pactiones.

Paganus apud antiquos Gentiles idem erat quod non miles. 103. 1. Postquàm verò sub pœna capitis, idolorum templa claudi Constantinus jussit; & filius ejus Constantius Mandatum restrinxit ad sola templa intra muros posita, tunc Gentiles coacti ad Pagos recurrere Pagani dicti à Christianis. *ibid.* 2

Parisiensis Universitatis infirmitates pristinæ. 31. 2.

Parthi non reputant gloriosè defunctos nisi in bello mortuos. 97. 2

Pastorum, ut hodiè vocant, sive Parochorum, varia olim nomina. 282. 2. Ipsorum munus proprium non fuit catechizare; sed Episcoporum id fuit. 283. 1. Sed multitudo Baptizandorum causa extitit, ut assumerentur tamquam Vicarii. *ibid.* 2. Nequidem concionabantur usque ad tempora Augustini, nisi jubente & præsente Episcopo. *ibid.*

Pastoris titulus fusiùs examinatur. 314. 1

SS. Patres inducentes sententias erroneas præter intentionem, lapsi sunt venialiter. 40. 1.

Patres errantes circa jus etiam naturæ, non mortalis sed venialis delicti reos facimus. 25. 1 & *seqq.* Delicta illa cooperuit charitas. *ibid.* Hoc inter errores illorum & hæreticorum interest quòd illi ex charitate processerint, hi ex pertinacia. *ibid.* 2. Illi humano more tentati, fuerunt hi spiritualiter fornicati. *ibid.* Habuerunt ergò Patres quantumvis justi, peccata venialia, etiam ignorantiæ, propter quæ rogarunt: *ab occultis meis munda me.* 26. 1.

Patrum ex phrasibus malè intellectis nasci solent hæreses. 203. 1. Sic ex Nicæno *consubstantialem*, Apollinarius sectam instituit, quæ etiam humanitatem Christi Patri consubstantialem statuit. *ibid.*

Pax inter Reges inita cùm fuerit, quid faciendum? 160. 2

Pacificandis Principibus Christianis semper se immiscuit Romanus Pontifex. *ibid.* & *seqq.* Idque de jure. 161. 1. Quidquid dicat Petrus de Marca. *ibid.* Etiam per censuras compellebant irrationabiliter invitos. *ibid.* Quod & fecere Synodi particulares. *ibid.* Non facit autem hoc Pontifex tamquam regiarum causarum judex. *ibid.* Sed tamquam mediator. 161. 2.

Pacis æqua conditio est, ut iniquè ablata restituantur. *ibid.*

Peccatum committitur vel ex ignorantia, vel ex concupiscentia vel ex utraque simul. 2. 1.

Peccata carnalia numquam per ignorantiam excusant à mortali; præsertim quia non sola ignorantia, sed colludit etiam in illis certa concupiscentia. 24. 1. 2

Peccata multa excusat sincera mentis simplicitas. 41. 1

Peccare possumus etiam in bono opere. 22. 2. Contrarium non definivit Synodus Tridentina. 23. 1

Peccati originalis essentia, concupiscentia & juris naturalis ignorantia. 1. Illa in voluntate consistit, hæc in intellectu. 1. 2

Originale enim peccatum totam debuit animam coinquinare. 1. 2. Non quoad pœnam tantùm, sed & reatum. *ibid.*

Pelagii ingenium ac mores frequenter Augustinus laudaverat. 171. 2. Etiam per litteras. *ibid.* Has produxit Pelagius in Synodo Diospolitana, clamans communionem cum Augustino sufficere ad se justificandum. *ibidem* Sed frustra. 172. 1. Is enim diu antè etiam cùm Romæ degeret acriter impugnaverat jaculatoriam Augustini orationem, *da quod jubes & jube quod vis.* 172. 2

Pelagiana hæresis, & antiqua Ecclesiæ in eam Decreta. 165. 1. Cælestius, accusante Paulino Diacono, damnatur in Concilio Carthaginensi anno Christi quadringentesimo duodecimo. *ibid. seqq.* Dogmata ejus. *ibid.* Pelagius

lagius approbatur à miſerabili Synodo Dioſpolitana. 166. 1, Pelagius & Cæleſtius inſtante Paulo Oroſio damnantur in Concilio Carthaginenſi, quod acta ſua probanda mittit ad Pontificem Innocentium. 170. 1. Pontifex approbat acta, excommunicans Pelagium Cæleſtiumque, donec reſipiſcant. 171. 1. Idem quod Synodus Carthaginenſis, fecit & Mileviana. *ibid.* 2. Innocentius Papa ſimile dat reſponſum. 172. 1. Contra Dioſpolitanam Synodum, Afri, inter quos S. Aug. celebrant Synodum quinque Epiſcoporum: concludentes ut Pontifex vel evocet Pelagium, vel per litteras agendum. 172. 1. *ſeqq.* Pontifex reſcribit ſufficere quod ipſi & dogmata condemnentur. 173. 2. Cæleſtius appellationis ergò, Romam venerat, oretenus ſubmittens ſe judicio ſanctæ Sedis. 174. 1. Hinc ejus appellationem admittens Zozymus, Innocentii ſucceſſor, Carthaginenſes evocat. *ibid.* Non tamen cum clauſulis ſuſpenſivis. *ibid.* Similiter per litteras appellaverat Pelagius. *ibid.* 2. Pontifex pariter admittit appellationem & accuſatores evocat. 175. 1 Afri acceptis Pontificis citatorialibus mittunt Marcellinum Subdiaconum cum documentis. *ibid.* 2.
Cæleſtius à Zozymo ritè interrogatus ceſpitat. Fugit. 176. 1
Paulinus Diaconus hoc intellecto Pontifici agit gratias. *ibid. ſeqq.* Tunc plenarium Carthagine celebratur Concilium, quo hæreſis univerſa damnatur. 177. 2. *ſeqq.* Præcipuum fuit quod promulgenc Innocentii Papæ ſententiam. 179. 1. Hanc plenariam Synodum confirmavit Zozymus. *ibid.* 2.
Prima lex Honorii & Theodoſii Impp. adversùs Pelagianos. *ibid.*
Cæleſtium condemnaverat Atticus Conſtantinopolitanus Archi-Epiſcopus in ſua Synodo. 181. 1
Secunda lex Imperatorum adversùs Pelagianos. *ibid.* 2
Aurelius Carthaginenſis Archi-Epiſcopus, omnium notitias mittit ad Epiſcopos per Byzacenam & Azuritanam Provinciam. 182. 2.
Etiam Conſtantius Imperator legem fert adversùs Pelagianos. *ibid.*
Legem promulgat Voluſianus Carthaginenſis Præfectus. 183. 1.
Etiam Valentinianus Tertius adversùs Pelagianos legem fert. 184. 1.
Cæleſtinus Papa in Romana Synodo Cæleſtium pellit ex Italia. *ibid. ſeqq.*
Palladium Diaconum mittit in Britanniam, ut pullulantem illic Pelagianiſmum extingueret. *ibid.* 2
Synodus Gallicana incerti loci adversùs Pelagianos. 185. 1
Generale Epheſinum damnat Pelagianos. *ibid.* 2. *ſeq.*
Tum adversùs Auguſtini authoritatem in Galliis actum. Sed Cæleſtinus Papa pro Auguſtino reſcribit. 187. 1
Huic Epiſtolæ adjecta Capitula ſunt Proſperi, ſed ſimul cum Epiſtola Cæleſtini miſſa ſunt, & probata. *ibid.* 2
Xixtus III. damnat Julianum in ſua Synodo. 190. 2.
Aquilejenſis Synodus in Pelagianos. 191. 1
S. Gelaſii Pontificis Decreta in Semipelagianos. *ibid.* Item Arauſicana Synodus. *ibid.* 2
Ejus Capitula. 193. 1.
Item Carthaginenſis Synodus. 197. 1
Denique Valentina Synodus. 196. 1
Quam confirmavit Nicolaus I. 199. 2
Peregrinatio perpetua fuit olim pœna æqualis Capitali ſupplicio. 11. 2
Philoſophia Gentilium opinio falſa fuit non certa ſcientia. 32. 1. In quantum ſcilicet negaverunt fidei neceſſitatem. *ibid.*
Picturæ, quibus S. Michael depingitur cum ſtatera in manu in die judicii, non ſunt reprobandæ. 39. 2
Poltronus, id eſt pollicè truncus, appellatur ignavus, ab eo qui bellare metuens ſe pollicè truncavit. 97. 2
Pontifices reordinantes, non definiverunt, ſed fecerunt id quod ſuis temporibus erat tutius. 29. 1. Tutius autem non eſt ſemper verius. *ibid.* & *ſeqq.*
Pontificis Romani Reſcriptum aliud eſt quàm Sedis Apoſtolicæ Decretum. *ibid.* 2
Prægnantem cognoſcere proculdubio peccatum eſt. 29. 2. Quod & Plato cenſuit. 30. 1. S. Clemens Alexandrinus grave delictum eſſe probat à ratione Phyſica, à Scripturis antiquis, & lege naturæ. *ibid.* Idem docent alii Patres. *ibid.* & *ſeqq.* Auguſtinus tamen aſſerit non eſſe niſi veniale. 29. 2. 30. 2
Prælandum non eſt omni die. 133. 2. Diem Paſchatis interdixit Conſtantinus M. *ibidem* Poſteà nec Feſtivis nec Dominicis diebus licuit. *ibid.* Rationem ad Bulgaros exponit Nicolaus I. 134. 2. Plures caſtigati, qui in Paſchate præliati ſunt. *ibid.* Prælium verò defenſivum tunc licet. 135. 1. In Quadrageſima non prælandum ſine neceſſitate. *ibid.* & *ſeq.* Avita pietas flacceſſere cœpit ex uno Indulto quod Gregorius VII. conceſſit adverſus Schiſmaticos. 136. 1. 2. Tandem evanuit. 137. 1. Eſt omninò reſtauranda. *ibid.*
Prælium meditantes præparabant ſe Catholici, jejuniis, pœnitentiis, & Epiſcopi benedictionibus, totiuſque Cleri. Et ſic immittebantur in hoſtes. *ibid.* Varia exempla. *ibid.* & *ſeqq.* Vexillum benedicebatur, & Principes illud ab Altari accipiebant tamquam à Deo, & ſic procedebant. *ibid.* S. Remigius ſolebat dare benedictionis ſuæ ſignum, lagenam vini benedicti. *ibid.* 2. Dedit unam Ludovico Primo, ex qua bibit hic cum ſuis toto belli tempore, quod geſſit contra Gothos, nec illa imminuta fuit. 137. 1. Varia alia pietatis exempla, præſertim invocationes Sanctorum. *ibid.* 2. Etiam ex Libris Sacris ominabantur, ut quid primò occurreret in libro aperto, ſibi uſurparent. 139. 1. Ita Clodovæus. *ibid.* Ita Chramnus peſſimus Francorum Rex, *ibid.* Ita Merovæus. *ibid. ſeqq.*

Passim verò aperiebatur liber Psalmorum, liber alicujus Prophetæ, & liber Evangeliorum, ex quibus quid primò occurrebat succeſſui adaptabant. *ibid.* Inter præparationes vero exiſtimabant omninò ſumendam SS. Euchariſtiam. *ibid.* Ita S. Imperator Henricus. *ibid.* Ita Carolus Magnus. 139. 2. Ita Stephanus Anglorum Rex. *ibid.* Ita Godefridus Bullonienſis expugnaturus Hieroſolymam. 140. 1. Ita Arnulphus Imperator ſternens Normannos propè Lovanium; ex quo annuè Dominica prima Septembris celebratur Dedicatio Lovanienſis. *ibid.* Græci quoque ſumma cum pietate ſe præparabant. *ibid.* Maximi faciebant imaginem Chriſti ad Edgarum Miſſam. *ibid.* Et D. Virginis Deiparæ. 141. 1. Conſtantinus verò ſpem ponebat in Signo Crucis. *ibid.* 2

Principi, etiamſi infideli, Schiſmatico aut Hæretico parendum eſt, non rebellandum. 99. 2

Probabilitas ex ignorantia naſcitur. 2. 2. Ab uno frequenter per Scholas, Provincias, & gentes propagatur. *ibid.* Eſt ſimilis famæ, in certitudinis infirmitate conſiſtens. *ibid.*

Probabilitatis antiquitas, authoritas, ac legitimus uſus. 1. 1. Variæ de illa Sententiæ. *ibidem.*

Probabilis Sententiæ ea eſt neceſſitas, ut ſine illa vivere non poſſimus. Si tamen veritatem non aſſequimur, venialiter ſaltem delinquimus. Utrumque eſt pœna peccatorum, ignorare & errare. 25. 1

Probabilitas vera facit ut ſequentes Sententias oppoſitas, ambo excuſentur à mortifero peccato. 8. 2. Varia exempla. *ibid. ſeq.*

Quid de probabilitate ſentiat Doctor Angelicus. 31. 2

Probabilis ſententia apud S. Auguſtinum idem eſt quod ſententia *probata*. 5. 1. Probata ſcilicet per Concilium ut minimùm Regionale. *ibid.* Quod Concilium Regionale procedere debuit ex ſacris Litteris, Canonibus, Sanctis Patribus, aliiſque locis Theologicis. *ibid.* Errant proinde qui ſententiam probabilem definiunt; *quæ certitudinem non habens vel gravi authoritate, vel non modica ratione nititur. Authoritas gravis cenſeri debet quæ eſt ſaltem unius viri doctì & probi*. *ibid.* Priori ſenſu acceptam probabilitatem tractat Author Diſſertationis de opinione probabili, *ibid.*

Probabiles ſententias contrarias ambas credebat S. Aug. poſſe in praxim duci. 55. 2. Niſi ſcandalum obſtaret. 56. 1

Probabili aliorum ſententiæ ſæpe ſe conformare licet, relicta propria. 33. 2. Probatur exemplis. *ibid.* Non licet autem hoc quando quis quid facturus ſit, eligit extra neceſſitatem. *ibid.* Neque ut vertumnus nunc hac ut licet nunc iſta. *ibid.*

Probabilitas in Legibus humanis, ab Eccleſia Catholica ſemper fuit permiſſa. 5. 2. *& ſeq.*

Probabiles ſententias etiam circa jus Naturale, Catholica ſemper admiſit Eccleſia. 13. 2

Probabilitas vera in Legibus etiam Divinis excuſat à mortali. 7. 1

Probabiles ſententias qui ſunt ſecuti, non fuere damnati. 32. 2. Nec authores iſtarum ſententiarum. 33. 1

Probabilitatem excuſare à mortali patet ex ipſa voce *probabilis*. 28. 2. Sed quæ bene intelligenda eſt: Nam probabiles Authores ſunt, qui ſunt omni exceptione majores. *ibid.*

Probabilem non facit ſententiam authoritas Doctoris unius aut plurium. 40. 1.

Probabilem ſententiam incipere unus Doctor poteſt, ſed probabilem facere non poteſt. 2. 2. Contrarium ſenſit Cæleſtius, ratus ſententiam unius Ruffini Sacerdotis ſufficere, ad tuendam quam contra peccatum originale malè tenebat ſententiam. 3. 1. Fieri tamen poſſit ut ſententia unius magni Doctoris ſit probabilis, ſed id eſt rariſſimum. *ibid.*

Probabilis non eſt omnis ſanctorum Patrum ſententia. 34. 1

Probabilem non fecit Hieronymi authoritas ſententiam, qua tenuit quoſdam graves peccatores poſt pœnas in purgatorio tolleratas, quamquam ſine pœnitentia deceſſerint, ex miſericordia Dei tandem ſalvandos eſſe. 38. 1. *& ſeqq.*

Probabiliſtarum & antiprobabiliſtarum error eſt, quòd illi probabilitate cenſeant deleri omnem culpam, illi quòd nullam. 41. 1. Alius error quòd non rectè ſentiant quandonam ſententia verè probabilis ſit. *Vide* Probabilis ſententia.

Proceſſiones Sacræ originem ducunt ex antiquo Teſtamento. 335. 1. Aſſumptæ poſtea ab Apoſtolis. *ibid.* Celebratæ in primitiva Eccleſia, *ibid.* Publicæ autem cœperunt poſt datam pacem à Conſtantino Magno. 336. 1. Variæ Proceſſionum Solemnitates olim. *ibid.* 2. Tam magnæ ut eas aſpiciens Rex Clodovæus, interrogaret, an hoc eſſet promiſſum à Chriſtianis Regnum Cœlorum. *ibid.* Non deferebant tamen in primitiva Eccleſia Euchariſtiam. Nam hanc occultare ſolebant. 337. 1. Variæ tamen fuerunt Proceſſiones cum Euchariſtia, ſed non publicæ per plateas. 338. 1. *ſeqq.* Poſteà verò mos ſolemnis fuit in Hiſpania. 338. 2. *ſeq.* Et in aliis Regionibus. 339. 2

Primus Author fuit Urbanus IV. qui inſtituit Feſtum Corporis Chriſti. 341. 2. *ſeqq.* Pietas aſſiduè crevit. 344. 2. Exponitur alluſio ejus ad alias Feſtivitates. 344. 1

Cum Euchariſtia delatæ Imagines. 346. 1. Et licitè. *ibid. ſeq.* Refelluntur Argumenta in contrarium. 364. 2

Proprietas Monaſtica ita eſt ab Epiphanio ſervata, ut 400. nummos ſibi relinqueret comparandis libris divinis ac utilibus. 42. 2

Profeſſi vel profitentes vitam Monaſticam. *Vide* Monaſticam vitam profitentes.

Pugna dicta eſt à pugnis, quibus ſe homines tuebantur. 95. 1. Donec Nembrod ſive Belus inſtituit uſum gladii. *ibid.* 2. *& ſeqq.*

R

RElig'osa professio secundus Baptismus. Hinc nata consuetudo celebrandi convivia sicut in Baptismo olim . 50. 1. *Vide*, convivia. Quam consuetudinem exigere Urbanus IV. damnavit de Simoniâ . *ibid. seqq.* Varii abusus . *ibid.*

Romanorum Pontificum Rescripta, quandoque probabilitatibus nituntur. 11. 2. *seqq.* Erroribus subjecta sunt . 12. 2. Hinc tamen malè concluditur contra infallibilitatem Pontificis procedentis ex Cathedra . Non enim tum nisi ut particularis procedit . Haberque Rescriptum ejus ad summum vim sententiæ interlocutoriæ. 13. 1

Reges qui aliena invadunt quàm graviter peccent , & castigati sint . 126. 2. & *seqq.*

Rigoristæ hypocritæ nitidè describi. 7. 1

Ruffini fuere tres, omnes Presbyteri, eruditi , sed de fide suspecti ; primus Aquilejensis , secundus Palæstinus, tertius Syrus. 35. 1

Russos seu Moscovitas non excusamus à schismate, quia nulla potest eos ignorantia tutos reddere , cùm non sit innocua . 20. 2

S

SAcerdotibus non licet ignorare Canones. 20. 1.

Sacramenta recusare non possumus illis qui sequuntur sententiam verè probabilem , licèt nostræ contrariam. 9. 1

Sanctorum Imagines & Reliquiæ legitimè ponuntur in Altari. 355. 1. Et pariter circumferuntur in Processionibus , etiam cum Sanctissima Eucharistia . *Vide* Processiones .

Seculum quintum fuit omnium seculorum doctissimum. 105. 2

Scoti tempore S. Hieronymi erant adhuc tam barbari, ut carnes humanas vorarent . 185. 1

S. Sergii Reliquiæ milites invulnerabiles faciunt . 122. 1.

Simonia horrendum vitium , multas sæpè in Ecclesiam plagas suscitavit. 42. 1

Simonia est pro administratione Sacramentorum , vel sepultura exigere quidpiam . 89. 1. & *seqq. Præter ea quæ de jure vel consuetudine laudabili conferuntur* . 92. 1. Spontè oblata recipere licet . *ibid.*

Simoniacæ pactiones non sunt, si in istis locis ubi vigent Leges de non amortizandis bonis, Monasterium paciscatur , vel cum parentibus filiisfamilias , vel cum hæredibus ejus. 81. 2. Leges enim istæ , tantùm vetant realem apprehensionem rerum immobilium ; non extinguunt radicale jus , Monasteriis à natura, & Justinianæis legibus tributum . *ibid. & seqq.* Quare similes stipulationes ab omnibus tribunalibus probantur . 82. 1. Similes pactiones sunt antiquæ . Exemplum in Anglia . *ibid.* Confirmatur ex S. Ivone . 84. 1. Ex Sylvestro . *ibid.* 2. Ex D. Thoma. *ibid.* Ex Dominico Soto . 86. 1. Ex Navarro. *ibid.*

Simonia Monasteriorum. 42. 1. & *seqq.*

Simonia Monastica committitur , si præter sponte oblata , committatur pactio . 48. 2. *seq.* Non obstante consuetudine . 49. 1. juxta quam abusivè Abbas pro se exigebat aliquid, vel pro Monasterio. *ibid.* Illicitè , quamvis ad piam aliquam causam. *ibid.*

Simoniæ Monasticæ pœnæ variæ. 45. 2. Lapsus omnis disciplinæ . 46. 1. Paupertas perpetua. *ibid. seqq.*

Simoniæ pœnæ variæ , divinitùs & humanitùs inflictæ. *ibid. seqq.*

Simoniæ pœnæ. *ibid. seq.* Detrusio in Monasterium strictiùs, cum perpetua ibidem pœnitentia. Degradatio Abbatum & Abbatissarum. Irregularitas . *ibid.* Sed respectu Abbatum , Latina Ecclesia non admisit tantum rigorem. 48. 2.

Simoniacè promotus spoliandus est licèt innocens , defectu tituli . 47. 2. Si tamen innocens , restituitur ; obtenturus locum juxta tempus restitutionis. *ibid.*

Simoniacè accepta per Monasterium restituenda sunt hæredibus , si innocentes sint , sin minùs pauperibus. 47. 1

Societatis Jesu Clerici per professionem primam non fiunt manus mortua . 84. 1. Bonis suis renuntiare non possent per Leges Justinianæas. *ibid.* Per hodiernos autem Ecclesiæ Latinæ mores communius est quòd possint . *ibid.*

Steriles & effœti an licitè contrahant matrimonium olim disputatum . 31. 1. Permittitur nunc ad remedium incontinentiæ. *ibid.*

Synesius gentilis fidem perfectam suscipiens , præter resurrectionis articulum , baptizatus dicitur ; quem agnovit creatus Episcopus . Sed verosimiliter etiam anteà credebat. 40. 1

T

TEmpla idolorum Constantinus clausit ; Theodosius evertit . 100. 2

S. Thomæ sententiæ de occidendo invasore vitæ , servato moderamine inculpatæ tutelæ , item de Famoso judice repugnant S. Aug. qui tamen bona fide illas sequuntur non sunt rei mortalis peccati . 28. 2

Timor servilis alius , alius filialis . 230. 2. Quid sint & in quo differant . *ibid.* Quis vanus , quis non vanus . 231. 2. Timor initialis . 232. 1.

Timor servilis non est peccatum , contra Lutherum . 236. 1. *seqq.* Non est actus infusus , sed incussus . 237. 2. Non facit magis peccatorem , ut malè Lutherus . *ibid.* 2. Exponitur Trid. 238. 1. Non facit hypocritam . 239. 1.

Timor gehennæ cohibet peccata externa . 232. 2. Etiam consuetudines . *ibid.* Immò cogit ad bonam voluntatem . 233. 1. Juvat enim charitatem . *ibid.* Est tamen imperfectus . *ibid.* 2 Cùm oriatur ex amore sui . *ibid.* Legem Dei nec levem facit. 234. 1. Nec adimplet . *ibid.* Non excludit voluntatem peccandi . *ibid* 2. Hoc scilicet amoris officium est . *ibid.* Est locus

locus aliquis Auguſtini in ſpeciem contrarius, 235. 1. Sed is exponitur. *ibid.*

Tutus Lymeni mortaliter peccavit ex ignorantia juris naturæ. 24. 1

Tutum & verum non ſunt idem. Quandoque ſententia vera eſt minùs tuta. 29. 1. *ſeqq.* Semper tamen eſt tuta. *ibid.* 2

Tutior ſententia eſt eligenda à duabus probabilibus. 9 2.

Tutior pars in dubiis eligenda. 26. 1. *& ſeqq.* Ita reſcribunt Pontifices. *ibid.* Ita Auguſt. *ibid.* 2.

Tutior ſententia in dubiis eſt eligenda; aut aliàs *qui amat periculum peribit in eo*: Si verò ſententiæ æquè ſint probabiles, poteſt charitas operantem excuſare à tanto, quamquam in iis quæ juris naturæ ſunt, non à toto. 27. 2. *& ſeqq.* Inter duas verè probabiles non ſequendum quod tutius, ſed quod verius. 28. 1. Hic tamen etiam quandoque veniialiter delinquitur. *ibidem.*

V

Veritas pedetentim elucidatur. 40. 2

Veritates æternas fuiſſe aliquas quæ non ſint Deus, error quorumdam Sophiſtarum, meritò à Pariſienſibus damnatus. 212. 1

Vitæ invaſorem poſſe interimi olim utrimque probabiliter diſputatum. 17. 2. Auguſtinus negavit. *ibid.* Item Athenagoras, nec non S. Cyprianus. Quorum regula erat à fortiori: *Innocentibus nec licet nocentem occidere.* Immò & alia eſt, quod tantum abeſt ut Chriſtiano liceat Thyeſtæis epulis ſatiari, quin *ne juſti quidem occidendi hominis ſupplicium intueri velle aut poſſe cognoverit.* Si non licebat intueri, multò minùs licuit occidere. *ibid.* Succenturiantur Minutius Felix, & Lactantius Firmianus. *ibid.* Et alii antiqui. *ibid.* Remque Deus comprobavit miraculis. *ibid.* Objiciuntur duo loca Auguſtini. *ibidem.* Reſpondetur. *ibid.* 2. Fundamenta tamen contraria faciunt Authores ſuos probabiles. *ibid.* Sententiam verò Auguſtini tenuit Gallicana Eccleſia. 18. 1. Hildebertus Turonenſis; *ibid.* 2. & Ambroſius. *ibid.* Sub Merovingiis Regibus Lex erat; ut occiſores purgarent ſe juramento. Sed purgatione in foro externo. *ibidem.*

Uxor crudeliter tractata poterat maritum deſerere, & illo invito Monaſterium petere. 11. 1.

Uxores olim qui mutabant ut veſtes, ſulti Lege civili quæ comprobabat repudia, ingeniosè carpit Aſterius Amaſenus Epiſcopus. 9. 1.

FINIS.